

Gastius Johannes

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS

episcopi tam in uetus quam in nouum Testamentum Commentarij.

EX OMNIBVS EIVSDEM LVcubrationibus per Ioannem Gastium Brisacensem collecti, denuo recogniti & quam diligentissime castigati.





APVD IOANNEM FRANCESIVM

VENETIIS. M. D. XLIII.



CHristiane lector, cùm permultos quotidie in nostra officina conqueri audiremus, quòd Augustino adeò fideli in sacra scriptura interprete uti non possent: Partim ob æris penuriam, partim ob incommoditatem temporis, optimum factu esse putauimus, si commentaria hæc in utrumque testamentum, ex eiusdem lucubrationibus perdoctè decerpta typis donaremus. Quæ, quo ordine, quáque diligentia, & in quem usum collecta fuerint, sequens authoris epistola te docebit. Hæc, quò prodirent à nobis aliquantò castigatiora, cum ipsius Augustini operibus denuò recognouimus. Inde quot locos sibi restitutos habeas, nostra hæc si cum alteris conferas facilè deprehendes. Nam præter uerba adulterata, & alia pro alijs posita, locis penè infinitis, ut statim pag. 1. ut pro aut. 32. lingua pro ligna. 41. domini pro domum. 57. consideranda pro desideranda, ibidem agentibus pro intelligentibus, etiam non paucos uersus deesse comperimus, utpote pag. 84. in hac periodo. Quod autem dictum est, populus populum superabit, & maior seruiet minori, secūdum literam in Esau (uel in Iacob, nō uidemus impletum, Non enim corporaliter beato Iacob seruisse cōmemorat scriptura, Quomodo ergo hîc oporteat intelligi, aut qualiter maior populus minori seruiat, spiritualiter debemus intelligere, Nisi enim fieret nō hoc sancta scriptura commemoraret.) Quomodo ergo populus, &c. ubi totum id quod parenthesi inclusum est desiderabatur. Item in nouo testamento, pag. 18. in hac periodo. Cur enim non sufficit, ut diceret, Attendite ne faciatis iustitiam uestram coram hominibus, sed addidit, ut uideamini ab eis, (Nisi quia sunt quidam, qui sic faciunt iustitiam suam coram hominibus, non ut uideantur ab eis,) sed ut ipsa opera uideantur, & glorificetur pater &c. ibi quoque quod terminatur parenthesi uacabat. Item alia similiter loca quàm plurima, quæ librarij culpa corrupta fuerant, sibi ex integro restituta cognosces. Additis preterea in margine annotationibus, quæ authorum quos citat locos indicarent. Qua in re si quid te adiuuerimus, id opt. maximo omnium bonorum largitori benignè adscribito, Vale.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, EIDEMQVE ILLVSTRISSIMO PRINcipi ac D. Domino ERASMO. Episcopo Argentoratensi, Lantgrauio Alsatiæ, Baroni à Limpurg. &c. uiro doctrina & pietate eximio, IOANNES GASTIVS Brisacensis, incrementum spiritus Christi & perpetuam felicitatem precatur.

NEmini non constat, Reuerendissime in Christo Pater ac Illustrissime Princeps, in sacrosanctam ueteris & noui testamenti scripturam uarias partim à bene doctis, partim etiam eruditionis solùm specie sese uenditantibus, tam præterito quàm nostro hoc nimium certè iniquo seculo, expositiones in lucem diuulgatas, & à multis summa diligentia esse lectas, ita ut quod cuique approbatum, suoque instituto accommodum uideretur, idipsum sibi usurpandum existimaret, uel adfirmans, rhetoricoque schemate aliquo expoliens: uel si ei quod ille conabatur probare, cõtrarium, aut minus consonum esset, omninò reijceret. Quidam uerò sine omni intellectu, loca quædam scripturæ, saliua humanarum cõstitutionum, omnibus modis cum uerbo Dei & Concilijs œcumenicis pugnantium, ita deprauarunt obscurarúntque, ut ferè synceri relictum sit nihil. Quum interpretationem sanam ex libris diuinis sumere, locum scripturæ obscurum ad alterum qui lucidior accõmodare, & in hunc sacrũ scopum omnia dirigere: aut ad orthodoxos ecclesię patres, ubi locus ab hæreticis uariè detortus expositusque esset confugere, quò Dei gloria (quæ præcipuè hîc quærenda) per Christum toti mundo magis magísque inclaresceret, debuissent. Siquidem lumen expositionis, teste Augustino, à Domino requirendum. Qui enim in diuinis sua quærit, aut in donis à Deo benigna manu collatis superbit, cũ nihil tam diuinæ cognitionis quàm humanæ nobis sit, quod non ab ipso hauserimus, quid aliud agit, quàm Lucifer ille, qui merito ob tam enorme peccatum è cœlo atque angelorum consortio detrusus est? Profectò ingratitudo illas multas hæreses, interpretationes ualde diuersas, & opinionum pelagus nimirum peccatis nostris id exigentibus inuexit, imò Germaniam totam hi suis dogmatis inuentionibusque nocentissimis adeò turbarunt, & conciderunt, (Paulino uti uerbo liceat) ut pauci iam, quod dolendum uehementer est, ueri theologi euangelij luce, & trium linguarum cognitione tam clarè coruscantibus, reperiantur. Palàm etiam est, quàm procul à scripturæ sentẽtia seditionis rusticanæ authores aberrarint, qui scripturam de libertate spirituali loquentem, mira uafricie ad ciuilem libertatem detorserunt. Inde hi tumultus omnes nati sunt, quod homines uel parum oculati, uel impij sua somnia attulerunt ad scripturam, non sententiam spiritus sancti ex scriptura (ut oportebat) collegerunt. Etenim sacra Christianæ doctrinæ anchora ubi è manibus decidit, ad quam unam in tanta humanarum opinionum tempestate confugere tutò licebat, non mirum, in ecclesia multas dissensiones & schismata existere. Nemo itaque, nisi mente captus, euangelij lucem illis

affulgere existimabit, ubi collatio scripturæ nulla, ubi Concilia ueterum spreta ubi scripta sanctissimorum Patrum conculcata, ubi illorum sententiæ & constitutiones, qui sanguini suo, quo ecclesia Christi augmentum sumeret, non pepercerunt, non solùm negliguntur, sed nullo etiam habentur in precio. Nihil hîc dico, de proximæ ætatis commentatoribus, quibus nulla linguarum cognitio, nullum in diuinis literis exercitium fuit, quíque in spinosis tantùm sophistarum argutijs & absurdis speculationibus tanquam ad Sireneos scopulos consenuerũt. De Tertulliano, Cypriano, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, &c. loquor, quorum scripta iam multis seculis ecclesia populi Dei approbauit, fouitque hactenus, & summa ueneratione coluit. Ad horum itaque sanctissimorum Patrum, hisce rerum in turbis, quò regia uia ingredi possem, neque temere efficta interpretatione aliqua niterer, lucubrationes, posthabitis illis ephemeris ac nuper natis libellis, me contuli, quid nam illi de locis præcipuis & obscurioribus, quibus de aliquandiu hactenus controuerti in orbe Christiano uidemus, Turca hæreditario Christianæ religionis hoste interim tumultuante, sentirent, percontaturus. Præcipuè autem D. Augustini opera (qui merito palmam inter reliquos Ecclesiæ doctores iam olim obtinuit, quíque proximius ad scripturæ sacræ sensum accedit) cœpi euoluere mira auiditate, ex quibus quicquid ad nudam scripturarum diuinarum interpretationem spectabat, digressionibus, ubi contra hæreticos inuehitur, reiectis, decerpsi. Neque uerò istuc, ut in tanto librorum prouentu, id qualecunque est, publicarem: sed eam mihi, si quando congrediendum disputando in publico actu foret, facultatem comparare, quò exactius & promptius argumenta ab aduersarijs opposita possem dissoluere, institueram. Non uideo enim qui alius in syncera theologia magis sit imitandus, testimonio doctissimorum uirorum. Quis etenim aut dilucidius, aut exactius etiam, scripturæ nodos, qui ubique occurrunt, lectorémque non exercitatum ita plerunque impediunt, ut ferè ab instituta lectione resiliat, dissoluit? Quis sensum scripturę penitius eruit? Reliquos interim tamen sanctissimos Patres, qui omnem operam in hoc etiam, ut Deus & glorificaretur locarunt, etsi dissimili studio, contemni, uel aliquo modo negligi, aut irrideri à me nolo quisquam existimet, hoc ipso quòd summas D. Augustino tribuam, quem summi theologi perpetuò & coluerunt & uenerati sunt, eiúsque sententias maiori ex parte suis Decretis & Canonibus infulserunt. Huius inquam opera magno labore euolui, & omnia quæ sparsim scripta erant, in unum corpus redegi, ut iusta Commentaria hîc in biblicos libros omnes, studiosus Theologiæ, qui D. Augustini operibus uel ob pecuniæ inopiam caret, uel tantum temporis alijs, negotijs obstantibus, insumere legendo & relegendo non queat, ceu in fasciculo uno, quicquid in totis biblijs abstrusum esset, abunde explicatum haberet. Neque hoc lectorem cœlare uolo, ex quibusdam libris (qui an D. Augustini sint, lis adhuc sub iudice pendet) nihil decerptum esse, quippe quòd non semel idem locus ter aut quater iisdem uerbis appositus, offenderetur. Ex quibus facilè apparebat, collectanea quidem ea ab erudito quopiam ex iisdem operibus decerpta, memoriæ tantùm leuandæ gratia primùm, atque inde in opera D. Augustini intromissa, infartaque fuisse, quò plurimum scilicet authoris

tanti

tanti lucubrationes excrescerent. Sunt autem ex quibus nihil describere libuit, hæc: Oratio de quinque hæresibus. Lib. de promissione Dei. Lib. uiginti unius. Quæst. Libri 2. de Adult. Coniug. ad Pollent. Tractatus de Epicuris & Stoicis. Tractatus de eo quod dictum est à Deo ad Moysen: Ego sum qui sum, Dialogus de altercatione ecclesiæ & synagogæ. Liber de utilitate credendi ad Honoratum. Liber contra epistolam Manichæi, quam uocant Fundamenti. Liber Quæst. Vet. & Noui testamēti. De incarnatione uerbi ad Ianuar. De Trinitate & unitate Dei. De essentia diuinitatis. De fide rerum inuisibilium. De substantia dilectionis. De Continentia. De patiētia De bono uiduitatis. De uera & falsa pœnitentia. De salutaribus documentis. Liber contra Fulgentium Donatistam. De amicitia. De diuinatione dæmonum. De spiritu & anima. Liber cuius titulus est Speculum. Liber sententiarum. Liber sextus contra Iulianum Pelagium. Dialogus 65. Quæstionum. Liber octoginta trium Quæstion. Lib. de mirabilibus sacræ scripturæ. Allegoriæ præterea de arca, & rebus alijs, multa etiam quæ in Libro 17. de Ciuit. Dei ad Marcel. utpote Psalmorum titulos quos allegoricè interpretatur. Similiter ea quæ Liber 18. & 19. habent, consultò prætermisi. Quin & ex Psalterio & commentarijs in Ioannis Euangelium & Epistolas nihil decerptum est, cùm iusta per se commentaria sint, & passim prostent. Neque uerò hîc quenquam celare libet, interseruisse nos interdum singulari industria ueteris Ecclesiæ consuetudinem & ritum, De sacrificio Missæ, De baptismo & eius forma, De paruulis sine baptismo decedentibus, De animarum origine, De ieiunio, De esu carnium, De cantu psalmorum, De festis diebus, De fide & gratia, De hæreticis, an sint tolerandi, uel comburendi, De peccato originali, De iustificatione, De lectionibus sacræ scripturæ in templis, De purgatorio igne, De oratione, De sanctis, &c. quò perturbatoribus ecclesiarum oculus simplex, clauso nequā oculo, aperiatur, quò minus deinceps adeò crudeliter in pios, ubi aliquantisper siue sacerdotij, siue ecclesiæ corruptus ordo in meliorem populóque simplici commodiorem mutatur, sæuiant, tumultuentur, perditum statim sursum ac deorsum prorumpant. Cæterum cùm hæc, qualiacunque sunt ea quidem, in priuatum, ut dixi, usum, magno mihi ipse labore collegissem, neque quicquam minus quàm in publicum emittendi consilium animo destinassem, author mihi primus, ut alijs etiam passim editione communicanda curarem fuit, perpetua mihi ueneratione prędicādus, D. SIMON GRYNAEVS, præceptor meus, quem heu, præmatura mors orbi inuidit, cuius immensa eruditio pari coniuncta cum pietate bonis ferè omnibus spem fecerat certissimam, futurum ut per eum res passim hodie collapsæ restituerētur. Siquidem ingenio erat omnibus in disciplinis, ac in omni philosophia, exercitatissimo. Latini uerò sermonis ui, leporéque ac uenustate, omniqúe dicendi scribendiqúe artificio ita excellabat, ut superiorem hoc seculo, parem dicere possem, uix quenquā habere: Græcarum ac Hebraicarum literarum cognitionem libens prætereo, quibus ad miraculum usque doctus fuit. Et sanè lucubrationes ipsius, ubi in lucem prodibunt, id quod breui spero fiet, abunde id quidem non temerè ita de illo sentire me, testabuntur. Neque uerò is solùm, quem dixi, GRYNAEVS, mihi hu-

ius

ius editionis author fuit, sed & D. OSVALDVS MYCONIVS, ecclesiæ nostræ, imò uerò Christianę totius columen atque ornamentum insigne, non semel hoc uti facerem, simulque multorum ut studijs consulerem, sedulo hortatus est. Quorum equidem cum hac in re, tum alijs omnibus, sententiæ consilióque ac uoluntati, non dicam obluctari, sed ne libenter quidem ac ultro obsecutum fuisse, & ingrati hominis argumentum, & grauissimum etiam piaculum uidebatur: Quippe quorum singularem eruditionem & pietatem contra inuidorum suggillationes ac morsus abunde suffecturam defensioni meæ arbitrarer, si saltem ex animo illorum monitis obtemperassem. Porrò autem laborem hunc, cuius potissimum ueluti tutelaris alicuius numinis auspicio in publicum emitterem, cum anxiè apud animum meum deliberarem: primum certè mihi Illustrissime Princeps Celsitudo tua occurrit, quæ non sine certa Dei dispositione tam insignē Episcopatum, non illum quidem ambiens, neq; pecunia ad quenquam (uti ferè hodie fieri solet) corrumpens, aut suffragium more quorundam eblandiens, imò ne cogitans quidē nuper indepta sit, idq; ob singularem rerum tam diuinarum quàm humanarum prudentiam, ac uirtutes planè heroicas, quibus præ cæteris principibus & episcopis ita ornata est, ita excellit, ut nihil deesse ipsi, ad amplitudinem, ad gloriam, ad dignitatem uideatur. Quin & docto imprimis Episcopo, pietatisq; amanti, non solùm inscribenda docti ac sancti episcopi scripta, sed etiam expendenda & perlegenda uidebantur. Itaque animo meo uti securius etiam hac parte obsequerer Tuæque C. hosce Commentarios inscriberem, non tam mihi persuasit singularis quidam, ac ut ingenuus, ita perpetuus animi C. T. candor, fauorque quo in literatos omnes affecta est, quàm omnibus etiam prædicata morum integritas, cum admirabili prudentia atq; humilitate coniuncta. Quin ea quoq; pręcipuè digna episcopo, & tali digna episcopo laus est, quod ubiq; paci ac concordiæ Christiani populi, miserè iam odio intestino & domesticis bellis flagranti, studeat. Quod si Alexander ille Macedo Homeri Iliada noctu (quia inter diu bellicis rebus occuparetur) euoluit, ipsumque dormiturus sub puluinar, cui incumbebat, reposuit. Si Ptolomæus Philadelphus Aegyptiorū rex à Demetrio sic institutus (teste Plutarcho) libros, in quibus regis officia & charissimorum uirorum gesta continebantur, nunquā è manibus demi sit: quantò magis Episcopi Christiani officium erit, diuinos libros euoluere, ijsque uel potissimum oblectare se, quoties ocij aliquid à cęteris functionibus superest, adiunctis patrum interpretationibus? Siquidem omnis prophetica scriptura priuatæ interpretationis non est: neque enim uoluntate hominis allata est olim prophetia, sed à spiritusancto impulsi, locuti sunt sancti Dei homines. Itaque cum alij multi certatim de C. T. huiuscemodi testantur, tum Lud. Carinus, homo bonarum literarum singulari eruditione & uitæ probitate uehementer insignis C. T. eruditionem humanitatémque pręedicare, cæteràsq; uirtutes, quibus præ cæteris nobilitata est, uehere solet. Atq; hæc profectò sunt digna episcopalis dignitatis elogia, quibus & D. Paulus episcopum depingit, qui ecclesiæ & utilis & commodus esse posit. Sed ô tempora, ô mores, quàm pauci ex principibus nostro seculo bonis literis atque disciplinis uel dediti

sunt,

sunt, uel earum studiosis, aut eruditis etiam (inter quos tamen me non numero) bene uolunt, quò incepta studia persequi, & ad umbilicum ducere quæant. Verum longè melius ad hoc quo iam fungitur C. T. munus iam inde à teneris comparauit sese, quippe quæ domi annis aliquot & præceptorem insignis eruditionis & honestissimæ uitæ uirum fouere, & ab eodem optimarum rerum doctrina imbui quotidie non dubitauit. Quod quia à plerisque cum nobilibus tum uerò principibus uiris potissimum hodie nimis quàm oscitanter curatur, aut prorsus etiam negligitur, mirum non est, literarum studia tam egregiè in Germania nuper à paucis institui cœpta, rursus intercidere, barbariem repullare, religionis negotium fluctuare, ecclesias doctis ministris ac bonis carere, populum uarijs sceleribus exundare. Atq; hi certè malorum fontes sunt, cur Germaniæ ad ueram concordiam aditus non pateat. Quod si pessimè perdendis, quas ad necessitatis ac salutis rationem Dominus creauit frugibus incumbendum sit, si exhaurienda pocula, si uenationes exercendæ, si militaris rei (& si ignauia nostra contra sæuitiem Turcæ nimis prò dolor nota sit omnibus) specimen exhibendum, si denique luxu, alea, scortatione tempus terendum, mox myriades aliquot, hominum genus ad obeunda hæc munia instructissimum, aduolare uideas. Verum ubi sacrosanctæ religionis nostræ negotio ferenda subsidia, Deum immortalem, quàm hîc torpemus omnes, quàm nemo humeros hîc suos aptare, aut parum saltem laboris suscipere, nemo quicquam uel consilij uel opis afferre studet? Ac ne episcopi quidem, quorũ uel præcipuè intererat, sanare laborantes conscientias, & nutantibus ecclesiæ rebus prudẽtia & uitæ sanctimonia succurrere, nõ armis ecclesias dissipare seruare miseros, non occidere: quò & errorũ aliquando lerna inexplicabilis illa tolleretur, & Dei summi cultus tam ab ipso quàm patribus spiritusancto afflatis institutus promoueretur: ne tam miserè simplex populus, ab ore docentis pendens, illumq; tanquã angelum diuinitus missum suspiciens, uarijs dissensionibus paucorum quorundam inuidia seduceretur ac periret. Atqui maior pars philosophos aliquot ueteres imitari potius studet, qui non solùm tyrannidẽ in suos exercuerunt, uerumetiam ciuitates, quas seruandas defendendasq; susceperant, malitia sua euerterunt, quorum è numero fuit Periander Cypseli, & quidam alij. Vnius tamen exemplum, quia præ cæteris memoratu dignum uidetur, adducere pluribus etiamlibet, Aristonis philosophi, scilicet qui homo sceleratus & impius, omníque belua longè immanior, cùm stupris ac ui nefaria omnes ferè familias nobiles defœdasset, ciues uerò quicunque uirtute atque ingenio præstare uidebantur, exilio partim, partim cædibus sustulisset, omnium bona atque fortunas prædam suam duxisset, seruis quidem Thracibus & Barbaris possidendam urbem tam insignem permisit: ad extremum obsessus ab exercitu Romano, L. Sylla duce, ciuitatem omnium pulcherrimam interire secum direptione atque incendio maluit (id quod proprium tyrannorum est) quàm unus ipse cedendo liberam incolumemque relinquere. Nónne etiam hæc à summis hodie monarchis, Turca interim populante ac deuastante Pannoniæ & Silesiæ fines, fieri uidemus? Verum ne epistolarem modum excedam (an enim potius lachrymis ubertim destillantibus deploranda, quàm exponenda uerbis sese

offerunt)

offerunt)interim redeo unde digressus sum. Hos igitur Illustrissime Princeps, duos Tomos, ueluti contextas ex D. Augustini florulentissimis pratis corollas, quos publico studiosorum nomine, C. T. defendendos à calumnijs & existimatione atque gratia pluribus commendandos, ornandósque offero, serena fronte digneris suscipere. Dominus Iesus Christus Cels. Tuam pietati, ecclesiam concordiæ, bonisque studijs restituendis & propagandis diu seruet incolumem.
Basileæ 4. April. M D X L I I.

LOCORVM INSIGNIVM
QVAM DILIGENTISSIMVS
INDEX.

A

circuncisio

diabolus

F

G

homo

L

men-

mors

N

O

oculum

ori-

pastor

pugna

ſepulturæ

terràs

V

uoluptas

FINIS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A # COMMENTARIA EX OMNIBVS D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI OPERIBVS IN LIBRVM Geneſeos decerpta.

CAPVT PRIMVM.

Ex Libro I. Gen. contra Manichæos. Cap. I. Tomo I.

IN PRINCIPIO *fecit Deus cœlum & terram.* Cœli & terræ nomine
1 uniuerſa creatura ſignificata eſt, quàm fecit & condidit Deus. Ideo autem nominibus uiſibilium rerum hęc appellata ſunt, propter paruulorum infirmitatem, qui minus idonei ſunt inuiſibilia comprehendere.

Ex Lib. de Gen. ad Lit. imperf. Cap. II. Tom. III.

Quæri poteſt, utrum tantummodo ſecundum hiſtoriã accipiendum ſit, an etiã figurate aliquid ſignificet, & quomodo congruat euangelio, & qua cauſa liber iſte ſic inchoatus ſit. Secundum hiſtoriam autem quæritur quid ſit, In principio, id eſt, utrum in principio temporis, an in principio, in ipſa ſapientia Dei, quia & ipſe Dei filius principium ſe dixit, quando ei dictum eſt: Tu quis es? & dixit: Principium
B quod & loquor uobis. Eſt enim principium ſine principio, & eſt principium cum alio principio. Principium ſine principio ſolus pater eſt, ideo ex uno principio eſſe omnia credimus. Filius autem ita principium eſt, ut de patre ſit. Ipſa etiam prima creatura intellectualis, poteſt dici principiũ his, quibus caput eſt, quę fecit Deus. Cùm enim rectè appelletur principium caput, in illa gradatione Apoſtolus mulierem tamen non dixit caput alicuius. Nã & uirum dixit caput mulieris, & caput uiri Chriſtum, & caput Chriſti Deũ, ita creatori creatura ſubnectitur. An ideo in principio dictum eſt, quia primùm factum eſt? An non potuit inter creaturas primùm fieri cœlum & terra, ſi angeli & omnes intellectuales poteſtates primùm factæ ſunt? Quia & Angelos creaturam Dei & ab eo factos credamus neceſſe eſt. Nam & Angelos enumerauit Propheta in 148. Pſalmo, cùm dixit. Ipſe iuſſit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Sed ſi primùm facti ſunt angeli, quæri poteſt utrum in tempore facti ſint, an ante omne tempus, an in exordio temporis? Si in tempore, iam erat tempus antequam angeli fierent. Et quoniam etiam tempus ipſum creatura eſt, incipit neceſſe eſſe ut aliquid priuſquam angelos factum accipiamus. Si autem in exordio temporis factos dicimus, ut cum ipſis cœperit tẽpus, dicendum eſt falſum eſſe quod quidam uolunt, ante cœlum & terrã tempus eſſe cœpiſſe. Si autem priuſquam tempus Angeli facti ſunt, quærendum eſt quomodo dictum ſit in conſequentibus. Et dixit Deus, fiant luminaria in firmamento cœli &c. Hinc enim poteſt uideri, tunc cœpta eſſe tempora, cùm cœlum & luminaria cœli ordinatis itineribus currere cœpiſſent: quod ſi uerum eſt, quomodo poterunt dies eſſe antequã tempus eſſet, ſi à curſu luminarium tempus exorſum eſt,

quæ quarto die dicuntur esse facta? An ista dierũ digestio secundum consuetudinẽ humanæ fragilitatis ordinata est lege narrandi, & humilibus humiliter insinuandi sublimia, quia & ipse sermo narrationis non potest nisi aliqua habere, & prima & media, & ultima. An in temporibus istis dictum est ut essent luminaria, quæ tempora homines, interuallis morarum in corporis motione metiuntur? Hæc enim tempora, si nullus motus corporum esset, nulla essent, & ipsa sunt hominibus manifestiora. Quòd si admittimus, quærendum est, utrum præter motum corporum posit esse tempus in motu incorporeæ creaturæ, ueluti est anima uel ipsa mens: quæ utique in cogitationibus mouetur, & ipso motu aliud habet prius, aliud posterius, quod sine interuallo temporis intelligi non potest. Quòd si accipimus, etiã ante cœlum & terram potest intelligi tempus fuisse, si ante cœlum & terram facti sunt angeli. Erat enim jam creatura quæ motibus incorporeis tempus ageret. Et rectè intelligitur cũ illa etiam tempus esse, ut in anima quæ per corporeos sensus corporeis motibus assuefacta est. Sed fortasse non est in principibus & creaturis supereminentibus. Sed quoquo modo hoc se habeat, res enim secretissima est, & humanis coniecturis impenetrabilis: illud certè accipiendum est in fide, etiamsi modum nostræ cogitationis excedit, omnem creaturam habere initium, tempusq; ipsum creaturam esse, ac per hoc ipsum habere initium, nec coæternum esse creatori. Potest enim cœlum & terra pro uniuersa creatura positũ uideri, ut & hoc uisibile æthereum firmamentum cœlum appellatum sit, & illa creatura inuisibilis supereminentium potestatum, rursusq; terra omnis inferior pars mundi cum animalibus quibus inhabitatur. An cœlum omnis creatura sublimis atque inuisibilis dicta est, terra uerò omne uisibile, ut etiam sic posit hoc quod dictum est: In principio fecit Deus cœlum & terrã, uniuersa creatura intelligi? Fortasse quippe non incongruè in comparatione inuisibilis creaturæ, omne uisibile terra dicitur, ut illa cœli nomine nuncupetur. Quoniam & anima quæ inuisibilis est, cùm rerum uisibilium amore tumesceret, & earũ adeptione extolleretur, terra dicta est, sicut scriptum est: Quid superbit terra & cinis? Sed quæri potest, utrũ iam distincta & composita omnia dixerit cœlum et terram, an ipsam primò informẽ uniuersitatis materiem, quæ in has formatas & speciosas naturas Deo ineffabiliter iubente digesta est, cœli & terræ nomine nuncupauerit? Quamquã enim scriptum legimus: Qui fecisti mundum de informi materia, tamen etiã ipsam materiam cuiusmodi cunque sit, non possumus dicere non ab eo factam, ex quo omnia confitemur & credimus. Vt etiam ipsa digestio & ordinatio singularum quarumq; rerum formatarum & distinctarum mundus uocetur: ipsa uerò materies cœlum & terra, ueluti semen cœli appellata sit, quasi confusum atque permixtum ab artifice Deo accipiendis formis idoneum.

C A

D

Anima terra dicitur.

Eccl. 10.

Ex Libro 1. de Gen. contra Manich. Tomo. I. b

Manichei sic solent reprehendere, quod scriptum est: In principio fecit Deus cœlum & terram. Quærũt in quo principio, & dicunt. Si in principio aliquo temporis fecit Deus cœlum & terrã, quid agebat antequam faceret cœlum & terrã? & quid ei subitò placuit facere, quod nunquam antea fecerat per tempora æterna? His respondemus: Deum in principio fecisse cœlum & terram, non in principio

A pio temporis,sed in Christo, cùm per uerbum esset apud patrem,per quod facta, & in quo facta sunt omnia.Dominus enim noster Iesus Christus,cùm eum Iudæi interrogassent,quis esset,respondit.Principium quod & loquor uobis.Sed & si in principio temporis Deū fecisse cœlum & terram credamus,debemus utiq; intelligere,quòd ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit & tempora.Et ideò antequàm faceret tempora,nō erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliquod tempus, quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus quod Deus non fecerat,cùm omnium temporum ipse sit fabricator unus.

Ex Lib.con.aduers.legis & proph. Cap. I I. Tomo V I.

Quærit iste impius,quo principio: eiúsne principio quo idem Deus esse cœpit an ex eo quo illum uacuū esse teduit? Cui respondetur,quia nec Deus esse cœpit: nec eum uacationis suæ teduit,qui neq; aliquando non fuit, nec cessando torpuit, nec operando laborauit: Nec sine cœlo sedis indiguit, nec facto cœlo sedem tanquam finitis erroribus peregrinis inuenit.Potens est enim beatissimè manere in se metipso,templo autem suo, quod sunt omnes sancti & angeli & homines, sic impertire habitationem suam,ut illi ex ipso habeant tale bonum, quo beati esse possint,non ex eis ille talem domum,sine qua beatus esse non possit. An ergo sic intelligendum est quòd scriptum est: In principio fecit Deus cœlum & terrā,ut principium sit ex quo esse cœperunt:nō enim Deo coæterna semper fuerunt,sed facta
B initium ex quo esse inciperent,accęperūt: Aut certè quia in principio sibi coæterno fecit Deus cœlum & terram, hoc est in unigenito filio. Ipse est enim sapientia,
C de qua dicit Apostolus: Christum Dei uirtutem & Dei sapientiam, & Deo qui fecit cœlum & terrā,dicitur in Psalmo: Omnia in sapientia fecisti. Aut si de Psalmo iste non uult accipere testimonium,Apostolum audiat de Christo loquentē. Quæ in ipso condita sunt omnia,in cœlo & in terra, uisibilia & inuisibilia. Deus igitur 1.Cor.1. nec cœpit esse,nec definet: sed opera eius quædam incipientia certo fine esse desistunt,sicut tempora & temporalia: quædam incipientia permanebūt,sicut ipsa Psal.103. sanctorum hominum,quam percepturi sunt,uita æterna.Quod iste non uidit,qui Col.1. putauit esse dicēdum ac definiendum,nullū esse sine fine principium. Nec ipsum potuit attendere numerum,cuius initium est ab uno,& finis in nullo: Nullus quippe numerus quamlibet magnus,uel dicitur uel si dici iam nō potest,cogitatur, cui non addi possit ut maior sit. Et puto quòd iste quālibet hæresim sub nomine Christi teneat contra Christum, uitam sibi promittit in Christo, utique beatam, cuius tunc poterit esse principium,cum uitæ huius miseræ finis fuerit.Respondeat itaque, beatam illam, quam non negat, uitam habituram uel habere principium, utrum habitura an non habitura sit finem?Si dixerit habiturā,ubi est quod ausus est dicere,nullum esse sine fine principium?Quærit etiam. Si mundus iste bonum Cap.3. aliquid est,cur non olim ex initio ab eo factum est quòd melius fuit? Quasi seipso aliquid melius Deus fecerit mundum. Aut ideo non debuerit hoc bonum fieri, quia non est equale facienti. Quòd autem quærit,cur non istud olim ex initio factum sit,responsum habeat. Imò uerò olim ex initio factum est. Ex initio utique suo,non Dei,cui nullum est initium.Si autē hoc initium significari potuit,eo quod

dictum est. In principio fecit Deus: quid est quod calumniatur uelut interrogans, C
in quo principio fecerit, cùm ipse rursus quærat, cur non olim ex initio factũ sit?
proinde sua uerba illi replicanda sunt: Nam sicut ipse propter id quod scriptũ est:
In principio fecit Deus cœlum & terram, argumentatur, & dicit: In principio igitur quo? Eiúsne quo idem Deus esse cœpit, an ex eo quo illum esse uacuũ teduit?
ita & nos ad id quod ait, cur non istud olim ex initio ab eo factum est, respondeamus & dicamus ei. Ex initio igitur quo? Eiúsne quo idem Deus esse cœpit, an ex eo, quo illum uacuum esse teduit? Hoc quippe illi displicet, quod non olim ex initio Deus fecerit cœlum, cùm dicit. Cur non olim ex initio? Tanquam ex initio facere debuerit, ex quo est ipse qui fecit. Cur non hîc timuit, ne dicendo ex initio ex quo est ipse Deus, cum debuisse facere cœlum, diceretur ei: habet ergo Deus initium, ac per hoc secundũ sententiã tuam habebit & finem. Tu enim dixisti, nullũ esse initiũ sine fine. Porrò si Deus caret initio, quomodo faceret aliquid ex initio, ex quo ipse non est? ac per hoc ex initio fecit ille ex quo fecit, id est, ex quo cœpit esse quod fecit. Aut ergo Deus ipsorum nihil bonum unquam fecit, aut secundũ istum quodcunque boni fecit, ex illo initio fecit, ex quo ipse est: & habenti initium metuendus est finis. Aut sanctæ scripturæ uerbis debet acquiescere & intelligere Deum, qui ex nullo cœpit esse principio, fecisse cœlũ in principio, uel ex quo cœlum esse cœpit, uel in filio. Qui Iudæis interrogãtibus, quis esset principiũ se esse respõdit. Nisi fortè dicturus est, aliud initium, aliud uerò esse principiũ. Si ergo ita esset scriptũ: In initio fecit Deus cœlum & terram, nihil cõtra hoc iste moueretur qui dixit. Cur nõ olim ex initio factum est, quandoquidem legeret, in initio fecit Deus, nõ existimans impiũ, si credatur Deus habere initiũ, sed non habere principium. Quod si ita est, emendetur, hoc autore, Euangelium, ubi scriptũ est: In principo erat uerbum. Cur enim non etiam hîc iste dicat: In principio igitur quo? Eiúsne quo idem esse uerbum cœpit? & quia Deus erat uerbum, potest etiam sic dicere, quemadmodum in hoc libro dicit: eiúsne, quo idem Deus esse cœpit? Dicat hîc si placet etiam illam definitiuam suam, ubi audit: In principio erat uerbum, dicat etiam hîc si audet. Nullum est principium sine fine: ut ab ipsis etiam Manichæis, qui eum fortasse quia inimicum legi prophetisq́ reperiunt, libentissimè legunt, iudicetur insanus. Quia uerò displicet illi Deus qui fecit mundũ, cur non displicet Deus per quem factus est mundus? De Christo enim scriptum est: In hoc mundo erat, & mundus per eum factus est.

Ioan. 8. D

De Gen. ad Lit. Lib. I. Cap. I. Tomo III.

Quærendum quomodo hoc sit dictum, utrum in principio temporis, an quia primò omnium facta sunt, an in principio, quod est uerbũ Dei unigenitus filius: & quomodo possit ostẽdi Deum sine ulla sui commutatione operari mutabilia et temporalia: & quid significetur nomine cœli & terræ, utrũ spiritalis corporalisq́ creatura cœli & terræ uocabulum acceperit, an tantummodo corporalis: ut in hoc libro de spiritali tacuisse intelligatur, atque ita dixisse cœlum & terrã: ut omnem creaturam corpoream superiorem atque inferiorem significare uoluerit: an utriusque informis materia dicta est cœlum & terra: spiritalis uidelicet uita, sicuti esse potest in se non conuersa ad creatorem. Tali enim conuersione formatur

A tur atque perficitur. Si autem non conuertatur, informis est: corporalis autem si posit intelligi per priuationem omnis corporeæ qualitatis, quæ apparet in materia formata, cùm iam sunt species corporum, siue uisu siue alio quolibet sensu corporis perceptibiles. An cœlum intelligẽdum est creatura spiritalis ab exordio quo facta est perfecta illa & beata semper: terra uerò corporalis materies adhuc imperfecta: quia terra, inquit, erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum: quibus uerbis uidetur informitatem significare substantiæ corporalis? An utriusque informitas his etiam posterioribus uerbis significatur? Corporalis quidem eo dictum est: Terra erat inuisibilis & incomposita. Spiritalis autem eo quod dictum est: Tenebræ erant super abyssum: ut translato uerbo, tenebrosum abyssum intelligamus naturam uitæ informẽ, nisi conuertatur ad creatorem: quo solo modo formari potest, ut non sit abyssus: & illuminari, ut non sit tenebrosa. Et quomodo dictũ est: Tenebræ erant super abyssum, an quia non erat lux? Quę si esset, utique superesset, & tanquam superfunderetur. Quod tunc fit in creatura spiritali, cum conuertitur ad incommutabilem atque incomparabile lumen, quod Deus est.

Ex Lib. cont. Adimant. Manich. discip. Cap. I. Tom. VI.

Hoc capitulũ legis aduersum esse euangelio stultissimi Manichæi arbitrantur, dicentes in Genesi scriptũ esse, quod Deus per seipsum fecerit cœlum & terrã & lucem, in euãgelio autem scriptum esse, per Dominum nostrum Iesum fabricatũ esse mundũ, ubi dictũ est: Et mundus per ipsum factus est, & mundus illum non cognouit. Tribus enim modis reuelluntur. Primo quia cùm dicitur: In principio Ioan. I.

B fecit Deus cœlum & terram, trinitatem ipsam Christianus accipit, ubi nõ solũ pater, sed & filius & spiritus sanctus intelligitur. Nõ enim tres Deos, sed unũ Deum credimus, patrem & filium & spiritũ sanctum, quãuis pater, pater, & filius, filius sit, & spiritussanctus, spiritussanctus. De qua unitate trinitatis hoc loco longũ est disputare. Deinde, quia ubi dicitur, Dixit Deus, fiat, & factũ est, ubi necesse est intelligatur per uerbum eum fecisse quod fecit, uerbum autem patris est filius. Non ergo repugnat hoc capitulum Geneseos ubi scriptum est. Et dixit Deus, fiat, & factum est, illi loco Euangelij ubi dicitur: Et mundus per eũ factus est, id est, per Dominum nostrum, quia ipse est uerbum patris, per quod facta sunt omnia. Postremò si propterea in Genesi non intelligitur filius, quia non est dictũ quòd per filiũ Deus fecerit: nec in euangelio per filium Deus, & aues pascit, & lilia uestit, & cætera innumerabilia, quæ ipse Dominus dicit, Deum facere patrem, quamuis non dicat quòd ea per filium faciat. Quòd autem etiam testimonium Apostoli adiungit, quòd ait de Domino nostro Iesu Christo: Ipse est primogenitus totius creaturæ, & omnia &c. Et hoc capitulum aduersum esse dicunt Genesi, ubi Deus ita Col. I.
dicitur fecisse mundum, ut specialiter filius ibi non sit nominatus, uehementer errant: & non uident, si ita est, ipsum Apostolum sibi esse contrarinm, cùm alio loco unum dicit. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, & filium non Roma. 8.
nominat. Quomodo autem hîc filius nominatus non est, intelligitur tamen, ita & in Genesi. Et quomodo sibi hæc duo capitula Pauli non aduersantur, ita nec Genesis euangelio.

Lib.1.de Gen.contra Manich. Cap. VII. Tomo.I. C

Informis ergo illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primò cœlum & terra, & dictum est: In principio fecit Deus cœlum & terram, non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam & cœlum scribitur postea factum. Quẽadmodum si semen arboris cõsiderantes dicamus, ibi esse radices, & robur, & ramos, & fructus, & folia, non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt. Sic dictum est: In principio fecit Deus cœlum & terrã, quasi semen cœli & terræ, cum in confuso adhuc esset cœli & terræ materia. Sed quia certum erat inde futurum esse cœlum & terram, iam & ipsa materia cœlum & terra appellata est. Isto genere locutionis etiam Dominus loquitur cùm dicit: Iam non dicam uos seruos, quia
Ioan.15. seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quęcunque andiui à patre meo, nota feci uobis: non quia iam factum erat, sed quia certissimè futurum erat. Nam post paululum dicit illis: Adhuc multa habeo uo-
Ioan.16. bis dicere, sed non potestis portare modò. Vt quid ergo dixerat; Omnia quæ audiui à patre meo nota fecit uobis, nisi quia se sciebat hoc esse facturum? Sic etiam cœlum & terra potuit dici materia, unde nondum erat factum cœlum & terra, sed tamen non erat aliundè faciendum.

Ex Lib.1.de Gen.contra Manich. Cap. VII. Tomo I.

Terra erat inuisibilis & incomposita. Hanc autem adhuc informem materiam etiam terram inuisibilem atque incompositam uoluit appellare, quia inter omnia elementa mundi terra uidetur minus speciosa quàm cętera. Inuisibilem autem dixit propter obscuritatem, & incompositam propter informitatem. Eandẽ ipsam materiam etiam aquam appellauit, super quam ferebatur spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis uoluntas artificis. D

Ex Lib.1.de Gen.contra Manich.Cap.III. Tom.o I.

Sic reprehendunt Manichæi hoc, ut dicant. Quomodo fecit Deus in principio cœlum & terram, si iam terra erat, inuisibilis & incomposita &c? Quid manifestius dici potuit, quàm hoc dictum est: In principio &c? Id est, In principio fecit Deus cœlum & terram, terra autem ipsa: quã fecit Deus, inuisibilis erat & incomposita: antequam Deus omnium rerum formas locis, & sedibus suis ordinata distinctione disponeret: antequam diceret, fiat lux, & firmamentum, & congregentur aquæ & appareat arida.

De Gen.ad Lit.imperf.Lib. Cap. IIII. Tomo III.

Ab hæreticis qui ueteri testamento aduersantur, moueri calumnia huic loco solet, cum dicunt: Quomodo in principio fecit Deus cœlum & terram, si iam terra erat? Non intelligentes hoc esse subiectum, ut exponeretur qualis terra fuerit, de qua iam dictum est: Fecit Deus cœlum & terram. Hęc autem terra quam Deus fecit, inuisibilis erat & incõposita, donec ab eodem ipso discerneretur, & ex confusione in rerum certo ordine constitueretur. An sic melius intelligitur, ut in hac executione rursus eadem rerum materies commendaretur, quæ superius cœli & terræ nomine nuncupata est? ut iste sit sensus: In principio fecit Deus cœlum & terram: hoc autem quod cœlum & terra dictum est, terra erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum, id est, quod cœlum & terra appellatum est,

A est, materies erat confusa quædam, de qua mundus, qui duabus maximè partibus, cœlo scilicet & terra, constat, digestis elementis & accepta forma fabricaretur. Quæ confusio materiæ sic potuit insinuari populari intelligentiæ, si diceretur terra inuisibilis, uel incomposita, uel inordinata, uel imparata, & tenebræ super abyssum, id est, super profunditatem uastissimam: quæ rursus profunditas ex eo fortasse nominata est, quia nullius intelligentia propter ipsam informitatem penetrari potest. Et tenebræ erant super faciem abyssi: utrùm subter abyssus erat & suprà tenebræ, quasi iam loca distincta essent? An quoniam materiæ adhuc confusio exponitur, quod iam χάος Græcè dicitur, ideo dictum est, tenebræ erant super abyssum, quia lux non erat: quæ si esset utique suprà esset, quia esset eminentior, & ea quæ sibi subiecta erant illuminaret? Et reuerà qui diligenter considerat quid sint tenebræ, nihil aliud inuenit quàm lucis absentiam. Ita igitur dictum est: Tenebræ erant super abyssum, ac si dictum esset, non erat lux super abyssum. Quapropter hæc materies, quæ consequenti operatione Dei, in rerum formas ordinata distinguitur, appellata est terra inuisibilis & incomponsita, & profunditas carens luce, quæ appellata est superius nomine cœli & terræ. Si tamen non cœlum & terram dicendo, uniuersitatem prius proponere uoluit, ut postea insinuata materia, mundi partes exequeretur. Et spiritus deferebatur super aquam. Nusquam dixerat Deus aquam fecit, nec tamen ullo modo credēdum est aquam Deum non fecisse, & eam iam fuisse antequam ille aliquid constituisset: etenim ille ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, sicut Apostolus dicit. Ergo & aquam Deus fecit, & aliter credere magnus error est. Cur igitur non dictum est quòd aquam Deus fecerit? An rursus eandem materiam, quam uel cœli & terræ inuisibilis & incompositæ atque abyssi nomine nuncupauerat, etiam aquam uoluit appellare? Cur enim non & aqua appellaretur si terra potuit, cùm adhuc neque aqua distincta atque formata, neque terra esset, neque aliquid aliud? Sed primò fortasse cœlum & terra appellata est, secundò terra incomposita & abyssus carens luce, tertiò aqua non incongruè, ut primò ipsius uniuersitatis propter quam facta est materies de omnino nihilo, cœli & terræ nomine uocaretur, secundò terræ incompositæ atque abyssi nomine insinuaretur informitas, quia inter omnia elementa terra est informior & minus relucens quàm cætera: tertiò aquæ nomine significaretur materia subiecta operi artificis, aqua enim mobilior est quàm terra. Et ideo propter operandi facilitatem & motum faciliorem, subiecta materies artifici aqua magis uocanda erat quàm terra. Et aër quidem mobilior est quàm aqua, æther autem mobilior ipso aëre non absurdè creditur aut sentitur. Sed aëris uel ætheris nomine minus conuenienter appellaretur materies. Magis enim hæc elementa uim creduntur habere faciendi, terra uerò & aqua patiendi. Quod si occultum est, uel certè apertissimum puto, quòd aquam uentus mouet, & nonnulla terrena: uentus autem est aër motus & quasi fluctuans. Ergo cùm aër aquā moueat manifestè, unde autem ipse moueatur, ut sit uentus, occultum sit, quis dubitet congruentius aquę nomine materiam uocari, quia mouetur, quàm aëris qui mouet? Moueri autem pati est, mouere facere. Huc accedit, quòd ea quæ terra gignit aqua irrigantur, ut nasci & perfici possint, ita ut propè uidea-

Elementorum natura.

tur in hæc ipsa nascentia eadem aqua conuerti. Quocirca congruentius aquę nomine appellaretur materies, cùm subdita operi artificis insinuaretur propter mobilitatem & conuersionem in quæque nascentia corpora, quàm nomine aëris, in quo sola mobilitas posset animaduerti: cætera uerò quibus materia expresiius significaretur defuissent, ut totus iste sit sensus: In principio fecit Deus cœlum & terram, id est, materiam quæ cœli & terræ formam capere posset: quæ materia terra inuisibilis & incomposita erat, id est, informis & luce carens profunditas: quæ tamen quoniam mouenti & operanti artifici subiecta esset, propter hoc ipsum quòd cedit operanti, aqua etiam nominata est. In hac igitur materiæ significatione prius insinuatus est finis eius, id est, propter quid facta sit: secundò ipsa informitas, tertiò seruitus ab artifice atque subiectio. In primo cœlum & terra, propter hoc enim facta materies. Secundo terra inuisibilis & incomposita, tenebrę super abyssum, id est, ipsa informitas sine lumine. Tertio aqua subiecta spiritui ad habitandum formásque capiendas: ideo super aquam ferebatur spiritus Dei, ut spiritum operantem, aquam uerò unde operaretur intelligamus, id est, materiam fabricabilem. Cum enim ista tria dicimus unius rei nomina, materia mundi, materia informis, materia fabricabilis, horum primo nomini bene adiungitur cœlum & terra, secundo obscuritas, confusio, profunditas, tenebræ, tertio cedendi facilitas, cui iam ad operandum spiritus superferebatur artificis. Et spiritus Dei superferebatur super aquam. Non ita superferebatur sicut oleum aquæ, uel aqua terræ, id est, quasi contineretur. Sed si ad hoc de uisibilibus exempla capienda sunt, sicut superfertur lux ista solis aut lunæ his corporibus quę illuminat in terra: non enim continetur illis, sed cum cœlo contineatur istis superfertur. Item cauendum est, ne quasi locorum spacijs Dei spiritum superferri materiæ putemus, sed ui quadam effectoria & fabricatoria, ut illud cui superfertur efficiatur & fabricetur. Sicut superfertur uoluntas artificis ligno, uel cuique rei subiectæ ad operandum, uel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum mouet. Et hæc similitudo cùm iam sit omni corpore excellentior, parua tamen est & propè nihil ad intelligendam superlationem spiritus Dei, subiecta sibi ad operandum mundi materia. Sed non inuenimus euidentiorem similitudinem & propinquiorem rei de qua loquimur in his rebus, quæ ab hominibus quomodocunque capi posśint. Quapropter in huiusmodi cogitatione optimè illud præceptum tenebitur, quod

Eccl.43. scriptum est: Benedicentes Deum, exaltate illum, quantumcunque potueritis, superabit adhuc. Hoc autem dictum sit, si hoc loco spiritus Dei spiritussanctus, quē in ipsa ineffabili & incommutabili trinitate ueneramur, accipitur. Potest autem & aliter intelligi, ut spiritum Dei, uitalem creaturam, qua uniuersus uisibilis mundus atque omnia corporea continentur, & mouentur, intelligamus: cui Deus omnipotens tribuit uim quandam sibi seruiendi ad operandum in his quæ gignuntur. Qui spiritus cùm sit omni corpore æthereo melior, quia omnem uisibilem creaturam omnis inuisibilis creatura antecedit, nō absurdè spiritus Dei dicitur. Quid enim non est Dei ex his quæ condidit, cùm etiam de ipsa terra dictum sit: Domini

Psal.23. est terra & plenitudo eius: & illud uniuersali complexione quod scriptum est:

Sap.11. Quoniam tua sunt omnia Domine, qui animas amas? Sed tunc potest iste spiritus

sic

A ſic intelligi,ſi quod dictum eſt: In principio fecit Deus cœlum & terrã,tantùm de uiſibili creatura dictum ſentiamus,ut ſuper materiam rerum uiſibilium,in exordio fabricationis eorũ ſuperferretur inuiſibilis ſpiritus,qui tamen etiã ipſe creatura eſſet,id eſt,non Deus,ſed à Deo facta atque inſtituta natura. Si autem uniuerſæ creaturæ,id eſt,intellectualis & animalis & corporalis materia creditur,illo aquæ uocabulo enuntiata,nullo modo hoc loco ſpiritus Dei poteſt,niſi ille incõmutabilis & ſanctus intelligi, qui ferebatur ſuper materiã omnium rerum quas fecit & condidit Deus. Tertia opinio de hoc ſpiritu oriri poteſt,ut credatur ſpiritus nomine,aëris elementũ enuntiatum,ut ita quatuor elementa inſinuata ſint,quibus mũdus ſte uiſibilis ſurgit,cœlum ſcilicet & terra & aqua & aër. Non quia iam erant diſtincta & ordinata,ſed quia in illius materiæ quãuis informi confuſione,tamen exortura præſignabantur,quæ informis confuſio tenebrarum & abyſſi nomine cõmendata eſt. Sed quælibet ſententiarum iſtarum uera ſit,omnium rerum quæ ortæ ſunt,quæ uidentur,& quæ non uidentur,non quantùm ad uitia, quæ contra naturam ſunt,ſed quantùm ad ipſas naturas attinet,Deum eſſe autorem & cõditorem credendum eſt. Nullámque omninò eſſe creaturam,quæ non ab ipſo initium perfectionémque habeat generis & ſubſtantiæ ſuæ.

Ex Lib. I. cont. aduerſ. leg. & prophet. Cap. VIII. Tomo. VI.

Tenebræ erant ſuper abyſſum. Quinetiam ſtultitiæ ſcribentis aſsignat,quòd tenebras dixerit ſine initio ſemper fuiſſe. Lucẽ uerò initiũ ſumpſiſſe de tenebris,quã ſi legerit in eo libro cui calumniatur,tenebras ſempiternas: cum ſcriptum ſit: In
B principio fecit Deus cœlũ & terram. Terra autẽ erat inuiſibilis & incompoſita,& tenebræ erant ſuper abyſſum. Ex illo ergo tenebrę eſſe cœperunt,ex quo cõfuſa moles cœli eſſe cœpit ac terræ, antequam facta eſſet lux qua illuminaretur quod ſine luce fuerat tenebroſum. Quid autem incõueniens, ſi mundanæ materiæ fuerant tenebroſa primordia,ut accedente luce,melius quod factũ eſt redderetur,& tanquam proficientis hominis, quod poſtea futurũ erat,hoc modo ſignificaretur affectio. Quãquam qui munere Dei potuerit perſpicatius iſta rimari, inueniet fortaſſe in creatura,quæ ita facta narratur ſine interuallis temporalium morarũ,diſtinctum mirabiliter ordinem rerum. Neque enim materies omninò nihil eſt, de qua in libro Sapientiæ legitur,Qui feciſti mundum de materia informi. Non ergo quia informis dicta eſt,omninò nihil eſt:nec Deo fuit uel ipſa coæterna tanquã à nullo facta:nec alius eam fecit,ut haberet Deus de qua faceret mundum. Abſit enim ut dicatur omnipotens non potuiſſe facere, niſi unde faceret inueniret. Ergo & ipſam Deus fecit. Nec mala eſt putanda,quia informis:ſed bona eſt intelligenda formabilis,id eſt,formationis capax. Quoniam ſi boni aliquid eſt forma, non nihil eſt boni,eſſe capacem boni. Sicut uox confuſa eſt clamor ſine uerbis,uox uerò articulata fit cùm formatur in uerba. Eſt ergo illa formabilis, iſta formata: illa quæ formam capit,iſta quæ habet. Nam quid horum unde fiat,in promptu eſt. Neque enim quiſquam dixerit de uerbis fieri ſonum uocis, ſed potius de uoce fieri ſonum uerbi:uel potius de uoce fieri uerba ſonantia quis non intelligit? Nec putandus eſt Deus informem prius feciſſe materiam, & interuallo aliquo interpoſito temporis, formaſſe quod informe prius fecerat:ſed ſicut à loquente fiunt uerba ſonantia

Sap. II.

ſonantia, ubi uox informis poſt accępit formam ſed formata profertur, ita intel- C
ligendus eſt Deus de materie quidem informi feciſſe mundum, ſed ſimul eam con
creaſſe mundo. Non tamen inutiliter prius narratur unde aliquid fit, & poſtea
Cap.10. quod inde fit, quia & ſi poteſt utrumque ſimul fieri, non ſimul poteſt utrumque narrari. Siue ergo prius nomine cœli & terræ, uel terræ inuiſibilis & incompoſitæ, atque abyſſi tenebroſæ, materies ipſa informis ſignificata eſt, rerum notarum appellationibus: quia ipſa prorſus ignota eſt humanis ſenſibus, & uix utrumque intelligitur, cùm res in deterius commutantur, tanquam ei propinquet quidque deformius, nec perueniat tamen ad illam informitatē quantulacunque uel inuiſibilis remanēs uel intelligibilis ſpecies, ſiue per cœlum & terrā generaliter prius inſinuata ſit ſpiritualis corporaliſque natura: ſiue aliquid aliud quod hîc ſalua fidei regula intelligi poteſt: Deum tamen uerū ſummū & bonum feciſſe cuncta quæ cernimus, & quæ meliora non cernimus, quāuis modus quo ea fecerit comprehendi humana mente non poſsit, dubitare fas non eſt &c.

Ex Libro.1.Gen.contra Manich. Cap.V. Tomo. I.

Et ſpiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquam. Hoc ſic ſolent Manichæi reprehēdere, ut dicant: Aqua ergo erat habitaculum ſpiritus Dei, & ipſa continebat ſpiritū Dei, Totū ergo conantur peruerſa mente peruertere, & excæcantur malitia ſua. Cùm enim dicimus, Sol ſuperfertur ſuper terrā, nūquid intelligi uolumus, quòd in terra habitet ſol & terra ſolem contineat? Et tamen non ſic ſpiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquā, ſicut ſuperfertur ſol ſuper terrā, ſed alio modo quem pauci intelligunt. Nō enim per ſpatia locorum ſuperferebatur aquæ ille ſpiritus, ſicut D
ſol terræ ſuperfertur, ſed per potentiā inuiſibilis ſublimitatis ſuæ. Dicāt autem nobis iſti, quomodo his rebus quæ fabricādę ſunt ſuperferatur uolūtas fabri. Quòd ſi hæc humana & quotidiana nō comprehendunt, timeant Deum, & ſimplici corde quo d non intelligunt quærant: ne cū uolunt uerbis ſacrilegis concidere ueritatē quam uidere nō poſſunt, redeat illis ſecuris in crura: Nā illa cōcidi non poteſt, quæ incōmutabilis manet, ſed quęcunque plagæ in illā emiſſæ fuerint repercutiūtur, & maiore ictu redeunt in eos qui cædere audent quod credere deberēt, ut intelligere mererentur. Deinde quærunt, & inſultando interrogant: Vnde erat ipſa aqua ſuper quam ferebatur ſpiritus Dei? Nūquid enim ſuperius ſcriptū eſt, quòd Deus aquam fecerit? Hoc ſi piè quærerent, inuenirent, quemadmodum intelligendū eſſet: Nō enim aqua ſic appellata eſt hoc loco, ut hęc à nobis intelligatur, quam uidere iam poſſumus & tangere: quomodo nec terra quæ incōpoſita & inuiſibilis dicta eſt, talis erat qualis iſta quæ iam uideri & tractari poteſt.

De Gen.ad Lit.Lib.1. Cap.V. Tomo. III.

Quia ſiue aquæ nomine appellare uoluit totā corporalem materiā, ut eo modo niſi iuuaret unde facta & formata ſunt omnia, quæ in ſuis iā dignoſcere poſſumus, appellās aquam, quia ex humida natura uidemus omnia in terra per ſpecies uarias formari atque concreſcere: ſiue ſpiritalem uitam quandā ante formam cōuerſionis quaſi fluitantē: ſuperferebatur utique ſpiritus Dei, quia ſubiacebat bonę uoluntati creatoris, quicquid illud erat quod formandum perficiendúmque inchoauerat, ut dicente Deo in uerbo ſuo, fiat lux, in bona uoluntate, hoc eſt in be-

neplacito

neplacito eius,pro modulo sui generis maneret quod factum est.

De Gen.ad Lit.Lib.1. Cap.XVIII. Tomo.III.

Syra lingua habet,fouebat.Nec sicut fouentur tumores,aut uulnera in corpo re aquis uel frigidis uel calore congruè temperatis,sed sicut oua fouentur ab aliti bus,ubi calor ille materia corporis etiam formandis pullis quodammodo adminiculatur,per quendam in suo genere dilectionis affectum.

Item. Vide.1.Reg.Cap.10.in hæc uerba.Et insiluit in illum spiritus Domini.

De Gen.ad Lit.Lib.1. Cap.II. Tomo.III.

Fiat lux,& facta est lux. Vtrum temporaliter,an in uerbi æternitate?Et si tem poraliter,utique mutabiliter:quomodo ergo posit intelligi,hoc dicere Deus,nisi per creaturã?Ipse quippe est incõmutabilis.Et si per creaturam dixit Deus : Fiat lux,quomodo est prima creatura lux,si erat iam creatura,per quã Deus diceret, fiat lux?An non est prima creatura lux,quia iam dictum erat : In principio fecit Deus cœlum & terram,& poterat per cœlestem creaturam uox fieri temporaliter atque mutabiliter,qua diceretur,fiat lux ? Quod si ita est,corporalis lux facta est ista,quam corporeis oculis cernimus,dicente Deo per creaturam spiritalem, quã Deus iam fecerat,cum in principio fecit cœlum & terram.Fiat lux,eo modo quo per talis creaturæ interiorẽ & occultum motũ diuinitus dici potuit,Fiat lux. An etiam corporaliter sonuit uox dicentis Dei:Fiat lux,sicut corporaliter sonuit uox dicentis Dei:Tu es filius meus dilectus,& hoc per creaturam corporalẽ,quã fecerat Deus,cum in principio fecit cœlũ & terram,antequam fieret lux,quæ in hac sonante uoce facta est.Et si ita est,qua lingua sonuit ista uox dicente Deo:Fiat lux,quia nondum erat linguarum diuersitas,quæ postea facta est in ædificatione turris post diluuiũ?Quænã lingua erat una & sola,qua Deus locutus est:Fiat lux, & quis erat quẽ oportebat audire atque intelligere,ad quẽ uox huius proferetur? An hæc absurda carnalisque cogitatio atque suspicio est?Quid ergo dicimus?An id quod in sono uocis intelligitur,cũ dicitur:Fiat lux,nõ autẽ ipse corporeus sonus,hîc benè accipitur esse uox Dei?Et utrũm hoc ipsũ ad naturã pertineat uerbi eius,de quo dicitur.In principio erat uerbũ,& uerbũ erat apud Deũ, & Deus erat uerbũ?Cũ enim de illo dicitur:Omnia per ipsum facta sunt,satis ostenditur, & lux per ipsum facta,cũ dixit Deus,fiat lux.Quod si ita est,æternũ est quod ait Deus,fiat lux:quia uerbũ Dei,Deus apud Deũ,filius unicus Dei , patri coæternus est:quãuis Deo hoc in æterno uerbo dicente,creatura tẽporalis facta sit. Cũ enim uerba sint temporis ,cũ dicimus quãdo & aliquando,æternũ tamen est in uerbo Dei,quãdo fieri debeat aliquid:& tunc fit quando fieri debuisse in illo uerbo est, in quo non est quãdo & aliquãdo,quoniã illud totũ uerbum æternũ est. Et quid est lux ipsa quæ facta est,utrũm spiritale quid an corporale?Si enim spiritale,pôt ipsa esse prima creatura iã hoc dicto perfecta,quæ primò cœlũ appellata est,cum dictũ est:In principio fecit Deus cœlũ & terrã:ut quod dixit Deus,fiat lux,& facta est lux,eã reuocãte ad se creatore,cõuersio eius facta atque illuminata intelligatur.Et cur ita dictũ est:In principio fecit Deus cœlũ & terrã, & non dictũ est. In principio dixit Deus,fiat cœlũ & terra,& facta sunt cœlũ & terra:sicut de luce narratur:Dixit Deus,Fiat lux,& facta est lux?Vtrùm prius uniuersaliter nomine

M (right margin, beside "An etiam corporaliter sonuit...")

Cap.3. (right margin, beside "in quo non est quãdo...")

cœli

cœli & terræ comprehendendum erat, & commendandum quod fecit Deus: & deinde per partes exequendum, quomodo fecit, cum per singula dicitur Deus, id est, quia per uerbum suum fecit quicquid fec t? An cum primum fiebat informitas materiæ, siue spiritalis, siue corporalis, non erat dicendum, dixit Deus fiat lux: quia formā uerbi semper patri cohærentis, quo sempiternę dicit Deus omnia. &c. C

De Gen. ad Lit. imperf. Lib. Cap. V. Tomo III.

Deum dixisse, fiat lux, non uoce de pulmonibus edita, nec lingua & dentibus accipere debemus. Carnalium sunt istæ cogitationes, secundum autem carnem sapere mors est. Sed ineffabiliter dictū est, fiat lux. Vtrum autem hoc quod dictum est, filio unigenito dictum est, an idipsum quod dictum est, filius unigenitus est; quod dictum dei uerbum dicitur per quod facta sunt omnia, quæri potest, dum tamen illa absit impietas, ut uerbū Dei unigenitum filium quasi uocem prolatam, sicut à nobis fit, esse credamus. Verbum autē Dei per quod facta sunt omnia, nec cœpit esse, nec desinet, sed sine inchoatione natum patri coæternū est. Quare hoc quod dictum est fiat lux, si & cœpit, & destitit dici, magis filio dictum est hoc uerbum, quàm ipsum est filius. Et tamen etiam hoc ineffabiliter. Nec carnalis imago subrepat in animum, & intellectum pium spiritalē conturbet, quia & incipere aliquid, & desinere in natura Dei si propriè accipiatur: temeraria & præceps opinio est, carnalibus tamen & paruulis, non tanquam in ea mansuris, sed tanquam inde resurrecturis humanissimè concedenda est. Quicquid tamen incipere & desinere Deus dicitur, nullo modo in ipsius natura, sed in eius creatura, quæ illi miris modis obtemperat, intelligendum est. Et dixit Deus: Fiat lux. Vtrum ea lux quæ his carnalibus oculis patet, an aliqua occulta quam nobis per hoc corpus uidere non datum est? Et si occulta, utrum corporea quæ per locorum spatia tenditur fortasse in sublimibus partibus mundi: an incorporea, qualis in anima est, ad quam uitandi & appetendi refertur examen à sensibus corporis, qua non caret etiam anima bestiarū? An ea quæ superior ratiocinando apparet, ex qua incipit omne quod creatum est? Quamlibet enim lucem significet, factā tamen & creatam debemus accipere, non illam qua fulget ipsa Dei sapientia, quæ non creata est sed natura, ne sine luce Deus fuisse putetur priusquam istam, de qua nunc agitur, cōdidisset. De hac enim, sicut ipsa uerba satis docent, hoc commendatur, quod facta sit. Et dixit, inquit: Fiat lux, & facta est lux. Alia est lux de Deo natura, & alia lux quam fecit Deus: natura de Deo lux est ipsa Dei sapientia, facta uerò lux est quælibet mutabilis siue corporea siue incorporea. Mouere autem solet, quomodo lux corporea esse potuerit antequam cœlum esset, & cœli luminaria, quæ post istam exponuntur: quasi uerò facilè hoc ab homine percipi potest, aut omninò ullo modo potest, utrum sit aliqua lux præter cœlum, quæ tamen spaciis locorū distincta atque diffusa sit, mundúmq; amplectatur. Sed cùm liceat hîc & incorporeā lucem intelligere, si non uisibilem tantùm creaturā in hoc libro, sed omnem creaturā expositā dicimus, quid opus est in hac controuersia remorari? & fortasse quod quærunt homines, quādo angeli facti sunt, ipsi significantur hac luce, breuissimè quidē, sed tamen cōuenientissimè & decētissimè. Et uidit lucē, quia bona est. Ista sententia nō quasi insoliti beneuolentiam, sed approbationē operis significare oportet intelligi. D

Quid

A Quid enim cõuenientius de Deo dicitur, quantũ inter homines dici poteſt, quàm cùm ita ponitur, Dixit, factum eſt, placuit: ita quòd in eo quod dixit, imperiũ eius intelligatur: in eo quod factũ eſt, potentia: in eo quod placuit, benignitas, ſicut ineffabilia per hominẽ hominibus, ita ut omnibus prodeſſent, dici debuerunt. Et diuiſit Deus inter lucẽ & tenebras. Hinc intelligi licet quanta diuini operis facilitate iſta dicantur effecta. Nõ enim quiſquã eſt qui ſic exiſtimet lucẽ factã, ut eſſet confuſa cũ tenebris, & ob hoc poſteà ſeparationis indigeret: ſed eo ipſo quo lux facta eſt, cõſecuta eſt etiã diuiſio inter lucẽ & tenebras. Quę enim ſocietas lucis cum tenebris? Deus ergo diuiſit inter lucẽ & tenebras, quia lucẽ fecit, cuius abſentia tenebræ uocantur. Intereſt autem inter lucem & tenebras, ſicut intereſt inter ueſtimentum, & nuditatem, aut plenum & inane, & ſimilia. Iam quot modis poſsit intelligi lux ſuprà dictum eſt, quibus contrariæ priuationes poſſunt tenebræ nominari. Alia eſt enim lux quæ uidetur his oculis corporeis etiam ipſa corporea, ut ſolis & lunæ & ſtellarum, & ſiquid huiuſmodi eſt, cuì contrariæ ſunt tenebræ, cum aliquis locus ea luce caret. Alia autem lux eſt uita ſentiens, & ualens diſcernere quæ per corpus ad animæ iudicium referuntur, id eſt, alba & nigra, canora & rauca, ſuaue olentia & putentia, dulcia & amara, calida & frigida, & cætera huiuſmodi. Alia eſt enim lux quæ ſentitur oculis, alia qua per oculos agitur ut ſentiatur. Illa enim in corpore, hæc autem, quamuis per corpus ea quę ſentit percipiat, *Lux ſenſuum.*
C inanimata tamen eſt. Huic contrariæ ſunt tenebræ inſenſibilitas quædam, uel ſi melius inſenſualitas dicitur, id eſt, non ſentire, quamuis inferantur quæ ſentiri poſſent, ſi eſſet in illa uita lux iſta unde ſentitur. Neque hoc cùm miniſteria de-
B ſunt corporis, ſicut in cæcis aut ſurdis. Nam in iſtorum animis eſt iſta lux de qua nunc agimus, ſed inſtrumenta corporis deſunt. Neque illo modo, quo modo in ſilentio uox non auditur, cùm & iſta lux eſt in anima & aſſunt corporis inſtrumenta, ſed nihil quod ſentiatur infertur. Non ergo qui his cauſis non ſentit, caret iſta luce. Sed cùm talis potentia non eſt in anima, quę iam nec anima dici ſolet, ſed tantùm uita: qualis perhibetur eſſe uitis & arboris, & quarumcunque ſtirpium, ſi tamen eas uel talem habere perſuaderi ullo modo poteſt, quas nonnulli nimis errantes hæretici, non ſolùm ſentire per corpus, id eſt, uidere, aut audire, & calorem ignémque diſcernere, ſed etiam intelligere rationem & cogitationes noſtras noſſe arbitrantur. Sed de his alia quæſtio eſt. Inſenſibilitas ergo tenebræ huius lucis, qua quicquid ſentitur, cùm ipſam uim ſentiendi non habet uita quælibet, conuenienter autẽ lucem hanc dici concedit, quiſquis concedit rectè dici lucem, qua res quæque manifeſta eſt. Cùm autem dicimus manifeſtũ eſt hoc canorum eſſe, manifeſtum eſt hoc dulce eſſe, manifeſtum eſt hoc frigidum eſſe, & quod fortè huius generis per corporales ſenſus attingimus, hæc lux qua iſta manifeſta ſunt, utique intus in anima eſt, quãuis per corpus inferantur, quæ ita ſentiuntur. Tertium lucis genus in creaturis intelligi poteſt, quo ratiocinamur. Huic contrariæ tenebræ ſunt irrationabilitas, ſicut ſunt animæ beſtiarum. Siue ergo lucem æthe- *Lux rationalis.* ream, ſiue ſenſualem, cuius animalia participant, ſiue rationalem, quam angeli & homines habent, à Deo factam primitus in rerum natura, hac ſententia uult intelligi, diuiſiſſe Deum inter lucem & tenebras, eo ipſo quo lux facta eſt oportet acci

pi, quòd aliud est lux, aliud illæ priuationes lucis quas in contrariis tenebris ordinauit Deus. Non enim Deum fecisse tenebras dictum est, quoniam species ipsas Deus fecit, non priuationes quæ ad nihilum pertinent, unde ab artifice Deo facta sunt omnia: quas tamen ab eo ordinatas intelligimus, cum dicitur: Et diuisit Deus inter lucem & tenebras, ne uel ipsæ priuationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente atque ministrãte. Sicut in cantando interpositiones silentiorum certis moderatísque interuallis, quãuis uocum priuationes sint, bene tamen ordinantur ab his qui cantare sciunt, & suauitati uniuersæ cantilenæ aliquid conferunt. Et umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent. Nam & uitiorum nostrorum non est autor Deus: sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit; & ea perpeti cogit quæ merentur. Ad hoc ualet quòd oues ponuntur ad dexteram, hœdi autem ad sinistram. Quędam ergo & facit Deus & ordinat: quædam uerò tantùm ordinat. Iustos & facit & ordinat, peccatores autem, inquantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantùm. Quippe cùm illos ad dexteram, illos ad sinistram constituit, & quòd in ignem æternum iubet ire, ad meritorum ordinem ualet: ita species naturásque ipsas & facit & ordinat. Priuationes autem specierum defectúsque naturarum non facit, sed ordinat tantùm. Dixit itaque fiat lux, & facta est lux. Non dixit, fiant tenebræ, & factæ sunt tenebræ. Horum ergo unum fecit, alterum non fecit: utrúmque tamẽ ordinauit, cùm diuidit Deus inter lucem & tenebras. Ita & ipsô faciente pulchra sunt singula, & ipso ordinante pulchra sunt omnia. D

Ex lib. 22. contra Faust. Manich. Cap. X. Tomo VI.

Quæ lux lucem fecerit, manifestum est. Manifestè enim positũ est, dixit Deus: quam tamen lucem fecerit, non ita manifestum est, utrum illam, quę in mentibus angelorum est, id est, ipsos tunc spiritus rationales Deus fecerit, an corporalem quãdam lucem, remotam etiam ipsam ab aspectibus nostris, in sublimibus huius mundi locis, inter studiosos diuinarum scripturarum concorditer disputatur. Quarto enim die fecit ista conspicua luminaria cœli. Quæ rursus utrum simul cum sua luce facta sint, an ex illa, quæ iam facta erat, quodammodo accensa sunt, similiter quæritur. Quælibet sanè lux facta sit, quando cùm essent tenebræ super abyssum, dixit Deus: Fiat lux: creatam tamen lucem à creatrice luce factam esse non dubitat, quisquis sanctas literas piè legẽdo fit dignus qui intelligat. Nec ideo putandus est Deus, antequàm faceret lucem in tenebris habitasse, quia spiritus Dei superferebatur super aquas, cùm prædictum fuisset: Tenebræ erant super abyssum. Abyssus nanque est aquarum inæstimabilis profunditas. Vnde potest occurrere carnali prudentiæ, uelut in his tenebris, quæ erant super abyssum, habitauerit spiritus Dei, de quo dictum est: Ferebatur super aquas: non intelligenti quemadmodum lux luceat in tenebris, & tenebræ eam non comprehendant, nisi per Dei uerbum fiat lux, & dicatur eis: Fuistis aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in Domino. Quòd si rationales mentes per uoluntatem impiam tẽnebrosę, lucem sapientiæ Dei nunquam absentem, comprehendere non possunt, quòd ab ea longè sunt affectu, non loco: quid mirum si spiritus Dei, qui superferebatur super aquas, superferebatur etiam super aquarum tenebras, incomparabili quidem longinquitate

Cap. II.

Ephes. 5.

A ginquitate, sed substantiæ, non locorum.

Ex lib. I. de Gen. contra Manich. Tomo I.

Quia ubi lux non est, tenebræ sunt, nō quia aliquid sint tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur. Sicut silentiū non aliqua res est, sed ubi sonus nō est, silentium dicitur, & nuditas aliqua res nō est, sed in corpore ubi tegumentū non est, nuditas dicitur, et inanitas non est aliquid, sed locus ubi corpus nō est, inanitas dicitur. Sic tenebræ non aliquid sunt, sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Hoc ideo dicimus, quia solēt dicere: Vnde erant ipsæ tenebræ super abyssum, antequā faceret Deus lucē? Quis illas fecerat uel genuerat? Aut si nemo fecerat, uel genuerat eas, æternæ erant tenebræ, quasi aliquid sint tenebræ. Sed ut dictū est, lucis absentia hoc nomē accępit. Sed quia ipsi fabulis suis decępti, crediderunt esse gētem tenebrarū, in qua & corpora & formas & animas in illis corporibus fuisse arbitrātur, ideo putāt quòd tenebrę aliquid sint: & nō intelligunt nō sentiri tenebras, nisi quando non uidemus, sicut non sentitur silentium, nisi quando non audimus. Sicut autem silentium nihil est, & tenebræ nihil sunt. Sicut autem isti dicunt, gentem tenebrarum contra lucem Dei pugnasse, sic potest & alius similiter uanus dicere, gentem silentiorum contra uocem Dei pugnasse.

Ex lib. II. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XX. Tomo. V.

Et uidit Deus lucem. Denique, nec illud prætereundum est silentio: quòd ubi dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux: continuò subiunctum est, & uidit Deus lucem, *Gen. I.* quia bona est: non postea quàm separauit inter lucem & tenebras, & uocauit lucem, diem: & tenebras, noctem, ne simul cum luce, etiam talibus tenebris testimonium placiti sui perhibuisse uideretur. Nam ubi tenebræ inculpabiles sunt, inter quas & lucem istam his oculis conspicuam luminaria cœli diuidunt, non antè, sed pòst infertur. Et uidit Deus, quia bonum est: posuit inquit, illa in firmamento cœli lucere super terram & præesse diei, & nocti: & separare inter lucem & tenebras. Et uidit Deus, quia bonum est, utrunque placuit, quia utrunque sine peccato est. Vbi autē dixit Deus: fiat lux, & facta est lux: & uidit Deus lucem, quia bona est: & postmodum infertur: Et separauit Deus inter lucem & tenebras, uocauítque Deus lucem diem, & tenebras noctem: non hoc loco additum est: Et uidit Deus, quia bonum est, ne utrunque appellaretur bonum, cùm esset horum alterum malum, uitio proprio, non natura. Et ideo sola ibi lux placuit conditori: tenebræ autem angelicæ, & si fuerant ordinandæ, non tamen fuerant approbandæ.

Ex lib. I. Gen. contra Manich. Cap. VIII. Tom. I.

Dicunt, Ergo non nouerat Deus lucem, aut non nouerat bonam. Miseri homines quibus displicet quòd Deo placuerint opera sua: cùm uideant etiā hominē artificem, uerbi gratia, lignarium fabrum, quāuis in comparatione sapientiæ & potētiæ Dei penè nullus sit, tamen tandiù lignum cædere atq; tractare dolando, asciando, planando, uel tornando atque poliendo, quoúsque ad artis regulas perducatur quantùm potest, & placeat artifici suo. Nunquid ergo quia placet ei qui fecit, ideo non nouerat bonum? Prorsus nouerat intus in animo, ubi ars ipsa pulchrior est, quàm illa quæ arte fabricantur. Sed quòd uidet artifex intus in arte, hoc foris probat in opere, & hoc est perfectum, quod artifici suo placet. Vidit ergo Deus lu

cem,

cem, quia bona est: quibus uerbis non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum. Quòd si dictum esset, miratus est Deus lucem, quia bona est, quantùm clamarent. &c. C

Ex lib. 11. de Ciuit. Dei ad Marcell. Cap. XIX. Tomo V.

Diuisit Deus inter lucem & tenebras. Quãuis itaque diuini sermonis obscuritas etiã ad hoc sit utilis, quòd plures sententias ueritatis parit, & in lucem notitię producit, dũ alius enim sic, alius sic intelligit: ita tamen ut quod in obscuro loco intelligitur, uel attestatione rerũ manifestarũ, uel alijs locis minimè dubijs asseratur: siue cũ multa tractãtur, ad id quoq; perueniatur, quod sensit ille qui scripsit: siue id lateat, sed ex occasione tractandæ profundæ obscuritatis, alia quędã uera dicantur: nõ mihi uidetur ab operibus Dei absurda sententia: si cùm lux illa prima facta est, angeli creati intelliguntur, inter sanctos angelos & immundos fuisse discretum, ubi dictum est: Et diuisit Deus inter lucem & tenebras, & uocauit Deus lucẽ diem, & tenebras uocauit noctem. Solus quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquàm caderent præscire casuros, & lumine priuatos ueritatis in tenebrosa superbia remansuros. Nam inter istum nobis notissimum diem & noctem, id est, inter hãc lucem, & has tenebras uulgatissima sensibus nostris luminaria cœli, ut diuiderent imperauit: Fiant, inquit, luminaria in firmamento cœli, ut luceant super terram, & diuidant inter noctem & diem. Et paulò pòst: Et fecit, inquit, Deus duo luminaria magna: luminare maius in principia diei, & luminare minus in principia noctis, & stellas: & posuit illas Deus in firmamento cœli, lucere super terram, & præesse diei & nocti, & diuidere inter lucem & tenebras. Inter illã uerò lucem, quæ sancta societas angelorum est, illustratione ueritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id est, malorum angelorum auersorum à luce iustitiæ teterrimas mentes, ipse diuidere potuit: cui etiam futurum non naturæ, sed uoluntatis malum occultum, aut incertum esse non potest. D

Ex lib. 1. Gen. contra Manich. Cap. IX. Tom. I.

Et tenebras uocauit noctem. Vocauit dictum est, uocare facit, quia sic distinxit omnia, & ordinauit, ut & discerni possent, & nomina accipere. Sic enim dicimus: Ille paterfamiliâs ædificauit domum istam, id est, ædificari fecit, & multa talia per omnes libros diuinarum scripturarum inueniuntur.

De Gen. ad lit. Imperf. lib. Cap. VI. Tom. III.

Et uocauit Deus lucem diem. Cùm & lux nomen sit alicuius rei, & dies rursum, & tenebræ & nox utrunque sit nomen, utrunque ita dici oportuit, nomina rebus imposita esse, ut illa res cui nomen impositum est, utique alio quoque nomine, nõ enim aliter poterat enumerare. Et ita dictum est. Vocauit Deus lucẽ, diem, ut indifferẽter etiam dici conuersè posset. Vocauit Deus diem lucem, & uocauit noctem tenebras. Quid ei respondebimus, si quis à nobis ita quærit, luci nomen impositum est dies, an diei nomen impositum est lux? quia hæc duo utique in quantum ad res significandas articulata uoce enunciantur, nomina sunt. Hoc modo etiam de aliis duobus quæri potest, tenebris nomen impositum est nox, an nocti impositum est nomen tenebrę? Et quidem ut scriptura describit, manifestum est, lucis nomen dictum esse diem, & tenebrarum nomen dictum esse noctem. Quia cùm diceret

A ceret Deus fecit lucem, & diuisit inter lucem & tenebras, nondum de uocabulis agebatur: postea adhibita sunt uocabula, dies & nox, cùm & illa sine dubio uocabula sint, lux & tenebræ, res aliquas significantia, sicut dies & nox. Ergo hoc ita accipiẽdum est, quia enuntiari aliter posset res quæ nomen accepit, nisi aliquo nomine. An potius ista uocatio accipienda est ipsa distinctio? Non enim omnis lux dies, aut omnes tenebræ nox. Sed lux & tenebræ certis inter se uocibus ordinatæ atque distinctæ, diei & noctis nominibus appellantur. Omne quippe uocabulum ad distinctionem ualet. Vnde etiam nomen quod rem notat, appellatum est quasi notamen. Notet autem, id est, distinguet & doctitanter ad discernendum adiuuet. Fortasse ergo ipsum diuisisse inter lucem & tenebras, hoc est, uocasse lucem diẽ, & tenebras noctem, ut hoc sit ordinasse ista quòd uocasse. An ista uocabula significare nobis uolunt, quam lucem dixerit, & quas tenebras? Tanquam diceret: Fecit Deus lucem & diuisit inter lucem & tenebras, lucem autem dico diem, & tenebras dico noctem: ne aliquam aliam lucem intelligas, quæ non sit dies, & ne aliquas alias tenebras intelligas, quæ non sunt nox. Nam si omnis lux dies posit intelligi, & omnes tenebræ noctis nomine censerentur, fortasse non opus esset dicere: Et uocauit Deus lucem diem, & tenebras uocauit noctem. Item quæri potest, quem diem dicat, & quam noctem. Si istum diem uult accipi, quem solis ortus inchoat, & claudit occasus, & istam noctem quæ à solis occasu usque in ortũ tenditur, non inuenio quomodo esse potuerint antequam cœli luminaria facta essent. An ipsa spatia horarum & temporum, etiam sine discrimine fulgoris atque umbræ, iam ita uocari potuerunt? Et quomodo in illam lucem rationalem, si hæc significata est, aut sensualem cadit hæc uicissitudo, quæ nomine diei & noctis significatur, an secundum quòd euenit? Sed secundum quòd potest euenire, ista insinuata sunt, quia & rationi potest error succedere, & sensui quædam stoliditas.

B

De Gen. ad Lit. Imperf. lib. Cap. VII. Tomo. III.

Et *facta est uespera, & factum est mane dies unus.* Nõ eodẽ modo nunc appellatur dies quo cùm diceretur: Et uocauit lucẽ diẽ, sed eo modo quo dicimus, uerbi gratia, triginta dies habere mensem. Hîc enim nomine diei noctes quoque includimus: superius autem ita dictus est dies, ut à nocte seiungeretur. Itaque cùm illa operatio diei per lucem gesta insinuaretur, cõsequenter factam dicitur esse uesperam, & factum esse manè diem unũ: ut scilicet sit unus dies à cœpto die usque ad cœptum diem, id est, à mane usque ad mane, quales dies, annumeratis, ut dixi, noctibus appellamus. Sed quomodo facta est uespera, & factum est mane? An tanta mora temporis fecit lucem Deus, & diuisit inter lucem & tenebras, quanta mora tẽditur dies luce, id est, nõ annumerata nocte? Et ubi est, quod scriptum est: subest enim tibi cùm uoles posse, si opus est Deo productione temporis, ut aliquid proficiat? An omnia quidẽ tãquam in arte atque ratione perfecta sunt Deo, nõ in productione temporis, sed in ipsa, in qua illas etiam res quas non stare sed trãsire cernimus, stabiliter efficit? Non enim & in sermone nostro cùm uerba alia trãseant, & alia succedant, credibile est ita fieri in ipsa arte, qua operãte stabiliter artificiosa occurrit oratio. Quanquam ergo sine productione temporis faciat Deus, cui subest posse cùm uolet, ipsæ tamẽ naturæ temporales motus suos temporaliter per-

agunt. Ita ergo fortasse dictum est: & facta est uespera, & factum est mane dies unus, sicut ratione prospicitur ita fieri debere aut posse, non ita ut fit tẽporalibus tractibus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est in spiritu sancto, qui dixit: Qui manet in æternum compleuit omnia simul. Sed commodissimè in illo libro, quasi morarum per interualla factarum à Deo rerũ digesta narratio est, ut ipsa dispositio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione stabili uideri non poterat, per huiusmodi ordinem sermonis exposita quasi istis oculis cerneretur. C

Ex lib. I. Gen. contra Manich. Cap. X. Tomo. I.

Et hîc calumniantur Manichæi dum putant ista dicta esse, quasi à uespera dies cœperit. Non intelligunt operationem illam qua lux facta est, & diuisum est inter lucem & tenebras, & uocata est lux dies, & tenebræ nox. Hanc ergo totã operationẽ non intelligunt ad diem pertinere: post hanc autem operationem tanquã finito die facta est uespera. Sed quia etiam nox ad diem suum pertinet, nõ dicitur transisse dies unus, nisi etiam nocte transacta, cùm factum est mane. Sic deinceps reliqui dies computantur à mane usque in mane. Nunc enim quod factum est mane, & transacta est una dies, incipit operatio quæ sequitur ab ipso mane quod iam factum est, & post ipsam operationem fit uespera, deinde mane, & transit altera dies, atque ita deinceps cæteri dies transeunt.

De Gen. ad Lit. Imperf. lib. Cap. VIII. Tomo III.

Fiat firmamentum in medio aquæ. Vtrũ aquæ tales sint supra firmamentũ, quales sub firmamento istæ uisibiles, an quia illam aquam uidetur significare supra quam spiritus ferebatur, & eam intelligebamus esse ipsam mũdi materiam, hæc etiam hoc loco, firmamento interposito, discreta credenda est, ut inferior sit materia corporalis, superior animalis: hoc enim firmamentum dicit, quod cœlum postea uocauit. Cœlesti autem corpore nihil est in corporibus melius. Alia quippe corpora cœlestia, alia terrestria. Et utique cœlestia meliora, quorum naturã quicquid transit, nescio quemadmodum iam corpus possit uocari. Sed est fortasse uis quædam subiecta rationi, qua ratione Deus ueritásque cognoscitur, quæ natura, quia formabilis est uirtute atque prudentia, cuius uigore prohibetur eius fluctuatio atque constringitur, & obiectio quasi materialis apparet, rectè aqua diuinitus appellata est, non locorum spatio, sed merito naturæ in corpore cœli incorporei ambitum excedens. Et quoniam cœlum firmamentum uocauit, non absurdè intelligitur quicquid infra æthereum cœlum est, in quo pacata atque firmata sunt omnia, mutabilius esse & dissolubilius. Quod genus corporalis materiæ ante acceptam speciem distinctionémque formarum, à qua firmamentum nominatum est, fuerunt qui crederent has uisibiles aquas & frigidas superficiem cœli superãplecti. Et documentum habere conati sunt de tarditate stellæ unius de septem uagãtibus, quæ superior cæteris & à Græcis φαίνων dicitur, & triginta annis peragit signiferum circulũ, ut ob hoc tarda sit, quia est frigidis aquis uicinior, quę supra cœlum sunt. Quæ opinio nescio quemadmodum possit apud eos defendi, qui subtilissimè ista quæsierunt. Nihil autem horum temerè affirmandũ, sed cautè omnia modestéq; sunt tractanda. Et dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquæ & sit diuidens inter aquam & aquam, & sic factum est. Postquam dixit, sic factum est, D

quid

A quid opus erat rursum addere, Et fecit Deus firmamentum, & diuisit inter aquam quæ erat sub firmamento, & aquam quæ erat supra firmamentum? Nam cùm dixisset superius: Et dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, nō addidit rursum, & fecit Deus lucē: hîc autē postquam dixit Deus, fiat, & sic factum est, additum est, & fecit Deus. An hinc apparet non oportere lucem illam intelligi corporalem, ne eam aliqua creatura interposita fecisse Deus uideatur? Deum autem trinitatem dico: hoc autem firmamentum cœli, quia corporeum est, per incorpoream creaturam accepisse speciem formámq; credetur, ut prius incorporeæ naturæ rationaliter à ueritate impressum sit quod corporaliter imprimeretur, ut cœli fieret firmamentum. Et ideo positum est, & dixit Deus, fiat, & sic factum est, in ipsa rationali natura prius facta est fortasse unde imprimeretur corpori species. Cùm autē additū est: Et fecit Deus firmamentū & diuisit inter aquam quæ erat sub firmamento, & aquam quæ erat supra firmamentum, & ipsa corporatio ut corpus cœli fieret significatur. An fortè uarietatis causa, ut textus sermonis in fastidium nō ueniret, & suprà nō est positum, quod infrà positum est, & nō oportet scrupulosè omnia rimari? Eligat quis quod potest, tantùm ne aliquid temere atque incognitum pro cognito asserat: meminerit se hominem de diuinis operibus quantùm permittitur quærere. Et uocauit Deus firmamētum cœlum, quod de uocatione superius tractatum est, hic quoque considerari potest. Non enim omne firmamentum cœlum est. Et uidit Deus quod bonū est. Et de hoc superius quomodo tractatū est, retractaretur, nisi quòd non eūdem ordinem uideo. Nam superius: Et uidit Deus B lucem quia bona est, & pòst deinde subiicitur: Diuisit Deus inter lucem & tenebras, & uocauit Deus lucem diem, & tenebras uocauit noctem. Hîc autem postquam factum enarratum est, quod factum dicebatur, & postquam uocatum est firmamentum cœlum, tùm dicitur: Et uidit Deus, quia bonum. Quod si non fastidij euitandi gratia, ita narratum est, certè intelligere cogimur quod dictum est: Et fecit Deus omnia simul. Quare enim primò ibi uidit, quia bonum est, & postea nomen imposuit, hic autem primò nomen imposuit, & postea uidit quia bonum est, nisi quia illa differentia significat, morarum interualla non esse in operatione Dei, quamuis in ipsis inueniatur operibus. Secundum autem morarum interuallum prius aliquid & postea efficitur, sine quibus narratio factorū nō potest esse, quamuis sine his Deus ista efficere potuerit.

Ex lib. II. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XXXIIII. Tomo V.

Quanquā nonnulli putauerint, aquarum nomine, significatos quodāmodo populos angelorum, & hoc esse quod dictum est: Fiat firmamentum inter aquā & aquam, ut supra firmamentum angeli intelligantur, infra uero uel aquæ istæ uisibiles, uel malorum angelorum multitudo, uel omnium hominum gentes. Quod si ita est, non illic apparet ubi facti sunt angeli, sed ubi discreti. Quāuis & aquas quod peruersissimæ atque impiæ uanitatis est, negent quidā factas à Deo, quoniam nusquā scriptum est, dixit Deus, fiant aquæ. Quod possunt simili uanitate etiam de terra dicere, nusquam enim legitur: Dixit Deus, fiat terra. Sed inquiunt scriptum est: In principio fecit Deus cœlū & terram. Illic ergo & aqua intelligenda est, uno enim nomine, utrunque comprehensum est. Nam ipsius est mare,

ſicut in Pſalmo legitur: & ipſe fecit illud, & aridam, id eſt, terram manus eius fin- C
xerunt. Sed hi qui in nomine aquarum quæ ſuper cœlos ſunt angelos intelligi uolunt, ponderibus elementorum mouentur, & ideo non putant aquarum fluidam grauémque naturã in ſuperioribus mundi locis potuiſſe conſtitui: qui ſecundum rationes ſuas ſi ipſi hominem facere potuiſſent, non ei pituitam, quod Græcè φλέγμα dicitur, & tãquam in elementis corporis noſtri aquarum uicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim ſedes eſt phlegmatis ſecundum Dei opus utique aptiſsimè: ſecundum iſtorum autem coniecturã tam abſurdè, ut ſi hoc neſciremus, & in hoc libro ſimiliter ſcriptum eſſet, quòd deus humorem fluidum & frigidũ, ac per hoc grauem in ſuperiore omnibus cæteris humani corporis parte poſuerit, iſti trutinatores elementorum nequaquam crederent. Et ſi autoritati eiuſdem ſcripturæ ſubditi eſſent, aliquid aliud ex hoc intelligendum eſſe cenſerent.

Ex lib. I. Gen. contra Manich. Cap. XI. Tomo I.

Et ſit diuiſio inter aquam & aquam: & ſic factum eſt. Et fecit Deus firmamentum: Et dixit Deus inter aquam quæ eſt ſuper firmamentum & inter aquam quæ eſt ſub firmamento, & uocauit Deus firmamentum cœlum, & uidit Deus quia bonum eſt.

Hoc nõ memini Manichæos reprehẽdere ſolere, tamen quòd diuiſæ ſunt aquę, ut aliæ eſſent ſuper firmamentum, & alię ſub firmamento, quoniam materiã illã dicebamus nomine aquę appellatã, credo, ſub firmamento cœli, materiã corporalem rerum uiſibilium, ab illa incorporali rerum inuiſibilium fuiſſe diſcretã. Cùm enim cœlum ſit corpus pulcherrimum omnis inuiſibilis creatura excedit etiam pulchritudinem cœli: & ideo fortaſſe ſuper cœlũ eſſe dicuntur aquæ inuiſibiles, D
quæ à paucis intelliguntur non locorũ ſedibus, ſed dignitate naturæ ſuperare cœlum, quanquã de hac re nihil temere affirmandum eſt. Obſcura enim & remota à ſenſibus hominum. Sed quoquo modo ſe habeat, antequam intelligatur credenda eſt. Et facta eſt ueſpera, & factum eſt mane dies ſecundus. Iam omnia hęc quæ repetuntur, ſicut ſuperius intelligenda atque tractanda ſunt.

De Gen. ad Lit. Imperf. lib. Cap. X. Tom. III.

Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt. Hinc probabilius credi poteſt aquã dictam eſſe ſuperius, ſicut arbitramur, ipſam mundi materiam, Nam ſi uniuerſa aqua oppletum erat, unde uel quò potuit congregari? Si enim quandam confuſionem materialem aquæ nomine appellauerat, hæc congregatio accipienda eſt ipſa formatio, ut talis eſſet aquæ ſpecies, qualem nunc eſſe cernimus. Et ipſum, appareat arida, quod poſitum eſt, terræ formatio intelligi poteſt, ut hãc haberet ſpeciem terra quam cernimus. Inuiſibilis enim & incompoſita dicta erat, cùm adhuc materiæ ſpecies deeſſet. Dixit ergo Deus: Congregetur aqua quę ſub cœlo eſt, id eſt, in formam redigatur materies corporalis, ut aqua iſta ſit, quam ſentimus, in congregationem unam. Vis ipſa formæ commendatur nomine unitatis, hoc eſt enim uerè formari, in unum redigi, quoniam ſummè unũ eſt omnis formæ principium. Et appareat arida, id eſt, ſpeciem uiſibilem accipiat, atque à confuſione diſtinctam. Et bene aqua congregatur, ut appareat arida, id eſt cohibetur quòd fluitet mare, ut quod obſcurum eſt, illuſtretur. Et ſic factum eſt. Etiam hoc fortaſſe in rationibus intellectualis naturæ prius factum eſt, ut poſtea quod dicitur:

Et

A Et congregata est aqua in congregationem unam, & apparuit arida, non superfluè additum uideatur, cùm iam dictum est: Et sic factum est, sed ut post rationalem & incorpoream operationem intelligeremus etiam corporalem secutam. Et uocauit Deus aridam, terram. Congregationem aquæ, mare uocauit. Adhuc nobiscum facit illa causa uocabulorum, non enim omnis aqua, mare: aut omne aridum, terra, ergo quæ aqua esset, & quæ arida, uocabulis segregandum fuit. Ipsam autem distinctionem atque formationem fuisse uocationem Dei, non absurdè adhuc intelligi potest. Et uidit Deus quia bonum est. Et hic ipse ordo seruatus est, quare huic etiam illa quæ modo tractata sunt, conferantur.

Ex Lib. I. Gen. contra Manich. Cap. XII. Tomo. I.

Et dixit Deus: congregetur aqua quæ est sub cœlo in congregationem unam & appareat arida, & sic factum est. Et congregata est aqua quæ erat sub cœlo in congregationem unam, & apparuit arida. Et uocauit Deus aridam, terram: & congregationem aquæ, uocauit mare. Et uidit Deus quia bonum est.

In isto loco Manichæi dicunt: Si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in unum? Sed dixi nomine aquarum materiã illam appellatam, super quam ferebatur spiritus Dei, unde erat Deus omnia formaturus. Nunc uerò cùm dicitur: Congregetur aqua, quæ est sub cœlo in congregationem unam, hoc dicitur, ut illa materia corporalis formetur in eam speciem, quã habent aquæ istæ uisibiles. Ipsa enim congregatio in unum, ipsa est aquarum istarum formatio, quas uidemus & tangimus. Omnis enim forma ad unitatis regulam cogitur. Et
B quod dicitur: Appareat arida, quid aliud dici intelligendum est, nisi ut illa materia accipiat uisibilem formam, quam nunc habet terra ista, quam uidemus & tangimus? Superius ergo quod nominabatur terra inuisibilis & incomposita, materiæ confusio & obscuritas nominabatur, & quod nominabatur aqua super quam ferebatur spiritus Dei, eadem rursus materia nominabatur. Nunc uerò aqua ista & terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formas istas, quas nunc uidemus acciperet. Sanè dicitur in Hebręa locutione omnem aquarum congregationem, siue salsarum, siue dulcium, mare appellari.

Ex lib. I. Gen. contra Manich. Cap. XIII. Tomo. I.

Et dixit Deus: Germinet terra herbam pabuli, ferentem semen secundum suum genus & similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen sit in se secundum suam similitudinem: Et sic factũ est: Et eiecit terra herbã pabuli, ferentẽ semẽ secundũ suũ genus, & lignũ fructiferũ faciens fructũ cuius semen in se secundũ suã similitudinẽ, secundũ genus suum super terrã. Et uidit Deus quia bonũ est, & facta est uespera, & factũ est mane dies tertius.

Hic solent dicere: Si Deus iussit nasci de terra hęrbam pabuli, & lignum fructiferum, quis iussit nasci tantas hęrbas uel spinosas, uel uenenosas, quæ ad pabulum non proficiunt, & tam multa ligna, quæ nullum fructum ferunt? Quibus sic respondendum est, ut nulla indignis aperiantur mysteria, neque ostendatur in qua figura futurorum ista sic dicta sint. Ergo dicendum est, quòd per peccatum hominis, terra maledicta sit, ut spinas pareret: non ut ipsa spinas sentiret quæ sine sensu est, sed ut peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quò admonerentur aliquando auerti à peccatis, & ad Dei præcepta conuerti. Hęrbæ autem

tem uenenosæ ad pœnam, uel ad exercitationem mortalium creatæ sunt: & hoc C totum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuosas uerò arbores insultatur hominibus, ut intelligant quàm sit erubescẽdum sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est in ecclesia: & timeant ne deserat illos Deus, quia & ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non est scriptũ, quòd terra aliquid protulerit, nisi herbam pabuli & ligna fructuosa: Post peccatum autem uidemus multa horrida & infructuosa de terra nasci, credo propter eam causam quam diximus. Sic enim dicitur ad primum hominem posteaquam peccauit: Maledicta erit terra tibi in omnibus operibus tuis. In tristitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos eijciet tibi, & edes pabulum agri tui. In sudore uultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: qui terra es & in terram ibis.

De Gen. ad Lit. Imperf. Lib. Cap. XI. Tomo. III.

Postquã facta sunt terra & mare, & uocata & approbata, quod sæpe diximus non morarum interuallis accipiendum esse, ne ineffabilem operantis Dei facultatem tarditas aliqua consequatur, non statim sicut duobus diebus præcedentibus subijcitur: Facta est uespera, & factum mane dies tertius. Sed adiungitur alia operatio, Vt germinet terra &c. Quod de luce illa & firmamento & aquis & arida dictum non est: nõ enim habet lux successionis propaginem, aut cœlum de alio cœlo nascitur, aut terra aut mare alia maria & alias terras gignunt, quæ succedant. Hîc ergo dicendum fuit: Ferentẽ semen secũdum genus suum & similitudinem, D & cuius semen sit in se secundum suam similitudinem, ubi similitudo nascentium prætereũtis similitudinem seruat. Hæc autem omnia ita supra terram sunt, ut ipsi terræ radicitus cohæreant & ei cõtinuentur, & rursum quodam modo separentur, propterea huius naturæ significationem in ista narratione seruatam arbitror, quia & eodem die facta sunt quo terra apparuit, & tamen iterum dixit Deus ut terra germinaret: & iterum dictum est, & sic factum est. Deinde secundum superiorem regulam, postquam dictum est, sic factum est, subiungitur ipsa executio. Et dedit terra hęrbam pabuli, ferentem semen secundum genus suum, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen in se secundum suam similitudinem. Et iterum dicit: Vidit Deus quia bonum est, itaque & uno die ista iungũtur, & iteratis Dei uerbis distinguuntur ab inuicem. Quod de terra & mari propterea puto non esse factum, quia magis harum rerum est discernenda natura, quæ cùm oriãtur & occidãt, seminis successione propagãtur. An quia terra & mare simul fieri potuerint, non solùm in rationibus creaturæ spiritalis, ubi simul omnia facta sunt, sed etiam in ipsa corporali motione: arbores uerò & quęq; stirpes nasci non possent, nisi terra in qua germinarent, præcessisset: propterea & repetendum erat iussum Dei, ut & facta significarentur, distantia, tamen non alio die facienda, propter quod radicibus terræ affiguntur & continuantur: Sed quæri potest, cur istis Deus non imposuerit nomina. An prætermissum est, quia multitudo eorum non sinebat? Verùm hęc quæstio melius posita considerabitur, cùm animaduertemus alia, quæ non uocauit Deus, sicut uocauit lucem & cœlum & terrã & mare.

De

A De Gen.ad Lit.Lib.3. Cap.XII. Tomo.III.

Secundum genus. Non frustrà etiam lectorem mouet, utrúmne passim & quasi fortuitò, an aliqua ratione dicatur, secundum genus, tanquã fuerint & antea cùm prima creata narrentur: an genus eorũ in superioribus rationibus intelligendum est utique spiritalibus, secundum quas creantur inferius: Sed si ita esset, hoc de luce, hoc de cœlo, hoc de aquis & terris, hoc de cœli luminaribus diceretur. Quid enim eorum est cuius non æterna & incommutabilis ratio in ipsa Dei sapientia uigeat, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Incipit autem hoc dici de hærbis & lignis, usque ad hæc terrena animantia: Nam & in eis quę ex aquis creata sunt: quamuis in prima commemoratione dictum non sit, in illa tamẽ iteratione dictum est. Et fecit Deus cetos magnos, & omnem animam animalium reptilium, quæ eduxerunt aquę secundum genus eorum, & omne uolatile pennatum secundum genus. An quia hæc ita exorta sunt, ut ex eis alia nascerentur, & originis formam successiones seruarent, ideò dicuntur secundum genus, propter propagationem prolis, qua permansura creabantur? Sed cur de hærbis & lignis non solùm dicitur, secundum genus, uerùm etiam secundum similitudinem, cùm & animalia siue aquarum siue terrarum secundum similitudinem suam generent? An quia genus sequitur similitudo, uoluit eam ubíque repetere? Nam & semen non ubíque repetiuit, cùm tam hærbis & lignis misit, quàm animalibus etsi non omnibus. Obseruatum est enim quædam ita nasci ex aquis uel terra, ut sexus eis nullus sit: & ideo semen eorum non sit in eis, sed in elementis ex quibus oriuntur. Hoc est ergo secundum genus ubi & seminum uis & similitudo
B intelligitur, succedendum de succedentibus: quia nihil eorum ita creatum est, ut semen exicteret, uel permansurum, uel nullo succedente decessurum. Cur ergo & de homine non ita dictum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, secundum genus, cùm & hominis propago manifesta sit? An quia non ita Deus fecerat hominẽ ut moreretur, si præceptum seruare uoluisset, & ideo non erat necessarius decessori successor? Sed post peccatum comparatus est peccatoribus insensatis, & similis factus est eis, ut iam filij seculi huius generent & generentur, quo possit mortalium genus seruata successione subsistere? Quid sibi uult ergo, post hominem factum, illa benedictio, Crescite & multiplicamini & implete terram, quod utique fieri posset generando? An nihil hinc temerè dicendum, donec ad eum scripturæ locum perueniamus, ubi diligentius ista requirenda atque tractanda sunt? Potest enim nunc fortasse sufficere, propterea de homine non dictum esse secundum genus, quia unus fiebat, de quo etiam fœmina facta est. Non enim multa genera hominum, sicut hærbarum, lignorum, piscium, uolatilium, serpentium, pecorum, bestiarum: ut sic dictum accipiamus, secũdum genus, ac si diceretur generatim, ut inter se similia atque ad unam originem seminis pertinentia distinguerentur à cæteris.

Ex Lib.1.Gen.cont.Manich. Cap.XIIII. Tomo. I.

Fiant sydera in firmamento. Hîc primò quærũt, quomodo quarto die facta sint sydera, id est, sol & luna & stellæ. Tres enim dies superiores quomodo esse sine sole potuerunt, cùm uideamus nunc solis ortu & occasu diem trãsigi, noctem uerò

nobis fieri solis absentia, cùm ab alia parte mundi ad orientem redit? Quibus respondemus, potuisse fieri, ut tres superiores dies singuli per tantam moram temporis computarentur, per quantã moram creuit sol ex quo procedit ab oriente, quousque rursus ad orientem reuertitur. Hanc enim moram & longitudinem temporis possent sentire homines, etsi in speluncis habitarẽt, ubi orientem & occidentem solem uidere non possunt. Atque ita sentitur potuisse istam moram fieri etiam sine sole, antequam sol factus esset, atque ipsam morã in illo triduo per dies singulos computatam. Hoc ergo respõderemus, nisi nos reuocaret, quod ibi dicitur: Et facta est uespera, & factum est mane, quod nunc sine solis cursu uidemus fieri non posse. Restat ergo ut intelligamus, in ipsa quidẽ mora temporis, ipsas distinctiones operum sic appellatas, uesperam propter transactionem consummati operis, & mane propter inchoationem futuri operis: de similitudine scilicet humanorum operum, quia pleraque à mane incipiunt, & ad uesperam desinunt. Habent enim consuetudinem diuinæ scripturæ de rebus humanis ad diuinas res, uerba transferre. C

De Gen ad lit. Imperf. lib. cap. XII. Tomo III.

Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuid. &c. Quarto die luminaria facta sunt, de quibus dicitur: Et sunt in diebus. Quid ergo uolunt tres dies transacti sine luminaribus? Aut cur ista erunt in diebus si etiam sine istis esse potuerunt? An quia euidentius productio illa temporis, & morarum interuallum, motu istorum luminarium distingui ab hominibus potest? An ista dierum & noctium enumeratio ad distinctionem ualet, inter illam naturam, quæ facta non est, & ea quæ facta sunt: ut mane nominaretur propter earũ speciẽ factarũ, uespera uerò propter priuationem: quæ quantùm attinet ad illum à quo facta sunt speciosa atque formosa sunt, quãtùm autẽ in ipsis est, possunt deficere, quia de nihilo facta sunt: & inquantum non deficiunt, non est eorum materiæ, quæ ex nihilo est, sed eius qui summe est, & illa facit esse in genere & ordine suo? Et dixit Deus: Fiant in firmento cœli luminaria ut luceant. Verum de fixis tãtùm dictum est syderibus, an etiam de uagis? Sed duo luminaria maius & minus inter uaga sydera numerantur. Quomodo ergo facta sunt omnia, cum singulos suos uel globos uel circulos uaga singula quæq; possideant? An quoniam in scripturis & cœlos multos legimus & cœlum: sicuti in hoc loco, cùm dicitur firmamentũ cœlum, intelligẽdum est omnem istam ætheream machinam dici, quæ omnia substantia continet, sub qua puri & tranquilli aëris serenitas uiget, sub qua idẽ iste aër turbulentus & procellosus agitatur: ut luceant super terrã, & d uidãt inter diem & noctem? Nónne etiã Deus diuiserat inter lucem & tenebras, & uocauerat lucem diem, & tenebras uocauerat noctẽ? Ex quo apparet eum inter diem & noctem diuisisse. Quid sibi nunc uult, quod dicitur de luminaribus: Et diuidãt inter diem & noctem? An ita nũc fit ista diuisio per luminaria, ut hominibus nota sit etiam solis carnalibus oculis ad rerum istarum cõtemplationem utentibus? Ita uerò Deus eam fecit ante circuitum luminariũ, ut uideri nisi à paucis sano spiritu & serena ratione nõ posit? An inter alium diem & aliam noctem diuisit Deus, id est, inter speciem, quam imprimebat illi informitati, & informitatem, quæ adhuc formãda restabat? Alius ue D

rò

A rò est iste dies, & alia nox, quorum uoluente cœlo uicissitudo animaduertitur, quæ fieri non posset, nisi solis ortu & occasu.

Ex lib. I. Gen. contra Manich. Cap. XIIII. Tomo. I.

Et diuidant inter diem & noctem. Potest hîc fieri calumnia, ut dicatur, quomodo iã Deus diuiserat superius inter diẽ & noctem, si hoc quarto die sydera faciũt? Sic igitur hîc dictum est, diuidant inter diem & noctem, tanquam si diceret, sic inter se diem diuidãt & noctem, ut soli dies detur, nox autẽ lunæ & syderibus cæteris, quæ duo iam diuisa erant, sed nõdum inter sydera, ut iam certum esset de syderũ numero, quid per diem, & quid per noctem appareret hominibus.

Ex lib. I. Gen. contra Manich. Cap. IIII. Tomo. I.

Et sint in signa & in tempora. Nunquid enim tres illi dies sine tẽporibus esse potuerunt, aut ad temporis spatia non pertinent? Sed in signa & tempora dictũ est, ut per hæc sydera, tempora distinguantur, & ab hominibus dignoscantur: quia si currant tempora, & nullis distinguãtur articulis, qui articuli per syderum cursus notãtur, possunt quidem currere tempora atque præterire, sed intelligi & discerni ab hominibus non possunt; Sicut horæ quando nubibus dies est, transeunt quidem, & sua spatia peragunt, sed distingui à nobis & notari non possunt.

De Gen. ad Lit. imperf. lib. Cap. XIII. Tomo. III.

Videtur mihi hoc quod dixit: in signis planum fecisse illud quod dixit: Et in temporibus, ne aliud acciperentur signa, & aliud tempora. Hoc enim nunc dixit tempora, quæ interuallorum distinctione, æternitatem incommutabilem supra se manere significãt: ut signum, id est, quasi uestigium æternitatis, tempus appareat.

B Item cùm adiungit: Et in diebus & annis, ostendit, quæ dixit tempora: ut dies fiãt cõuersione fixorum siderum: anni uerò manifesti, cùm sol signiferum circulum peragit: obscuriores autem, cùm ad unumquodque uagorum syderum in suis orbibus facit. Non enim dixit, & mensibus, quia fortasse mensis annus est lunę: sicut duodecim lunæ anni, annus est eius syderis quod φαέθοντα Græci uocant: & triginta solis anni, annus est eius sideris quod φαινὸν dicitur. Et fortasse ita cùm omnia sidera ad idẽ redierint, annus magnus peragitur, de quo multi multa dixerũt. An in signis dixit, quibus certũ iter significatur nauigãdi: in temporibus autem, uelut est uernum tempus & æstas & autumnus & hyems, quia & ista circũactu syderum uariantur, suasq; uices atque ordinem seruant: in diebus autem & in annis, sicut expositum iam est accipiendum? Et sunt in splendore & in firmamẽto cœli, ut luceant super terram, cur putamus esse repetitum? An quemadmodum est de stirpibus ut ferant semen, & sit in eis semen secundum genus suũ, & similitudinem: ita econtrario dictum est de luminaribus. Fiant & sunt, id est, fiãt & non gignant, sed ipsa sint, & sic factũ est. Ordo ille seruatur. Et fecit Deus duo luminaria, luminare maius initium diei, & luminare minus initium noctis & stellas. Quid dicat initiũ diei, & initium noctis mox apparebit. Et stellas uerò quòd addidit, utrùm pertineant ad initium noctis, an non, ambiguum est. Quidã autem uolunt hîc significari lunam plenam esse primitus factam, quòd plena luna initio noctis assurgit, id est mox post solis occasum. Sed illud absurdum est, ut nõ à prima, sed à sextadecima uel quintadecima numerãdi sumamus exordiũ. Nec illud moueat

ticeat quòd perfectum fieri debuerit luminare, quod factū est. Omni enim die perfecta est, sed eius perfectio ab hominibus nō uidetur, nisi tum ex contraria parte soli opposita fuerit. Nam etiam cum illo constituta, quoniam sub illo est, uidetur finiri. Sed etiam tum plena est, quia ex alia parte illustratur, nec uideri potest ab his qui subter sunt, id est, terrā incolūt. Quod nō paucis uerbis, sed subtilibus dissertionibus, & quarundam figurarum uisibilium demōstratione doceri potest. Et posuit illa Deus in firmamento cœli, ut luceāt super terram. Quomodo dixit, fiant in firmamento: & quomodo nunc dicit, fecit Deus luminaria & posuit in firmamento, quasi extrà sint facta, & post ibi posita, cùm iam dictum sit ut ibi fierēt? An hinc etiam atque etiam significatur, non ita Deū fecisse ut homines solent, sed ita narratur, ut hominibus potuit, scilicet ut apud homines aliud sic fecit, aliud posuit: apud Deum autem utrunque idem sit qui faciendo ponit, & ponendo facit? Et præsint diei ac nocti, & diuidant inter diem & noctem. Dictum erat initium diei, & initium noctis, quod hîc exponit, dicendo, præsint diei & nocti. Ergo initium illud, principatum intelligere debemus, quia & in die, nihil est inter illa quæ uidentur sole excellentius, & in nocte, nihil luna uel stellis. Vnde etiam illa ambiguitas iam non moueat, & credamus stellas sic positas, ut ad initium noctis, id est, principatum pertineant. Et uidit Deus quia bonum est. Idem ordo seruatur. Meminerimus sanè quòd etiam ista Deus non uocauerit, cùm dici potuerit. Et uocabit Deus luminaria sydera, quia non omne luminare sydus est. Et facta est uespera, & factum est mane dies quartus. Si dies istos consideres, quos ortus solis occasúsq; distinguit, non iste quartus, sed fortasse primus est dies: ut eo tempore putemus ortum esse solem quo factus est, donec & cætera sydera fierent occidisse. Sed qui intelligit & solem alibi esse, cùm apud nos nox est, & noctē alibi esse, cùm sol apud nos est, dierum istorum enumerationem sublimius indagabit,

C

D

Ex Lib. Gen. contra Manich. Cap. XIIII. Tomo. I.

Et fecit Deus duo luminaria. Ac si diceretur, in principatum diei & in principatū noctis. Non enim sol tantùmodo inchoat diem, & non etiam peragit & finit: luna uerò aliquando media nocte, uel in fine noctis ad nos procedit. Si ergo illæ noctes, quibus hoc facit, non ab ista inchoantur, quomodo in inchoationem noctis facta est? Si autem per inchoationem principium intelligas, & per principium principatum, manifestum est, quia per diem sol principatum tenet, luna uerò per noctem, quia etsi cætera sydera tunc apparent, illa tamē suo fulgore superat omnia, & ideò princeps eorum rectissimè dicitur.

Ex Lib. I. Gen. contra Manich. Cap. XV. Tomo. I.

Eiiciant aquæ reptilia animarum uiuarum, &c. Hîc solent reprehendere, quærentes, uel potius calumniantes, quare animalia non solùm ea quæ in aquis uiuunt, sed etiam ea quæ in aëre uolitāt & omnia pennata de aquis nata scriptum sit. Sed sciant omnes quos hæc mouet, istum aërem nubilosum & humidum in quo aues uolant, à doctissimis hominibus, qui diligenter inquirunt, cum aquis solere deputari. Cōcrescit enim & crassus efficitur exhalationibus, & quasi uaporibus maris & terræ, & de ipso humore pinguescit quodammodo, ut uolatus auium portare possit. Ideo per noctes serenas etiam rorat, cuius roris guttæ mane in herbis inueniuntur.

A niuntur.Nam mons ille Macedoniæ qui Olympus uocatur,tantæ altitudinis esse dicitur,ut in eius cacumine nec uentus sentiatur,nec nubes se colligant, quia excessit,altitudine sua,totum istum aërem humidum,in quo aues uolāt,& ideo nec aues ibi uolare asseuerantur.Quod ab eis perceptum dicitur,qui per singulos annos solebant,nescio quorum sacrificiorum causa memorati montis cacumen scādere,& aliquas notas in puluere scribere, quas alio anno integras inueniebant. Quod fieri non posset si uentum aut pluuiam locus ille pateretur.Deinde quia tenuitas aëris illius,qui ibi est,non eos inspirabat,durare ibi non poterant,nisi spongias humectas naribus applicarent,unde crassiorem & consuetum spiritum ducerent.Hi ergo indicauerunt etiam nullam auem se in eo loco aliquando uidisse.Nō ita immeritò, non solùm pisces & cætera,quæ in aquis sunt animalia, sed etiam aues de aquis natas esse,fidelissima scriptura commemorat,quia per istum aërem uolare possunt,qui de maris & terræ humoribus surgit.

Ex Lib.I. de Gen.contra Manich.Cap.XVI.Tomo.I.

Solent etiam Manichęi mouere quæstionem,ut dicant: Quid opus erat ut tam multa animalia Deus faceret,siue in aquis,siue in terra,quæ hominibus non sunt necessaria.Multa etiam perniciosa sunt & timenda.Sed cùm isti dicunt,non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt conditori & artifici suo,qui omnibus utitur ad gubernationem uniuersitatis,cui summa lege dominatur.Si enim in alicuius opificis officinā imperitus intrauerit,uidet ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat,et si multū est insipiens,superflua putat.Ita uerò si in fornacem in B cautus ciderit,aut ferramento aliquo acuto,cùm id malè tractat seipsum uulnerauerit,etiam perniciosa & noxia existimat ibi esse multa.Quorum tamen usum quoniam nouit artifex,insipientiā eius irridet,& uerba inepta non curās,officinā suam constanter exercet.Et tamen tā stulti sunt homines,ut apud artificem hominem nō audeāt uituperare quæ ignorant,sed cùm ea uiderint,credūt esse necessaria,& propter usus aliquos instituta:in hoc autem mundo cuius conditor & administrator prædicatur Deus,audent multa reprehendere,quorū causas non uident,& in operibus atq; instrumentis omnipotentis artificis uolūt se uideri scire quod nesciūt.Ego uerò fateor me nescire mures,& ranæ, quare creatæ sint, aut muscæ aut uermiculi,uideo tamen omnia in suo genere pulchra esse,quāuis propter peccata nostra multa nobis uideantur aduersa.Nō enim animalis alicuius corpus & membra cōsidero,ubi non mensuras & numeros & ordinē inueniā ad unitatem concordiæ pertinere.Quæ omnia undè ueniant non intelligo,nisi à summa mensura & numero & ordine,quæ in ipsa Dei sublimitate incommutabili atque æterna consistunt. Quod si cogitarent isti loquacissimi & ineptissimi, non nobis tædiū facerēt,sed ipsi considerādo pulchritudines omniū & summas & infimas, Deū artificē ubiq; laudarēt,& quoniā nusquā offēditur ratio,ubi fortè sensus carnalis offenditur,nō rerū ipsarū uitio,sed nostrę mortalitatis meritis imputarēt.Et certè omnia animalia aut utilia nobis sunt aut perniciosa aut superflua. Aduersus utilia nō habēt quid dicāt.De perniciosis autem uel punimur,uel exercemur,uel terremur,ut nō uitā istā multis periculis & laboribus subditā,sed aliā meliorē ubi securitas sūma est diligamus,et desideremus & certā eā nobis pietatis meritis cōparemus.

paremus. De superfluis uerò quid nobis est quęrere. Si tibi displicet quòd nō prosunt placeat quòd non obsunt, quia etsi domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur huius uniuersitatis integritas, quæ multò maior est quàm domus nostra, & multò melior. Hanc enim multò melius administrat Deus, quàm unusquisq; nostrū domū suā. Vsurpa ergo utilia, caue perniciosa, relinque superflua. In omnibus tamen cùm mensuras & numeros & ordinē uides, artificem quære. Nec alium inuenies, nisi ubi summa mensura, & summus numerus, & summus ordo est, id est, Deum de quo uerissimè dictum est, quòd omnia in mensura & numero, & pondere disposuerit. Sic fortasse uberiorē capies fructū, cùm Deum laudas in humilitate formicæ, quàm cùm transis fluuiū in alicuius iumēti altitudine. C

De Gen. ad Lit. imperf. lib. Cap. XIIII. Tomo. III.

Ea quæ natantia sunt animalia, reptilia sunt appellata, quia pedibus non ambulant. An quia sunt alia quæ sub aqua in terrā repunt? An sunt pennata in aquis, sicut pisces squamas habent, uel alij, qui non habent, sed tamen pēnis nituntur? Qui utrùm inter uolatilia hoc loco numerandi sint, dubitari potest. Nam & ipsa uolatilia cur aquis tribuerit non aëri nonnulla quæstio est. Non enim has aues tantùm accipere possumus, quibus aquæ familiares sunt, quales mergi & anates & quæcunq; huiusmodi. Nā si de his tantùm dixisset, nō prætermitteret alio loco de aliis auibus dicere. Inter quas nonnullæ usq; adeò ab aquis remotæ sunt, ut ne bibant quidem. Nisi fortè istum aërē terris contiguū: quoniam se humidū etiam serenissimis noctibus rore testatur, aquā uocauit, qui & in nubem cogitur. Nubes autem aqua est, quod omnes sentiunt, quibus cōtingit in mōtibus inter nubila, uel etiam in campis inter nebulas ambulare. In hoc quippe aëre uolare aues dicuntur. Nam in illo sublimiore atq; puriore, qui uerè aër ab omnibus appellatus est nequeunt: non enim earum pondus tenuitate sua sustinet. In illo autem neq; nubes cōcresce re asserūtur, neq; aliquid procellosum existere. Quippe ubi uētus adeò nullus est, ut in uertice Olympi mōtis, qui spatia huius humidi aëris excedere dicitur, quędā literæ in puluere solere fieri perhibeantur, & post annū integræ atq; illesæ inueniri ab his qui solenniter memoratum montē ascendebant. Quapropter non absurdè existimari potest firmamētum cœli in diuinis scripturis usq; ad hęc spatia uocari, ut & ille aër tranquillissimus & syncerissimus ad firmamētum pertinere credatur. Hoc enim nomine firmamenti, ipsa trāquillitas & magna pars uerum significari potest. Vnde etiam illud dici pluribus locis in psalmis existimo: Et ueritas tua usque ad nubes. Nihil enim est firmius & serenius ueritate: Nubes autem sub ista syncerissimi aëris regione concrescunt, quod quandoque figuratè dictum accipitur. Ex his tamen rebus scriptum est, quæ habent ad hæc quandā similitudinem, ut corporea creatura constantior & purior, quæ à summitate cœli usq; ad nubes est, ueritatis figuram rectè habere uideatur, id est, usque ad aërem caliginosum & procellosum & humidum. Ergo uolatilia uolantia super terram sub firmamento cœli, conuenienter sunt aquis attributa, quia non inconuenienter aër iste aqua nominatur. Hinc etiam intelligi datur de aëre nihil dictum esse, quo uel quādo sit factus, quia iste aër nomine aquarum tenetur, ille autem nomine firmamenti, atq; ita nullum elementū prætermissum est. Sed fortasse quis dicat: Si eo quod dictum D

A est, congregatur aqua, intelligimus aquã esse factam ex illa confusione materiæ, hanc autẽ congregationem mare appellauit, quomodo ibi possumus hunc aërem intelligere factum, quod mare non dicitur, etiam si aqua dici potest? Quamobrem mihi uidetur in eo quod dictum est, appareat arida, non solùm speciem terræ sed etiam huius aëris crassioris esse insinuatam. Per hunc enim terra illuminatur, ut perspicua nobis sit. In uno ergo uerbo quo dictum est, appareat, intimata sunt omnia, sine quibus apparere non potest, id est, & species eius & nudatio ab aqua & aëris superfusio, per quem in ea nomen à superiore mundi parte trãsmittitur. An potius in eo quod scriptũ est, Congregetur aqua, species huius aëris cõmendatur? quia cum iste aër condensatur, hanc aquã uidetur efficere. Coactionem itaque in densitatem, congregationẽ aquę fortasse appellauit ut mare fieret: ut id quod non congregatum, id est, non spissatum superfertur, aqua sit, quæ aues uolantes possit sustinere utrique nomini accommodata, ut uocari possit & aqua subtilior, & aër crassior. Sed quando quæritur, cur sic iste factus, non dicitur. An fortè uerum est quod quidam uolunt, humidis exhalationibus maris & terræ has auras effici, ita crassiores aëre illo superiore ac liquido, ut gestandis uolatibus auium sint accõmodatæ? Ita porrò teneriores his aquis, quibus corpus abluitur, ut earum cõparatione siccę atq; aëriæ sentiantur. Et quia de terra & mari iam dictum erat, quid opus erat dicere de exhalationibus aërum, id est aquis auium, cùm illum aërem purissimum & tranquillissimũ firmamento attributum intellexeris? Nam neq; de fontibus & fluminibus dictum est quomodo facta sint. Qui enim scrupulosius ista con

B uerrunt & differunt, æthereo super lapsu de mari dulcem inuisibiliter dicunt extrahi uaporem, his uidelicet ascensionibus, quas nullo modo sentire possumus: unde conglobari nubes, atq; ita terram imbribus madefactã antris occultioribus instillare atq; insudare tantùm, quantùm coactum & per diuersos tramites lapsum erumpat in fontes, siue paruos, siue gignendis fluminibus idoneos. Cuius rei documenta esse uolunt, quòd marinarum aquarũ decoctarum uapor, sinuato coopercullo exceptus, humorem dulcem gustãtibus exhibet. Et omnibus ferè manifestũ est, diminutos fontes inopiam sentire pluuiarũ. Attestatur & diuina historia, cum Helias tẽpore ariditatis imbrem posceret: iussit enim cùm ipse oraret ut puer suus ad mare attenderet: unde cùm uideret oriri per paruã nubeculam, pluuiam ei sollicitò adesse nunciauit, qua mox etiã fugiens irrigatus est. Et Dauid dicit: Domine quid aduocas aquam maris, & effundis eam super faciem terræ? Quapropter mari nominato, de alijs aquis superfluè diceret: siue istis roriferis, quę tenuitate auras uolantibus auibus præbent, siue fontium ac fluminum: si & illæ exhalationibus fiant, & ista reciprocis imbribus, quos terra sorbet, emanant. Eijciant aquæ reptilia animarum uiuarum. Cur additum, uiuarum? An possint esse animæ, nisi uiuant? An istam manifestiorem uitam commendare uoluit, quæ inest animalibus sentientibus, quoniam stipites ea carent. Et uolatilia uolantia super terram sub firmamento cœli. Si uolatilia non uolant in illo purissimo aëre, ubi nulla nubila oriuntur, hinc manifestum est ad firmamentum eum pertinere, quia sub firmamento cœli dictum est uolatilia uolare super terrã. Et sic factum est. Ordo ille seruatur, ideoq; subiungitur sicut in cæteris, excepta luce, quæ prior facta est. Et fecit Deus cetos

magnos,

magnos, & omnem animam animalium repentium, quæ eiecerunt aquæ secundum genus eorum, & omne uolatile pennatum secundum genus suum. Meminerimus sanè secundum suum genus, de his creaturis dici quæ seminali propagine reparantur: nam de hęrbis iam hoc, & de arboribus dictum est. Et omne uolatile pennatum. Cur additum est pennatum? An potest esse uolatile quod pennas non habeat? Sed si potest, nunquid hoc genus fecit Deus, quandoquidem non inuenitur ut sit factum: an omninò potest quicquam uolare sine pēnis? Nam & uespertiliones, & locustę, & muscæ, & si quid huiusmodi est, quod plumis careat, pennis non caret: sed pennatum additum est, ne solas aues intelligeremus: quoniam pisces pennati sunt, & super terram uolant infra aquas: ideo non dictum est aues, sed uolantia generaliter, & uolatile pennatum. Et uidit Deus quia bonum est, & hîc sicut in cæteris locis intelligendum. Et benedixit ea Deus dicens: Crescite & multiplicamini, & implete aquas maris, & uolatilia multiplicentur super terram. Benedictionem ad fœcūditatem ualere uoluit, quia in successione prolis apparet, ut ea benedictione, qua infima & mortalia creata sunt, genus suum nascendo custodiant. Sed cùm etiam stirpes nascendo teneant similitudinem prætereuntium, cur eas non benedixit? An quia sensu carent, qui rationi uicinus est? Non enim uacat fortasse quòd secunda persona utitur Deus in benedicendo, ut hæc animantia compellat quodammodo tanquam audientia dicēdo: Crescite & multiplicamini, & implete aquas maris, nec tamen in eadem persona usque ad finem benedictionis uenitur, sequitur enim: Et uolatilia multiplicētur super terram. Nisi forte hoc ipso significatur, sensum animātium non adeò uicinū esse rationi, ut fortè posset accipere compellantem, sicut quæ intelligunt, atq; uti ratione possunt. Et factum est sic. Hîc planè quiuis tardus iam euigilare debet, ut intelligat quales isti dies enumerentur: cùm enim certos seminum numeros Deus animantibus dederit, seruantes miram certo ordine constantiam, ut certo dierū numero pro suo quoque genere & concepta utero gerant, & ædita oua calefaciant: cuius naturæ institutio Dei sapientia conseruantur, quæ tendit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: quomodo uno die potuerunt concipere & utero grauescere, & parta fouere atq; nutrire, & implere aquas maris, & multiplicari super terram? Ita enim subiungitur, & sic factum est ante uesperæ aduētum. Sed nimirum cùm dicit, facta est uespera, materiam informem cōmemorat, cùm autem dicit, factum est mane, speciem, quæ ipsa operatione impressa est materiæ, mane enim post operationem transactum diem condidit. Non tamen dixit Deus, fiat uespera, fiat mane: cōmemoratio enim rerum factarum breuissima, significata per uesperam & mane materia & specie, quæ utique Deum fecisse iam dictum erat: cum ipsum defectum tamen, id est, cùm de specie ad materiam & ad nihilum intenditur, si hoc noctis nomine rectè insinuatum putamus, non dixit factum, sed tantùm ordinatum à Deo, cùm ait superius: Diuisit Deus inter lucem & tenebras, ut uesperæ uocabulo significetur informis materia, quæ quamuis ex nihilo facta est, est tamen & habet capacitatem specierum atque formarū. Accipi etiam potest tenebrarum nomine ipsum omninò nihilum, quod non fecit Deus, & unde fecit quæcunque facere pro sua ineffabili bonitate dignatus est, cùm sit omnipotens, qui etiam de

nihilo

A nihilo tanta fecit. Et facta est uespera, & factum est mane dies quintus. Hîc postquam dixerat & sic factum est, non subdidit, sicut solet executionem, quasi iterum facta sint: iam enim dictum erat. Nec ea benedictione quæ ad gignendā prolem pertinet aliqua noua natura fabricabatur, sed quæ facta erant per successionem conseruabantur. Et ideo nec illud dictum est: Et uidit Deus quia bonum est. Iam enim res ipsa placuerat, quæ tantùm seruanda erat in fœtibus. Nihil hîc itaq; repetitum est nisi quod ait: Et factum est sic. Statímque subiectum de uespera & mane: quibus nominatis, transacta opera informi materia & specie quæ imponitur, significari dictum est. Nisi fortè aliquid melius atq; sublimius occurrerit quęrentibus. Et dixit Deus: Eijciat terra animam uiuam secūdum suum genus, quadrupedum, & serpentū, & bestiarum terræ secundū genus, & pecora secundum genus. Et de solita cōclusione qua dicitur: Et factum est, sicut superius tractatum est, consideranda & accipienda sunt. Cùm autē in latina lingua nomine bestiarum omne irrationale animal generaliter significetur, hîc tamen distinguēdæ sunt species, ut quadrupedes accipiamus omnia iumenta: serpētes omnia repentia: bestias uel feras omnia quadrupedia indomita: pecora uerò quadrupedia quę non operando adiuuant, sed dant aliquem fructum pascentibus.

De Gen. ad Lit. Imperf. Lib. Cap. XVI. Tomo III.

Et fecit Deus bestias terræ secundum genus. Hæc iteratio quod dictum est, & fecit Deus, cùm iam dictum esset, & factum est sic, secundum priorem regulam con-
B sideretur. Sanè hîc pecorum nomine omnia puto significata esse quadrupedia, quæ sub cura hominum uiuunt. Et uidit Deus quia bonum est, solitè accipiēdum.
C Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et hîc animaduertenda quædam, & coniunctio & discretio animantium. Nam eodem die factum hominem quo bestias: sunt enim simul omnia terrena animantia: & tamen propter excellentiam rationis, secundum quam ad imaginem Dei & similitudinem efficitur homo, separatim de illo dicitur, postquam de cæteris terrenis animantibus solidè conclusum est, dicendo: Et uidit Deus quia bonum est. Considerandum etiam illud, quod in cæteris non dixit Deus, faciamus ut hoc quoque modo uoluerit spiritus sanctus humanæ naturæ insinuare præstantiam. Cui autem nunc dictum est, faciamus, nisi cui dicebatur in cæteris, fiat? Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed quid putamus aliter Ioan. 1.
dictum esse, fiat, nisi ut ipse faceret iussa patris: & aliter faciamus, nisi ut ambo pariter facerent? An omnia quæ facit pater per filium facit: & ideo nunc faciamus dictum est, ut ipsi homini propter quem scriptura ipsa facta est, ita in seipso demonstraretur, ea quæ filius dicente patre facit, etiam ipsum patrem facere: ut quod in cæteris dicebatur, fiat, & factum est, hîc exponatur non separatim fuisse dictionem & separatim effectionem, sed utrunque simul cùm hîc dicitur faciamus? Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Omnis imago similis est ei cuius imago est: nec tamen omne quod simile est alicui, etiam imago est eius: sicut in speculo uel pictura: quia imagines sunt, etiam similes sunt, tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tūc est, cùm de aliquo exprimitur, Cur er

go cùm dictum esset, ad imaginem additum est, & similitudinem quasi possit esse imago dissimilis. Sufficeret ergo ad imaginem dicere. An aliud est simile, aliud similitudo, sicut aliud est castus, aliud est castitas, aliud fortis, aliud fortitudo, ut quemadmodum quæcunq; sunt fortia, fortitudine sunt fortia, & quæcunq; casta, castitate sunt casta: ita quæcunque sunt similia similitudine sint similia. Nõ autem imago nostra satis propriè dicitur similitudo nostra esse, cùm tamẽ propriè dicatur similis nobis esse: ut ibi sit ea similitudo, qua similia sunt quæcunque similia, ubi est & castitas, qua casta sunt, quæcunq; sunt casta. Castitas autem nullius participatione casta est, sed eius participatione sunt casta, quæcunque casta sunt. Quæ utique in Deo est, ubi est etiam illa sapientia, quæ non participando sapiens est, sed cuius participatione sapiens est anima quæcunq; sapiens est. Quapropter etiam similitudo Dei, per quã facta sunt omnia, propriè dicitur similitudo, quia non participatione alicuius similitudinis similis est, sed ipsa prima similitudo, cuius participatione similia sunt quæcunq; per illam fecit Deus. Expositio ergo fortasse est, cùm additum esset, ad imaginẽ, ut ostenderetur eam quia imago dicta est, non ita similẽ esse Deo, quasi alicuius similitudinis participantem, sed hãc ipsam esse similitudinem, cuius participarent omnia, quę dicuntur esse similia. Sicut ibi est & castitas, cuius participatione castæ sunt animæ: & sapientia, cuius participatione sapientes sunt animæ: & pulchritudo, cuius participatione pulchra sunt quæcunq; pulchra sunt. Si enim tantùm similitudinem diceret, non significaret ab ipso genitam, si autem tantummodò imaginem diceret, significaret ab ipso quidem genitam: sed non significaret ita similem, ut non tantùm similis, sed ipsa similitudo esset. Vt autem nihil castius ipsa castitate, & nihil sapiẽtius ipsa sapientia, & nihil pulchrius ipsa pulchritudine, D
ita nihil similius ipsa similitudine dici, aut cogitari, aut esse omninò potest. Vnde intelligitur ita parti esse similẽ similitudinem suã, ut eius naturã plenissimè perfectissiméque impleat. Quantùm autem ad speciem rebus imponendã ualeat Dei similitudo, per quam facta sunt omnia, quanquã humanas cogitationes altissimè superet, licet tamen utrunque arbitrari, si consuleremus omnem naturam, siue quæ sentientibus, siue quæ ratiocinantibus occurrerit, similibus inter se partibus seruare unitatis effigiem. Nam ex sapientia Dei sapientes uocantur animę rationales, & ulterius hoc nomen non porrigitur: nam neq; ulla pecora, & multò minus arbores, aut ignem uel aërem, uel aquã, uel terram sapientem possumus dicere: quanquam per ipsam Dei sapientiam sint etiam omnia hæc inquantũ sunt. At uerò similes inter se lapides dicimus & animalia & homines & angelos. Iam uerò in singulis rebus, & terrã, eo quòd similes inter se habeat partes suas, fieri ut terra sit: & aquã qualibet quoq; parte similem esse cęteris partibus, nec aliter aquã esse potuisse, & quantumlibet aëris, si cætero esset dissimilis, nullo pacto aërem esse potuisse: & ignis lucis suæ particulã, eo quòd non sit dissimilis reliquis partibus, fieri, ut sit quod nõ est: ita de unoquoq; lapidũ uel arborum, uel corpore cuiuslibet animantis discerni uel intelligi potest: quòd non solùm cũ alijs sui generis rebus, sed in seipsis singulis nõ essent, nisi partes inter se similes haberẽt. Et tantò est pulchrius corpus quantò similioribus inter se partibus suis cõstat. Iam porrò animarum, non solùm aliarum cum alijs amicitia similibus moribus consit, sed etiam in

unaquaque

A unaquaque anima similes actiones atque uirtutes, sine quibus constantia esse non potest, beatam uitam indicant. Similia uerò omnia hæc, non uniuersi autem ipsam similitudinem possumus dicere. Quapropter si rebus inter se similibus uniuersitas constat, ut singulæ sunt quicquid sunt, & omnes ipsam uniuersitatem compleant, quam Deus & cōdidit & gubernat: per similitudinem eius profectò qua condidit omnia supereminenter atque incommutabiliter & incontaminabiliter talia facta sunt: ut similibus inter se partibus pulchra sunt, ad ipsam tamen similitudinem omnia non facta sunt, sed sola substantia rationalis: quare omnia per ipsam, sed ad ipsam non nisi anima. Rationalis itaque substantia, & per ipsam facta est, & ad ipsam, non enim est ulla natura interposita: quandoquidem mens humana, quod non sentit, nisi cum purissima & beatissima est, nulli cohæret nisi ipsi ueritati, quæ similitudo & imago patris & sapientia dicitur. Rectè igitur secundum hoc quod interius & principale hominis est, id est, secundum mentem accipitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ex illo enim quod in homine principatum tenet, quod eum disiungit à beluis totus est homo æstimandus. Cætera in eo quanquam in suo genere pulchra sint, tamen cum pecoribus communia sunt, ac per hoc in homine paruipendenda. Nisi fortè quòd ad intuendum cœlum figura humani corporis erecta est, ualet aliquid etiam ut corpus ipsum ad similitudinem Dei factum credatur: ut quemadmodum à patre illa similitudo non auertitur, ita corpus humanum à cœlo nō sit auersũm, sicut aliorum corpora animalium auersa sunt, quia prona in aluum prosternuntur. Sed tamen hoc non omninò accipiendum est, nam corpus nostrum à cœlo plurimũm differt: in illa uerò similitudine quę filius est, non potest quicquam esse dissimile illi, cui similis est.

B Quoniam similia quæcunque alia sunt, inter se etiam dissimilia ex aliqua parte sunt: ipsa uerò similitudo non est aliqua ex parte dissimilis. Pater tamen pater est, nec filius aliud ast quàm filius: quia & cùm dicitur similitudo patris, quanquam ostendat nullam interuenire dissimilitudinem, non tamen solus est pater, sed habet similitudinem. Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Satis quidem quæ superius dicta sunt, secundum id exponunt hæc uerba scripturæ, in quibus legimus dixisse Deum: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut similitudo Dei, ad quam factus est homo, ipsum Dei uerbum, hoc est unigenitus filius accipi posit: non utiq; ut ipse sit eadem imago & similitudo æqualis patri. Est tamen & homo imago Dei, sicut apertissimè ostendit Apostolus dicens: Vir quidem non debet uelare caput, cum sit imago & gloria Dei: Sed hæc imago ad imaginem Dei facta, non est æqualis & coęterna illi, cuius imago est, nec esset etiam si nunquàm omninò peccasset. Ille autem sensus est potius in his diuinis uerbis eligendus, ut ideo non dictum intelligamus singulariter, sed pluraliter: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quia non ad solius patris, aut solius filij, aut solius spiritus sancti, sed ad ipsius trinitatis imaginem factus est homo: quæ trinitas ita est trinitas, ut unus Deus sit: ita est unus Deus, ut trinitas sit. Non enim ait filio loquens: Faciamus hominem ad imaginem nostram, aut ad imaginem meam, sed pluraliter ait, ad imaginem & similitudinem nostram, à qua pluralitate spiritum sanctum separare quis audeat? Quæ

pluralitas,quoniam non tres dij,ſed unus eſt Deus,ideo intelligendum eſt poſtea C
ſcripturam ſingulariter intuliſſe atq; dixiſſe:Et fecit Deus hominem ad imaginẽ Dei,ut non ſic accipiatur,tanquam Deus pater ad imaginem Dei,hoc eſt filij ſui: alioquin quomodo uerum eſt,quod dictum eſt,ad imaginem noſtrã,ſi ad filij ſolius imaginem factus eſt homo? Ac per hoc quia uerum eſt,quod ait Deus,ad imaginem noſtram:ita dictum eſt:Fecit Deus hominem ad imaginẽ Dei,tanquam diceretur,ad imaginem ſuã,quod eſt ipſa trinitas.Nonnulli autẽ putant ideo nõ repetitã ſimilitudinem,neque dictũ:Et fecit Deus hominem & ſimilitudinem Dei; quia tum tantũmodò ad imaginem,ſimilitudo autem illa poſtea ſeruabatur in reſurrectione mortuorũ:quaſi poſſit eſſe imago aliqua,in qua ſimilitudo non ſit.Si enim omninò ſimilis non eſt,proculdubiò nec imago eſt. Veruntamen ut non ſola ratione id agere uideamur,& authoritas Iacobi apoſtoli adhibẽda eſt, qui cùm de lingua hominis loqueretur,ait:In ipſa benedicimus Deũ, in ipſa maledicimus homines,qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt.

De Gen.ad Lit.Lib.3. Cap.XI. Tomo.III.

Quadrupedia reptilia,& beſtias terræ,&c. Iam nunc conſequens erat ut alterã partem quæ propriè terra dicitur infimi huius loci, quem totum cum omnibus abyſsis & nebuloſo aëre uniuerſaliter uocabulo terræ alibi ſcriptura cõplectitur ornaret animalibus ſuis.Et manifeſta quidẽ ſunt animaliũ genera, quæ in uerbo Dei terra produxit.Sed quia ſæpe nomine pecorũ uel nomine beſtiarũ animalia omnia rationis expertia ſolẽt intelligi,meritò quæritur,quas nũc propriè beſtias, & quæ pecora dicat.Et repentia quidẽ ſiue reptilia terrena,non eſt dubitandum, quòd omnes repentes intelligi uoluit,quãquã & beſtiæ dici poſsint,pecorum au- D
tem nomen nõ uſitatè ſerpentibus cõuenit.Rurſùm leonibus & pardis & tigridibus & lupis & uulpibus,canibus etiã & ſimijs,atque id genus cæteris uſitatè conuenit uocabulum beſtiarum.Pecorum autem nomen his animalibus accõmodatius aptari ſolet quæ ſunt in uſu hominum,ſiue adiuuãdis laboribus,ut boues & equi & ſi qua talia: ſiue ad lanificium uel ad ueſcendum,ut oues & ſues.Quid ergo ſunt quadrupedia?Quanquam enim hæc omnia præter quædã ſerpentia quatuor pedibus gradiãtur,niſi tamen hoc proprio nomine quædam uellet intelligi, nõ utique hîc etiam quadrupedia nominaret,quamuis de his in repetitione tacuerit. An cerui & damulæ & onagri & apri,quia neq; illis beſtijs ubi leones ſunt cõiungi poſſunt,ſimiles enim ſunt illis pecoribus,neq; tamẽ ſub humana cura ſunt, propriè quadrupedia nuncupata ſunt:quaſi reliqua eſſent hæc animalia, quibus iſta appellatio generalis quidem cum multis propter numerum pedum,ſed tamẽ ſpeciali ſignificatione tribueretur? An quia ter dixit,ſecundum genus,tria quædã genera nos inuitat attendere?Primò ſecundũ genus quadrupedia & reptilia,ubi arbitror ſignificatum quæ quadrupedia dixerit,ſi quæ in genere ſunt reptilium, ſicut ſunt lacerti,ſtelliones,& ſiquid huiuſmodi eſt.Ideóq; in repetitione quadrupedum nomen non iterauit,quia reptilium uocabulo fortaſſe cõplexus eſt,unde ibi non ſimpliciter ait,reptilia,ſed addit omnia reptilia terræ.Ideo terrę,quia ſunt & aquarum,& ideo omnia illic ut intelligantur quę quatuor etiam pedibus nitũtur,quæ ſuperius quadrupedum nomine propriè ſignificata ſunt. Beſtias autem de quibus

A de quibus item ait, secundum genus, quicquid ore aut etiam unguibus sæuit exceptis serpentibus. Pecora uerò de quibus tertiò ait, secundum genus, quæ neutra sui lacerāt, sed aut cornibus, aut ne hoc quidem. Prædixi enim & quadrupedium nomē quàm latè pateat, ipso pedum numero facilè agnosci, & nomine pecorum & bestiarum omne rationale animal aliquando comprehēdi. Sed etiam ferarum uocabulum solet in latina lingua tantundem ualere: non ideo tamen negligenda fuit consideratio, quomodo possint hæc nomina, quæ non frustrà in hoc scripturarum loco posita sunt, etiam speciali distinctione discerni, quod in usu loquendi quotidiano facilè animaduerti potest.

Ex Lib. I de Gen. contra Manich. Cap. XVII. Tomo. I.

Faciamus hominem ad imaginem, &c. Istā maximè quæstionem solent Manichæi loquaciter agitare, & insultare nobis, quòd hominē credamus factum ad imaginem & similitudinem Dei. Attendunt enim figuram corporis nostri & infeliciter quærunt, utrùm habeat Deus nares & dentes & barbam & membra etiam interiora & cætera quæ in nobis sunt necessaria. In Deo autem talia ridiculū est, imò impium credere, & ideo negant hominem factū esse ad imaginem & similitudinē Dei. Quibus respondemus, membra quidem ista in scripturis plerunque nominari, cùm Deus insinuatur audientibus paruulis, & hoc non solum in ueteris testamenti libris, sed etiam in noui. Nam & oculi Dei commemorantur & aures & labia & dentes & pedes, & ad dexteram Dei patris sedere Euangelizatur filius. Et ipse Dominus dicit: Nolite per cœlum iurare, quia sedes Dei est, neque per terrā, quia scabellum pedum eius est. Item ipse dicit, quòd in digito Dei eijciebat dæmonia. Sed omnes qui spiritualiter intelligunt scripturas, non membra corporea per ista nomina, sed spiritales potentias accipere didicerunt, sicut galeas & scutum & gladium & alia multa. Primò ergo istis hæreticis dicendum est, qua impudentia de talibus uerbis ueteri testamento calumniētur, cùm etiam in nouo posita uideant, aut fortasse non uideant, sed cùm litigant excæcantur. Sed tamen nouerint in catholica disciplina spiritales fideles non credere Deum forma corporea definitū: Et quòd homo ad imaginē Dei factus dicitur, secundum interiorem hominem dici, ubi est ratio & intellectus: unde etiā habet potestatē piscium maris & uolatilium cœli & omnium pecorum & ferarum & omnis terræ, & omniū repentium quæ repunt super terram. Cùm enim dixisset: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, addidit cōtinuò: & habeat potestatē piscium maris & uolatilium cœli & cætera, ut intelligeremus nō propter corpus dici hominē factū ad imaginem Dei, sed propter eā potestatem qua omnia pecora superat. Omnia enim animalia cætera subiecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, & illa non habent: quāuis etiam corpus nostrū sic fabricatū sit, ut indicet nos meliores esse quàm bestias, & propterea Deo similes. Omniū enim animalium corpora, siue quæ in aquis, siue quæ in terra uiuunt, siue quæ in aëre uolitant, inclinata sunt ad terrā, & non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo significatur etiā animum nostrū in superna sua, id est, in æterna spiritalia erectū esse debere. Ita intelligitur per animum, maximè attestāte etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem & similitudinem Dei.

Matth. 5.

B

Ex euang. Ioan. Cap. V. tract. XVIII. Tomo. IX. C

Redi ad cor uide ibi quid sentias fortè de Deo, quia ibi est imago Dei In interiori homine habitat Christus, in interiore homine renouaris ad imaginem Dei, in imagine sua cognosce autorem eius. Vide quemadmodum omnes corporis sensus cordi intrò nuntient, id quod senserint foris. Vide quàm multos ministros habeat unus interior imperator: & quid apud se etiam sine his ministris agat. Renunciant oculi cordi alba & nigra: renunciant aures eidem cordi canora & dissona. Renunciant nares eidem cordi odora & putentia. Renunciant gustus eidē cordi amara & dulcia. Renunciant tactus eidem cordi lenia & aspera. Renunciat sibi ipsum cor iusta & iniusta. Cor tuum & uidet & audit, & cætera sensibilia diiudicat: & quò non aspirant corporis sensus, iusta & iniusta, mala & bona discernit. Ostende mihi oculos, aures, nares cordis tui. Diuersa sunt quæ ad cor tuum referuntur, & diuersa ibi mēbra non inueniuntur. In carne tua a'ibi audis, alibi uides, in corde tuo ibi audis ubi uides. Si hoc imago, quātò potētius ille cuius est imago? Ergo & audit filius & uidet filius: & ipsa uisio & auditio filius. Et hoc est illi audire quod esse, profectò & hoc est illi uidere quod esse. Tibi non hoc est uidere quod esse, quia etsi perdas uisum potes esse, etsi perdas auditū potes esse. Putamúsne pulsauimus? Erectum est aliquid in nobis, quod uel tenuiter suspicemur un lumen ueniat nobis. Puto fratres quia cùm loquimur ista, & cùm meditatur exercemus nos. Et cùm exercemus nos in ipsis, & rursus quasi reflectimur pondere nostro ad ista consueta: tales sumus quales lippientes, cùm producuntur ad uidendum lumen, si fortè antea uisum omninò non habebant: & incipiunt eundem uisum per diligentiam medicorum utcunque reparare. &c. D

De Gen ad Lit. Lib. 9. Cap. II. Tomo. III.

Faciamus ei adiutorium simile. Videamus utrùm temporaliter uocibus ac syllabis ęditis hoc dixerit Deus, an ipsa ratio commemorata est quę in uerbo Dei principaliter erat, ut sic fœmina fieret: quam rationem suscipiebat etiam tunc scriptura cùm diceret: Et dixit Deus, fiat hoc aut illud, quando primitus omnia cōdebantur. An fortè in mente ipsius hominis hoc dixit Deus, sicut loquitur quibusdam seruis suis in ipsis seruis suis? Ex quo genere seruorum eius erat etiam ille qui dixit in Psal. Audiam quid in me loquatur Deus: An aliqua de hac re ipsi homini in ipso homine per angelum est facta reuelatio in similitudinibus uocum corporalium, quamuis tacuerit scriptura utrùm in somnis an in ecstasi: ita enim fieri hæc solent, an aliquo modo sicut reuelatur prophetis. Vnde illud est: Et dixit mihi angelus qui loquebatur in me, an per corporalem creaturam uox ipsa sonuerit, sicut de nube: Hic est filius meus dilectus. Quid ergo ex his omnibus factum sit ad liquidum comprehendere non ualemus, uerūtamen certisimè teneamus dixisse hoc deum: etsi corporali uoce uel temporaliter expressa similitudine corporis dixit, non eum per substātiam suam, sed per aliquam imperio suo subditam dixisse creaturam. Nā uisus est Deus postea sanctis uiris, aliâs capite albo sicut lana, aliâs, inferiòre parte corporis, sicut auricalchum, aliâs, aliter atque aliter: non tamen illas uisiones hominibus per substantiam quæ ipsæ est, sed per subdita sibi quæ creauit, eum præbuisse, & per similitudinis formam uocumq; corporalium quòd uo

hunt

A sunt ostendisse ac dixisse, certissimum est eis qui substantiam trinitatis incommutabiliter æternam, nec per tempus, nec per locum moueri, & per tempus & per locum mouere, uel fideliter credunt, uel etiam excellenter intelligunt. Non ergo iam quæramus quomodo istud dixit, sed potius intelligamus quid dixerit. Adiutorium quippe homini secundum ipsum fuisse faciendum, æterna ipsa ueritas habet, per quam creata sunt omnia: & in illa hoc audit, qui in ea potest cognoscere quid quare creatum sit. Si autem quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos: sicut adiutorium semini terra est, ut uirgultum ex utróque nascatur: hoc enim & in prima rerum conditione dictū erat: Masculum & fœminam fecit eos &c. Quæ ratio conditionis & coniunctionis masculi & fœminæ atque benedictio, nec post peccatum hominis penámque defecit. Ipsa enim est secundum quam nunc terra hominibus plena est dominantibus eis. Quanquam enim iam emissi de paradiso conuenisse & genuisse commemorentur, tamen non uideo quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus? hoc, Deo præstante, fideliter iustéque uiuentibus, eíque obedientibus, sanctéque seruientibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore ac dolore pariendi, fœtus ex eorum semine gignerentur: non ut morientibus parentibus filij succederent, sed ut illis qui genuissent in aliquo formæ statu manentibus, & ex ligno uitæ, quod ibi plantatum est, corporalem uigorem sumentibus, & illi qui gignerentur ad eundem perducerentur statum, donec certo numero impleto, si iustè omnes obedientérque uiuerent, tunc fieret illa commutatio, ut sine ulla morte
B animalia corpora cōuersa in aliam qualitatem, eo quòd ad omnem nutum regenti spiritui deseruirent, & solo spiritu uiuificante sine ullis alimentorum corporalibus sustentaculis uiuerent, spiritalia uocarentur. Potuit hoc fieri si non præcepti transgresio mortis supplicīū mereretur. Qui enim hoc fieri potuisse nō credunt, nihil aliud quàm cōsuetudinem naturæ iam post peccatum pœnámq; humanam sic currentis attendunt, non autem in eorū genere nos esse debemus, qui non credunt nisi quod uidere consueuerunt. Quis enim dubitet homini obedienter & piè uiuenti præstare potuisse, quod diximus, qui non dubitat uestibus Israëlitarū impertitum esse, quondam in suo genere statum, ut per annos quadraginta nulla uetustate detrimenta paterentur? Cur ergo non coierūt nisi cùm iam exijssent de paradiso? citò responderi potest: Quia mox, creata muliere, priusquā coirent, facta est illa trāsgresio, cuius meritò in mortem destinati, etiam de loco illius felicitatis exierunt: non enim scriptura tempus expresit, quantùm interfuerit inter eos factos & ex eis natum Cain. Potest etiam dici, quia nondū Deus iusserat ut coirent. Cur enim non ad hanc rem diuina expectaretur autoritas, ubi nulla concupiscētia tanquā stimulis inobedientis carnis urgebat? Ideo autē hoc nō iusserat Deus, quia secundū suā præscientiam disponebat omnia, in qua & eorū casum proculdubio præsciebat, unde iam mortale genus propagādum esset humanum. Aut si ad hoc adiutorium gignendi filios non est facta mulier uiro, ad quod ergo adiutorium facta est? Si quia simul operarentur terram: nondum erat labor ut adiumēto indigeret: & si opus esset, melius adiutoriū masculus fieret: hoc & de solatio dici potest,

 si so-

si solitudinis fortasse tedebat. Quantò enim congruentius ad cõuiuendũ & col C
loquendum duo amici pariter quàm uir & mulier habitarent? Quòd si oportebat, alium iubendo, alium obsequendo, pariter uiuere, ne contrariæ uoluntates pacem cohabitãtium perturbarent, nec ad hoc retinendũ ordo defuisset, quò prior unus, alter posterior, maximè si posterior ex priore crearetur, sicut fœmina creata est. An aliquis dixerit de costa hominis Deum fœminam tantùm, non etiam masculum, si hoc uellet, facere potuisse? Quapropter non inuenio ad quod adiutorium facta sit mulier uiro, si pariendi causa subtrahatur. Nam si parentes filijs suis cedere ex hac uita oportebat, ut ita omne humanũ genus per decessiones certa numerositate impleretur, potuerunt etiam homines genitis filijs, perfectáque humani officij iustitia, hinc ad meliora transferri, nõ per mortem, sed per aliquam commutationem: aut illam summam, qua, receptis corporibus, fient sancti sicut angeli in cœlis: aut si illam dari nõ oportebat, nisi omnibus simul in fine seculi, aliquam inferiorem quàm illa erit: quæ tamen haberet meliorem statum quàm uel hoc corpus habet, uel illa etiam quæ primitus facta sunt, uiri ex limo terræ, mulieres ex uiri carne. Neque enim arbitrandum est Heliam, uel sic esse iam sicut erunt sancti, quando peracto operis die, denarium pariter accepturi sunt, uel sic, quemadmodum sunt homines, qui ex ista uita nondum emigrarunt, de qua ille tamen non morte, sed translatione migrauit. Iam itaque aliquid melius habet quàm in hac uita posset: quamuis nondum habeat quod ex hac uita rectè gesta in fine habiturus est: pro nobis enim meliora prouiderunt, ne sine nobis perfecti perficerentur. Aut si quisquam putat hoc Heliam mereri non potuisse, si duxisset uxorem, filiósque procreasset: creditur enim non habuisse, quia hoc scriptura non dixit, D
quãuis & de cœlibatu eius nihil dixit. Quid de Enoch respondebit, qui filijs genitis Deo placens non mortuus, sed uiuus translatus est? Cur ergo & Adam & Eua si iustè uiuentes, castè filios procreassent, non eis possent translatione, non morte, succedentibus cedere? Nam si Enoch & Helias in Adam mortui, mortísque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut soluant, creduntur etiam redituri ad hanc uitam, & quòd tandiu dilatum est morituri, nunc tamen in alia uita sunt: ubi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spiritale mutetur, nec morbo nec senectute deficiunt: quantò iustius atque probabilius primis illis hominibus præstaretur, sine ullo suo, parentúmue peccato uiuentibus, ut in meliorem aliquem statum, filijs genitis, cederẽt: unde seculo finito, cum omni posteritate sanctorum in angelicam formam, non per carnis mortem, sed per Dei uirtutem multò felicius mutarentur. Non itaque uideo ad quod aliud adiutorium mulier facta sit uiro, si generãdi causa subtrahitur: quę nihilominus quare subtrahatur ignoro. Vnde enim magnũ magníque honoris meritũ, apud Deum, fidelis & pia uirginitas habet, nisi quia isto iam tẽpore continendi ab cõplexu, cùm ex omnibus gentibus ad implendũ sanctorũ numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ uoluptatis libido non sibi uendicat, quod iam sufficiendæ prolis necessitudo non postulat? Denique utriusque sexus infirmitas propendens in ruinã turpitudinis, rectè excipitur, honestate nuptiarũ, ut quod sanis possit esse officiũ, sit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malũ est, ideo connubium uel quo

A incontinentes copulantur, nõ est bonum: imò uerò non propter illud malum, culpabile est hoc bonum, sed propter hoc bonum, ueniale est illud malum: quoniam id quod bonum habẽt nuptiæ, & quòd bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquã potest. Hoc autem tripertitum est, fides, proles, sacramẽtum. In fide attenditur ne præter uinculũ coniugale, cum altera uel altero concubatur. In prole ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento autem, ut coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri coniungatur.

Nũc enim quærimus, cui adiutorio mulier facta sit uiro, si eis ad gignẽdos filios misceri sibimet in paradiso non licebat. Qui enim hoc sentiunt, forte peccatũ esse omnem concubitum putant. Difficilè est nanque, ut dum peruersè homines uitia deuitant, non in eorum contraria perniciter currant. Etenim sicut exhorrens auaritiam fit profusus, aut exhorrens luxuriam fit auarus: aut inquietus fit cuius pigritiam reprehenderis, aut cuius inquietudinem piger, aut qui reprehensus odisse cœperit audaciam suã, ad timiditatem fugit: aut qui timidus non esse conatur, tanquam abrupto uinculo fit temerarius, dum nõ ratione, sed opinione crimina metiuntur: ita dum nesciunt homines quid in adulterijs & fornicationibus diuino iure damnetur, etiam causa procreandi coniugalem concubitum detestantur &c. Eiusdẽ lib. Cap. 8.

Ex Lib. contra Adim. Manich. discip. Cap. V. Tomo. VI.

Hunc locum Manichæi, quo scriptũ est in Genesi, hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei, propterea dicunt nouo testamento esse contrarium, quia Dominus in euangelio dicit Iudæis: Vos ex patre diabolo estis. &c. Et quòd alio loco Iudæi serpentium genimina & uiperarum appellantur, nõ intelligunt il- Ioan. 8.

B lud dictum esse de homine antequã peccaret, quòd factus est ad imaginem & similitudinem Dei. Hoc autem quod est in euangelio: Vos ex patre diabolo estis, peccatoribus & infidelibus dici. Tribus enim modis in scripturis sanctis filiorum nomen accipitur. Vno secundum naturam, quomodo Isaac filius Abrahæ, uel etiam cæteri Iudæi, qui ex eadem origine ueniunt. Alio secundum doctrinã, ut filius eius in ea re quisque appelletur, à quo aliquid didicit: sicut filios suos appellat Apostolus, qui ab illo didicerint euangelium. Tertio secundum imitationem, sicut filios Abrahæ nos uocat Apostolus, qui eius fidem imitamur. Duobus ergo modis peccatores infideles Iudæi, filij diaboli uocãtur à Domino, uel quòd ab ipso impietatẽ didicerunt, sicut de ipso diabolo Apostolus dicit: Qui nunc operatur in filios diffidentiæ: uel quòd eum imitantur, quod magis pertinet ad id, quod de illo dictũ est: Et in ueritate non stetit, qua & ipsi Iudæi in ueritate legis, quæ sibi data est, non steterunt, eò quòd Domino attestante & dicente: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, ille enim de me scripsit. Secundum eorundẽ peccatorum uenena etiam serpentum & uiperarum genimina uocantur. Ad imaginem autẽ Dei factum hominem, nõ tantùm Genesis, sed etiam Apostolus clamat, cùm dicit: Vir quidem non debet uelare caput, cùm sit imago & gloria Dei, mulier autẽ gloria uiri. Et ut manifestè intelligatur non secundũ uetustatem peccati, quæ corrumpitur, sed secundum spiritalem conformationem factam esse hominem ad imaginem Dei, idem Apostolus monet, ut exuti cõsuetudine peccatorum, id est, ueteri homine, induamur noua uita Christi, quem nouum hominem appellat. Et ut doceat hoc nos ali-

1. Reg. 22. Ephes. 2. Ioan. 8. 1. Cor. 11.

quando amisisse, renouationem illam uocat. Nam ita loquitur: Expoliantes uos ue- C
terem hominem &c. Filij ergo Dei sunt homines renouati ad eius imaginē, & ei si
miles facti usque ad dilectionem inimici. Sicut Dominus dicit, Diligere nos debere inimicos nostros, ut similes simus patri nostro qui in cœlis est. Quod in potestate nostra ab ipso Deo esse positum docet scriptura, cùm dicit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Filij autem diaboli dicuntur homines, cùm imitantur eius impiam superbiã, & à luce atque celsitudine decidunt sapiētiæ, & non credunt ueritati, quales Dominus arguit, cùm dicit: Vos ex patre diabolo estis, &c. Cui loco euangelico Propheta consonat dicens: Ego dixi dij estis, & filij altissimi omnes, &c.

De fide ad Pet. Diac. Cap. I. Tomo. III.

Cùm enim in sigulari numero dicit imaginem, ostendit unam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret. Cùm uerò dicit pluraliter nostrū, ostendit eundem Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non unam esse personam. Si enim in illa una natura patris & filij & spiritus sancti, una esset persona, non diceretur ad imaginem nostram, sed ad imaginem meam, nec dixisset faciamus, sed faciam. Si uerò in illis tribus personis, tres essent intelligendæ, uel credendæ substantiæ, non diceretur, ad imaginem nostram, sed ad imagines nostras. Vna enim imago trium naturarum inæqualium esse non posset. Sed dum ad unam imaginem unius Dei, homo factus dicitur, una sanctæ trinitatis essentialiter diuinitas intimatur.

De trinit. Lib. 12. Cap. VI. Tomo III.

Faciamus hominem ad imaginem nostram. Nostram certè, quia pluralis est numerus, non rectè diceretur si homo ad unius personæ imaginem fieret, siue patris, siue filij, siue spiritus sancti. Sed quia fiebat ad imaginem trinitatis, propterea dictū est, D
ad imaginem nostrã. Rursus autem ne in trinitate credendos arbitraremur tres Deos, cū sit eadē trinitas unus Deus. Et fecit, inquit, Deus hominē ad imagiēn Dei, pro eo ac si diceret ad imaginem suam. Sūt enim tales usitatæ in literis illis locutiones, quas nonnulli etiam si catholicam fidem asserunt, non tamen diligēter aduertunt, ut putēt ita dictum: Fecit Deus hominem ad imaginem Dei, quasi diceretur, fecit pater ad imaginē filij: sic uolētes asserere in scripturis sanctis Deū dictū etiã filiū, quasi desint alia uerissima & manifestissima documēta, ubi non solùm Deus, sed etiam uerus Deus dictus est filius. In hoc enim testimonio dum aliud soluere intendunt, sic se implicant, ut expedire nō possint. Si enim pater fecit ad imaginē filij, ita ut non sit homo imago patris & filij, dissimilis est patri filius. Si autē pia fides docet, sicuti docet, filium esse ad æqualitatē essentiæ similē patri, quod ad similitudinem filij factum est, necesse est etiam ad similitudinē patris factū sit. Deinde si hominem pater non ad suam, sed ad filij fecit imaginem, cur non ait: Faciamus hominem ad imaginē & similitudinē tuam, sed ait nostrã, nisi quia trinitatis imago fiebat in homine, ut hoc modo esset homo imago unius ueri Dei, quia ipsa trinitas unus uerus Deus est. Locutiones autem sunt innumerabiles tales in scripturis,
Psal. 3. sed has protulisse suffecerit: Est in psalmis ita dictū: Domini est salus & super populum benedictio tua, quasi alteri dictū sit, nō ei de quo dixerat, Domini est salus.
Psal. 17. Et iterū: A te, inquit, eruar à tentatione, & in Deo meo sperans transgrediar mu-
Psal. 44. rum, quasi alteri dixerit, à te eruar à tētatione. Et iterum: Populi sub te cadent, in

corda

A corda inimicorum regis. Ac si diceret: In corda inimicorū tuorum: Ei quippe rei dixerat, id est, Domino nostro Iesu Christo, populi sub te cadent, quem regem intelligi uoluit, cùm diceret inimicorum regis. Rarius ista in noui testamenti literis inueniūtur. Sed tamē ad Romanos Apostolus, De filio suo, inquit, qui factus est ei ex semine Dauid secundū carnē, qui prædestinatus est filius Dei in uirtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri, tanquam de alio suprà diceret. Quid est enim filius Dei prædestinatus ex resurrectione mortuorum Iesu Christi, nisi eiusdem Iesu Christi, qui prædestinatus est filius Dei in uirtute? Ergo quo modo hîc cùm audiuimus, filius Dei in uirtute Iesu Christi, aut filius Dei secundum spiritum sanctificationis Iesu Christi, aut filius Dei ex resurrectione mortuorum Iesu Christi, cùm dici potuisset usitatè, in uirtute sua, aut secundū spiritū sanctificationis suæ, aut ex resurrectione mortuorum eius, uel mortuorū suorum, non cogimur intelligere aliam personā, sed unam eandémque scilicet filij Dei Domini nostri Iesu Christi: ita cùm audimus: Fecit Deus hominem ad imaginem Dei, quāuis posset usitatius dici ad imaginem suam, nō tamen cogimur aliam personam intelligere in trinitate, sed ipsam unam eādémq; trinitatem, qui est unus Deus, & ad cuius imaginē factus est homo. Quæ cùm ita sint, si eandem trinitatis imaginem nō in uno sed in tribus hominibus acceperimus, patre & matre & filio, non erat ergo ad imaginem Dei factus homo, antequam uxor ei fieret, & antequam filium propagarent, quia nondum erat trinitas. An dicet aliquis: Iam trinitas erat, quia & si nondum forma propria, iam tamen originali natura & mulier erat in latere uiri, & filius in lumbis patris? Cur ergo cùm scriptura dixisset: Fecit Deus hominem ad imaginem Dei, contexuit dicens: Fecit Deus eum, masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos. Vel si ita distinguendum est: Et fecit Deus hominem, ut deinde inferatur, ad imaginem Dei fecit illum, & tertia subiunctio sit, masculum & fœminam fecit eos. Quidā enim timuerunt dicere, fecit eū masculum & fœminam, ne quasi mōstruosum aliquid intelligeretur, sicut sunt quos hermaphroditos uocant, cùm etiam sic non mendaciter posset intelligi utrumq; in numero singulari, propter id quod dictū est: Duo in carne una. Cur ergo, ut dicere cœperam, in natura hominis ad imaginem Dei facta præter masculum & fœminam non cōmemorat scriptura? Ad implendam quippe imaginem trinitatis debuit addere & filium, quamuis adhuc in lumbis patris constitutum, sicut mulier erat in latere. An fortè iam facta erat & mulier: & scriptura breui cōplexione constrinxerat, quod postea quemadmodū sit factum diligentius explicaret, & propterea filius commemorari non potuit, quia nōdum erat natus: quasi & hoc non poterat ea breuitate complecti spiritussanctus, suo loco postea natum filium narraturus, sicut mulierem de uiri latere assumptam suo postmodum loco narrauit, & tamen hîc eā nominare non prætermisit. Non itaq; ita debemus intelligere hominem factum ad imaginem summæ trinitatis, hoc est, ad imaginem Dei, ut eadē imago in tribus intelligatur hominibus, præsertim cùm Apostolus uirum dicat esse imaginem Dei, & propterea uelamētum ei capitis demat, quod mulieri adhibendum monet, ita loquens: Vir quidem non debet uelare caput cùm sit imago & gloria Dei: mulier autem gloria uiri est. Quid ergo dicemus

Roma. 1.

Cap. 7.

1. Cor. 11.

mus ad hæc? Si pro sua persona mulier adimplet imaginem trinitatis, cur ea detra C
cta de latere uiri adhuc ille imago dicitur? Aut si & una persona hominis ex tribus
potest dici imago Dei, sicut in ipsa summa trinitate & unaquaq; persona Deus
est, cur & mulier non est imago Dei? Nam & propterea caput uelare præcipitur,
quòd ille quia imago Dei est prohibetur. Sed uidendum est quomodo non sit contrarium
quod dicit Apostolus, non mulierem sed uirum esse imaginem Dei, huic
quod scriptum est in Genesi: Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, masculum
& fœminam fecit eos, & benedixit eos. Ad imaginē quippe Dei naturam
ipsam humanam factam dicit, quæ sexu utroque completur, nec ab intelligenda
imagine Dei separat fœminam. Dicto enim quod fecit Deus hominem ad imaginem
Dei, fecit eum, inquit, masculum & fœminam: uel certè alia distinctione, masculum
& fœminam fecit eos. Quomodo ergo per Apostolum audiuimus uirum
esse imaginem Dei, unde caput uelare prohibetur, mulierem autem non, & ideo
ipsa hoc facere iubetur? nisi credo illud esse quod iam dixi, cùm de natura humanæ
mentis agerem, mulierem cū uiro suo esse imaginem Dei, ut una imago sit tota
illa substātia. Cùm autem ad adiutorium distribuitur, quod ad eam ipsam solam
attinet, non est imago Dei: quod autem ad uirum solum attinet, imago Dei est, tam
plena atque integra, quàm in unum coniuncta muliere. Sicut de natura humanæ
mentis diximus, quia & si tota contempletur ueritatem, imago Dei est: & cùm ex
ea distribuitur aliquid & quadam intentione deriuatur ad actionem rerum temporalium,
nihilominus ex qua parte conspectam consulit ueritatē, imago Dei est,
ex qua uerò intenditur in agenda inferiora, non est imago Dei. Et quoniam quantumcúnque D
se extenderit in id quod æternum est, tantò magis inde formatur ad
imaginem Dei, & propterea non est cohibenda, ut se inde contineat ac temperet,
& ideo uir nō debet uelare caput. Quia uerò illi rationali actioni quæ in rebus corporalibus
temporalibúsq; uersatur, periculosa est nimia in inferiora progressio,
debet habere potestatem super caput, quod indicat uelamentum quò significatur
esse cohibēda. Grata est enim sanctis angelis sacrata & pia significatio. Nam Deus
non ad tempus uidet, nec aliquid noui fit in eius uisione atq; scientia cùm aliquid
temporaliter ac transitoriè geritur, sicut inde afficiuntur sensus uel carnales animalium
& hominum, uel etiam cœlestes angelorum. In isto quippe manifesto sexu
masculi & fœminæ, Apostolus Paulus occultioris cuiusdam rei figurasse mysterium
uel hinc intelligi potest, quòd cum alio loco dicat, ueram uiduam esse desolatam
sine filijs & nepotibus, & tamen eam sperare debere in Deum, & persistere
in orationibus nocte & die: hîc indicat mulierem seductam in præuaricatione
factā, saluam fieri per filiorum generationem. Et addit: Si permanserint in fide &
dilectione & sanctificatione cum sobrietate. Quasi uerò possit obesse bonę uiduę,
si uel filios non habuerit, uel hos quos habuerit, si in bonis operibus permanere
noluerint. Sed quia ea quæ dicuntur opera bona, tanquam filij sunt uitæ nostræ,
secundum quam quæritur cuius uitæ sit quisque, id est. quomodo agit hęc temporalia,
quam uitam Græci non ζωὴν sed βίον uocant: & hęc opera bona maximè in
officijs misericordiæ frequentari solent: opera uerò misericordię nihil prosunt, siue
paganis, siue Iudæis, qui Christo non credunt, siue quibuscunque hæreticis uel
schismaticis,

A schismaticis, ubi fides, & dilectio, & sobria sanctificatio nõ inuenitur: manifestum est quòd Apostolus significare noluerit, ideo figuratè ac mysticè quia de uelando mulieris capite loquebatur, quod nisi ad aliquod secretum sacramenti referatur, inane remanebit. Sicut enim non solùm ueracissima ratio, sed etiam ipsius Apostoli declarat authoritas, non secũdum formam corporis homo factus est ad imaginem Dei, sed secũdum rationalem mentem Cogitatiò quippe turpiter uana est, quæ opinatur Deum membrorum corporalium liniamentis circunscribi, atq; definiri. Porrò autem nonne idem beatus Apostolus dicit: Renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouũ hominem qui secundũ Deum creatus est. Et alibi apertius: Exuentes uos inquit ueterem hominem cum actibus eius, & induite nouum qui renouatur in agnitione Dei secũdum imaginem eius qui creauit eum. Si ergo spiritu mentis nostræ renouamur, & ipse est nouus homo, qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum, nulli dubium est non secundum corpus, neq; secundum quamlibet animi partem, sed secundum rationalem mentem, ubi potest esse agnitio Dei, hominem factum ad imaginem eius qui creauit eum. Secundum hãc igitur renouationem efficimur etiam filij Dei, per baptismum Christi, & inducentes nouum hominem, Christum utique induimur per fidem. Quis est ergo qui ab hoc consortio fœminas alienet, cùm sint nobiscum gratiæ cohæredes? Et alio loco idem Apostolus dicat: Omnes enim filij Dei estis, per fidẽ in Christo Iesu. Quicunq; enim in Christo baptizati estis, Christũ induistis &c. Nunquid nam igitur fideles fœminæ sexum corporis amiserunt? Sed quia ibi re-
B nouãtur ad imaginẽ Dei, ubi sexus nullus est, ibi factus est homo ad imaginẽ Dei,
C ubi sexus nullus est, hoc est, in spiritu mẽtis suæ. Cur ergo uir propterea nõ debet caput uelare, quia imago est & gloria Dei? Mulier autem debet, quia gloria uiri est, quasi mulier non renouetur spiritu mentis suę, qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum. Sed quia sexu corporis distat à uirò, ritè potuit in eius corporali uelamento figurari pars illa rationis, quæ ad temporalia gubernanda deflectitur, ut non maneat imago Dei, nisi ex qua parte mens hominis æternis rationibus conspiciendis, uel consulendis adhæreścit, quam non solùm masculos, sed etiam fœminas habere manifestum est. Ergo in eorum mentibus communis natura cognoscitur, in eorum uerò corporibus ipsius unius mentis distributio figuratur.

Ephes. 4.
Col. 3.
Gal. 3.

De Gen. Lib. 3. Cap. XX. Tomo. III.

Fecit Deus hominem ad imaginem suam. Vt uidelicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, quo irrationalibus animantibus antecellit. Id autem est ipsa ratio, uel mens, uel intelligentia, uel si quo alio uocabulo commodius appellatur. Vnde & Apostolus dicit. Renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui renouatur in agnitione Dei &c. satis ostendens ubi sit homo creatus ad imaginem Dei, quia non corporeis liniamentis, sed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ. Ac per hoc sicut in illa prima luce, si eo nomine rectè intelligitur facta lux intellectualis, particeps æternæ atque incommutabilis sapientiæ Dei, nõ dictum est, & sic est factum, ut deinde repeteretur, & fecit Deus: quia sicut iam quantùm potuimus disseruimus, non fiebat cognitio aliqua uerbi Dei in

prima

prima creatura, ut post eam cognitionem inferius crearetur, quod in eo uerbo creabatur, sed ipsa primò creabatur lux in qua fieret cognitio uerbi Dei per quod creabatur, atque ipsa cognitio illi esset ab informitate sua conuerti ad formantem Deum, & creari atque formari: postea uerò in cæteris creaturis dicitur? Et sic est factum, ubi significatur in illa luce, hoc est intellectuali creatura prius facta uerbi cognitio, ac deinde cùm dicitur, & fecit Deus, ipsius creaturæ genus fieri demonstratur, quod in uerbo Dei dictum erat ut fieret: hoc & in hominis conditione seruatur. Dixit enim Deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram &c. Ac deinde non dicitur, & sic est factum, sed iam subinfertur. Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei, quia & ipsa natura scilicet intellectualis est sicut & illa lux, & propterea hoc est ei fieri, quod est agnoscere uerbum Dei per quod fit. Nam si & diceretur, & sic est factum, & postea subinferretur, & fecit Deus, quasi prius factum intelligeretur in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in aliqua creatura, quæ rationalis non esset. Quia uerò & ipsa creatura rationalis est, & ipsa eadem cognitione perfecta est. Sicut enim post lapsum peccati homo in agnitione Dei renouatur, secundum imaginem eius qui creauit eum: ita in ipsa agnitione creatus est antequam delicto ueterasceret, unde rursum in eadem agnitione renouaretur. Quę autem non in ea cognitione creata sunt: quia siue corpora siue irrationales animæ creabantur, primò facta est in creatura intellectuali cognitio eorum à uerbo Dei quòd dictum est ut fierent, propter quam cognitionem primò dicebatur, & sic est factum, ut ostenderetur facta ipsa cognitio in ea natura, quæ hoc in uerbo Dei antequam esset cognoscere poterat: ac deinde fiebant ipsæ corporales irrationales creaturæ. D

Ex Lib. 12. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XXIII. Tomo. V.

Talem quippe illi animam creauit qua per rationē atque intelligentiam omnibus esset præstantior animalibus terrestribus & natatilibus & uolatilibus, quæ mentem huiusmodi non haberent. Et cùm uirum terreno formasset ex puluere, eique animam qualem dixi: siue quam iam fecerat sufflando indidisset: siue potius sufflando fecisset, eúmque flatum quem sufflando fecit, nam quid est aliud sufflare quàm flatum facere, animam hominis esse uoluisset: etiam coniugem illi in adiutorium generandi ex eius latere osse detracto fecit, ut Deus. Neq; enim hæc carnali consuetudine cogitanda sunt, ut uidere solemus opifices ex materia quacunq; terrena corporalibus membris, quod artis industria potuerunt fabricantes: manus Dei potentia Dei est, qui etiam uisibilia inuisibiliter operatur. Sed hæc fabulosa potius quàm uera esse arbitrantur, qui uirtutem ac sapientiam Dei, qua nouit & potest etiam sine seminibus ipsa certè facere semina, ex his usitatis, & quotidianis metiuntur operibus: ea uerò quæ primitus instituta sunt, quoniam non nouerunt infideliter cogitant: quasi non hæc ipsa quæ nouerunt de humanis conceptibus atque partubus, si etiam in expertis narrarentur incredibiliora uiderentur, quamuis & ea ipsa plerique magis naturę corporalibus causis, quàm operibus diuinæ mentis assignent.

Item. Vide Deut. Cap. 4. in hæc uerba: Et ne faciatis uobisipsis sculptilem similitudinem.

Ex

A Ex Lib.I.de Gen.contra Manich. Cap.XVIII. Tomo.I.

Habeat potestatem piscium maris &c. Dicũt,quomodo accepit homo potestatem pisciũ maris & uolatilium cœli & omnium pecorum & ferarum,cùm uideamus à multis feris homines occidi, & à multis uolatilibus nobis noceri, quæ uolumus uel uitare uel capere & plerunq; nõ posse? Quomodo ergo in hæc accepimus potestatem? Hîc illis primò dicendum est,quòd multùm errent,qui post peccatũ nõ considerant hominem cùm in huius uitæ mortalitate damnatus est,& amisit perfectionem illam,qua factus est ad imaginem Dei.Sed si dominatio eius tantùm ualet,ut tam multis pecoribus imperet:quamuis enim à multis feris propter fragilitatem corporis posit occidi,à nullis tamen domari potest, cùm ipse tam multas & propè omnes domet.Si ergo hæc hominis dominatio tantùm ualet,quid de regno eius cogitandũ est quod ei renouato & liberato diuina uoce promittitur?

Ex Lib.1.de Gen.contra Manich. Cap.XX. Tomo.I.

Saluo quidem intellectu,quo manifestum est omnibus his animalibus hominẽ ratione dominari,rectè tamen intelligitur etiam spiritaliter:ut omnes affectiones & motus animi quos habemus istis animalibus similes subditos haberemus & eorum dominaremur per temperantiam & modestiam &c.

Ex Lib.1.de Gen.contra Manich. Cap.XIX. Tomo.1.

Crescite & multiplicamini &c. Rectißimè quæritur quemadmodum accipienda sit coniunctio masculi & fœminæ ante peccatum,& ista benedictio qua dictũ est,Crescite & multiplicamini & generate & replete terram,utrùm carnaliter an B spiritaliter accipienda sit: Licet enim nobis eam etiam spiritaliter accipere, ut in carnalem fœcunditatem post peccatum conuersa esse credatur. Erat enim prius casta coniunctio masculi & fœminæ,huius ad regendum, illius ad obtemperandum accommodata,& spiritalis fœtus intelligibilium, & immortalium gaudiorum replens terram,id est,uiuificans corpus & dominans eius,id est,ita subiectũ habens,ut nullam ex eo aduersitatem, nullam molestiam pateretur. Quod ideo sic credendum est,quia nondum erant filij seculi huius antequam peccarent. Filij enim seculi huius generant & generantur,sicut Dominus dicit,cùm in comparatione futuræ uitæ quæ nobis promittitur,carnalem istam generationem contemnendam esse demonstrat.

Ex Lib.14.de Ciuit.Dei ad Marcel. Cap.XXI. Tomo.V.

Absit itaq; ut credamus illos coniuges in Paradiso constitutos per hanc libidinem de qua erubescendo eadem membra texerũt,impleturos fuisse quod in sua benedictione Deus dixit:Crescite,& multiplicamini,& implete terrã.Post peccatum quippe orta est hæc libido:post peccatum eam natura non impudens amissa potestate cui corpus ex omni parte seruiebat,sensit, attendit,erubuit,operuit. Illa uerò benedictio nuptiarũ,ut coniugati crescerent,& multiplicarẽtur,& implerent terram,quamuis & in delinquẽtibus manserit:tamen antequam delinquerẽt, data est,ut cognoscerent procreationem filiorum ad gloriam connubij,nõ ad pœnam pertinere peccati.Sed nunc homines profectò illius quæ fuit in Paradiso felicitatis ignari,nisi per hoc,quod experti sunt,id est,per libidinem,de qua uidemus ipsam etiam honestatẽ erubescere nuptiarũ,non potuisse gigni filios opinantur: alij

alij ſcripturas diuinas, ubi legitur poſt peccatũ puduiſſe nuditatis, & pudenda eſſe contecta prorſus non accipientes, ſed infideliter irridentes: alij uerò quamuis eas accipiant & honorent, illud tamen quod dictum eſt: Creſcite & multiplicamini, non ſecundum carnalem fœcunditatem uolunt intelligi: quia & ſecundum animam legitur tale aliquid dictum: Multiplicabis in anima mea uirtutem, ut id quod in Geneſi ſequitur: Et implete terram & dominamini eius, terram intelligant carnem, quam præſentia ſua implet anima eius, quæ maximè dominatur cùm in uirtute multiplicatur. Carnales autem fœtus ſine libidine quæ poſt peccatum exorta, inſpecta, confuſa, uelata eſt: nec tunc naſci potuiſſe, ſicut neque nunc poſſunt, nec in Paradiſo futuros fuiſſe, ſed foris ſicut & factum eſt. Nam poſteaquam inde dimiſsi ſunt ad gignendos filios coiërunt, eóſque genuerunt. C

Ex Lib.I.de Gen. contra Manich. Cap. XXI. Tomo.I.

Fecit bona ualdè. Cùm enim de ſingulis ageret, dicebat tantùm, uidit Deus quia bonum eſt: cùm autem de omnibus diceretur, parum fuit dicere bona, niſi adderetur & ualdè. Si enim ſingula opera Dei, cùm conſiderantur à prudentibus inueniuntur habere laudabiles, & menſuras, & numeros, & ordines in ſuo quęque genere conſtituta, quantò magis omnia ſimul, id eſt, ipſa uniuerſitas, quæ iſtis ſingulis in unum collatis completur. Omnis enim pulchritudo, quæ partibus conſtat, multò eſt laudabilior in toto quàm in parte.

CAPVT SECVNDVM.

De Mirab. ſacræ ſcript. Lib.I. Cap. I. Tomo.III. D

ET *conſummauit Deus omnia opera ſua*. Ex quo intelligitur, Deum in die ſexto omnia perfeciſſe, ut in die ſeptimo non à labore ſed ab opere uidea tur ceſſaſſe. Sed quòd Dominus Ieſus Iudæis de ſabbati requie quærentibus reſpõdit: Pater meus uſque modo operatur, & ego operor, illum quidem die ſeptimo requieuiſſe credimus, & uſque modo operari non
Ioan.5. dubitamus. Sed quemadmodum tunc conſummâſſe & nunc operari idem Deus intelligitur, ſubtilius inueſtigatur. In die enim ſeptimo creaturæ naturas perfecit quas gubernare & nunc nõ deſinit. Et in die ſeptimo requieuit ab opere creationis, qui nunquam ceſſat á gubernationis regimine. Tunc ergo creator, nunc gubernator Deus intelligendus eſt. Ac per hoc etiamſi noui aliquid in creaturis exoriri uideamus, non creare ibi nouam naturam, ſed gubernare olim creatam Deus putandus eſt. Sed eſt potens in gubernatione creaturæ qui condidit, ut uelut naturam nouam creare uideatur, cùm abditis naturæ finibus, quod in illa latebat depromit.

Ex Lib.cont.Adim.Manich.diſcip. Cap. II. Tomo.VI.

Huic etiam loco Manichæi calumniam mouent: & dicunt nouo teſtamento aduerſari, quod in Geneſi ſcriptum eſt Deum ſeptimo die requieuiſſe ab omnibus
Ioan.5. operibus ſuis quæ fecit, quoniam Dominus in euangelio dicit: Pater meus uſque nunc operatur. Quod nullo modo contrarium eſt: Dominus enim Iudæorum refellit errorem, qui putabant Deum ſic requieuiſſe die ſeptimo, ut ex illo prorſus nihil operaretur. Requieuit autem ab omnibus operibus ſuis quæ fecit, ut iam ultrà

A trà non faceret mundũ cùm omnibus quæ in eo sunt: non tamen ut etiam à mundi administratione requiesceret. Nõ enim scriptum est: Requieuit Deus ab omnibus operibus suis, ut deinde non operaretur, sed scriptũ est: Requieuit ab omnibus operibus suis quæ fecit, ut deinde non in faciendo mundo à quo opere post perfectionem cessauerat, sed in administrando operaretur, in quo opere eum esse Dominus intimauit. Nec illa requies, quasi post laborem Deum pausam quęsiſſe, sed ab instituendis rerum naturis post earum rerum perfectionem cessâſſe significat, quãuis usque adhuc in administrandis operetur. Sabbati autem obseruationes non intelligebant Iudæi, qui putabant ab his etiam operibus quæ ad salutem hominum ualent oportere cessari. Vnde illos Dominus etiam alijs locis de boue, Luc.14. qui in puteum cecidit, & iumento quòd soluendum est ut ad aquam ducatur, mirifica comparatione redarguit. Sabbatum autem non repudiatũ, sed intellectum à Christianis destitit quidem carnaliter obseruari, sed spiritaliter tenetur à sanctis, qui intelligunt uocem Domini uocantis ad requiem & dicentis: Venite ad me qui laboratis & ego reficiam uos &c. Hoc sabbatum, id est, hanc requiem scriptura illa significat, quam Iudæi non intelligebant, & pro temporum dispensatione carnaliter sequebantur umbram, cuius umbræ quasi corpus, id est, ueritas nobis danda erat. Sed quemadmodum illa requies Dei post fabricatum mũdum insinuatur, sic requiem quæ nobis promittitur, post opera quæ in hoc mundo habemus, si iusta fuerint, consequetur: septima scilicet eademque ultima parte seculi, de qua longum est disputare. Non ergo Dominus rescindit scripturam ueteris testamenti, sed cogit intelligi: nec sabbatum soluit, ut pereat quod figurabatur, sed aperit potius, ut appareat, quod tegebatur.

B

Ex Lib.1. De Gen. cont. Manich. Cap. XXII. Tomo. I.

Die septimo requieuit. Dicunt: Quid opus erat ut Deus requiesceret? An fortè operibus sex dierũ fatigatus & lassatus erat? &c. Primò ergo huius locutionis regula in multis diuinarum scripturarum locis animaduertenda atque discenda est. Quid enim aliud significat, quòd dicitur Deus requieuiſſe ab omnibus operibus suis quę fecit bona ualdè, nisi requiẽ nostrã quã nobis daturus est ab omnibus operibus nostris, si & nos bona opera fecerimus &c. Quietum ab omnibus molestijs tẽpus dicimus, in quo nos ab omnibus molestijs quieti sumus. Sic & Deus requieuiſſe dictus est ab omnibus operibus suis quæ fecit bona ualdè, quia in illo requiescemus ab omnibus operibus nostris, si opera bona fecerimus: quia & ipsa bona opera nostra illi tribuenda sunt qui uocat, qui præcipit, qui uiam ueritatis ostendit, qui ut & uelimus inuitat, & uires implendi ea quæ imperat, subministrat.

Epistola. 28. Tomo. II.

Ea uerò quæ dicuntur alia contra hanc opinionem, facilè me puto poſſe refellere, sicuti est illud, quo eam sibi quidam uidentur urgere, quomodo consummauerit Deus omnia opera sua sexto die, & septimo requieuit, si nouas adhuc animas creat? Quibus si dixerimus, quòd ex euangelio in supradicta epistola positũ est: Pater meus usq; nũc operatur, Respondẽt, operatur dictũ est instituta administrando, nõ nouas instituendo naturas, ne scripturæ Geneseos contradicatur, ubi apertiſsimè legitur cõsummaſſe Deũ omnia opera sua. Nã & quòd eũ scriptũ est requieuiſſe,

requieuiſſe, utique à creãdis nouis creaturis intelligendũ eſt, non à gubernandis, C
quia tunc ea quæ non erant fecit, à quibus faciendis requieuit: quia conſummaue
rat omnia quæ antequam eſſent uidit eſſe facienda: ut deinceps non ea quæ non
erãt, ſed ex his quę iã erant crearet, & faceret quicquid faceret. Ita utrunq; uerũ
eſſe monſtratur, & quod dictum eſt requieuit ab operibus ſuis, & quod dictũ eſt,
uſque nunc operatur, quoniam Geneſi non poteſt euangelium eſſe contrarium.

De Gen. ad Lit. Lib. 4. Cap. X. Tomo. III.

Vrgemur quærere quonam modo & ipſe requieſcere potuerit, quamuis requie ſua nobis inſinuata ſperare admonuerit in ſe requiem noſtram futuram. Sicut enim ipſe fecit cœlum & terram & ea quæ in eis ſunt: & omnia ſexto die conſummauit, nec in eis dici poteſt aliquid nos creaſſe illo donante ut crearemus, & ideo dictum eſſe: conſummauit Deus in die ſexto opera ſua quę fecit, quia ut à nobis cõſummarentur ipſe pręſtitit: Ita & quod dictum eſt: requieuit Deus in die ſeptimo ab omnibus operibus quæ fecit, non utique noſtram requiem quam concedente ipſo adepturi ſumus, ſed ipſius primitũs intelligere debemus, qua in ſeptimo die requieuit conſummatis operibus, ut prius omnia quæ ſcripta ſunt facta mõſtrentur, & deinde ſi opus eſt, etiam aliquid ſignificaſſe doceãtur. Rectè quippe dicitur, ſicut Deus poſt opera ſua bona requieuit, ita & nos poſt opera noſtra bona requieturos. Sed ob hoc etiam rectè flagitatur, ut quemadmodum diſputatum eſt de operibus Dei, quæ ipſius eſſe ſatis apparet, ita de requie Dei ſatis diſſeratur, quę propria ipſius demõſtretur. Quapropter iuſtiſsima ratione compellimur indagare, ſi ualeamus, atque eloqui, quomodo utrumque ſit uerum, & quod hîc ſcriptum eſt, in ſeptimo die requieuiſſe Deum ab omnibus operibus ſuis quæ fecit, & quod in euangelio dicit ipſe: Per quem facta ſunt omnia: Pater meus uſque D
Ioan. 5. nunc operatur, & ego operor. Eis enim hoc reſpondit qui propter requiem Dei ſcripturæ huius autoritate, antiquis commendatum ſabbatum ab eo non obſeruari quærebantur. Et dici quidem probabiliter poteſt, obſeruandum ſabbatum Iudæis fuiſſe præceptum in umbra futuri: quæ ſpiritalem requiem figuraret, quam Deus exemplo huius quietis ſuæ fidelibus bona opera facientibus arcana ſignificatione pollicebatur. Cuius quietis, & ipſe Dominus Chriſtus qui non niſi quando uoluit paſſus eſt etiam ſepultura ſua myſterium confirmauit. Ipſo quippe die ſabbati requieuit in ſepulchro, eũmque totum diem habuit ſanctæ cuiuſdam uacationis, poſteaquam ſexto die, id eſt, paraſceue, quem dicunt ſextum ſabbati, conſummauit omnia opera ſua, cùm de illo quæ ſcripta ſunt in ipſo crucis patibulo complerentur. Nam & hoc uerbo uſus eſt quando ait: Conſummatum eſt, & inclinato capite reddidit ſpiritum. Quid ergo mirum ſi Deus iſtũ diem quo erat Chriſtus in ſepulchro quieturus, uolens etiã hoc modo prænuntiare, ab operibus ſuis in uno die requieuit, deinceps operaturus ordinẽ ſeculorũ, ut & illud uerè diceretur: Pater meus uſque nunc operatur.
Cap. 12. Poteſt etiam intelligi Deum requieuiſſe à condendis generibus creaturæ, quia ultra iam non condidit aliqua genera noua: deinceps autem uſque nunc & ultra operatur eorundem generum adminiſtrationem, quę tunc inſtituta ſunt, non ut ipſo ſaltem die ſeptimo potentia eius à cœli & & terræ, omniúmq; rerum quas condiderat gubernatione ceſſaret, alioquin continuò

A tinuò dilaberentur. Creatoris nanque potentia & omnipotentis atque omnitenẽtis uirtus, causa subsistendi est omni creaturæ, quæ uirtus ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisq; natura concideret. Neque enim sicut structurã ædium cùm fabricauerit quis abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus eius, ita mundus uel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimẽ sui subtraxerit. Proinde & quod Dominus ait: Pater meus usque nunc operatur, continuationem quandam operis eius, qua uniuersam creaturam continet atque administrat ostendit: aliter enim posset intelligi, si diceret, & nunc operatur, ubi non esset necesse ut operis continuationem acciperemus: aliter autem cogit intelligi cùm ait, usque nunc, ex illo scilicet quo cuncta cùm conderet operatus est. Et quod scriptum est de sapientia, pertingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, de qua item scriptum est, quòd motus eius agilior celeriórque sit omnibus motibus: satis apparet rectè intuẽtibus hunc ipsum incomparabilem & ineffabilem, & si possit intelligi, stabilem motũ suum, rebus eam præbere suauiter disponendis, quo utique subtracto si ab hac operatione cessauerit eas cõtinuò perituras. Et illud quod ait Apostolus cùm Deum Atheniensibus prędicaret: In illo uiuimus, mouemur & sumus, liquidè cogitatum quã tùm humana mens ualet, adiuuat hanc sentẽtiam, qua credimus & dicimus Deũ in his quæ creauit indesinenter operari. Neque enim tanquam substantia eius sic in illo sumus, quemadmodum dictum est, quòd habeat uitam in semetipso, sed utique cùm aliud sumus quàm ipse, non ob aliud in illo sumus nisi quia id operatur, & hoc est opus eius quo continet omnia, & quo eius sapientia pertendit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, per quam dispositionem in illo uiuimus, mouemur, & sumus. Vnde colligitur quod si hoc opus suum rebus subtraxerit, nec uiuemus, nec mouebimur, nec erimus. Claret igitur ne uno quidem die cessasse Deum ab opere regendi quæ creauit, ne motus suos naturales quibus aguntur atque uegetantur, ut omninò naturæ sint, & in eo quod sunt, pro suo quoque genere maneant, ilicò amitterent, & esse aliquid omninò desinerent, si eis subtraheretur motus ille sapientiæ Dei, quo disponit omnia suauiter. Quapropter sic accipimus Deum requieuisse ab omnibus operibus suis quæ fecit, ut iam nouam naturam ulterius nullam conderet, non utique, ut quod condiderat continere & gubernare cessaret. Vnde & illud uerum est, quod in septimo die requieuit Deus, & illud quod usque nunc operatur.

Ioan. 5. *Actorũ. 17* B

Ex Lib. 2. de Ciui. Dei ad Marcel. Cap. VIII. Tomo. V.

Cum uerò in die septimo requieuit Deus ab omnibus operibus suis, & sanctificauit eũ, nequaquam est accipiendum pueriliter, tanquàm Deus laborauerit operando, qui dixit, & facta sunt uerbo intelligibili & sempiterno, nõ sonabili & temporali. Sed requies Dei, requiem significat eorũ qui requiescunt in Deo, sicut lætitia domus, lætitiam significat eorum qui lætantur in domo, etiamsi nõ eos domus ipsa, sed alia res aliqua lætos faciat. Quantò magis si eadem domus pulchritudine sua faciat lætos habitatores, ut non solùm eo loquendi modo læta dicatur, quo significamus, per id quod continet, id quod continetur, sicut theatra plaudunt, prata mugiunt, cùm in illis homines plaudant, in his boues mugiant, sed etiã illo quo

D significatur

significatur per efficientē,id quod efficitur,sicut læta epistola dicitur,significās eo **C**
rum lætitiā quos legentes efficit lætos.Cōuenientißimè itaq; cùm Deum requie-
uisse prophetica narrat authoritas,significatur requies eorum,qui in illo requie-
scūt,& quos facit ipse requiescere.Hoc etiā hominibus quibus loquitur, & pro-
pter quos utiq; cōscripta est,promittēte prophetia,quòd etiā ipsi post bona ope-
ra quæ in eis & per eos operatur Deus,si ad illū prius in ista uita per fidē quodā-
modo accesserint,in illo habebunt requiem sempiternā.Hoc enim & sabbati ua-
cationee ex præcepto legis in uetere Dei populo figuratum est.

Item. Vide Matth.Cap.4.in hæc uerba:Et cùm ieiunasset quadraginta dies.

Ex Lib.2.de Gen.cont.Manich. Cap.I. Tomo.I.

Istæ sunt generationes cœli & terræ. Post enumerationem & expletionem dierum septem,interposita est quasi quędam conclusio,& appellatus est liber creaturæ cœli & terræ quicquid superius dictum est,cùm sit parua pars libri. Sed ideo sic meruit uocari,quia uniuersi seculi à capite usque ad finem quasi breuis quædā imago in his diebus septem figurata est.

Eiusdē lib. cap.3. *Et omne uiride agri.* Superius septem dies numerabantur,nunc unus dies dicitur,quo die fecit Deus cœlum & terram,& omne uiride agri,& omne pabulum, cuius diei nomine omne tempus significari benè intelligitur. Fecit enim Deus omne tempus simul cum omnibus creaturis temporalibus,quæ creaturæ uisibiles cœli & terræ nominæ significantur. Mouere autem nos debet ad quærendum, quòd cùm diem quo factum est cœlum & terra nominasset,adiecit etiam,uiride agri,& omne pabulum.Non enim quādo dictum est:In principio fecit Deus cœlum & terram,tunc dictum est,factum esse omne uiride agri & pabulum.Quod **D** autem dictum est:In principio fecit Deus cœlum & terram,non pertinet ad aliquem dierum ex illis septem diebus.Adhuc enim uel materiam ipsam unde facta sunt omnia,cœli & terræ nomine nuncupabat:uel certè prius totam creaturam cœli & terræ nomine proposuerat,dicendo: In principio fecit Deus cœlum & terram:& postea particulatim per ordinem dierum, sicut oportebat, propter prophetiam,quam in primo libro commemorauimus,Dei opera executus exposuit.Quid sibi ergo uult quòd nunc nominato cœlo & terra,addidit, uiride agri & pabulum,& tacuit cætera tam multa quæ sunt in cœlo & in terra,uel etiam in mari, nisi quia uiride agri inuisibilem creaturam uult intelligi, sicut est anima.

Matth. 13. Ager enim solet in scripturis figuratè mundus appellari. Nam & ipse Dominus ager est hic,inquit,mundus,cùm illam parabolam exponeret, ubi bono semini sunt commixta zizania. Viride ergo agri spiritalem atque inuisibilem creaturam dicit,propter uigorem uitæ,& nomine pabuli,utique propter uitam bene hocipsum interpretamur &c.

De Gen.ad Lit.Lib.5. Cap.VI. Tomo.III.

Non *enim pluerat Deus super terram.* Quò illud pertineat,& quid nobis insinuet, indagare difficile est.Tanquam ideo antequam exortum est,fecerit Deus fœnum agri,quia nondum pluerat super terram. Si enim post pluuiam fœnum fecisset Deus,pluuia magis exortum quàm factū ab eo uideretur.Quid enim,quod post pluuiam exoritur,ab alio fit nisi ab eodem Deo? Cur autem non erat homo qui

operaretur

A operaretur terram? Nónne iam sexto die fecerat hominem, & septimo requieue rat ab omnibus operibus suis quæ fecit? An hoc recapitulando commemorat, quoniam quando fecit Deus omne uiride agri, & omne fœnum, nõdum pluerat super terram, & nondum erat homo. Tertio quippe die fecit ista, hominem autẽ sexto. Sed cùm fecit Deus omne uiride atque omne fœnum agri antequam exortum est super terram, non solùm homo non erat qui operaretur terram, sed nec ipsum fœnum erat super terram, quod utique antè dicit factum, quàm exortum. An ideo die tertio fecit Deus ista: quia nondum erat homo, qui operando terram faceret ea? Quasi uerò tam multa ligna, & tam multa genera herbarum, nõ sine ullo opere hominum nascantur ex terra? An ob hoc utrũmque positũ est, & quia nondũ pluerat super terrã, & quia nondũ erat homo qui operaretur terram: ubi enim opera humana non est, per pluuiam ista nascuntur. Sunt etiam quædam, quæ per pluuiam non nascantur, nisi humana opera accedat. Ideo nunc utrumque adiutorium necessarium est, ut cuncta nascantur: tunc autem utrumque defuit, ideo fecit Deus hæc potentia uerbi sui sine pluuia, sine opere humano. Nam etiam nunc ipse facit, sed iam per pluuiam & hominum manus: quamuis neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quid est ergo quod adiungit: Fons autem ascendebat de terra, &c. Ille quippe fons tanta largitate manans, sicut Nilus Aegypto, posset uniuersæ terræ esse pro pluuia. Quid itaque pro magno commendatum est, antequam flueret fecisse Deum illa gignentia, cùm quantùm posset adiuuare pluuia, tantùm fons irrigans terrã? Verùm & si aliquid minus, minora illa fortasse, nõ tamen nulla nascerẽtur. An hũc

B etiam more suo scriptura tanquam infirmis infirmiter loquitur, & tamen innuit aliquid, quod intelligat qui ualuerit? Nimirum enim sicut isto die paulò superius &c. tanquam diceret: Non ea sic fecit Deus, quemadmodum facit nunc talia, cùm pluit & cùm operantur homines. Hæc enim iam per moras temporum fiunt, quæ tunc non erant, cùm fecit omnia simul, unde etiam tempora inciperẽt.

Sequitur paulo pòst. Veruntamen quis iste sit fons ad irrigandam faciem terræ omnis idoneus, meritò quæritur. Si enim fuit, & obstrusus est uel siccatus, causa quærenda est. Nunc enim uidemus nullum esse fontẽ quo irrigetur omnis facies terræ. Fortaßis ergo peccatum hominum hanc etiam pœnam commeruit, ut tanta illius fontis repressa largitas, facillimam terris auferret fœcũditatẽ, ut incolẽtiũ augeretur labor. Posset hoc, quãuis nulla id scriptura narrauerit, affirmare humana suspitio, nisi illud occurreret quòd peccatũ hominũ, cui pœna laboris imposita est, post paradisi delitias extitit. Paradisus autẽ habebat prægrandẽ fontem suum, de quo pòst diligentius suo loco loquendum est: ex cuius uno capite quatuor magna flumina & nota gentibus manare narrantur. Vbi ergo erat fons iste aut ista flumina, quando ille unus maximus ascendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ? Certè enim tunc non Geon, qui dicitur Nilus, unus ex illis quatuor rigabat Aegyptum, quando fons ascendebat de terra, & non Aegyptum tantùm, sed omnem faciem terræ satiabat. An primò Deum uoluisse credendum est, uno fonte maximo irrigare omnem terram, ut illa quæ in ea principaliter cõdiderit, accepto humoris adiutorio, iam etiam per temporalia spatia gignerentur, *Eiusdẽ lib. cap. 7.*

pro suorum generum diuersitate, etiam diuersis numeris dierum gignerentur: & postea plātato paradiso repressisse illum fontem, multisq́. alijs fontibus, sicut iam nunc uidemus impleuisse terram: de paradisi autem uno fonte quatuor ingentia flumina diuisisse, ut & terra cætera creaturarū suarum plena generibus, cōgruos numeros suorum temporū agentibus, fontes etiam suos haberet ac fluuios: & paradisus loco electiore plātatus, quatuor illa flumina ex capite sui fontis emitteret: aut ex ipso uno fonte paradisi multò largius exundāte prius totam rigasse terrā, atque ad pariēda per temporum numeros genera, quæ in ea sine interuallis tēporum creauerat, fœcundasse: ac postea repressisse in eo loco aquarum eruptionem uastissimam, ut de diuersis per omnem terram capitibus fluminum ac fontium, iam manarent: ac deinde irrigatione illius fontis, non iam uniuersam terram rigantis, sed memorabiles solos illos quatuor fluuios emittentis, plantasse paradisum, ubi hominem quem fecerat collocaret &c. Sequitur. Si quis contendat ideo non potuisse uno quantolibet fonte omnem terræ faciem irrigari, quia si montes non irrigabat, non omnem terræ faciem irrigabat. Si etiam montes rigabat, non erat iam partitio saginæ, sed diluuij inundatio: quòd si terra tunc sic erat, totū mare erat, & nondū discreta erat arida. Cui respōdetur, quia hoc uicibus tēporū posset, sicut certo tempore per plana Aegypti Nilus restagnat, & alio tempore ad ripas suas redit, aut si iste nescio cuius ignotæ ac lōginquæ partis mundi aquis, & pruinis hyemalibus, anniuersaria creditur incrementa colligere, quid de oceani alternis æstibus, quid de quibusdam litoribus: quæ latè nudantur fluctibus, uicissimq́; operiuntur, dici potest: ut omittā quod de quorundam fontium mira uicissitudine perhibetur, certo annorum interuallo sic eos inundare, ut totam illam regionem rigent, qui alio tempore uix altis puteis ad potandum sufficientem præbent aquam? Cur ergo sit incredibile, si ex uno abyssi capite alterna inundatione fluente atq; refluēte, tunc uniuersa terra rigata est? Quòd si ipsius abyssi magnitudinem, ea parte excepta quod mare dicitur, & euidenti amplitudine aquæ, maris fluctibus terras ambit, in ea sola parte quam reconditis finibus terra continet, unde se omnes fontes & omnes aquæ diuersis tractibus uenisq́; distribuunt, & suis quiq; locis erumpunt, fontem uoluit appellare scriptura nō fontes propter naturæ unitatem, eúmque per innumerabiles uias antrorum atque rimarum ascendentem de terra, & ubíque dispetitis quasi crinibus irrigantem omnem superficiem terræ, non continua specie tanquam maris aut stagni, sed sicut uidemus ire aquas per alueos fluminum flexúsque riuorum, & eorum excessu uicina perfundere, quis non accipiat, nisi qui contentioso spiritu laborat? Potest quippe etiam ita dicta intelligi omnis terræ facies irrigata, quemadmodum dicitur, omnis uestis facies colorata, etiam si non continuatim sed maculatim fiat: præsertim quia tunc in nouitate terrarum, & si non omnia, plura tamen plana fuisse credibile est, quo latius possent erumpentia fluenta dispergi, atque distendi. Quapropter de istius fontis magnitudine uel multitudine: qui siue unam habuit alicundè eruptionem: siue propter aliquam in terræ occultis finibus unitatem, unde omnes aquæ super terram scaturirent, omnium fontium magnorum atque paruorum unus fons dictus est, per omnes dispertitiones suas ascendens de terra, & irrigans omnem

Eiusdē lib. cap. 9.

Eiusdē lib. cap. 10.

C

D

A omnem faciem terræ, siue etiam, quod est credibilius, quia non ait, unus fons ascē debat de terra, sed ait: Fons autem ascendebat de terra, pro numero plurali posuit singularem: ut sic intelligamus fontes multos per uniuersam terram loca uel regiones proprias irrigantes, sicut dicitur miles, & multi intelliguntur, sicut dicta est locusta & rana in plagis, quibus Aegyptii percussi sunt, cùm esset innumerabilis locustarum numerus & ranarum.

Ex Gen. Lib. 2. contra Manich. Cap. IIII. Tomo. I.

Sed pluendo super terram. Id est, cùm facit animas reuirescere per uerbum suũ, sed de nubibus eas irrigat, id est, de scripturis prophetarum & apostolorum. Rectè autem appellantur nubes, quia ista uerba quæ sonant scisso & percusso aëre transeunt. Addita etiam obscuritate allegoriarum, quasi aliqua caligine obducta, uelut nubes fiunt &c. Et fons ascendebat de terra. De qua scilicet terra dicitur: Spes mea es tu, portio mea in terra uiuentium. Sequitur paulò pòst. Nam si fontem aliquem huius uisibilis aquæ uoluerimus intelligere, de quo dictum est: Fons autem ascendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ, non est uerisimile quòd cùm tam multi fontes perennes, siue riuorum, siue fluuiorum per uniuersam terram inueniantur: solus ille siccuerit, qui irrigabat omnem faciem terræ. *Eiusdē lib. cap. 5.*

Fons ascendebat de terra. De qua scilicet terra dicitur: Spes mea es tu, portio mea in terra uiuentium. Quando autem anima tali fonte irrigabatur, nondum per superbiam proiecerat intima sua. *Eiusdē lib. cap. 5.*

De Gen. ad Lit. Lib. 6. Cap. I. Tomo. III.

B *Et finxit Deus hominem puluerem.* Hîc primò uidendum est, utrum ista recapitulatio sit, ut nunc dicatur quomodo factus sit homo, quem sexto illo die factum legimus: an uerò tunc quidem cùm fecit omnia simul, in his etiam latenter hominem fecit, sicut fœnum terræ antequam esset exortum, ut eo modo & ipse cùm iam esset in secreto quodam naturæ aliter factus, sicut illa quæ simul creauit cùm factus est dies, accessu temporis etiam isto modo fieret, quo in hac perspicua forma uitam gerit, uel malè uel bene: sicut fœnum quod factum est antequam exoriretur super terram, accedēte iam tempore & fontis illius irrigatione, exortum est ut esset super terram. Prius ergo secundum recapitulationem id conemur accipere, fortasis quippe ita homo factus sit in die sexto, sicut dies ipse primitus factus est, sicut firmamentum, sicut terra & mare. Neque enim hæc dicenda sunt, antè in quibusdam primordijs iam facta latuisse, ac deinde in hanc faciem qua mũdus extructus est, accessu temporis tãquam exorta claruisse. Sed ab exordio seculi cùm factus est dies, conditum mundum, in cuius elementis simul sunt cõdita, quæ post accessu temporis exorirentur, uel fructecta uel animalia quæque secũdum genus suum. Nam nec ipsa sydera credendum est in elementis mũdi primitus facta atq; recõdita, accessu postea tẽporis extitisse, atq; in has enituisse formas, quæ cœlitus fulgent, sed illo senario perfectionis numero creata simul omnia cùm factus est dies. Vtrum ergo sic & homo ista iam specie qua in sua natura uiuit, & agit siue bonum siue malum, an & ipse in occulto sicut fœnum agri antequam exortum est, ut hoc ei pòst esset accessu temporis exoriri, quòd de puluere factus est?

Eiusdē lib. cap. 2. Accipiamus ergo eum sexto ipso die in hac perspicua uisibilíque forma de limo factum, sed tunc non commemoratum, quod nunc recapitulando insinuatur, & uideamus utrùm nobiscum ipsa scriptura concordet. Sic certè scriptum est, cùm adhuc diei sexti opera narrarentur. Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem &c *Gen. 1.* Iam ergo de limo formatus erat, & illi iam soporato mulier ex latere iā facta erat, sed hoc tunc commemoratum non erat, quod nunc recapitulando cōmemoratum est. Neque enim sexto die factus est masculus, & accessu temporis postea facta fœmina, sed fecit eum, inquit, masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos. Quomodo ergo iam hominem in paradiso constituto mulier ei facta est? An & hoc prætermissum scriptura recoluit? Nam sexto illo die etiam paradisus plantatus est, & ibi homo collocatus est, & soporatus est ut Eua formaretur, & ea formata euigilauit, eíque nomen imposuit. Sed hæc nisi per temporales moras fieri non possent. Non itaque ita facta sunt, sicut creata sunt omnia simul. C

Eiusdē lib. cap. 12. Iam ergo uideamus quomodo eū fecerit Deus, primùm de terra corpus eius, pòst etiam de anima uidebimus si quid ualebimus. Quòd enim manibus corporalibus Deus de limo finxerit hominē, nimiū puerilis cogitatio est: ita ut si hoc scriptura dixisset, magis eum qui scripsit translato uerbo usum credere deberemus, quàm Deum talibus membrorum lineamentis determinatum, qualia uidemus in corporibus nostris. *Psal. 43. & 135.* Dictū est enim: Manus tua gentes disperdidit. Et, Eduxisti populum tuū in manu forti & brachio excelso: Sed pro potestate & uirtute Dei positum huius mēbri nomen, quis usque adeò desipit ut non intelligat? Nec illud audiendum est, quod nonnulli putant, ideo præcipuum Dei opus esse hominē, quia cætera dixit & facta sunt, hunc autem ipse fecit: sed ideo potius, quia hunc ad imaginem suā fecit. Nā illa quæ dixit & facta sunt, ideo sic scriptum est, quia per uerbum eius facta sunt: sicut per hominem hominibus dici potuit uerbis quæ temporaliter cogitantur & uoce proferūtur. Non sic autem loquitur Deus, nisi cùm per corporalem creaturam loquitur, sicut Abrahæ, sicut Moysi, sicut per nubem de filio suo. Antè uerò omnem creaturam, ut esset ipsa creatura, eo uerbo dictum est; D *Psal. 101.* quòd in principio erat Deus apud Deum: & quia omnia per ipsum facta sunt, & *Psal. 94.* sine ipso factū est nihil, utiq; & homo per ipsum factus. Certè enim cœlū uerbo fecit, quia dixit & factum. Scriptum est tamen: Et opera manuum tuarum sunt coeli: & de hoc imo quasi fundo mundi scriptum est: Quoniā ipsius est mare & ipse fecit illud, & aridam manus eius finxerunt. Non igitur hoc in honorem hominis deputetur, uelut cætera Deus dixerit, & facta sint, hūc autem ipse fecerit: aut uerbo cætera, hūc autē manibus fecerit. Sed hoc excellit in homine, quia Deus ad imaginem suā hominē fecit, propter hoc quòd ei dedit mentē intellectualem qua præstat pecoribus, unde iam superiore loco disseruimus. In quo honore positus, si nō intellexerit ut bene agat, eisdē ipsis pecoribus quibus prælatus est comparabitur. *Psal. 48.* Sic enim scriptum est: Homo in honore positus non intelligit, comparatus est pecoribus insensatis, & similis factus est eis. Nam & pecora Deus fecit, sed nō ad imaginem suam. Nec dicēdum est, hominē ipse fecit, pecora uerò dixit, & facta sunt: & hunc enim & illa per uerbū suū fecit, per quod facta sunt omnia Sed quia idē uerbū & sapientia & uirtus eius est, dicitur & manus eius, non uisibile membrū,

sed

A ſed faciendi potentia. Nam & eadem ſcriptura quæ dicit, quòd Deus hominē de limo terræ finxerit, dicit etiā quòd beſtias agri de terra finxerit, quādo eas cum uolatilibus cœli ad Adam adduxit, ut uideret quid ea uocaret. Sic enim ſcriptum eſt; Et finxit Deus adhuc de terra omnes beſtias. Si enim & hominem de terra & beſtias de terra ipſe formauit, quid habet homo excellētius in hac re, niſi quòd ipſe ad imaginem Dei creatus eſt? Nec tamen hoc ſecundum corpus, ſed ſecundum intellectum mentis, de quo pòſt loquemur. Quanquam & in ipſo corpore habeat quandam proprietatē quæ hoc indicet, quòd erecta ſtatura factus eſt, ut hoc ipſo admoneretur, nō ſibi terrena eſſe ſectāda uelut pecora, quorum uoluptas omnis ex terra eſt, unde in aluū cuncta pecora prona atq; proſtrata ſunt. Congruit ergo & corpus eiuſdē animæ rationali, non ſecundū liniamenta figuraſq; membrorū, ſed potius ſecundū id quod in cœlum erectū eſt, ad intuenda quæ in corpore ipſius mūdi ſuperna ſunt: ſicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in ſpiritalibus natura maximè excellunt, ut quæ ſurſum ſunt, ſapiat, non quæ ſuper terram.

Sed quomodo fecit eū Deus de limo terræ, utrùm repētè in ætate perfecta, hoc eſt uirili atque iuuenili, an ſicut nunc uſque format in uteris matrū? Neq; enim alius hæc facit, quàm ille qui dixit: Priuſquā te formarē in utero noui te: ut illud tātùm proprium habuerit Adā, quòd non ex parentibus natus eſt, ſed factus ex terra: eo tamen modo ut in hoc perficiendo, & per ætates augendo hi temporū numeri cōplerentur, quos naturæ humani generis attributos uidemus. An potius hoc non eſt requirendū? Vtrūlibet enim fecerit, hoc fecit quod Deū & omnipotē- *Eiuſdē lib. cap. 13.*

B tem & ſapientē poſſe ac facere cōgruebat. Ita enim certas temporū leges generi-
C busqualitatibúſque rerum in manifeſtum ex abdito producēdis attribuit, ut eius uoluntas ſit ſuper omnia. Potentia quippe ſua numeros creaturæ dedit, nō ipſam potentiam eiſdem numeris alligauit. Nam ſpiritus eius ita faciendo mundo ſuperferebatur, ut & facto ſuperferatur, non corporalibus locis, ſed excellentia poteſtatis. Quis enim neſcit aquam cōcretam terræ, cùm ad radices uitis uenerit, duci in ſaginam ligni illius: atque in eo ſumere qualitatem, qua in uuam procedat paulatim erumpentē, atque in ea grandeſcente uinū fiat, maturúmque dulceſcat, quod adhuc ferueſcat expreſſum, & quadam uetuſtate firmatum, ad uſum bibendi utilius iucundiúſque perueniat. Num ideo Dominus lignum quæſiuit aut terrā, aut has temporum moras, cùm aquam miro cōpendio conuertit in uinum, & tale uinū, quod ebrius etiam conuiua laudaret? Nunquid adiutorio temporis eguit conditor temporis? Nónne certis dierum numeris ſuo cuique generi accommodatis, omnis natura ſerpentium coaleſcit, formatur, naſcitur, roboratur, Num expectati ſunt hi dies, ut in draconem uirga cōuerteretur de manu Moyſi & Aaron? Nec iſta cùm fiunt contra naturam fiunt, niſi nobis quibus aliter naturæ curſus innotuit, non autem Deo, cui hoc eſt natura quod fecerit.

De Gen. contra Manich. Lib. II Cap. VII. Tomo. I.

De limo terræ Deus finxit hominem. Id ſolet habere quæſtionē, qualis ille limus fuerit, uel quæ materia nomine limi ſignificata ſit. Illi autē inimici ueterū librorū, omnia carnaliter intuentes, & propterea ſemper errantes, etiā hoc reprehendere mordaciter ſolēt, quòd de limo Deus hominē finxit. Dicūt enim: Quare de limo

fecit Deus hominem? An defuerat ei melior & cœlestis materia, unde hominem C
faceret, ut de labe terrena tam fragilem mortalemq́; formaret? Non intelligentes primò quòd multis significationibus uel terra uel aqua in scripturis ponatur. Limus enim aquæ & terræ cõmixtio est. Dicimus enim tabidum & fragile & morti destinatum corpus humanum post peccatum esse cœpisse. Non enim in nostro corpore isti exhorrescũt, nisi mortalitatem, quam damnatione meruimus. Quid autẽ mirũ aut difficile Deo, etiã si de limo istius terrę hominem fecit, tale tamẽ corpus efficere, quod corruptioni non subiaceret, si homo præceptum Dei custodiẽs peccare noluisset? Si enim speciem cœli ipsius de nihilo, uel de informi materia dicimus factã, quia omnipotentẽ artificem credimus, quid mirum si corpus, quod de limo qualicunque factum est, potuit ab omnipotenti artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, & nulla corruptione tabesceret? Itaque superfluè quæritur, unde hominis corpus Deus fecerit, si tamen nunc de corporis formatione dicitur. Sic enim nonnullos nostros intelligere accæpi, qui dicunt posteaquam dictum est: Finxit Deus hominem de limo terræ, propterea non additum esse ad imaginem & similitudinẽ suam, quoniam nũc de corporis formatione dicitur. Tunc autem homo interior significabatur, quando dictum est: Fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem Dei. Sed etiam si nunc quoque hominem ex corpore & anima factum intelligamus, ut nõ alicuius noui operis inchoatio, sed superius breuiter insinuati, diligentior retractatio isto sermone explicetur. Si ergo, ut dixi, hominem hoc loco, ex corpore & anima factum intelligamus, non absurdè ipsa commixtio limi nomen accæpit. Sicut enim aqua terram colligit, & conglutinat, & continet, quando eius commixtione limus D
efficitur: Sic anima corporis concordem materiam uiuificando in unitatem conformat, & non permittit labi & resolui.

Ex epistola.146. Tomo.II.

Et inspirauit in faciem eius. Vis per me scire, utrùm Dei flatus ille in Adã, idem ipse sit anima? Breuiter respõdeo: Aut ipse est, aut ipso anima facta est. Sed etsi ipse est, factus est. De anima quippe loquitur per Esaiam prophetam Deus, ubi dicit: Omnem flatũ ego feci, quod sequentia satis indicant. Sequitur enim: Propter peccatũ modicum quid contristem illum? Id est, ipsum flatum, & cætera, quæ nisi de anima humana intelligi nequeunt. In hac enim quæstione maximè cauendũ est, ne anima non à Deo facta natura, sed ipsius Dei substantia tanquam unigenitus filius, quod est uerbum eius: aut aliqua eius particula esse credatur, tanquam illa natura atque substantia, qua Deus est quicquid est, commutabilis esse possit. Quod esse animam nemo non sentit, qui se animam habere sentit.

Ex Lib.13. de Ciui. Dei ad Marcel. Cap. XXIIII. Tomo.V.

Et illud parum considerate quibusdam uisum est, in eo quod legitur: Inspirauit Deus, &c. non tunc animam primò homini datam, sed eam quæ iam inerat spiritu sancto uiuificatã. Mouet enim eos, quòd Dominus Iesus posteaquã resur-
Ioan. 22. rexit à mortuis insuflauit dicens discipulis suis: Accipite spiritũ sanctum. Vnde tale aliquid existimant factum, quale tunc factum est, quasi & hîc secutus Euãgelista dixerit: Et facti sunt in animam uiuentem. Quod quidẽ si dictũ esset, hoc intel

ligeremus,

A ligeremus, quòd animarum quædam uita sit spiritus Dei, sine quo animæ rationa les mortuæ deputandæ sunt, quamuis earum præsentia uiuere corpora uideãtur. Sed non ita factum, quando est conditus homo, satis ipsa libri uerba testãtur, quæ ita se habent: Et formauit Deus hominem puluerem de terra. Quod quidam planius interpretandum putantes dixerunt: Et finxit Deus hominem de limo terræ, quoniam superius dictũ fuerat: Fons autẽ ascẽdebat de terra & irrigabat omnem faciem terræ, ut ex hoc limus intelligendus uideretur humore scilicet terráq; concretus. Vbi enim hoc dictum est, continuò sequitur: Et formauit Deus hominem puluerem de terra sicut Græci codices habent, unde in Latinam linguam scriptura conuersa est, siue autem formauit siue finxit quis dicere uoluerit, quod Græcè dicitur ἔπλασεν, ad rem nihil interest, magis tamen propriè dicitur finxit. Sed ambiguitas uisa est deuitanda eis, qui formauit dicere maluerunt, eò quòd in latina lingua illud magis obtinuit consuetudo, ut hi dicantur fingere qui aliquid mendacio simulante cõponunt. Hunc igitur formatum hominẽ de terræ puluere siue limo, erat enim puluis humectus: hũc inquam, ut expressius dicam sicut scriptura locuta est, puluerem de terra, animale corpus factũ esse docet Apostolus cùm animam accæpit. Et factus est iste homo in animam uiuentẽ, id est, formatus iste puluis, factus est in animam uiuentẽ. Et iam, inquiunt, habebat animam, alioquin nõ appellaretur homo, quoniam homo non est corpus solum uel anima sola, sed qui ex anima constat & corpore. Hoc quidẽ uerũ est quòd non totus homo, sed pars melior hominis anima est: nec totus homo corpus, sed inferior hominis pars est. Sed cùm est utrunq coniunctũ simul, habet hominis nomen, quod tamen & singula nõ amittunt, etiam cùm de singulis loquimur. Quis enim dicere prohibetur

B quotidiani quadam lege sermonis, homo ille defunctus est, & nunc in requie est uel in pœnis, cùm de anima sola possit hoc dici, & illo aut illo loco, homo ille sepultus est, cùm hoc nisi de solo corpore non possit intelligi? An dicturi sunt sic loqui scripturam non solere diuinam? Imò uerò illa ita nobis in hoc attestatur, ut etiam cùm duo ista coniuncta sunt, & uiuit homo, tamẽ etiam singula hominis uocabulo appellet, animã scilicet interiorem hominẽ, corpus uerò exteriorem hominem uocans, tanquã duo sint homines, cùm simul utrunq; sit homo unus. Sed intelligendum est secundũ quid dicatur, homo ad imaginem Dei, & homo de terra atq; iturus in terrã. Illud enim secundũ animam rationalẽ dicitur, qualem Deus insufflando, uel si cõmodius dicitur, inspirando indidit homini, id est, hominis corpori, hoc autem secũdum corpus, qualem hominẽ Deus finxit ex puluere, cui data est anima ut fieret corpus animale, id est, homo in animã uiuẽtem. Quapropter in eo quod Dominus fecit, quando insufflauit dicens: Accipite spiritũ sanctũ, nimirum hoc intelligi uoluit, quòd spiritus sanctus non tantùm sit patris, uerũetiam unigeniti ipsius spiritus. Idẽ ipse quippe spiritus est patris & filij, cum quo est trinitas pater & filius & spiritus sanctus, non creatura sed creator. Neq; enim flatus ille corporeus de carnis ore procedẽs substãtia erat spiritus sancti atq; natura, sed potius significatio qua intelligeremus, ut dixi, spiritũ sanctũ patri esse filióq; cõmunem: quia nõ eis singulis singuli, sed unus amborũ est. Semper autẽ iste spiritus in scripturis sanctis Græco uocabulo πνεῦμα dicitur: sicut eũ & hoc loco Dominus appellauit, Ioan. 20.

pellauit, quando eum corporalis sui oris flatu significans discipulis suis dedit: & locis omnibus diuinorum eloquiorum, non mihi aliter unquam nuncupatus occurrit. Hîc uerò ubi legitur: Et finxit Deus hominem puluerem de terra & insufflauit siue inspirauit in faciem eius spiritum uitæ, non ait Græcus πνεῦμα, quo solet dici spiritus sanctus, sed πνοὴν: quòd nomẽ in creatura quàm in creatore frequentius legitur: unde nonnulli etiam Latini propter differẽtiam, hoc uocabulum non spiritum, sed flatũ appellari maluerũt. Hoc enim & in Græco etiam illo loco apud Esa. 57. Esaiam, ubi Deus dicit: Omnem flatum ego feci, omnem animam sine dubitatione significans. Quod itaque Græcè πνοὴ dicitur, nostri aliquando flatum, aliquando spiritum, aliquando inspirationem uel aspirationem, aliquãdo etiam animam in- 1. Cor. 2. terpretati sunt. πνεῦμα uerò nunquã nisi spiritum: siue hominis, de quo ait Apostolus: Quis enim scit hominũ quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso Eccle. 3. est. Siue pecoris, sicut in Salomonis libro scriptum est. Quis scit si spiritus hominis ascendat sursum in cœlum & spiritus pecoris descendat deorsum in terram. Siue Psal. 14. istum corporeum qui etiam uentus dicitur: nam eius hoc nomẽ est, ubi in Psalmo canitur: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis. Siue iam non creatum, sed Matth. 28 creatorem: sicut & de quo dicit Dominus in euãgelio: Accipite spiritum sanctum, eum in corporeo sui oris significans flatu, & ubi ait: Ite baptizate omnes gentes, in nomine patris & filij & spiritus sancti, ubi ipsa trinitas excellẽtissimè & euidentissimè commendata est. Et ubi legitur: Deus spiritus est. Et alij plurimis sacrarum literarum locis. In his quippe omnibus testimonijs scripturarũ, quantùm ad Græcos attinet, non πνοὴν uidimus scriptum esse, sed πνεῦμα: quantùm autem ad Latinos non flatum, sed spiritum. Quapropter in eo quod scriptum est: Inspirauit, uel si magis propriè dicendum est, Insufflauit in faciem eius spiritum uitæ, si græcus non πνοὴν, sicut ibi legitur, sed πνεῦμα posuisset. Nec sic esset consequens, ut creatorem spiritum, qui propriè dicitur in trinitate spiritus sanctus, intelligere conaremur, quandoquidem πνεῦμα ut dictum est, non solùm de creatore, sed etiam de creatura dici solere manifestum est. Sed cùm dixisset, inquiunt, spiritum, non adderet uitæ, nisi illum spiritum sanctum uellet intelligi. Et cùm dixisset: Factus est homo in animam, non adderet uiuentem, nisi anima uitam significaret, quæ illi diuinitus impertitur dono spiritus Dei. Cùm enim uiuat anima, inquiunt, proprio suæ uitæ modo, quid opus erat addere uiuentem, nisi ut ea uita intelligeretur quę illi per spiritum sanctum datur? Hoc quid est aliud, nisi diligenter pro humana suspitione contendere, & scripturas sanctas negligenter attendere? Quid enim magnum erat non ire longius, sed in eodem libro ipso paulò superius legere. Producat terra animam uiuentem, quando animantia terrestria cuncta creata sunt? Deinde aliquantis interpositis in eodem tamen ipso libro, quid magnum erat aduertere quod scriptum est: Et omnia quæ habent spiritum uitæ, & omnis qui erat super aridam mortuus est, cùm insinuaret omnia quæ uiuebant in terra perisse diluuio? Si ergo & animam uiuẽtem & spiritum uitæ etiam in pecoribus inuenimus: sicut loqui diuina scriptura cõsueuit: & cùm hoc quoque loco ubi legitur: omnia quæ habent spiritum uitæ, non Græcus πνεῦμα, sed πνοὴν dixit: cur non dicimus, quid opus erat ut adderet uiuentem, cùm anima nisi uiuat, esse non possit? Aut quid

A quid opus erat ut adderet, uitæ, cùm dixisset spiritum? Sed intelligimus spiritum uitæ, & animam uiuentem scripturam suo more dixisse, cùm animalia, id est, corpora animata uellet intelligi, quibus inesset per animam perspicuus iste etiam corporis sensus. In hominis autem conditione obliuiscimur, quemadmodum loqui scriptura consueuerit, cùm suo prorsus more locuta sit, quo insinuaret hominem etiam rationali anima accæpta, quam non sicut aliarum carnium aquis & terra producentibus, sed Deo flante creatam uoluit intelligi: sic tamen factum, ut in corpore animali quod fit animã in eo uiuente, sicut illa animalia uiueret, de quibus dixit: Producat terra animam uiuentem, & quæ itidem dixit habuisse in se spiritum uitæ, ubi etiam in græco non dixit πνεῦμα, sed πνοὴν: non utique spiritum sanctum, sed eorum animam tali exprimens nomine. Si enim Dei flatus, inquiunt, Dei ore exisse intelligitur, quem si animam crediderimus, consequens erit ut eiusdem fateamur esse substantiæ, parémque illius sapientiæ, quæ dicit: Ego ex ore altissimi prodiui. Non quidem dixit sapientia ore Dei efflatum se fuisse, sed ex eius ore prodîsse. Sicut autem non possumus, non de nostra natura, qua homines sumus, sed de isto aëre circunfuso, quem inspirando ac respirando ducimus & reducimus flatum facere, cùm sufflamus, ita omnipotens Deus non de sua natura neque de subiacenti creatura, sed etiam de nihilo potuit facere flatum, quem corpori hominis inferendo inspirasse uel insufflasse conuenientissimè dictus est, incorporeus incorporeum, sed immutabilis mutabilem, quia non creatus creatum. Veruntamen ut sciant isti, qui de scripturis loqui uolunt, & scripturarum locutiones non aduertunt, non hoc solùm dici exire ex ore Dei, quod est æqualis eiusdémque naturæ, audiant uel legant, quod Deo dicente scriptum est: Quoniam tepidus es, & neque calidus neque frigidus incipiam te euomere ex ore meo. Nulla itaque causa est, cur apertissimè locuti resistamus Apostolo, ubi ab spiritali corpore corpus animale discernens, id est ab illo, in quo futuri sumus, hoc in quo nunc sumus, ait: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale: si est corpus animale, est & spiritale, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam uiuentem, nouissimus Adam in spiritum uiuificantem, sed non primùm quod spiritale est, sed quod animale, postea quod spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem eius qui de cœlo est. De quibus omnibus Apostolicis uerbis superius locuti sumus. Corpus igitur animale in quo primùm hominem Adam factum esse dicit Apostolus, sic erat factum, non ut mori omninò non posset, sed ut non moreretur nisi homo peccasset. Nam illud quod spiritu uiuificante spiritale erit & immortale, mori omninò non poterit: sicut anima creata est immortalis, quæ licet peccato mortua perhibeatur carens quadã uita sua, hoc est Dei spiritu, quo etiam sapienter & beatè uiuere poterat: tamẽ propria quadam, licet misera uita sua non desinit uiuere, quia immortalis est creata. Sicut etiam desertores angeli, licet secundum modum quendam mortui sint peccando: quia fontem uitæ deseruerunt, qui Deus est, quem potando, sapienter beatéque poterant uiuere, tamen non sic mori potuerũt, ut omninò desisterent uiuere atque sentire: quoniam immortales

B (margin, beside "démque naturæ...")

Apoc. 3.
1. Cor. 15.

mortales creati sunt, atque ita in secundam mortem post ultimum præcipitabuntur iudicium, ut nec illic uita careant: quandoquidem etiam sensu cùm in doloribus futuri sunt, non carebunt. Sed homines ad Dei gratiam pertinentes ciues sanctorum angelorum in beata uita manentium, ita spiritalibus corporibus induentur: ut neque peccent amplius, neque moriantur, ea tamen immortalitate uestiti, quæ sicut angelorum nec peccato possit auferri: natura quidem manente carnis, sed nulla omninò carnali corruptibilitate uel tarditate remanente. Sequitur autem quæstio necessariò pertractanda, & Domino Deo ueritatis adiuuante soluenda. Si libido membrorum inobedientium ex peccato inobedientiæ in illis primis hominibus, cùm illos diuina gratia deseruisset, exorta est: unde in suã nuditatem oculos aperuerunt, id est, eam curiosius aduerterunt, & quia impudẽs motus uoluntatis arbitrio resistebat, pudenda texerunt, quomodo essent filios propagaturi, si, ut creati fuerant, sine præuaricatione mansissent. C

De Gen. contra Manich. lib. 2. Cap. VIII. Tomo. I.

Et insufflauit in eum spiritum uitæ. Si adhuc corpus solum erat, animã adiunctã corpori hoc loco intelligere debemus, siue quia iam facta erat sed tanquam in ore Dei erat, id est, in eis ueritate uel sapientia: unde tamen non recessit quasi locis separata quando insufflata est. Non enim Deus loco continetur, sed ubique præsens est. Siue tunc anima facta est, quando in illud figmentum Deus insufflauit spiritum uitæ, ut illa insufflatio ipsam operatione Dei significet, qua fecit animã in homine spiritu potentiæ suæ. Si autem homo ille qui factus erat, iam corpus & anima erat, ipsi animę sensus est additus ista insufflatione, cùm factus est homo in animam uiuentem. Non quia illa insufflatio conuersa est in animam uiuentem, sed operata est in animam uiuentem. Nondum tamen spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam uiuentem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritualis effectus est, cùm in paradiso, hoc est, in beata uita constitutus, præceptum etiam perfectionis accæpit, ut uerbo Dei cõsummaretur. Itaque postquam peccauit recedens à præcepto Dei, & dimissus est de paradiso, in eo remansit ut animalis esset. Et ideo animalem hominem prius agimus omnes qui de illo post peccatum nati sumus, donec assequamur spiritalem Adam, id est, Dominum nostrum Iesum Christum qui peccatum non fecit, & ab illo recreati & uiuificati, restituamur in paradisum, ubi latro ille cùm ipso eo die meruit esse, quo uitã istam finiuit. &c. D

Nam factam esse animam ab omnipotente Deo, & ideo non illam esse partem
Psal. 32. Dei, uel naturam Dei manifestè alio loco scriptum est, dicente Propheta: Et qui finxit spiritum omnibus, ipse fecit omnia. Et alio loco: Qui finxit spiritum hominis. In ipso ergo factum esse spiritum hominis, manifestè his testimonijs approbatur. Spiritus autem hominis in scripturis dicitur ipsius animæ potentia rationalis,
1. Cor. 2. qua distat à pecoribus, & eis naturæ lege dominatur. De quo dicit Apostolus: Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Ne fortè si probaretur his testimonijs animam factam esse, non deessent qui dicerent spiritum hominis non esse factum, & ipsum arbitrarentur esse naturã Dei, & in ipsum dicerent partem Dei esse cõuersam, cùm illa insufflatio Dei facta est. Quod sana doctrina

A ctrina similiter respuit, quia & ipse spiritus hominis cùm aliquando errat, & aliquando prudenter sapit, mutabilem se esse clamat: quod nullò modo de natura Dei fas est credere. Non autem potest maius signum esse superbiæ, quàm ut dicat se humana anima hoc esse quod Deus est, cùm adhuc sub tantis uitiorum & miseriarum molibus gemat.

De Doct. Christi Lib. 3. Cap. XXXVI. Tomo. III.

Et plantauit Dominus Deus paradisum in Eden ad orientem. Ita uidetur dictum, tanquam id factum sit posteaquã factum posuit Deus hominem in paradisum, cùm breuiter utroque commemorato, id est, quòd plantauit Deus paradisum, & posuit ibi hominem quem formauit, recapitulando redeat & dicat quod prætermiserat: quomodo scilicet paradisus fuerit plantatus, quia produxit Deus adhuc de terra omne lignum speciosum & bonum in escam. Denique secutus adiunxit: Et lignum uitæ in medio paradisi, & lignũ scientiæ boni & mali. Deinde flumen quo paradisus irrigaretur, diuisum in quatuor principia fluuiorum, quatuor explicatur, quod totum pertinet ad institutionem paradisi. Quod ubi terminauit, repetiuit illud quod iam dixerat, & reuerà, hoc sequebatur, atque ait: Et sumpsit Dominus Deus hominem quem fecit. &c. Post ista enim facta ibi est positus homo: sicut nunc ordo ipse demonstrat: non post hominem ibi positum facta sunt ista, sicut prius dictum putari potest, nisi recapitulatio illic uigilanter intelligatur, qua reditum est ad ea quæ fuerant prætermissa.

De Gen. ad Lit. lib. 8. Cap. I. Tomo. III.

Non ignoro de paradiso multos multa dixisse, tres tamen de hac re quasi generales sunt sententiæ. B Vna eorum qui tantummodo corporaliter paradisum intelligi uolunt. Alia eorum qui spiritaliter tantùm. Tertia eorum, qui utroque modo paradisum accipiunt, aliàs corporaliter, aliàs autem spiritaliter. Breuiter ergo ut dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam. Secundum hanc suscæpi nunc loqui de paradiso quod Dominus dare dignabitur, ut homo factus est limo, quod utique corpus humanũ est, in paradiso corporali collocatus intelligatur: ut quemadmodum ipse Adam, & si aliquid aliud significat secundũ id quod eum formam futuri dixit esse Apostolus, homo tamen in natura propria expressus accipitur, Rom. 5. qui uixit certo numero annorum & propagata numerosa prole mortuus est, sicut moriuntur cæteri homines, & si non sicut cæteri ex parentibus natus primitus, ut oportebat ex terra factus est, ita & paradisus, in quo eum collocauit Deus, nihil aliud quàm locus quidam intelligatur, terra scilicet ubi habitaret homo terrenus.

Narratio quippe in his libris non genus locutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico Canticorum: sed omninò gestarum est, sicut in regnorum libris & huiuscemodi cæteris. Sed quia illic ea dicuntur quæ uitæ humanæ usus notissimus habet, non difficilè, immò promptissimè primitus accipiuntur ad literam, ut deinde ex illis, quid etiam futurorum res ipsæ gestæ significauerint exculpatur. Hinc autem quia ea dicuntur, quæ usitato naturæ cursu intuentibus non occurrant, nolunt ea quidam propriè, sed figuratè dicta intelligi: atque ex illo loco uolunt incipere historiam, id est, rerum propriè gestarum narrationem, ex quo dimissi

missi de paradiso Adam & Eua conuenerunt atque genuerunt: quasi uerò usitatum nobis sit, uel quòd tot annos uixerunt, uel quòd Enoch translatus est, uel quòd grandæua & sterilis peperit,& cætera huiuscemodi. Sed alia est,inquiunt, narratio factorum mirabilium, alia institutarum creaturarum. Illic enim ea ipsa insolita ostendunt, alios esse tanquam naturales modos rerum, alios miraculorum quæ magnalia nominantur: hîc autem ipsa insinuatur institutio naturarum. Quibus respondetur, sed ideo insolita & ipsa, quia prima. Nam quid tam sine exemplo,& sine pari facto in rerum mundanarum cõstitutione quàm mundus? Nunquid ideo credendum non est Deum fecisse mundum,quia iam nõ fecit mundos,aut non fecisse solem, quia non fecit soles? Et hoc quidem non de paradiso, sed de ipso homine permotus debuit respondere. Nunc uerò cùm ipsum sic credant à Deo factum, sicut alius nullus factus est: cur paradisum nolunt ita factum credere,quemadmodum nunc uident syluas fieri? Ad eos quippe loquor,qui authoritatem harum literarum sequũtur. Eorum enim quidam non propriè sed figuratè paradisum intelligi uolunt. Nam qui omninò aduersantur his literis: aliàs cum eis atque aliter egimus: quanquam & hæc in hoc ipso opere nostro quantùm ualemus ita defendamus ad literam, ut qui nõ rationabiliter moti,propter animum peruicacem uel hebetem,credere ista detrectant, nullam tamen inueniant rationem unde falsa esse conuincant. Verum isti nostri qui fidem habent his diuinis libris, & nolunt paradisum ad proprietatem literæ, locum scilicet amœnissimum fructuosis nemoribus opacatum,eundémque magnum & magno fonte fœcundum,cùm uideant nulla humana opera tot ac tanta uireta syluescere oc culto opere Dei, miror quemadmodum credunt ipsum hominem ita factum, D quemadmodum nunquam uiderunt. Aut si & ipse figuratè intelligẽdus est, quis genuit Caim & Abel & Seth? An & ipsi figuratè tantùm fuerunt, non etiam homines ex hominibus nati? De proximò ergo attendant istam præsumptionem quò tendat,& conentur nobiscum cuncta primitus, quæ gesta narrantur in expressione proprietatis accipere. Quis enim eis postea non faueat intelligentibus, quid ista etiam figurata significatione commoneant, siue ipsarum spiritalium naturarum uel affectionũ,siue rerum etiam futurarũ? Sanè si nullo modo possent, salua fide ueritatis ea quæ corporaliter hîc nominata sunt, corporaliter etiã accipi,quid aliud remaneret,nisi ut ea potius figuratè dicta intelligeremus, quàm scripturam sanctam impiè culparemus? Porrò autem si non solùm non impediunt, uerumetiam solidius asserunt diuini eloquij narrationem, hîc etiam corporaliter intellecta: nemo erit,ut opinor,tam infeliciter pertinax, qui cùm ea secundum regulam fidei exposita propriè uiderit, malit in pristina remanere sententia, si fortè illi uisa fuerant,non nisi figuratè posse accipi.

Ex lib.13.de Ciuit.Dei ad Marcel.Cap. XXI. Tomo.V.

Nonnulli totum illum paradisum,ubi primi homines parẽtes generis humani sanctæ scripturę ueritate fuisse narrãtur,ad intelligibilia referũt,arboréſq; illas & ligna fructifera in uirtutes uitæ moréſque conuertunt,tanquã uisibilia & corporalia illa non fuerint,sed intellig bilium significandorum causa eo modo dicta uel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse paradisus corporalis, quia potest etiam

A etiam spiritalis intelligi: tanquam ideo non fuerint duæ mulieres Agar & Sara, & ex illis duo filij Abrahæ, unus de ancilla, alius de libera, quia duo testamẽta in eis figurata dicit Apostolus: aut ideo de nulla petra Moyse percutiẽte aqua defluxerit, quia potest illic figurata significatione etiã Christus intelligi, eodẽ Apostolo dicente: Petra autem erat Christus. Nemo itaq; prohibet intelligi paradisum uitam bonorum, quatuor eius flumina, quatuor uirtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque iustitiam: & ligna eius omnes utiles disciplinas, & lignorum fructus, mores piorum: & lignum uitæ, ipsam bonorum omnium matrem sapientiam, & lignum scientiæ boni & mali transgressi mandati experimentũ. Pœnam enim peccatoribus bene utique, quoniam iustè constituit Deus, sed non bono suo experitur homo. Possunt hæc etiam in ecclesia intelligi, ut ea melius accipiamus tanquàm prophetica indicia præcedentia futurorum. Paradisum scilicet ipsam ecclesiam, sicut de illa legitur in Cantico canticorum: quatuor autem paradisi flumina, quatuor euangelia: ligna fructifera, sanctos: fructus autem eorum, opera eorum: lignum uitæ, sanctum sanctorum utique Christum: lignum scientiæ boni & mali, proprium uoluntatis arbitrium. Nec seipso quippe homo diuina uoluntate contempta, nisi perniciosè uti potest, atque ita discit, quid intersit, utrùm inhæreat communi omnibus bono, an proprio delectetur. Se quippe amans donatur sibi: ut inde timoribus, mœroribusq; complexus cantet in Psalmo, si tamen mala sua sentit: Ad me ipsum anima mea turbata est, correctúsq; iam dicat: Fortitudinem meam à te custodiam. Hæc & si quæ alia commodius dici possunt de intelligendo spiritaliter paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen illius historiæ ueritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur.

Gen. 4.

1. Cor. 10.

B

De Gen. contra Manich. lib. 2. Cap. IX. Tomo. I.

De delitiis paradisi. Ipsa beatitudo hominis, paradisi nomine significatur. Nam quoniam in nemoribus delitiosa quies hominum esse solet, & corporeis sensibus nostri de oriente lumen oritur, cœlúmq; consurgit, quod superius est corpus nostro corpore atque excellẽtius: propterea his uerbis etiam spiritales delitiæ, quas habet uita beata, figuratè explicantur, & ad orientem paradisus plantatur. Intelligamus autem nostra gaudia spiritalia significare omne lignum formosum ad aspectum intelligentiæ, & bonum & escam, quæ non corrumpitur, qua beatæ animæ pascuntur. Nam & Dominus dicit: Operamini escam quæ non corrumpitur, ut est omnis ratio quæ cibus est animæ. Ad orientem lucem sapientiæ in Eden, id est, in delitijs immortalibus & intelligibilibus. Nam delitiæ uel uoluptas, uel epulum; hoc uerbo significari dicitur, si ex Hebræo in latinum interpretur. Positum est autem sic sine interpretatione, ut aliquem locum significare uideatur, magísque figuratam faciat locutionem. Productum autẽ ex terra omne illud lignũ, accipimus omne illud gaudium spiritale, id est, supereminere terræ, & non inuolui atque obrui terrenarum cupiditatum impedimentis. Lignum autem uitæ plantatum in medio paradisi, sapientiam illam significat, qua oportet ut intelligat anima, in meditullio quodam rerum se esse ordinatam, ut quamuis subiectã sibi habeat omnem naturam corpoream, supra se tamen esse itelligat naturam Dei: & neque in dexteram declinet sibi arrogando quod non est: neque ad sinistram per negligentiam

Ioan. 6.

negligentiam contemnendo quod est: Et hoc est lignum uitæ plantatum in medio paradisi. Ligno autem scientiæ boni & mali, ipsa item medietas animæ & ordinata integritas significatur: nam & ipsum lignum in medio paradisi plantatum est, & ideo lignum dignoscentiæ boni & mali dicitur: quia si anima, quæ debet in ea quæ anteriora sunt se extendere, id est, in Deum, & ea quæ posteriora sunt obliuisci, id est, corporeas uoluptates, ad se ipsam deserto Deo, conuersa fuerit, & sua potentia tanquam sine Deo frui uoluerit, intumescit superbia, quod est initium omnis peccati. Et cùm hoc eius peccatum pœna fuerit consecuta, experiendo discit quid intersit inter bonum quod deseruit, & malum quo cecidit. Et hoc ei erat gustasse de fructu arboris dignoscentiæ boni & mali. Præcipitur ergo illi ut de omni ligno paradisi edat, ex ligno autem in quo est dignoscentia boni & mali non edat, id est, non sic eo fruatur, ut ipsam ordinatam integritatem naturæ suæ quasi manducando uiolet atque corrumpat. C

De Gen. ad Lit. lib. 8. Cap. IIII. Tomo. III

Et *lignum uitæ in medio paradisi.* Illud diligentius considerandum est, ne cogat in allegoriam, ut non ista ligna fuerint, sed aliud aliquid nomine ligni significent.

Prouer. 3. Dictum est enim de sapientia: Lignum uitæ est omnibus amplectentibus eam. Verumtamen cùm sit Hierusalem æterna in cœlis, etiam in terra ciuitas qua illa significaretur, condita est: & Sara & Agar quamuis duo testamenta significarent, erant tamen etiam mulieres duæ, & cùm Christus per ligni passionem fluento spiritali nos irriget, erat tamen & petra quæ aquam sitienti populo ligno percussa mana-

1. Cor. 10 uit, de qua diceretur: Petra autem erat Christus: aliud quàm erant illa omnia significauerunt, sed tamen etiam ipsa corporaliter fuerunt. Et quando à narrante commemorata sunt, nō erat illa figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quarum erat figurata præcessio. Erat ergo & lignum uitæ, quemadmodum petra Christus: nec sine mysterijs rerum spiritalium corporaliter præsentatis uoluit hominem Deus in paradiso uiuere. Erat ei ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem sacramentum, quid significans nisi sapientiam, de qua dictum est: Lignum uitæ est amplectentibus eam, quadmodum de Christo diceretur: Petra manans est sitientibus eam. Rectè quippe appellatur quòd ad eam significandam præcessit. Ipse est ouis, quia immolatur in pascha, tamen & illud non tantùm dicendo figurabatur, sed etiam faciendo. Neque enim ouis illa non erat ouis, planè ouis erat, & occidebatur & manducabatur: & tamen eo uero facto, aliud etiam quiddam figurabatur, non sicut ille uitulus saginatus, qui minimo filio reuertenti in epulis cæsus. Ibi quippe ipsa narratio figurarum est, non rerum figurata significatio gestarum. Non enim hoc Euangelista sed Dominus ipse narrauit, Euangelista uerò hoc Dominum narrasse narrauit. Proinde quòd narrauit Euangelista etiam factū est, Dominum etiam talia locutum fuisse: ipsius Domini narratio parabola fuit, de qua nunquam exigitur, ut etiam ad literam facta mōstrentur quæ sermone proferuntur. Christus autem est & lapis unctus à Iacob, & lapis reprobatus ab ædificantibus, qui factus est in caput anguli. Sed illud etiam in rebus gestis factum est, hoc D

Eiusdē lib. cap. 5. autem tantùm in figuris prædictum. Illud quippe scriptor narrauit rerum præteritarum, hoc prænunciator tantummodo futurarū. Sic & sapientia, id est ipse

Christus,

A Christus, lignum uitæ est in paradiso spiritali, quo misit de cruce latronem. Certum est autem quòd eam significaret lignum uitæ, etiam in paradiso corporali, quia hoc illa scriptura dixit, quæ res suis temporibus gestas narrans, & hominem corporaliter factum, & in corpore uiuentem ibi constitutum esse narrauit. Aut si quisquam putat animas cùm à corpore excesserint, locis corporaliter uisibilibus contineri, cùm sint sine corpore, afferat sententiam suam. Non deerunt qui sic sapiant, ut illum etiam diuitem sitientem in loco utique corporali fuisse contendant, ipsámque animam omninò esse corpoream, propter arentem linguam & stillam aquæ de Lazari digito concupitam, pronuntiare nõ dubitent, cum quibus ego de tam magna quæstione nulla temeritate confligo. Melius est enim dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. Illum quippe diuitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito. Sed quomodò intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua diuitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerij, uix fortasse à mansuetè quærentibus, à contentiosè autem certantibus nunquam inuenitur. Citò sanè respondendum est, ne nos profunda ista quæstio, & multis sermonibus indigens tardet. Si corporalibus locis animæ continentur, etiam exutæ corporibus potuit ille latro in eum introduci paradisum, ubi fuerat corpus primi hominis: ut aptiore scripturarum loco, si ulla necessitas flagitauerit etiã de hac re quid uel quæramus uel arbitremur utcunque promamus. Nunc ergo quòd sapientia non sit corpus, & ideo nec lignũ, nec dubito, nec dubitari à quoquam puto: potuisse autẽ per lignum, id est, corpoream creaturam tanquam sacramento quodam significa-
B ri sapientiam in paradiso corporali, ille credendum non existimat, qui uel tã multa in scripturis rerum spiritalium corporalia sacramenta non uidet: uel hominem primum cum eiusmodi aliquo sacramento uiuere non debuisse contendit: cùm Apostolus dicat etiam hoc quod de muliere dixit, quam ei factã esse de latere credimus, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, sacramentum magnũ esse in Christo & in ecclesia. Mirum est autem & uix ferendum, quemadmodum uelint homines paradisum figuratè dictum, & nolunt etiã figuratè factum. Quòd si concedunt, sicut de Agar, & Sara, sicut de Hismaël & Isaac, hæc quoq; & facta, & tamen etiam figurata: cur non admittunt etiam lignum uitæ & uerè aliquod lignum fuisse, & tamen sapientiam figurasse, non uideo: Illud quoque addo, quanquam corporalem cibum, talẽ tamẽ illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, nõ sicut ex alio cibo, sed nõnulla inspiratione salubritatis occulta. Profectò enim licet usitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cuius una collyride, hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio uendicauit. An fortè credere dubitamus per alicuius arboris cibum cuiusdã altioris significationis gratiam homini Deum præstitisse: ne corpus eius uel infirmitate uel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiã laberetur: qui ipsi cibo humano præstitit tam mirabilẽ statũ, ut in fictilibus uasculis farina & oleũ deficientes reficerẽt, nec deficerent? Iã hîc de genere contentiosorum quisquam existat, & dicat Deum in terris nostris miracula talia facere debuisse, in paradiso autem non debuisse: quasi uerò non

uel de puluere hominē, uel de latere uiri mulierē, maius ibi miraculū fecit quàm G
Eiusdē lib. cap.6. quòd hîc mortuos suscitauit. Sequitur ut uideamus, de ligno scientiæ dignoscē di bonum & malum. Prorsus & hoc lignum erat uisibile ac corporale, sicut arbores cæteræ. Quod ergo lignum esset, non est dubitandum: sed cur hoc nomen acceperit requirendum. Mihi autem etiam atque etiam consideranti dici nō potest, quantùm placeat illa sententia, non fuisse illam arborē cibo noxiam: neque enim qui fecerat omnia bona ualde, in paradiso instituerat aliquid mali: sed malū fuisse homini transgressionem præcepti. Oportebat autem ut homo sub Domino Deo positus alicunde prohiberetur, ut ei promerēdi Dominū suū uirtus esset ipsa obedientia, quā possum uerissimè dicere solā esse uirtutē omni creaturæ rationali agē ti sub Dei potestate: primūq; esse & maximum uitiū tumoris, ad ruinam sua potestate uelle uti, cuius uitij nomē est inobedientia. Nō esset ergo unde se homo Dominū habere cogitaret atque sentiret, nisi aliquid ei iuberetur. Arbor itaque illa nō erat mala, sed appellata est scientiæ dignoscendi bonū & malum, quia nisi post prohibitionem ex illa homo ederet, nulla erat præcepti futura trāsgresio, in qua homo per experimentū pœnę disceret, quid interesset inter obedientiæ bonū & inobedientiæ malum. Proinde hoc non in figura dictum, sed quoddā uerè lignum accipiendum est, cui non de fructu uel pomo quod inde nasceretur, sed ex ipsa re nomen impositum est, quæ illo contra uetitum tacto fuerat secutura.

De Gen. ad Lit. Lib.8. Cap.VII. Tomo.III.

Flumen autem exiit de Eden. De his autem fluminibus quid amplius satagam cō firmare quod uera sint flumina, nec figuratè dicta quæ non sint, quasi tantùmodò aliquid nomina ipsa significent, cùm & regionibus per quas fluunt, notissima D sint, & omnibus ferè gentibus diffamata? Quinimmò ex his quoniam constat ea prorsus esse: nam duobus eorum nomina uetustas mutauit, sicut Tyberis dicitur fluuius qui prius Albula uocabatur: Geon quippe ipse est qui nunc dicitur Nilus: Phison autem ille dicebatur, quem nunc Gangen appellant, duo uerò cætera Tigris & Euphrates antiqua etiam nomina tenuerunt: nos admoneri oportet, cætera quoque primitus ad proprietatem literæ accipere, nō in eis figuratam locutionem putare, sed res ipsas quæ ita narrantur & esse, & aliquid etiam figurare: non quia non posset parabola locutionis assumere aliquid de re, quam propriè quoque esse constaret, sicut de illo Dominus loquitur qui descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones: quis non sentiat & planè uideat esse parabolam locutionémque illam totam esse figuratam? uerùm duæ ciuitates quæ ibi nominatæ sunt, hodiéque in locis proprijs demōstrantur. Sed hoc modo acciperemus & quatuor hæc flumina, si cætera quæ de paradiso narrantur, non propriè sed figuratè accipere ulla necessitas cogeret. At nunc cùm primitus propriè res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potius authoritatem scripturæ simpliciter sequimur, in narratione rerum gestarum res uerè gestas prius intelligentes, tùm demum quicquid aliud significant perscrutantes? An eo mouebimur, quod de his fluminibus dicitur aliorum esse fontes notos, aliorum autem prorsus incognitos, & ideo non posse accipi ad literam, quòd ex uno paradisi flumine diuiduntur, cùm potius credendum sit, quoniam locus ipse paradisi à cognitione hominum

est

A est remotissimus, inde quatuor aquarum partes diuidi, sicut fidelissima scriptura testatur: Sed ea flumina quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi isse sub terras, & post tractus prolixarum regionum locis alijs erupisse, ubi tanquam in suis fontibus nota esse perhibentur? Nam hoc solere nõnullas aquas facere quis ignorat? Sed ibi hoc scitur, ubi non diù sub terris currunt. Exibat ergo flumen de Eden, id est, de loco delitiarum, & irrigabat paradisum, id est ligna omnia pulchra atque fructuosa, quæ omnem terram regionis illius opacabant.

Posuit eum in paradiso ut operaretur. Cùm superius breuiter dixerit Deum plantasse paradisum, & constituisse ibi hominẽ quem finxerat, recapitulauit ut narraret quomodo sit paradisus constitutus. Nunc ergo & illud recapitulando cõmemorauit, quomodo ibi Deus posuerit hominẽ quẽ fecit. Videamus itaque quid sit quod dictũ est, ut operaretur & custodiret. Nunquid fortè agriculturã Dominus uoluit operari primũ hominem? An non est credibile quòd eũ ante peccatum dãnauerit ad laborẽ? Ita sanè arbitremur, nisi uideamus cũ tãta uoluptate animi agricolare quosdã, ut eis magna pœna sit inde ad aliud auocari. Quicquid ergo delitiarũ habet agricultura, tunc utique longè amplius erat quando nihil accidebat aduersi, uel terra uel cœlo. Non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio uoluntatis, cùm ea quæ Deus creauerat humani operis, adiutorio lætius uberiusq; prouenirent, unde creator ipse uberius laudaretur, qui animę in corpore animali cõstitutæ rationẽ dedisset operãdi ac facultatẽ, quantùm animo uolenti satis esset, non quantùm in uitã indigentia corporis cogeret. Quod enim maius mirabiliusq; spectaculum est, aut ubi magis cum rerum natura humana ratio quodãmodo loqui
B potest, quàm cùm positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbustulis, insitis malleolis, tanquam interrogatur quæq; uis radicis & germinis quid possit quidue non possit: unde possit, unde non possit: quid in ea ualeat numerorum inuisibilis interiorq; potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia: inq; ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: quia & illud operis quod accedit extrinsecus, per illũ accedit, quẽ nihilominus creauit, & quem regit atque ordinat inuisibiliter Deus. Hinc iam in ipsum mundum, uelut in quandam magnã arborem rerum, oculus cogitationis attollitur, atque in ipso quoque gemina operatio prouidentiæ reperitur, partim naturalis partim uoluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei administrationem, quæ etiam lignis & herbis dat incrementum, uoluntaria uerò per angelorum opera & hominum. Secundum illam primam cœlestia superius ordinari inferiúsque terrestria, luminaria syderáque fulgere, diei noctisque uices agitari, aquis terrã fundatã interlui atque circumlui, aërem altius superfundi, arbusta & animalia cõcipi & nasci, crescere & senescere, occidere & quicquid aliud in rebus interiore naturalique motu geritur. In hac autem altera signa dari, doceri & discere, agros coli, societates administrari, artes exerceri: & quæq; alia siue in superna societate agũtur, siue in hac terrena atque mortali, ita ut bonis cõsulatur et per nescientes malos: inq; in ipso homine eandem geminã prouidentiæ augere potentiã. Primò ergo corpus naturale, scilicet eo motu quo fit, quo crescit, quo senescit. Voluntariũ uerò quo illi ad uictũ, tegumentum, curationémque consulitur. Si-

Eiusdẽ lib. cap. 9.

militer erga animam naturaliter agitur ut uiuat, ut sentiat, uoluntariè uerò ut di- C
scat, ut consentiat. Sicut autẽ in arbore id agit agricultura forinsecus, ut illud pro-
ficiat quod geritur intrinsecus, sic in homine secundum corpus, ei quod intrinse-
cus agit natura seruit, extrinsecus medicina, itemq; secundum animam, ut natu-
ra beatificetur intrinsecus, doctrina ministratur extrinsecus. Quod autem ad ar-
borem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam discẽ
di segnitia. Et quòd ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus uictus exitiabilis,
hoc ad animã persuasio iniquitatis. Deus itaque super omnia, qui cõdidit omnia,
& regit omnia, omnes naturas bonas creat, omnes uolũtates iustas ordinat. Quid
ergo abhorret à uero, si credamus hominem ita in paradiso constitutum, ut opera
Eiusdẽ lib. cap. 10. retur agriculturam, nõ labore seruili, sed honesta animi uoluptate? Quid enim
hoc opere innocentius uacantibus, & quid plenius magna consideratione prouidentibus? ut custodiret autem, quid? An ipsum paradisum? cõtra quos? Nullus cer
tè uicinus metuebatur inuasor, nullus limitis perturbator, nullus fur, nullus ag-
gressor. Quomodo ergo intellecturi sumus corporalẽ paradisum potuisse ab ho-
mine corporaliter custodiri? Sed neque scriptura dixit, ut operaretur & custodi-
ret paradisum, dixit autẽ ut operaretur & custodiret. Quanquam si de Græco di-
ligentius ad uerbum exprimatur, ita scriptum est, Et accæpit Dominus Deus ho-
minem quem fecit, & posuit eum in paradiso operari eũ, & custodire, sed utrùm
ipsum hominem posuit operari, hoc enim sensit qui interpretatus est, ut operare-
tur: An eundem paradisum operári, id est, ut homo paradisum operaretur ambi-
guè sonat: et uidetur magis exigere locutio, ut nõ dicatur, operaretur paradisum,
sed in paradiso. Veruntamen ne fortè sic dictum sit, ut operaretur paradisum, si- D
cut superius dictum est: Nec erat homo qui operaretur terram: eadem quippe lo
cutio est operari terram, quæ operari paradisum: ambiguam sententiã ad utrun-
que tractemus. Si enim non est necesse ut accipiamus paradisum custodire, sed in
paradiso, quid ergo in paradiso custodire? Nam quid operari in paradiso, iã ut ui-
sum est disseruimus. An ut quod operaretur in terra per agriculturam, in seipso
custodiret per disciplinam: id est, ut sicut ager obtemperaret, colenti se, ita & ipse
pręcipienti Domino suo, ut sumpto præcepto obedientię, fructum non spinas in-
obedientiæ redderet. Denique quoniam similitudinem à se culti paradisi in seipso
custodire subditus noluit, similem sibi agrum damnatus accępit: Spinas, inquit, &
tribulos pariet tibi. Quòd si & illud intelligamus ut paradisum operaretur, & pa
radisum custodiret, operari quidem paradisum posset, sicut suprà diximus per
agriculturã, custodire autem non aduersus improbos aut inimicos, qui nulli erãt,
sed fortaßis aduersus bestias. Quomodo istud aut quare? Nunquid enim bestiæ iã
in hominem sæuiebant, quod nisi peccato non fieret. Ipse quippe bestijs omnibus
ad se adductis, sicut pòst commemoratur, nomina imposuit. Ipse etiam sexto die,
lege uerbi Dei, cum omnibus communes cibos accępit: Aut si erat iam quod time
retur in bestijs, quonam pacto posset unus homo illum munire paradisum? Neq;
enim exiguus locus erat, quem tantus fons irrigabat. Custodire quidem ille debe
ret, si posset paradisum tali & tanta materia cõmunire, ut eò serpens non posset
intrare. Sed mirum si priusquam communiret, omnes serpentes inde posset ex-
cludere.

A cludere. Proinde intellectum ante oculos cur prætermittimus? Positus est quippe homo in paradiso ut operaretur eundem paradisum, sicut suprà disputatum est, per agriculturam non laboriosam sed delitiosam, & mentem prudentis magna atque utilia commonentem: custodiret autem eundem paradisum ipse sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli. Denique accepit & præceptum, ut sit, per quod sibi custodiat paradisum, id est, quo conseruato non inde proijciatur. Rectè enim quisque dicitur non custodisse rem suam, qui sic egit ut amitteret eam, etiã si alteri salua sit, qui eam uel inuenit uel accipere meruit. Est alius in his uerbis sensus, quem puto non immeritò præponendum, ut ipsum hominem operaretur Deus & custodiret. Sicut enim operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam atque fructuosam: sic Deus hominẽ multò magis quẽ ipse creauit ut homo sit, eum ipse operatur ut iustus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat: hoc est enim apostare à Deo, quod initium superbiæ scriptura dicit: Initium, inquit, superbiæ hominis apostatare à Deo. Quia ergo Deus est incommutabile bonum, homo autem & secundum animam & secundum corpus mutabilis res est, nisi ad incommutabile bonum, quod est Deus, conuersus substiterit, formari ut iustus beatúsque sit non potest. Ac per hoc Deus idem qui creat hominem ut homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, ut etiam bonus beatúsque sit. Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quæ iam terra erat, ut ornata atque fœcunda sit: ea locutione dicitur Deus operari hominem qui iam homo erat, ut pius sapiénsq; sit, eúmq; custodire, quod homo sua potestate in se, quàm illius supra se delectatus, dominationemq; contemnens tutus esse Eccl. 10.

B non possit. Proinde nullo modo uacare arbitror, sed nos aliquid & magnum aliquid admonere, quod ab ipso diuini libri huius exordio, in quo ita cœptus est: In principio fecit Deus cœlum & terram, usque ad hunc locum, nusquam positũ est Dominus Deus, sed tãtummodo Deus. Nunc uerò ubi ad id uentum est, ut hominem in paradiso constitueret, eúmque per præceptum operaretur & custodiret, ita scriptura locuta est: Et sumpsit Dominus Deus hominem quẽ fecit, & posuit eum in paradiso operari eum & custodire: non quòd suprà dictarum creaturarum Dominus non esset Deus, sed quia hoc nec propter angelos, nec propter alia quę creata sunt, sed propter hominem scribebatur, ad eum admonendũ quãtùm ei expediat habere Dominum Deum, hoc est, sub eius dominatione obedienter uiuere, quàm licentiosè abuti propria potestate, nusquã hoc prius ponere uoluit, nisi ubi peruentum est ad eum in paradisum collocandum, operandum & cũstodiendum: ut non diceret sicut & cętera omnia superius, sed diceret: Et sumpsit Dominus Deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso operari eum, ut iustus esset, & custodiret, ut tutus esset, ipsa utique dominatione sua, quæ non est illi sed nobis utilis. Ille quippe nostra seruitute non indiget, nos uerò dominatione illius indigemus, ut operetur, & custodiat nos: & ideo uerus solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram utilitatem, salutémque seruimus. Nam si nobis indigeret eo ipso non uerus Dominus esset, cùm per nos eius adiuuaretur necessitas, sub qua & ipse seruiret. Meritò & ille in Psalmo: Dixi, inquit Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Nec ita sentien- Eiusdẽ lib. cap. 11.

 dum

dũ est quod diximus, nos illi ad utilitatẽ nostrã salutẽq; seruire, tanquam aliud aliquid ab illo expectemus, quàm eum ipsum qui summa utilitas & salus nostra est. Sic enim eũ gratis secundũ illã uocẽ diligimus. Mihi autẽ adhęrere Deo bonũ est. C

De Gen. Lib. 2. contra Manich. Cap. XI. Tomo. I.

Operatio illa laudabilior laboriosa non erat. Alia est nanq; in paradiso operatio, & alia in terra, qua post peccatum damnatus est. Ex eo autem, quod additum est: Et custodiret, significatum est qualis illa operatio erat. Nanque in tranquillitate beatæ uitæ, ubi mors non est, omnis operatio est custodire quod tenes.

Ex Lib. cont. Adim. Manich. discip. Cap. IX. Tomo. VI.

Et dixit Dominus ad Adam. De eo quod scriptum est, quòd locutus est Deus cũ Adam & Eua, & cum serpente, & cum Cain, & cæteris antiquis: inter quos etiam & nonnullis apparuisse scribitur, & ab eis uisus, non uno, sed multis scripturarũ locis, in quibus & locutus esse Deus cũ hominibus inuenitur, & nonnullis apparuisse: insidiantur Manichæi, & dicunt omnia contraria esse nouo testamẽto, quo-
Ioan. 1. niã Dominus dicit: Deum nemo uidit unquã, nisi unicus filius &c. Et iterũ quòd
Ioan. 5. dicit Iudæis: Nec uocẽ illius aliquando audistis &c. Quibus respondemus eo ipso, quod in Euangelio scriptũ est: Deum nemo uidit &c. totam ipsam solui posse quæstionem: quia ipse filius, qui est uerbũ Dei, nõ solùm nouissimis temporibus, cùm in carne apparere dignatus est, sed etiam prius à cõstitutione mundi, cui uoluit de patre annuntiauit, siue loquendo, siue apparendo, uel per angelicam aliquam potestatem, uel per quamlibet creaturam: quia ipse est in omnibus ueritas, & omnia illi constãt, & omnia illi ad nutum seruiunt atque subiecta sunt: ut etiã oculis per uisibilem creaturam cui uult, quando dignatur appareat: cùm ipse tamen secundum diuinitatem suam & secũdum id quod uerbum est patris, coæternum patri, & incommutabile, per quod facta sunt omnia, nõ nisi purgatissimo & simplicissimo corde uideatur. Et ideo quibusdam locis etiam scriptura ipsa testatur angelũ D
Gen. 32. uisum, ubi dicit Deũ uisum. Sicut in illa luctatione Iacob, & angelus dictus est ille
Exod. 3. qui apparuit: & cùm apparuit in rubo Moysi: & item in heremo, cùm iam edu-
Exod. 19. xisset populum de terra Aegypti, quando legem accepit, Deus ei locutus est. Sed siue in rubo, cùm eũ misit: siue postea, cùm ei legem dedit: angelum dicit Stepha-
Actor. 7. nus in Actibus Apostolorum ei apparuisse. Quod ideo dicimus, ne quis arbitretur uerbum Dei, per quod facta sunt omnia, quasi per loca posse definiri, & alicui uisibiliter apparere, nisi per aliquam uisibilem creaturã. Sicut enim uerbum Dei est in Propheta, & rectè dicitur: Dixit Dominus, quia uerbum Dei, quod est Christus, in Propheta loquitur ueritatem: sic & in angelo ipse loquitur quando ueritatem angelus annuntiat: & rectè dicitur: Deus dixit, & Deus apparuit, & itẽ rectè angelus dixit, & angelus apparuit: cùm illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, illud ex persona seruientis creaturæ. Ex hac regula etiam Apostolus ait: An uultis
2. Cor. 13. experimentum eius accipere, qui in me loquitur Christus? Si autem hoc mouet, quod in ueteri testamento etiam peccatoribus Deus loquitur, uel Adæ, uel Euæ, uel serpenti, attendãt etiam in nouo, cuiusmodi exemplum Deus posuit de homine stulto cupido, quomodo ei locutus est Dominus, cum ait: Stulte, hac nocte aufe-
Luc. 12. retur à te anima tua, hæc quæ præparasti cuius erunt? Cùm enim ueritas etiã peccatoribus

A catoribus dicatur, per quālibet creaturā dicatur, non nisi ab illo dicitur, qui unus est uerax. Quòd autem Iudæis dicit. Nec uocem eius aliquando audistis, ideo dicit, quia non obtemperauerunt, isti duntaxat, cum quibus loquebatur. Quibus dicit etiam. Nec faciem eius uidistis, quia non potest. Quod autem dicit: Neque uerbum eius habetis in uobis manens: quia in quo manet uerbum Dei, Christus in illo manet, quē isti respuerunt. Nam cùm ipse Dominus dixisset: Pater clarifica me ea claritate, qua fui apud te priusquam mundus fieret, sonuit uox de cœlo: Et clarificaui, & clarificabo. Quā uocē multi Iudæorū præsentes audierūt, nec ideo tamen audisse dicendi sunt, quia non obtemperauerunt ut crederent. Quapropter si nō est mirandum quòd uerbū Dei, id est, unicus filius Dei, de patre annunciat, qui cui uult per seipsum, cui uult per aliquam creaturam manifestatur uel sanādo uel apparendo, cùm tamen ipse per seipsum mundo corde uideatur, & per illum pater. Beati enim mundo corde, quia ipsi Deū uidebunt, non est mirandum ex utroque testamento ista omnia testimonia consonare. Ioā.12.17

Ex lib.1.cont.aduers.legis & prophet. Cap.XIIII. Tomo.VI.

De arbore uerò scientiæ boni & mali. Ecce enim in eo quod reprӕhendit iste hominis conditorē, quia prohibuerit eum sumere cibum dignoscentiæ boni & mali: tanquam eū pecoribus parem esse uoluisset nescientibus ista discernere, & hoc ei negasset cui potestatem dedisset in bestias, quo solo homo superat bestias: quàm necessarium est uitæ bene agendæ, quòd discimus quædam infeliciter discì, & feliciùs nonnulla nesciri. Morbos enim & dolores quantò feliciùs nesciremus? Si ergo

B medicus nos ab aliquo cibo prohiberet, quo accepto ægrotaturos esse præsciret: & ob hoc appellaret eundem cibum dignoscētiæ sanitatis & imbecillitatis, eo quòd per ipsum homo cum ægrotare cœpisset, experiendo dignosceret quid interesset inter cōtractam malam ualetudinem & bonam perditam sanitatē: quod utique melius ignorasset, & in illa quam perdidit sanitate māsisset, credens medico per obedientiam, non morbo per experientiam: nunquid talem medicum inuidisse nobis eiusmodi scientiam diceremus? Quis dubitet malum esse peccatum? Et tamen cum laude dictum est de Domino Iesu Christo, qui non nouerat peccatum. Non ergo nouerat hoc malū, atq; ideo illam unde Adam prohibitus est, boni & mali dignoscentiam non habebat. Hîc si quæratur, quomodo non nouerat arguebat? neque enim peccata non arguebat. Omnia autem quę arguuntur, sicut dicit Apostolus, à lumine manifestantur. Quomodo igitur à quo ignorabantur, arguebantur? Nónne rectissimè respondebitur, & nouerat, & non nouerat? Rectissimè omninò. Nouerat enim per sapientiam, non nouerat per experientiam. Nunc itaque diuinæ sapientiæ credere debuit Adam, ut ab illa mali scientia quæ fit per experientiā, præcepto Dei obediens temperaret. Sic enim malum nescisset nisi fecisset: fecit autem sibi non Deo. Nihil enim facere potuit uoluntate inobedientiæ, nisi quod ipse pateretur lege iustitiæ. Hæc est enim pœna inobedienti homini reddita in semetipso, ut ei uicissim non obediatur, nec à semetipso &c. Nunc autem breuiter respondemus ad id quod ait iste, hominis institutorem à magno bono prohibuisse quem fecerat, dum eum pecori similem sine dignoscentia boni & mali esse uoluisset. Hæc enim dignoscentia non est beati hominis sapientia Eph.5.

sed miseri experientia, unde lignum nomen accepit, à cuius cibo est homo prohibitus: ut obedientia commendaretur, quæ maxima est uirtus, & ut sic dixerim, omnium origo materque uirtutū, in ea natura cui sic datum est arbitriū liberæ uoluntatis, ut eam tamen necesse sit uiuere sub potestate melioris. Quanquam non defuerint quibus uisum est, illā dignoscentiam boni & mali, magnum aliquod bonum fuisse: cuius capaces nondū fuerunt, qui hanc usurpantes contra uetitū, per inobedientiā peccauerunt. Quibus autem uidetur sic hominem fieri debuisse ut peccare nollet, nō eis displiceat sic esse factum, ut nō posset peccare si nollet. Nūquid enim si melior esset, qui nō posset peccare, ideo nō bene factus est qui posset & non peccare? Aut uerò usque adeò desipiendum est, ut homo uideat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum uidisse non putet: aut putet uidisse, & credat facere noluisse, aut uoluisse quidem, sed minime potuisse? Auertat hoc Deus à cordibus piorum. Si ergo ratio recta demōstrat, rationalem creaturam illam esse meliorem, quæ nulla inobedientia deserit Deum, quàm istam quæ ita deseruit: sciat quisquis hoc sapit, ne illam deesse cœlestibus rebus quæ nunquam deserit Deum, nec istam ita esse factā, ut aliqua necessitate deserere cogeretur Deum. Et quia uoluntate deseruit, nihil ex hoc diminutum sapiētissimis dispositionibus Dei, qui & malis bene, & peruersis rectè utitur, & de humano genere iustè meritóque damnato, familiam sanctā atque numerosam nō eius merito, sed gratia sua factam, in æternum regnum se translaturum esse testatur. Quæ cùm ita sint, nec Deus occultare debuit lignum, quod propter consecuturam hominis miseriā, si ex illo cōtra prohibitionem usurpato dignosceret, à quo bono cecidisset, & in quod malū incidisset, appellauit lignum dignoscentiæ boni & mali. Cur enim occultaret de quo mandatum dabat, & per quod obedientiam commēdabat? Nec ignarus fuit hominem peccaturum: sed simul etiam, quid iusti & boni fuerat & de peccāte facturus, summa utique diuinitate præsciuit. Nec instituit quod obesset, si homo sibi obesse noluisset: sed potius instituit quod prodesset. Quia homo non sine bona mercede obedientiam custodisset: & non sine utili exemplo, ut eam sancti eius posteri custodirent, pœnas inobedientiæ persoluisset. Nec uoluit quod non potuit. Hoc enim uoluit, ut aut obediens homo esset, aut inobediens impunè non esset. Nec infructuosè uoluit quòd homo non fuerat seruaturus, quia pœna contemptoris docuit alios obedire. Nec in homine pars Dei restitit Deo, quia si hominis anima pars Dei esset, nec à seipsa, nec ab aliquo decipi, nec ad aliquid malefaciendum, siue patiendum ulla necessitate compelli, nec in melius uel deterius mutari omninò potuisset. Flatus autem ille Dei qui hominem animauit, factus est ab ipso non de ipso. Quia nec hominis flatus, hominis pars est, nec homo eum fecit de seipso, sed ex aëreo halitu sumpto & effuso. Deus uerò potuit & de nihilo, & uiuū rationalémque potuit, quod non potest homo. Quamuis nonnulli existiment nō tunc animatum primum hominem, quando Deus in eius faciem sufflauit, & factus est homo in animam uiuam, sed tunc accepisse spiritum sanctum. Quodlibet autem horum credibilius ostendatur, unde nunc longum est disputare, animam tamen non esse partem Dei, nec de substantia & natura eius creatā siue prolatam, sed ex nihilo factam, dubitare fas non est.

Item.

A Item. Vide Cap.15.Luc.in hæc uerba:Homo quidam habuit duos filios.

De Gen.ad Lit.Lib.8. Cap.XIII. Tomo.III.

De ligno autem cognoscendi bonum & malum. Si aliquid mali esset lignum illud,unde prohibuit hominem Deus,eius ipsius mali natura uenenatus uideretur ad mortem.Quia uerò ligna omnia in paradiso bona plantauerat, qui fecit omnia bona ualdè,nec ulla ibi natura mali erat, quia nusquam est mali ulla natura : quod diligentius si Dominus uoluerit differemus cùm de illo serpente dicere cœperimus: ab eo ligno quod malum non erat prohibitus est,ut ipsa per se præcepti conseruatio bonum illi esset & transgresio malum.Nec potuit melius & diligentius commendari,quantùm malum sit sola inobedientia, cùm ideo reus iniquitatis factus est homo,quia eam rem tetigit contra prohibitionem,quam si non prohibitus tetigisset,non utique peccasset.Nam qui dicit,uerbi gratia , noli tangere hanc herbam,si fortè uenenosa est,mortémque prænuntiat , si tetigerit , sequitur quidem mors cõtemptorem præcepti,sed etiam si nemo prohibuisset atque ille tetigisset, nihilominus utique moreretur.Illa quippe res contraria saluti uitæque eius esset, siue inde uetaretur siue non uetaretur. Item cùm quisque prohibet eam rem tangi quæ non quidem tangenti , sed illi qui prohibuit obesset : uelut si quisquam in alienam pecuniam misisset manum,prohibitus ab eo cuius erat pecunia illa : ideo esset prohibitio peccatum,quia prohibenti poterat esse damnosum.Cùm uerò illud tangitur quod nec tangenti obesset si non prohiberetur , nec cuiquam alteri quamlibet tangeretur,quare prohibitum est,nisi ut ipsius per se bonum obedientiæ,& ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur? Denique à peccante nihil

B aliud appetitum est,nisi non esse sub dominatione Dei, quãdo illud admissum est, in quo ne admitteretur,sola deberet iussio dominantis attendi. Quæ si sola attenderetur,quid aliud quàm Dei uoluntas attenderetur? quid aliud quàm Dei uoluntas amaretur ? quid aliud quàm Dei uoluntas humanæ uoluntati præponeretur ? Dominus quidem cur iusserit uiderit,faciendũ est à seruiente quod iussit,& tunc fortè uidendum est à promerente cur iusserit. Sed tamen ut causam iussionis huius nõ diutius requiramus,si hæc ipsa magna est utilitas homini quod Deo seruit, iubendo Deus utile facit quicquid iubere uoluerit,de quo metuendum non est,ne iubere quod inutile est possit. Nec fieri potest ut uoluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam uoluntati superioris extollendo præponat.Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei , & hoc experimento didicit,quid intersit inter bonum & malum : bonum scilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ,id est,superbiæ & contumaciæ, peruersæ imitationis Dei & noxiæ libertatis.Hoc autem in quo ligno accidere potuit , ex ipsa re ut iam supradictum est,nomen accepit.Malum enim nisi experimento non sentiremus , quia nullum esset si non fecissemus. Neque enim ulla natura mali est, sed amissio boni hoc nomen accepit.Bonum quippe incommutabile Deus est , homo autem quantùm ad eius naturam in qua eum Deus condidit pertinet, bonũ est quidem, sed non incommutabile ut Deus.Mutabile autem bonum quod est post incommutabile bonum,melius bonum fit,cum bono incommutabili adhæserit,amando atque seruiendo rationali & propria uoluntate.Ideo quippe & hoc magni boni natura

Eiusdẽ lib. Cap.14.

tura est, quia & hoc accæpit, ut posset summi boni adhærere naturæ. Quod si noluerit, bono se priuat, & hoc ei malum est, unde per iustitiam Dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum, quàm ut bene sit desertori boni? Neque ullo modo fieri potest ut ita sit, sed aliquando amissi superioris boni non sentitur malum, cùm habetur quod amatum est inferius bonum. Sed diuina iustitia est, ut qui uoluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amauit, dum naturarum creator ubique laudetur. Adhuc enim est bonum, quod dolet amissum bonum: nam nisi aliquod bonum remansisset in natura, nullus boni amissi dolor esset in pœna. Cui autem sine mali experimento placeat bonum, id est, ut antequam boni amissionem sentiat, eligat tenere ne amittat, super omnes homines prædicandus est Sed hoc nisi cuiusdam singularis laudis esset, nõ illi puero tribueretur qui ex genere Israël factus Emanuël nobiscum Deus, reconciliauit nos Deo, hominum & Dei homo mediator, uerbum apud Deum, caro apud nos, uerbum caro inter Deum & nos. De illo quippe propheta dicit: Priusquam

Esa.7. sciat puer bonum aut malum, contemnet malitiam ut eligat bonum. Quomodo quod nescit aut contemnit aut eligit, nisi quia hæc duo sciuntur aliter per prudentiam boni, aliter per experientiam mali? Per prudentiam boni malum scitur, & si non sentitur: tenetur enim bonum, ne amissione eius sentiatur malum. Item per experientiam mali scitur bonũ: quoniam quid amiserit sentit, cui de bono amisso male fuerit. Priusquam sciret ergo puer per experientiam, aut bonum quo careret, aut malum quod boni amissione sentiret, contempsit malum ut eligeret bonum: id est, noluit amittere quod habebat, ne sentiret amittendo quod amittere non debebat. Singulare exemplum obedientiæ, quippe qui non uenit facere uoluntatem suam, sed eius uoluntatem à quo missus est: non sicut ille qui elegit facere uoluntatem suam, non eius à quo factus est. Meritò sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituuntur multi, quia sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes uiuificabuntur.

Eiusdẽ lib. cap.15. Frustrà autem nonnulli acutè obtusi sunt, cùm requirunt, quomodo potuerit appellari lignum dignoscentiæ boni & mali, antequam in eo transgressus esset homo præceptũ, atque ipsa experientia dignosceret quid interesset inter bonum quod amisit, & malum quod admisit: Lignum enim tale nomen accæpit, ut eo secundum prohibitionem non tacto caueretur, quod eo contra prohibitionem tacto sentiretur. Neque enim quia inde contra præceptum manducauerunt, ideo factum est illud lignum dignoscentiæ boni & mali, sed utique etiam si obdiẽtes essent, & nihil contra præceptum usurpassent, id rectè uocaretur, quod ibi eis accideret, si usurpassent. Quemadmodum si uocaretur arbor saturitatis, quod inde possent homines saturari, nunquid si nemo accessisset, ideo nomen illud esset incongruum, quandoquidem cùm accederent & saturarentur, tunc probarent quàm rectè arbor illa uocaretur?

Eiusdẽ lib. cap.16. Et quomodo inquiunt, intelligeret homo, quòd ei dicebatur lignum dignoscentiæ boni & mali, quando ipsum malum quod esset omninò nesciebat? Hoc qui sapiunt parum attendunt, quemadmodum à contrarijs notis, sic plæraque intelligantur ignota, ut etiam uerba rerum quæ non sunt, cùm in loquendo interponuntur, nullus caliget auditor. Hoc enim

A enim quod omninò non est, nihil uocatur: & has duas syllabas nemo non intelligit, qui latinè audit & loquitur. Vnde nisi cùm sensus intuetur id quod est, & eius priuatione quid etiam non sit agnoscit? Sic & inane cùm dicitur, intuendo corporis plenitudinem, priuationem eius tanquam contrariam, quid dicatur inane intelligimus. Sicut audiendi sensu non solùm de uocibus, uerumetiam de silentio iudicamus. Sic ex uita quæ inerat homini, posset eius cauere contrarium, Id est, uitæ priuationem quæ mors uocatur: & ipsam causam qua perdere quod amabat, id est, quodlibet factum suum quo fieret ut amitteret uitam, quibuslibet syllabis appellaretur: quemadmodum latinè cùm dicitur peccatum uel malum, ut tanquam signum eius intelligeret, quod mente discerneret. Nos enim quomodo intelligimus cùm dicitur resurrectio, quam nunquam experti sumus: Nónne quia sentimus quid sit uiuere, & eius rei priuationem uocamus mortem, unde reditum ad id quod sentimus resurrectionem appellamus? & si quo alio nomime in quacunque lingua idipsum appellatur, menti utique signum insinuatur in uoce loquendo, quo sonante agnoscat, quod etiam sine signo cogitaret. Mirum est enim quemadmodum rerum quas habet amissionem, etiam inexpertam natura deuitet. Quis enim pecora docuit deuitationem mortis, nisi sensus uitæ? Quis paruulum puerum adhærescere baiulo suo, si eum fuerit ex alto iacere minitatus? Quod ex quodam tempore incipit, sed tamen antequam aliquid huiusmodi expertus sit: Sic ergo illis primis hominibus iam uita erat dulcis, quam profectò amittere deuitabant: idque ipsum
B quibuscunque modis uel sonis significantem Deum intelligere poterant: nec aliter eis posset persuaderi peccatum, nisi prius persuaderetur eos ex illo facto non esse morituros, id est illud quod habebant & se habere gaudebant non amissuros, unde suo loco loquendum est. Aduertant itaque si quos mouet, quomodo potuerint intelligere inexperta nominantem uel minantem Deum: & uideant nos omnium inexpertorum nomina, non nisi ex contrarijs quæ iam nouimus, si priuationum sunt, aut ex similibus, si specierum sunt, sine ullo æstu dubitationis agnoscere. Nisi fortè aliquem mouet quemadmodum loqui potuerint, uel loquentem intelligere, qui non didicerant, uel crescendo inter loquentes uel aliquo magisterio: quasi magnum fuerit Deo loqui eos docere, quos ita fecerat, ut hoc possent etiam ab hominibus discere, si essent à quibus. Meritò sanè quæritur, utrum hoc præceptum uiro tantùm dederit Deus, an etiam fœminæ? Sed nondum narratum est quemadmodum facta sit fœmina. An fortè iam erat facta, sed hoc quemadmodum gestum sit quod prius erat gestum, postea recapitulando narratum est: Verba enim scripturæ sic se habent: Et præcepit Dominus Deus Adæ dicens, non dixit præcepit eis. Deinde sequitur: Ab omni ligno quod est in paradiso escam edes: non dixit edetis. Deinde adiungit: De ligno autem cognoscendi bonum & malum, non manducabitis de illo: Iam hic tanquam ad ambos pluraliter loquitur & pluraliter præceptum terminat dicens: Qua die autem ederitis ab eo morte moriemini. An sciens quod ei facturus erat mulierem, ita præcepit ordinatissimè, ut per uirum præceptum Domini ad fœminā perueniret?

Eiusdē lib. cap. 17.

Gen. 2.

Quam

Quam disciplinam & in ecclesia seruat Apostolus dicens: Si quid autem discere C
Eiusdē lib. cap.18. uolunt domi uiros suos interrogent. Item quæri potest, quomodo nunc Deus locutus sit ad hominem quem fecit, iam certè sensu ac mente præditum ut audire & intelligere loquentem ualeret? Neque enim aliter præceptum posset accipere, quo transgressor eius esset, nisi hoc acceptum intelligeret. Quomodo ergo illi locutus est Deus? utrùm intus in mente secundum intellectum, id est, ut sapienter intelligeret uoluntatem ac præceptum Dei sine ullis corporalibus sonis, uel corporalium similitudinibus rerum? Sed non sic existimo primo homini locutum Deum, talia quippe scriptura narrat, ut potius credamus sic esse Deum locutum homini in paradiso, sicut etiam postea locutus fuit patribus, sicut Abrahæ, sicut Moysi, id est, aliqua specie corporali. Hinc est enim quod audierūt eius uocem ambulantis in paradiso ad uesperam, & absconderunt se.

Vide plura de ligno cognoscendi bonum & malum in libro de Natura boni, aduersus Manichæos. Cap.34. Tomo. VI.

Item quia peccatum uel iniquitas non est appetitio naturarum malarum, sed desertio meliorum, sic in scripturis inuenitur scriptum: Omnis creatura Dei bona est, ac per hoc & omne lignum, quod in paradiso Deus plantauit, utique bonum est. Non ergo malam naturam homo appetijt, cùm arborem uetitam tetigit, sed id quod melius erat deserendo, factum malum ipse commisit. &c.

Ex Lib.2. de peccat. merit. & remiss. contra Pelag. Cap.XXI. Tomo.VII.

De arbore uerò scientiæ boni & mali. Proinde quia utendi ad escam omni ligno quod in paradiso erat acceperant potestatem, in quo etiam lignum uitæ plantauerat Deus: ab illo autē solo eos prohibuerat, quod appellauerat scientiæ boni & mali, quo nomine significaretur experientiæ consequentia, & quid boni custodita, & quid mali essent transgressa prohibitione sensuri: ecce profectò intelliguntur ante malignam diaboli persuasionem abstinuisse cibo uetito, atque usi fuisse concessis, ac per hoc & cæteris & præcipuè ligno uitæ. Quid enim absurdius quàm ut credantur ex alijs arboribus alimenta sumpsisse, nō autem etiam ex illo quod & similiter permissum fuerat, & utilitate præcipua per ætatum labem mutari quamuis animalia corpora & in mortem ueterascere non sinebat, tribuens hoc corpori humano de suo corpore beneficium, & mystica significatione demonstrans quid per sapientiam, cuius figuram gestabat, conferretur animæ rationali; ut alimento eius uiuificata, nequaquam in labē mortémque nequitiæ uerteretur? Meritò enim
Prouer.3. de illa dicitur. Lignum uitæ est amplectentibus eam. Sicut hæc arbor in corporali, sic illa in spiritali paradiso: ista exterioris, illa interioris hominis sensibus præbens uigorem, sine ulla in deterius temporis commutatione uitalem. Seruiebant igitur Deo uehementer sibi cōmendata pietate obedientiæ, qua una colitur Deus. Quæ per seipsa quanta sit, quámque sola sufficiat ad tuendā rationalem sub creatore creaturam, non potuit excellentius intimari, quàm ut à ligno prohiberentur non malo. Absit enim ut bonorum creator qui fecit omnia, & ecce bona ualde, mali aliquid in melius etiam corporalis paradisi fertilitate plantaret. Sed ut ostenderetur homini, cui esset sub tali Domino utilissima seruitus, quātùm esset solius obedientiæ bonum, quam solam de famulo exegerat, cui obedire non propter

ipsius

A ipsius dominatum, sed propter seruientis utilitatem potius expediret, ab eo ligno sunt prohibiti, quo si uterentur non prohibiti, nihil mali omninò paterentur, ut quod illo post prohibitionem utentes passi sunt, satis ostenderetur, quòd eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantū obedientia uiolata. Hanc ergo priusquam uiolassent placebant Deo, & placebat eis Deus, & quamuis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo aduersum se moueri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo iustitię, ut quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus eius obediret atque exhiberet uitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc & nudi erant & non cōfundebantur. Animam quippe rationalē naturali uerecundia nūc pudet, quòd in carne, in cuius seruitutem ius potestatis accepit, nescio qua infirmitate efficere non potest, ut se nolente non moueantur membra, & se uolente moueātur. Quæ propter hoc in quouis casto, meritò appellantur pudenda, quòd aduersus dominam mentem quasi suę sint potestatis sicut libitum est excitantur. Idque solùm iuris in his habent frena uirtutis, ut ad immundas & illicitas corruptiones ea peruenire non sinant. Hæc igitur carnis inobedientia, quæ in ipso motu est etiam si habere non permittatur effectum, non erat in illis tunc primis hominibus, quando nudi erant & non confundebantur. Nōdum quippe anima rationalis domina carnis, inobediens extiterat Domino suo, ut pœna reciproca inobedientem experiretur carnem famulam suam cum sensu quodam cōfusionis & molestiæ suæ, quem sensum certè ipsa per inobedientiam suam non intulit Deo. Neque enim Deo pudendum est aut molestum si nos ei non obedimus, cuius in nos summam potestatem nullo modo minuere ualemus, sed nobis pudēdum est, quòd imperio nostro B caro non seruit, quia hoc fit per infirmitatem, quam peccando meruimus, uocatúrque peccatum habitans in membris nostris. Sic est autem hoc peccatum ut sit pœna peccati. Denique posteaquā est illa facta transgressio, & anima inobediens, à lege sui Domini auersa est, habere cœpit contra eam seruus eius, hoc est corpus eius legem inobedientiæ, & puduit illos homines nuditatis suæ, animaduerso in se motu, quem antè non senserant, quæ animaduersio apertio dicta est oculorum, neque enim oculis clausis inter illas arbores oberrabant. Sic & de Agar scriptum est. Aperti sunt oculi eius & uidit puteum. Tunc illi homines pudenda texerunt, quæ Deus illis membra, ipsi uerò pudenda fecerunt.

Eiusdē lib. cap. 22.

Rom. 7.

Gen. 16.

Ex Lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cont. Pelag. Cap. II. Tomo. VII.

Qua die ederitis &c. Qui dicunt Adam sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, sed necessitate naturæ, profectò illud quod in lege dictum est: Qua die ederitis, morte moriemini, non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ quæ in peccato fit referre conantur. Qua morte mortuos significauit Dominus infideles, de quibus ait: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Quid ergo respōdebunt cùm legitur hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando & damnando dixisse: Terra es, & in terram ibis? Neque enim secundum animam, sed quod manifestum est secundum corpus terra erat, & morte eiusdem corporis erat iturus in terram. Quamuis enim secundum corpus terra esset, & corpus in quo creatus est animale gestaret, tamen si non peccasset, in

Matth. 8.

E.

corpus

corpus fuerat spiritale mutandus, & in illam incorruptionem quæ fidelibus ac sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Cuius rei desiderium nos habe- C
2.Cor.5. re non solùm ipsi sentimus in nobis, uerum etiam admonente Apostolo cognosci mus, ubi ait: Etenim in hoc ingemiscimus habitaculum nostrũ &c. Proinde si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed superuestiendus immortalitate, & incorruptione, ut absorberetur mortale à uita, id est, ab animali in spiritale
Eiusdẽ lib. cap.3. transiret. Neque enim metuendum fuit, ne dum fortè diutius hîc uiueret in corpore animali senectute grauaretur, & paulatim ueterascendo perueniret ad
Deut. 29. mortem. Si enim Deus Israelitarũ uestimentis & calciamentis præstitit quòd per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia prę staretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quẽdam statum quo sine defectu esset annósum, tempore quo Deus uellet à mortalitate ad immortalitatem, sine media morte uenturus. Sicut enim hæc ipsa caro quã nunc habemus, non ideo non est uulnerabilis quia non est necesse ut uulneretur, sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis qui sine morte hinc translati
Gen.5. sunt fuisse concessam. Neque enim Enoch & Helias per tam longam ætatem sene
4.Reg.2. ctute marcuerunt, nec tamen credo eos iam in illam spiritalẽ qualitatem corporis cõmutatos, qualis in resurrectione promittitur quæ in Domino prima præcessit, nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui cõsumptione reficiunt, sed ex quo translati sunt, ita uiuunt ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Helias ex calice aquæ & ex collyride panis sine cibo uixit, aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in paradiso pascuntur sicut Adam priusquam pro- D pter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim quantùm existimo & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno uitæ stabilitatem contra uetustatem. Propter hoc autem quod puniens Deus dixit: Terra es & in terram ibis, quod nisi de morte corporis, quomodo intelligi posit, ignoro.

Ex Lib.13. Cap.XV. de Ciuitate Dei ad Marcel. Tomo.I.

Quoniam non est dictum mortibus, eam solam intelligamus quæ fit cùm anima deseritur sua uita, quod illi Deus est: non enim deserta est, ut desereret, sed ut desereretur, deseruit. Ad malum quippe eius prior est uoluntas eius: ad bonũ uerò eius prior est uoluntas creatoris eius, siue ut eam faceret, quæ nulla erat: siue, ut reficiat, quæ lapsa perierat: etiam si hanc intelligamus, Deum denunciasse mortem, in eo quod ait: Qua die ederitis ex illo, morte moriemini, tanquã diceret: qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram uos per iustitiam, profectò in ea morte etiã cæteræ denunciatæ sunt, quæ proculdubiò fuerant subsecuturæ. Nam in eo quòd inobediens motus in carne ex motu animæ inobedientis exortus est, propter quẽ pudẽda texerunt, sensa est mors una in qua deseruit animam Deus. Ea significata est uerbis eius, quando timore deambulãtis, sese abscondenti homini dixit: Adam ubi es? non utique ignorando quærens, sed increpãdo admonens, ut attenderet ubi esset, in quo non esset Deus. Cum uerò iam corpus anima ipsa deseruit ætate corruptum & senectute confectum, uenit in experimẽtum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens homini dixerat: Terra es, & in ter-

ram

A ram ibis, ut ex his duabus mors illa prima quæ totius hominis est cõpleretur, quã secunda in ultimo sequitur, nisi homo per gratiam Dei liberetur. Neque enim corpus, quod de terra est rediret in terram, nisi sua morte, quæ illi accidit cùm deseritur sua uita, id est, anima. Vnde constat inter Christianos ueraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortẽ non lege naturæ, qua nullã mortem homini Deus fecit, sed meritò inflictam esse peccati, quoniam peccatum uindicans Deus, dixit homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es & in terram ibis. Item. Vide. 1. Cor. XV. in hæc uerba: Nouissimus Adam in spiritũ uiuificantem.

Ex Lib. cont. Adim. Manich. discip. Cap. III. Tomo. VI.

Non est bonum solum hominem esse &c. Huic loco Manichæi calumniantur, dicentes contra nouum testamentum esse istam sententiam, qua Deus scribitur & formasse mulierem & uiro coniunxisse: propterea quia in euangelio dicit Dominus: Omnis qui reliquerit domum, aut uxorem, aut parentes &c. In qua calumnia miror eos sic esse cæcatos, uel potius non miror: Excęcauit enim illos, sicut scriptum est, malitia eorum. Sed tamen quis non uidet tanta in nouo testamento præcepta de uxore diligenda. Cur enim potius uetus testamẽtum dicunt aduersari huic sententiæ Domini, qua dicit relinquendam esse uxorem propter regnum cœlorum, & non ipsum nouum sibi aduersari? Quod nefas est dicere. Intelligenda enim sunt, non temerè accusanda quæ imperitis uidentur esse contraria. Nam & Dominus interrogatus à Iudæis, utrùm ei placeret dato libello repudij dimittere uxorem. Respondit eis dicẽs: Non legistis, quoniam qui fecit ab initio masculum &c. Ecce habent confirmatam sententiam ueteris testamẽti ab ipso Domino aduersus

Matth. 19. *Sap. 2.*

B imperitiam Iudæorum. Simul etiam Moysi perhibuit testimonium, quod propter duritiam cordis eorum repudium dari permisit. Nunquid etiam euãgelium euangelio dicunt esse contrarium? Quod si dicunt, hoc capitulum falsum esse & à corruptoribus scripturarum esse additũ: nam hoc solent, quãdo non inueniunt quid respõdeant, dicere: quid si alius dicat illud esse immissum & falsum, quod ipsi proferunt dicente Domino: Omnis qui reliquerit domum aut uxorem &c. Non intelligunt miseri quemadmodum omnem fidem Christianam cùm ista dicunt conentur euertere. Fides autem uera & ecclesię catholicæ disciplina utrumque uerum, & à Domino dictum esse confirmat, & nullo modo esse contrarium: quia & coniũctio mariti & uxoris à Domino est, & relictio uxoris propter regnũ cœlorum est à Domino. Nõ enim quia suscitauit Deus mortuos, & dedit eis uitã, propterea ipsa uita non est relinquenda propter regnum cœlorum. Sic ergo quamuis Dominus dederit uxorẽ uiro, relinquenda est tamen, si opus est propter regnũ cœlorũ, Non enim hoc semper necesse est: Sicut Apostolus dicit: si quis fidelis habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat. Significat utique, quòd si non consentit habitare cum illo, id est, si execratur in illo fidem Christi, & non eũ patitur, quòd Christianus est, relinquenda est propter regnum cœlorum: sicut idem Apostolus in sequentibus dicit. Quòd si infidelis discedit, discedat: non est enim subiectus seruituti frater aut soror in huiusmodi. Si quis ergo relinquit regnum cœlorum, dum nõ uult relinquere uxorem non ferentem Christianum uirum, improbatur à Domino. Et item si quis uir relinquit uxorẽ dato libello repudij,

1. Cor. 7.

pudij, cum causa non existat aut fornicationis, aut obtinendi regnum cœlorum C similiter improbatur à Domino. Ita nec ista capitula euangelica inueniuntur sibi esse contraria, nec euangelium ueteri testamento: quia ubi uxor coniungitur uiro, ut simul mereantur regnum cœlorum: & ita uxor relinquenda esse præcipitur, si uirum impediat ad possidendum regnum cœlorum. Et ideo quando Christianos utrosque Apostolus monet, id est, maritos & uxores, nónne ita dicitur: Dilige uxores tuas sicut & Christus dilexit ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea: & mulieres uiris suis subditæ sint quasi Domino, quia & ecclesia subdita est Christo? Nónne illud quod isti miseri irrident in ueteri testamento quod scriptum est: Pro
Gen.2. pterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo
Ephes.2. in carne una: in magno sacramento idem Apostolus accipit, cùm dicit: Sacramen-
1.Cor.11. tum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia: Deinde subiungit: Veruntamen unusquisque uxorem suam diligat, mulier autem ut timeat uirum suum? Nónne alio loco euidentissimè ostendit utriusq; sexus & naturam & coniunctionem à Domino Deo conditore atque ordinatore consistere, cùm dicit: Veruntamen neque mulier sine uiro, neque uir sine muliere in Domino. Sicut enim mulier ex uiro, ita & uir per mulierem: omnia autem ex Deo? Quod isti si cõsiderare uellent, nõ quibusdam capitulis separatis, & aduersus se inuicem magna fraude collatis caliginem facerent imperitis &c.

De Gen. cont. Manich. Lib. 2. Cap. XI. Tomo. I.

Adduxit ea ad Adam. Primò demonstrauit Deus homini, quantò melior esset pecoribus, & omnibus irrationalibus animantibus, & hoc significat quod dictum est, adducta esse ad illum omnia, ut uideret quid ea uocaret, & eis nomina impo- D neret. Ex hoc enim apparet ipsa ratione hominem meliorem esse quàm pecora, quòd distinguere & nominatim ea discernere nõ nisi ratio potest, quæ de ipsis iudicat. Sed hæc facilis ratio est: citò enim homo intelligit se meliorem esse pecoribus. Illa est difficilis ratio, qua intelligit in seipso aliud esse rationale quod regit, aliud animale quod regitur.

De Gen. ad Lit. Lib. 9. Cap. XIIII. Tomo. III.

Quomodo hæc adduxerit Deus ad Adam, ne carnaliter sapiamus, adiuuare nos debet quod alibi dixi. Neque enim sicut indagant atq; adigunt uenantes aut aucupantes ad retia, quæcunque animantia capiunt. Ita hoc factum esse credendum est: Aut uox aliqua iussionis de nube facta est eis uerbis, quæ rationales animæ audientes, intelligere atque obedire assolent. Non enim hoc acceperunt ut possint bestiæ uel aues, in suo tamen genere obtemperant Deo: non rationali uoluntatis arbitrio, sed sicut mouet ille omnia temporibus opportunis, non ipse temporaliter motus, per angelica ministeria: quæ capiunt in uerbo eius, quid quo tempore fieri debeat: & illo non temporaliter moto, mouentur ipsa temporaliter, ut in his quę sibi subiecta sunt, iussa eius efficiãt: Omnis enim anima uiua, non solùm rationalis sicut in hominibus, uerum etiam irrationalis sicut in pecoribus & uolatilibus & piscibus, uisis mouetur. Sed anima rationalis uoluntatis arbitrio uel consentit uisis uel non consentit: irrationalis autem non habet hoc iudicium, pro suo tamen genere atque natura uiso aliquo tacta propellitur &c.

Appellauitque

A Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia. Videtur enim mihi propter aliquã significationẽ propheticã hoc factum, sed tamen factum, ut re gesta cõfirmata, figuræ interpretatio libera relinquatur. Quid est enim hoc ipsum quod uolatilibus terrestribusq; animantibus, necnon etiã piscibus, atque omnibus natatilibus Adã nomina imposuit? Si enim linguæ humanæ cõsulãtur, sic appellãtur hęc omnia, quemadmodum eis homines loquendo nomina posuerunt. Non solùm hæc quæ sunt in aquis & terris, uerumetiam ipsa terra & aqua & cœlum, & quæ uidentur in cœlo, & quæ non uidentur, sed creduntur, pro diuersitate linguarum gentilium, diuersis nominibus appellantur. Vnã sanè linguã primitus fuisse didicimus, antequam superbia turris illius post diluuium fabricatæ in diuersos signorum sonos humanam diuideret societatem. Quęcunque autem illa lingua fuerit, quid attinet quærere? Illa certè tunc loquebatur Adã, & in ea lingua si adhuc usq; permanet, sunt illæ uoces articulatæ, quibus primus homo animalibus terrestribus & uolatilibus nomina imposuit. Nõ igitur ullo modo credibile est in eadẽ lingua nomina piscium non ab homine, sed diuinitus instituta, quæ Deo dicente homo postea disceret. Quod si ita factum esset, quare ita factum esset, proculdubiò mystica significatio resonaret. Sed credendum est paulatim cognitis piscium generibus, nomina imposita: tunc autem cùm pecora & bestiæ, & uolatilia ad hominẽ adducta sunt, ut eis ad se cõgregatis, generatímque distinctis, nomina imponeret: quibus etiam ipsis paulatim, & multò citius quàm piscibus, si hoc factũ non esset, posset nomina imponere: quid fuit causæ, nisi ratio aliquid significandi, quod ad prænũtiationem futurorum ualeret? Cui rei maximè ordo narrationis huius inuigilat.

B Deinde nunquid ignorabat Deus nihil tale se creasse in naturis animalium, quod simile adiutorium posset esse homini? An opus erat ut hoc etiam ipse homo cognosceret, & eo commẽdatiorem haberet uxorem suam, quòd in omni carne creata sub cœlo, & de hoc aëre sicut ipse uiuens uiuente, nihil eius simile inuenerit? Mirum si hoc scire non posset, nisi omnibus ad se adductis atque perspectis. Si enim Deo credebat, posset hoc illi eo modo dicere, quomodo & præceptum dedit, quomodo & peccantem interrogauit atque iudicauit. Si autem non credebat, profectò neque hoc scire poterat, utrùm ad eum omnia ille, cui non credebat, adduxerit, an fortè in aliquibus ab illo remotioribus terræ partibus aliqua ei similia, quæ non demonstrasset, absconderit.

De Gen. cont. Manich. Lib. 2. Cap. XII. Tomo. I.

Immisit Dominus Deus soporem in Adam. Et quoniã hæc secretiore sapiẽtia uidet, ipsam uisionẽ secretã nomine soporis significari arbitror, quem immisit Deus in Adã, quando ei mulier facta est. Vt enim hoc uideatur nõ est opus oculis istis corporeis, sed quantò quisq; ab istis uisibilibus rebus in interiora intelligentiæ secesserit, hoc est autem quasi obdormiscere, tantò melius & syncerius illud uidet. Ipsa enim cognitio, qua intelligitur in nobis aliud esse, quod ratione dominetur, aliud quod rationi obtemperet: ipsa ergo cognitio ueluti effectio mulieris est de costa uiri, propter coniunctionem significandam. Deinde ut quisque huic suæ parti rectè dominetur, & fiat quasi coniugalis in seipso, ut caro non concupiscat aduersus spiritum, sed spiritui subiugetur, id est, concupiscentia carnalis non aduersetur rationi,

tioni,sed potius obtemperando desinat esse carnalis,opus habet perfecta sapientia.Cuius contemplatio,quia interior est & secretior, & ab omni sensu corporis remotissima,conuenienter etiam ista soporis nomine intelligi potest. Tunc enim ordinatissimè caput mulieris uir est,cùm caput uiri est Christus, qui sapientia est Dei.Et sanè in locum illius costæ carnem adimpleuit,ut hoc nomine insinuaretur dilectionis affectus,quo diligit unusquisque animam suam & non est durus ut eã contemnat,quod diligit quisque cui præest. Non enim sic nominata est caro isto loco,ut carnalem concupiscentiam significet,sed illo modo potius,quo Propheta
Ezech.11. dicit,auferri populo cor lapideum, & dari cor carneum. Hoc modo enim dicit
et 36. etiam Apostolus: Non in tabulis lapideis,sed in tabulis cordis carnalibus. Aliud est
2.Cor.3. quippe propria locutio,aliud figurata,qualis ista est,quã tractamus modò. Quapropter & si uisibilis fœmina secũdum historiam de corpore uiri primo facta est à Domino Deo,non utique sine causa ita facta est,nisi ut aliquot secretum intimaret. Non enim aut limus defuit,unde fœmina formaretur:aut si uellet Dominus, homini uigilanti costam sine dolore detrahere posset, siue ergo ista figuratè dicta sint,siue etiam figuratè facta sint,non frustrà hoc modo dicta uel facta sunt,sed sunt planè mysteria & sacramenta:siue hoc modo,quo tenuitas nostra conatur, siue aliquo alio meliore, secundum sanam tamen fidem sunt interpretanda & intelligenda.

De Gen.ad Lit.Lib.9. Cap.XIII. Tomo.III.

Tulit unam de costis eius. Quid ergo sibi uult etiam illud,quòd mulier uiro de latere facta est? Verum est propter ipsius coniunctionis uim commendandã,hoc hoc ita fieri oportuisse credamus. Nunquid etiam ut dormienti fieret, eadem ratio uel necessitas flagitabat,ut denique osse detracto,in cuius locum caro suppleretur? Non enim non potuit ipsa caro detrahi,ut inde congruentius, quòd sit sexus infirmior,mulier formaretur? An uerò tam multis additis,costam Deus ædificare potuit in mulierem,& carnem pulpámue non potuit, qui de puluere ipsum hominem fecit? Aut si iam costa fuerat detrahenda,cur non altera pro ea costa reposita est? Cur etiam non dictum est finxit aut fecit,sicut in omnibus suprà operibus:sed ædificauit inquit,Dominus Deus illam costam,non tanquam corpus humanum,sed tanquam domum. Non est itaque dubitandum quoniam hæc facta sunt,& stulta esse non possunt,ob aliquid significandum esse facta,fructum futuri seculi ab ipso iam primordio generis humani deo præscio in ipsis suis operibus misericorditer prædicante,ut certo tempore seruis suis,siue per hominum successiones,siue per suum spiritum uel angelorum ministerium reuelata atque conscripta,& promittendis rebus futuris & recognoscendis impletis testimoniũ per-
Eiusdẽ lib. hiberent &c. Aliter ergo quæritur,quemadmodum sit soporatus Adam, co-
cap.15. staq; eius sine ullo doloris sensu à corporis cõpage detracta sit. Hæc enim fortasse dicatur potuisse per angelos fieri:formare autem uel ædificare costam,ut mulier esset,usque adeò non potuit nisi Deus,à quo uniuersa natura subsistit,ut ne illud quidem carnis supplementum in corpore uiri, quod in illius costæ successit locum,ab angelis factam esse crediderim:sicut nec ipsum hominem de terræ puluere:non quod nulla sit angelorum opera,ut aliquid creetur,sed non ideo creatores

A res sunt, quia nec agricolas creatores segetum atque arborum dicimus. Nō enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incremētum dat Deus. Ad hoc incrementum pertinet etiam in corpore humano, quod osse dempto, locus carne suppletus est: illo scilicet opere Dei, quo naturas substituit ut sint, quo ipsos quoque angelos creauit &c.

De Gen. contra Manich. Lib. 2. Cap. XIII. Tomo. I.

Hoc nunc os de ossibus meis. Os de ossibus fortasse propter fortitudinē, & caro de carne propter temperantiam. Hæ nanq; duæ uirtutes ad inferiorem animi partē, quam prudentia rationalis regit docentur pertinere. Quòd autem dictū est: Hæc uocabitur mulier, quoniam &c. Ista origo nominis & interpretatio in latina lingua non apparet. Quid enim simile habet mulieris nomen ad uiri nomen, non inuenitur. Sed in Hebræa locutione dicitur sic sonare, quasi dictum sit. Hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro suo sumpta est. Nam uirago, uel uirgo potius habet aliquam similitudinem cum uiri nomine, mulier autem non habet. Sed hoc ut dixi, linguæ diuersitas facit. Quòd autem additum est: Relinquet homo patrē & matrem, &c. quomodo referatur ad historiam non uideo, nisi quòd plerunque in genere humano ista cōtingunt: sed tota prophetia est, cuius Apostolus meminit, dicens: propter hoc relinquet homo patrem & matrem &c. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo Iesu, & in ecclesia. Quod Manichæi si non cæci legerent, qui per epistolas apostolicas multos decipiunt, intelligerent quomodo accipiendæ sint ueteris testamenti scripturæ, nec tam sacrilega uoce auderent accusare quod nesciunt. Quòd autē nudi erant Adā & mulier eius, & nō confundebantur, simplicitatem animæ castitatemq; significat. Nam & Apostolus ita dicit: Aptaui uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Euam fefellit uersutia sua, ita corrumpantur mentes uestræ à simplicitate & castitate, quæ est in Christo. Eph. 5. B

Item. Vide. 1. Cor. 15. in hæc uerba. Sicut in Adam omnes moriuntur &c.

CAPVT TERTIVM

De Gen. cont. Manich. Lib. 2. Cap. XIIII. Tomo. I.

Serpens erat callidior. Serpens autē significat diabolum, qui sanè nō erat simplex. Quòd enim dicitur sapiētior omnibus bestijs, figuratè insinuatur eius uersutia. Nō autē dictū est quòd in paradiso erat serpēs, sed erat serpēs inter bestias quas fecit Deus. Paradisus nāq; beatā uitam, ut superius dixi, significat, in qua iā nō erat serpens, quia iā diabolus erat, & de sua beatitudine ceciderat, quia in ueritate nō stetit. Nec mirādū est quomodo mulieri loqui potuerit, cùm illa est in paradiso, & ille nō esset. Nec enim aut illa secundum locum erat in paradiso, sed potius secundum beatitudinis affectum: aut etiā si locus est talis, qui paradisus uocetur, in quo corporaliter Adam & mulier habitabant, etiam diaboli accessum corporaliter intelligere debemus. Non utique, sed spiritaliter, sicut Apostolus dicit, secundū principē potestatis aëris huius spiritus, qui nunc operatur in filijs diffidētiæ. Nunquid ergo uisibiliter eis apparet, aut quasi corporeis locis accedit ad eos in quibus operatur? Nō utiq;, sed miris modis per Eph. 2.

cogitationes suggerit quicquid potest. Quibus suggestionibus resistunt, qui uerè C
2.Cor.2. dicunt, quod item dicit Apostolus. Non enim ignoramus astutias eius. Quomodo enim accessit ad Iudam, quando ei persuasit ut Dominum traderet? Nũquid in lo-
Luc.22. cis, aut per hos oculos ei uisus est? Sed utique, ut dictum est, intrauit in cor eius. Repellit autem illum homo, si paradisum custodiat. Posuit enim Deus hominẽ in
Cant.4. paradisum, ut operaretur, & custodiret, quia sic & Ecclesiæ dicitur in Canticis Cãticorum: Hortus conclusus, fons signatus, quò utique non admittitur peruersitatis ille persuasor. Sed tamen per mulierem decipit. Non enim etiã ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cùm delectatio mota fuerit in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi tanquam rectori uiro. Etiam nunc in uno quoque nostrum nihil aliud agitur, cùm ad peccatum quisq; delabitur, quàm tũ actum est in illis tribus, serpente, muliere, & uiro. Nã primò fit suggestio, siue per cogitationem, siue per sensus corporis, uel uidendo, uel tangendo, uel audiendo, uel gustando, uel olfaciendo. Quæ suggestio cùm facta fuerit, si cupiditas nostra non moueatur ad peccandum, excludetur serpentis astutia: si autem mota fuerit, quasi mulieri iam persuasum erit. Sed aliquando ratio uiriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atque compescit. Quod cùm fit, non labimur in peccatum, sed cùm aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, & quod libido commouerit faciendum esse decernat, ab omni uita beata tanquam de paradiso expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiam si non subsequatur factum, quoniam rea tenetur in consensione conscientia.

Ex Lib.I.cont.aduer.Leg.& Prophet. Cap.XV. Tomo.VI.

Nõ itaq;, sicut ait iste blasphemus, inuenitur serpẽs loco meliore quàm Deus, D quia præualuit decipere hominẽ quem fecerat Deus. Nullo enim modo homo de-
prouer.16 ciperetur, si non in se exaltato corde recessisset à Deo. Vera quippe, quoniã diuina, est illa sententia: Ante ruinã exaltatur cor, & ubi contra Deũ exaltatur, ibi ab illo deseritur, & in se tenebratur. Quid autẽ mirum si dũ tenebratur, nescit quid sequatur: quoniã non à seipso lumen est, sed ab illo illuminatus. Quòd ergo Deus semper inuictus sit, etiã homo uictus ostẽdit: quia uictus non fuisset, si ab inuicto nõ recessisset. Quomodo est auctor uictor hominis deceptor, cùm à semetipso sit etiam ipse deceptus? Vnde & ille qui decepit, & ille quem decepit, ambo decepti sunt, recedendo ab eo qui non potest decipi: & ambo sunt uicti, recedendo ab eo qui non potest uinci. A quo utiq; qui plus recedit, plus uincitur: quia tantò est inferior, quantò deterior. Et ideo necesse est, ut qui malũ alteri prius inferendo uincere uidetur, amplius ipse bonum amittendo uincatur. Neque fieri potest ut ei sit locus melior, cùm causa sit peior. Et quòd ad tempus præualuisse uisus est diabolus homine superato, etiam sic in æternum uictus est homine reparato. Nec Dei confitentis uerba sunt, sed potius exprobrantis: Ecce Adam factus est tanquam
2.Cor.12. unus ex nobis. Sicut Apostolus ubi dicit: Donate mihi hanc iniuriã: utiq; à cõtrario uult intelligi, si adsit pronuntiator doctus, nõ calumniator indoctus. Porrò autem cui displicet peccator prohibitus à ligno uitæ, quid nisi impunè uult male uiuere? Nec magnum erat Deo, & alio quolibet modo uitã subtrahere homini quẽ uiuere noluisset: sed quoniam rationales animæ de sapiẽtia uiuunt, quarum mors

est

A est insipientia, huius rei significandę gratia, lignum uitę in paradiso fructū suo mori hominem nec corpore fineret. Quòd ergo inde separatus traditus est morti, consumendus ætate, quod nequaquā illi accidisset, si semper eodem cibo frueretur, significatum est, quòd prius ab spiritali uitæ ligno propter peccatum anima eius exclusa est, & ista quadam sua interiore morte iam mortua. Nam de sapientia scriptum est: Lignum uitæ est amplectentibus eam. Quod iste non intelligens ait: Quatenus ergo ante maledictum immortalis homo perpetuo uiuere poterat, qui nondum ex ista arbore cibum sumpserat? Quasi aliquis ei dixerit, aut in illo libro alicubi legerit, quòd nondum Adam sumpserat ex cibo arboris uitæ. Quin potius intelligendus est, quoniam inde illi uita in corpore perpetua suppetebat, ne uetustate cōsumeretur ętatis, ad hoc inde prohibitus, ut ex peccati pœna iā illi esset necessitas mortis. Quomodo, inquit, ex Dei maledicto mori cœperat, cùm uita ipsa nūquam ex ipso initium sumpserit? Quasi optauerit ei Deus mortem sicut homo homini, ac non Dei uerba ad sententiam pertineant punientis, non ad iram maledicentis. Punire autem morte corporali, fuit à uitæ arbore separare, cùm iam fuisset spiritaliter mortuus animo, utique separatus ab alimento sapientiæ. Deus itaq; quid ei contigisset in animo significare uoluit, separando eum à ligno uitæ, quo significatur sapientia. Sed ista, inquit, arbor quæ in paradiso uitæ, fructus ferebat, cui proderat? Cui, nisi prius illis primis hominibus, masculo & fœminæ, qui in paradiso fuerant constituti? Deinde istis de paradiso pro merito suæ iniquitatis eiectis, mansit ad memoriam significandæ spiritalis arboris uitæ. Quod est, ut diximus, ipsa sapientia, beatarum cibus immutabilis animarum, Prouer. 3.

B Verùm autem illo cibo uescatur nunc aliquis, nisi fortè Enoch & Helias nō temerè asseuerandum puto: ligno tamen illo uitæ, quod est in spiritali paradiso, nisi alerentur animæ beatorum, non pro munere pietatis & fidelissimæ confessionis, latronis animæ credentis in Christum, legeremus paradisum eodem die fuisse concessum. Amen, inquit, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Esse autē ibi cum Christo, hoc est esse cum uitæ ligno. Ipse est quippe sapientia, de qua, ut superius commemoraui, scriptum est: Lignum uitæ est amplectentibus eam. Nunquid nam & hoc refellendum est, quod uelut acutè ut sibi uidetur, irridet? Primò Deum non præscisse, quòd contigit. Deinde implere non ualuisse quod magnoperè cogitauit. Tertiò ad maledictum se conuertisse superatum? Vnde scit Deum non præscisse quòd contigit? An quia contigit? Quinimò si non contigisset, nullo modo id præscisset futurum, quia non erat futurum. Aut si propterea putat non pręscisse, quia si pręscisset, ne contingeret præuidisse, potest hoc & de Christo dicere, qui talētum dedit homini nihil acquisituro: quod propterea utiq; dederat, ut eius augeretur pecunia, quicquid est quod illa significat. Ergo quia contigit, ut ille sua pigritia non acquireret, hoc non præsciuit ille qui dedit? Dicere etiam potest, non implesse de hoc lucro Christum quod magnoperè cogitauit. Potest & illud tertiū, ad maledictū se conuertisse superatū, quoniam dixit: Ligate illi manus & pedes, & proijcite eum in tenebras exteriores. Sicut de Adam dictum est, ut à ligno uitæ separatus, morte etiam corporis plecteretur. Huic enim homini diserto, definientis maledictum, uidetur impotētis imperium. Dicat ergo impotentem Christum, Luc. 23. Eiusdē lib. cap. 16. Matth. 25.

quoniam de acquirenda spiritali pecunia non potuit quod cupiebat efficere: dicat C
æmulum ac malitiosum, quòd seruo suo inuidet lucem ac salutem, quem proijci iussit in tenebras, ubi esset fletus & stridor dentiũ. Si autẽ de Christo ista non dicit, ne hoc modo se indicet non esse Christianum, cur audet dicere de hominis cõditore & peccati merito damnatore? quod non audet dicere de hominis redemptore: & si eius præcepta contempserit, pœna æternæ mortis ultorem, eundem ipsum scilicet? Nam & in quem alium nisi in Christum hæc maledicta nesciens iste iaculatur, quandoquidem ille ait: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me
Ioan. 5. enim ille scripsit? Quid enim pater sine filio uel tunc fecit, uel unquam facit? Si ergo salubriter, non solum bonitatem, uerumetiã seueritatem Dei sancta scriptura commendat, quoniam & amatur Deus utiliter & timetur. Vnde Apostolus eodẽ
Rom. 11. loco utrumque commemorat dicens. Vides ergo bonitatem & seueritatem Dei: quid est quòd iste insanus & præceps cùm Christianum se esse iactet, hoc repræhendit in Deo prophetarum, quod in Deo inuenit Apostolorum, quoniam idem Deus est, & illorum & istorum? Quòd autem de isto cõmemoraui, quem pigrum seruum misit in tenebras exteriores, seueritas est Dei: ubi nec futurorũ improuidus dicitur, quia tali pecuniam suam credidit: nec impotens, quia ut bene ageret, non ipse correxit: nec æmulus ac malitiosus, quòd à luce separatum in tenebras misit. Hoc de omnibus pœnis hominum, quæ leguntur in propheticis libris inflictæ fuisse peccantibus debet fidelis lector aduertere. &c.

De Gen. ad Lit. Lib. 11. Cap. XXVII. Tomo. III.

Dixit serpens mulieri. Ab illo ergo cuius super omnia quæ creauit summa potestas est, per angelos suos à quibus illuditur diabolus, cũ et de ipsius maleuolẽtia cõsulatur ecclesiæ Dei, non est permissus tentare fœminã nisi per serpentem, nec uirum nisi per fœminã, sed in serpente ipse locutus est, utens eo uelut organo, mouensq; eius naturã eo modo, quo modo uerè ille mouere & moueri potuit, ad exprimendos uerborũ sonos & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret uoluntatem. In ipsa uerò muliere quia illa rationalis creatura erat, quæ motu suo posset uti ad uerba facienda, non ipse locutus est, sed eius operatio atque persuasio, quamuis occulto instinctu adiuuaret internis, quod externis egerat per serpentẽ: quod quidem si suo instinctu occultius ageret, sicut egit in Iuda ut traderet Christum, posset efficere in animo superbo amore suæ potestatis inducto: sed sicut iam dixi, tentandi uoluntatem habet diabolus: in potestate autem, nec ut faciat habet, nec quomodo faciat. Quia permissus est, ergo tentauit, & quomodo permissus est ita tentauit. Cui autem generi hominũ prodesset quod faciebat, ne-
Eiusdẽ lib. que sciebat neq; uolebat, & eo ipso illudebatur ab angelis. Non itaque serpens
Cap. 28. uerborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem: neque enim cõuersa credenda est anima eius in naturam rationalem: quandoquidem nec ipsi homines quorum rationalis natura est, cũ dæmon in eis loquitur ea passione, cui exorcista requiritur: sciant quid loquantur, quãtò minus ille intelligeret uerborum sonos, quos per eum, & ex eo diabolus illo modo faciebat, qui hominem loquentem non intelligeret si eum à diabolica passione immunis audiret. Nã & quòd putantur audire & intelligere serpentes uerba Marsorũ, ut in eis incantãtibus prosi-

liant

A liant plerunque de latebris, etiã illic diabolica uis operatur, ad cognoscendam ubique prouidentiam, quam rem cui rei naturali ordine subijciat, & quid etiam uoluntatibus malis sapientissima potestate permittat, ut hoc magis habeat usus serpẽtes moueri carminibus hominum, quàm ullum aliud genus animantium, etiã hoc enim non parua testatio est, naturam primitus humanam serpentis seductam esse colloquio. Gaudent enim dæmones hanc sibi potestatem dari, ut ad incantationem hominum serpentes moueant, ut quolibet modo fallant quos possunt: Hoc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quod sit eius quædam cum hoc genere familiaritas. Porrò ipsum primũ factum ad hoc permissum est, ut per naturam serpentis significaretur generi hominum, cui erudiendo hæc gesta conscribi oportebat, omnis diabolicæ tentationis similitudo, quod apparebit cùm in serpentem proferri cœperit diuina sententia. Proinde prudentissimus omnium bestiarum, hoc est, astutissimus, ita dictus est serpẽs propter astutiam diaboli, qui in illo & de illo agebat dolum, quemadmodum dicitur prudens uel astuta lingua, quam prudens uel astutus mouet ad aliquid prudenter astutéque suadẽdum. Nõ enim est hæc uis seu uirtus membri corporalis quod uocatur lingua, sed utique mentis quæ utitur ea. Ita etiam dictus est stilus mendax scribarum. Neque enim esse mendacem pertinet nisi ad uiuentem atque sentientem, sed stilus mendax dictus est, quod per eum mendax mendaciter operetur, quemadmodum si & iste serpens mendax diceretur, quod eo diabolus tanquam stilo mẽdaciter uteretur. Hoc ideo commendandum putaui, ne quisquam existimans animantia rationis expertia humanum habere intellectum, uel in animal rationale repẽtè mutari, seducatur in illam opinionem ridiculam & noxiam reuolutionis animarum

Eiusdẽ lib. cap. 29.

B uel hominum in bestias, uel in homines bestiarum. Sic ergo locutus est serpẽs homini, sicut asina in qua sedebat Balaam locuta est homini, nisi quòd illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum. Habent enim quædam boni & mali angeli opera similia: Sicut Moyses & magi Pharaonis. Verùm in his etiam boni angeli potentiores sunt, nec mali angeli etiam talium operum quicquam possunt, nisi quod per bonos angelos permiserit Deus, ut retribuatur unicuique secundum cor eius, uel secundum gratiam Dei, utrumque iustè ac benignè per altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.

Non edetis de omni ligno. Ideo prius interrogauit serpẽs, & respõdit hęc mulier, ut præuaricatio esset inexcusabilis, neque ullo modo dici posset, id quod præceperat Deus oblitam fuisse mulierem, quanquam & obliuio præcepti, maximè unius & tam necessarij, ad maximam culpam damnabilis negligẽtiæ pertineret: uerumtamen euidentior eius transgresio est cùm memoria retinetur, & tãquam in illo Deus assistens præsensq; contemnitur. Vnde necessarium fuit cum in Psalmo diceretur, & memoria retinentibus mandata eius addere, ut faciant ea. Multi enim retinent memoria, ut contemnant ea pręuaricationis maiore peccato, ubi obliuionis nulla est excusatio. Dixit ergo serpẽs mulieri: Non morte moriemini, scit enim Deus quoniam qua die manducaueritis de eo, adaperientur uobis oculi, & eritis sicut dij cognoscentes bonum & malum. Quãdo his uerbis crederet mulier à bona atque utili re diuinitus se fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor ille pro-

Eiusdẽ lib. cap. 30.

priæ poteſtatis,& quædam de ſe ſuperba præſumptio,quæ per illam tentationem C
fuerat conuincenda & humilianda.Denique uerbis non contenta ſerpentis conſiderauit lignum,uiditque bonum ad eſcã,& decorum ad aſpectum,& non credens poſſe inde ſe mori,arbitror quòd putauerit Deũ alicuius ſignificationis cauſa dixiſſe,ſi manducaueritis morte moriemini:atque ideo ſumpſit de fructu eius & mãducauit,& dedit etiã uiro ſuo ſecum.Fortaſsis etiam cum uerbo ſuaſorio, quod ſcriptura tacens intelligendum reliquit.An fortè nec ſuaderi iam opus erat uiro,quando illã eo cibo mortuam non eſſe cerneba ? Ergo ederunt,& aperti ſunt oculi amborum.Quomodo niſi adinuicem concupiſcendum ad peccati pœnam carnis ipſius morte conceptam:ut iam eſſet corpus non animale tantũ,quod poterat,ſi obedientiam conſeruarent,in meliorem ſpiritalémque habitũ ſine morte mutari:ſed iam corpus mortis in quo lex in membris repugnaret legi mentis. Neque enim clauſis oculis facti erant & in paradiſo delitiarũ cæci palpãteſq; oberrabant,ut uetitum lignum etiam neſcientes attingerent, palpantéſque fructus prohibitos ignorãdo decerperent.Quomodo autẽ animalia & uolatilia adducta ſunt ad Adam,ut uideret quid ea uocaret ſi nõ uidebat ? Et quomodo ipſa mulier ad uirum adducta eſt,quando facta eſt ut de illa quam non uidebat diceret : Hoc nunc os ex oſsibus meis,& caro de carne mea,& cætera.Poſtremò quomodo uidit mulier quia bonum eſt lignum in eſcam,& quia placet oculis ad uidendum,et decorum eſt cognoſcere ſi eorum clauſi erant oculi?Nec tamen ideo propter unius uerbi translationem totum figuratè accipiendum eſt. Viderit enim quemadmodum dixerit ſerpens:Aperientur uobis oculi.Hoc enim eum ſcriptor libri dixiſſe narrauit:in qua uero ſignificatione uel ſententia dixerit,lectori conſiderare D
permiſit.Hoc autem quod ſcriptũ eſt:Et aperti ſunt oculi eorum & cognouerũt quia nudi erant,ita ſcriptum eſt,quemadmodum omnia quę geſta narrantur,nec tamen ideo in allegoricam narrationem nos debent ducere.Neque enim et euangeliſta narrator dicta cuiuſquam figurata ex eius perſona inſerebat,ac non ex perſona ſua quæ fuerant geſta narrabat , cùm diceret de illis duobus , quorùm unus erat Cleophas,quòd cùm fregiſſet eis Dominus panẽ,aperti ſunt oculi eorum,et cognouerunt eum quem per uiam non cognouerant,nõ utique clauſis oculis ambulantes,ſed eum cognoſcere non ualentibus.Sicut ergo ibi,ſic in iſto loco narratio figurata eſt,quamuis tranſlato uerbo ſcriptura uſa uideatur,ut apertos diceret oculos,qui & antea patebant, Apertos utique ad aliquid intuendũ & cogitãdum, quod antea nunquam aduerterant. Vbi enim ad trãſgrediendum præceptum audax curioſitas mota eſt,auida experiri latẽtia,quod nam tacto uetito ſequeretur, et noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata,probabilius exiſtimãs non eſſe mortem quam timuerant ſecuturam . Tale quippe pomum credendum eſt fuiſſe in illa arbore,cuius generis poma iã in alijs arboribus innoxia ſenſerãt: unde magis crediderunt Deum poſſe peccantibus facilè ignoſcere,quòd patiẽter tulerint nõ cognoſcere,quid nam eſſet,uel cur eos inde cibum ſumere uetuiſſet. Mox ut ergo præceptum trãſgreſsi ſunt,intrinſecùs gratia deſerente omnino nudati , quam typho quodam & ſuperbo amore ſuæ poteſtatis offenderat , in ſua membra oculos iniecerunt , eaq; motu quem non nouerant concupiuerunt.

Eiuſdẽ lib. cap.31.

Ad hoc

A Ad hoc ergo aperti sunt oculi ad quod antea nō patebant, quāuis ad alia paterent. Eiusdē lib. cap.32.
Hæc mors ea die accidit qua factum est quod Deus uetuit. Amisso quippe statu mirabili, corpus ipsum cui status etiam de ligno uitæ uirtute mystica præbebatur, per quem nec morbo tentari nec mutari ætate potuissent, ut hoc in eorum carne, quamuis adhuc animali, & in melius postea commutanda, iam tamen significaretur per escam ligni uitæ, quod ex ipso spiritali alimento, cuius sacramentum illud lignum erat, fit in bonis angelis per æternitatis participationem, ut in deterius nō mutentur. Hoc ergo amisso statu corpus eorum duxit morbidam & mortiferam qualitatem, quæ inest etiam pecorum carni, ac per hoc etiam eundem motum qui fit in pecoribus concumbendi appetitus, ut succedant nascentia morientibus. Sed tamen etiam in ipsa pœnæ suæ generositatis uindex anima rationalis bestialē motum in membris suæ carnis erubuit, eique incussit pudorem, nō solùm quia hoc ibi sentiebat, ubi nunquam antea tale aliquid senserat, uerumetiam quòd ille pudendus motus de præcepti transgresione ueniebat. Ibi enim sensit qua prius gratia uestiretur, quando in sua nuditate nihil indecens patiebatur. Ibi completū est: Domine in uoluntate tua præstitisti decori meo uirtutem, auertisti autem faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Denique illa conturbatione ad folia ficulnea cucurrerunt, succinctoria consuerunt, & quia glorianda deseruerant, pudenda texerunt. Nec arbitror eos cogitasse aliquid in illis folijs quòd talibus congrueret contegi iam membra prurientia, sed occulto instinctu ad hoc illa conturbatione compulsi sunt, ut etiam talis pœnæ suæ significatio à nescientibus fieret, quæ peccatorem factum conuinceret & doceret scriptura lectorem. Psal.29.

B De Gen. contra Manichæos Lib.2. Cap.XV. Tomo.I.

Non morte moriemini. Quo autem modo serpens ille peccatum persuaserit, diligenter considerādum est, pertinet enim maximè ad nostram salutem: nam ideo hæc scripta sunt, ut iam talia caueamus. Nam cùm interrogata mulier respondisset quid eis præceptum esset, ait ille: Non morte moriemini &c. Videmus his uerbis per superbiam peccatum esse persuasum: ad hoc enim ualet quod dictum est: Eritis sicut dij: Sicut etiam hoc quod dictum est: Sciebat enim Deus, quoniam qua die manducaueritis ex eo, aperientur oculi uestri, quid intelligitur nisi persuasum esse, ut sub Deo nollent esse, sed in sua potestate potius sine Domino: ut legem eius non obseruarent, quasi inuidentis sibi ne seipsi regerent, non indigentes illius interno lumine, sed utentes propria prouidentia, quasi oculis suis ad dignoscendum bonum & malum, quod ille prohibuisset? Hoc est ergo quod persuasum est, ut suam potestatem nimis amarent: & cùm Deo pares esse uellent, illa medietate per quam Deo subiecti erant, & corpora subiecta habebant, tanquam fructum arboris constitutæ in medio paradisi malè uterenter, id est, contra legem Dei: atque ita quod acceperant amitterent, dum id quod non acceperant usurpare uoluerunt. Non enim accepit hominis natura, ut per suam potestatem, Deo non regente beata sit: quia nullo regente per suam potestatem beatus esse solus Deus potest. Et uidit, inquit, mulier quia bonum est lignum ad escam, & quia bonum est oculis ad uidendum & cognoscendū. Quomodo uidebant, si clausi erant oculi? Sed hoc dictum est, ut intelligeremus eos oculos esse apertos, posteaquam

de

de fructu illo accæperunt, quibus se nudos uidebāt, & displicebant sibi, id est, oculos astutiæ, quibus simplicitas displicet. Cùm enim quisque ceciderit ab illa intima & secretissima luce ueritatis, nihil est unde uelit placere superbia, nisi fraudulentis simulationibus. Hinc enim & hypocrisis nascitur, in qua multum sibi uidentur cordati, qui potuerunt fallere & decipere quem uoluerunt. Dedit enim mulier uiro suo, & manducauerunt & aperti sunt oculi eorum, de quibus iam dictum est, & tunc uiderūt quod nudi essent: sed oculis peruersis, quibus illa simplicitas, quæ nuditatis nomine significata est erubescenda uidebatur. Itaque ut iam nō esse simplices, fecerunt de folijs fici sibi succinctoria, tanquam tegentes pudenda sua: id est, occultantes simplicitatem suam, de qua iam erubescebat astuta superbia. Folia uerò fici pruritum quendam significant. Si hoc bene in rebus incorporalibus dicitur, quem miris modis animus patitur cupiditate & delectatione mentiendi. Vnde etiam latinè salsi dicuntur, qui iocari amant. In iocis autem utique simulatio principatum tenet. C

Ex Lib. 14. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XVII. Tomo. V.

Nudi erant, & non confundebantur. Non quòd eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat: quia nondum libido membra illa præter arbitrium cōmouebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Neque enim cæci erāt creati, ut imperitum uulgus opinatur: quandoquidem & ille uidit animalia, quibus nomina imposuit, & de illa legitur: uidit mulier quia bonum est lignum in escam, & quia placet oculis ad uidendum. Patebant ergo oculi eorum, sed ad hoc non erant aperti, hoc est, non attenti ut cognoscerent, quid eis indumento gratiæ præstaretur, D quando membra eorum uoluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, ut pœna reciproca inobediētia plecteretur, extitit in motu corporis quædā impudēs nouitas, unde esset indecens nuditas, & fecit attentos reddiditq; cōfusos. Hinc est, quod postea quàm mandatum Dei aperta transgressione uiolarunt, scriptū est de illis: Et aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt quia nudi erant, & cōsuerunt folia fici, & fecerunt sibi campestria. Aperti sunt, inquit, oculi amborū, non ad uidendum: nam & antea uidebant, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod ceciderant. Vnde & ipsum lignum eo quòd istam faceret dignoscentiam, si ad uescendum contra uetitum tangeretur, ex ea re nomen accæpit, ut appellaretur lignum scientiæ boni & mali. Experta enim morbi molestia, euidentior fit etiam iocunditas sanitatis. Cognouerunt ergo quia nudi erant, nudati scilicet ea gratia qua fiebat, ut nuditas corporis nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognouerūt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes & obedientes non cōmitterent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent. Proindè cōfusi inobedientia carnis suæ tanquam teste pœna inobedientiæ suæ, consuerunt folia fici, & fecerunt sibi campestria, id est, succinctoria genitalium. Nam quidam interpretes succinctoria posuerunt. Porrò autem campestria latinum quidem uerbum est, sed ex eo dictū, quòd iuuenes qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant: unde qui ita succincti sunt, campestratos uulgus appellat. Quod itaque aduersus damnatam culpam

A pam inobedientiæ uoluntatem libido inobedienter mouebat, uerecundia pudēter tegebat. Ex hoc omnes gentes, quoniam ab illa stirpe procreatæ sunt, usque adeò tenent insitum pudenda uelare, ut quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, sed cum earum tegumentis lauant. Per opacas quoque Indiæ solitudines, cùm quidā nudi philosophentur, unde gymnosophistæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent.

De Gen. ad Lit. Lib. II. Cap. I. Tomo. III.

Antequam huius propositæ scripturæ textū ex ordine pertractemus, admonendum arbitror, illud à nobis esse flagitandum, ut ad proprietatem literæ defendatur, quod gestum narrat ipse qui scripsit. Si autem in uerbis Dei uel cuiusquam personæ in officium propheticum assumptæ dicitur aliquid, quod ad literam nisi absurdè non posset intelligi, proculdubiò figuratè dictum ob aliquam significationem accipi debet: dictum tamen esse dubitare fas nō est: hoc enim à fide narratoris & pollicitatione expositoris exigitur. Erāt ergo ambo nudi, uerum est, omninò nuda erant corpora duorum hominum in paradiso conuersantium, nec pudebat eos. Quid enim puderet, quando nullam legem senserant in mēbris suis repugnantem legi mentis suæ, quæ illos pœna peccati post perpetrationem præuaricationis secuta est, usurpante inobedientia prohibitum, & iustitia puniente commissum? Quod antequam fieret, nudi erant, ut dictū est, & non confundebantur. Nullus erat motus in corpore cui uerecundia deberetur: nihil putabant uelandū, quia nihil senserant refrenandum, quemadmodum propagaturi filios, iam antea disputatum est. Non tamen eo modo credendum est, quo propagauerunt postea

B quàm crimen admissum prædicta ultio consecuta est: cùm priusquam morerentur, iam in corpore inobediētium hominū iustissimo reciprocatu inobedientium membrorū tumultum mors concepta uersaret: Nondū erant tales Adam & Eua cùm nudi essent, & non confundebantur. Serpens autem erat ibi prudentissimus quidem, sed omnium bestiarum quæ erant super terram quas fecerat Dominus Deus, translato enim uerbo dictum est, prudentissimus, uel sicut plures latini codices habent, sapientissimus, non proprio quo in bonum accipi solet sapientia uel Dei uel angelorum uel animæ rationalis: tanquam si sapientes apes etiam formicásque dicamus, propter opera uelut imitantia sapientiam: Quanquam iste serpens non irrationali anima sua, sed alieno iam spiritu, id est, diabolico, posset sapientissimus dici omnium bestiarum. Quantumlibet enim præuaricatores angeli de supernis sedibus suæ peruersitatis & superbiæ merito deiecti sunt, natura tamen excellētiores sunt omnibus bestijs propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum si suo instinctu diabolus iam implens serpentem, eique spiritum suum miscens, eo more quo uates dęmoniorū implere solet, sapientissimū eum reddiderat omnium bestiarū secundum animā uiuam, irrationalémque uiuētium. Abusione quippe nominis ita sapientia dicitur in malo, quemadmodū in bono astutia: cùm propriè magísque usitatè in latina duntaxat lingua sapiētes laudabiliter appellentur: astuti autem male cordati intelligantur. Vnde nonnulli, sicut in plerisque codicibus inuenimus, ad usum latinę locutionis, non uerbum, sed potius sententiam transferentes, astutiorem omnibus bestijs istum serpentem quàm sapientiorem dicere

Eiusdē lib. cap. 2

A tas quæ ante experimentum defuit ut permaneretur cum Deo, saltem post experimentum adsit ut redeatur ad Deum. Sic autem quidam mouentur de hac primi hominis tentatione, quòd eã fieri permiserit Deus, quasi nunc non uideant uniuersum genus humanũ diaboli insidijs sine cessatione tentari. Cur & hoc permittit Deus? An quia probatur & exercetur uirtus, & est palma gloriosior non consensisse tentatum quàm non potuisse tentari? cùm etiam ipsi qui deserto creatore eunt post tentatorẽ, magis magísque tentent eos qui in uerbo Dei permanent, præbeántque illis contra cupiditatem deuitationis exemplum, & incutiant contra superbiam timorem pium? Vnde dicit Apostolus: Intendens teipsum ne & tu tentẽris. Mirum est enim cur tantùm ista humilitas qua subdimur creatori, ne tanquam eius adiutorio non egentes, de nostris uiribus præsumamus, per scripturas omnes diuinas cura continua omnibus commendatur. Cùm ergo etiam per iniustos iusti, ac per impios pij proficiunt, frustrà dicitur. Non crearet Deus quos prę sciebat malos futuros. Cur enim non crearet quos præsciebat bonis profuturos, ut & utiles eorum bonis uoluntatibus exercendis admonendísque nascantur, & iustè pro sua mala uoluntate puniantur? Talem inquiunt, faceret hominem qui nollet omninò peccare. Ecce nos concedimus meliorem esse naturam quæ omninò peccare nolit: concedant & ipsi non esse malam naturam, quæ sic facta est ut possit non peccare si uellet, & iustam esse sentẽtiam qua punita est quæ uoluntate non necessitate peccauit. Sicut ergo ratio uera docet meliorem esse naturam, quam prorsus nihil delectat illicitum: ita ratio uera nihilominus docet etiam illam bonam esse, quæ habet in potestate illicitam delectationem si extiterit ita cohibere, ut non solùm de cæteris licitis rectéque factis, uerumetiam de ipsius prauæ delectationis cohibitione lætetur. &c. Eiusdẽ lib. cap. 6. Gal. 6. Eiusdẽ lib. cap. 7.

B

Ex uerbis Domini in euang. secund. Matth. Sermon. 10. Tomo. 10.

Consuerunt folia ficulneæ. Recordare originale peccatum Adæ, in quo omnes morimur. Quando primo peccauit, de folijs ficulneæ succinctoria sibi fecit. Significat in illis folijs pruritum libidinis, quò peccando peruenit. Inde nascimur, sic nascimur, in carne peccati nascimur, quam sola sanat similitudo carnis peccati. Ideo misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati. Inde uenit, sed sic non uenit. Non enim eum uirgo libidine, sed fide concæpit. Venit in uirgine, qui erat ante uirginem. Quam creauit elegit, quam eligeret creauit. Attulit uirgini fœcunditatem, non abstulit integritatem. Qui ergo sine pruritu foliorum ficus uenit ad te, cum esses sub arbore fici uidit te.

Epistola. 38. Tomo. II.

Quid interest utrùm in uxore, an in matre, dum tamen Eua in qualibet muliere caueatur? Nam ista umbra pietatis de folijs illius arboris uenit, quibus se primũ parentes nostri, in ista damnabili nuditate texerunt &c.

De Gen. cont. Manich. Lib. 2. Cap. XVI. Tomo. I.

Cùm deambularet Deus in paradiso. Id est, cùm ad eos iam iudicandos ueniret, adhuc ante pœnam eorum deambulabat in paradiso, id est, quasi mouebatur in eis præsentia Dei, quando enim ipsi stabiles in eius præcepto non erant. Et bene ad uesperam, id est, cùm iam ab eis sol occideret, id est, auferretur ab eis lux illa interior ueritatis.

ueritatis. Audierunt uocem eius, & abſconderunt ſe à conſpectu eius. Quis ſe abſcondit à conſpectu Dei, niſi qui deſerto ipſo, incipit iam amare quod ſuum eſt? Iam enim habebant cooperimenta mendacij. Qui autem loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Et ideo ad arborem ſe dicuntur abſcondere, quæ erat in medio paradiſi, id eſt, ad ſeipſos, qui in medio rerum infra Deum, & ſupra corpora ordinati erant. Ergo ad ſeipſos abſconderunt ſe, ut conturbarentur miſeris erroribus, relicto lumine ueritatis, quod ipſi non erant. Particeps enim ueritatis poteſt eſſe anima humana, ipſa autem ueritas Deus eſt incommutabilis ſupra illam. Ab ea ergo ueritate quiſquis auerſus eſt, & ad ſeipſum conuerſus, & non directore atque illuſtratore Deo, ſed de ſuis motibus quaſi liberis exultat, tenebratur mendacio: quoniam qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur: atque ita turbatur ut uox illa Pſal. 41. Prophetæ manifeſtat, qua dictum eſt: Ad me ipſum anima mea turbata eſt. Itaque iam interrogatur Adam, non Deo neſciente ubi eſſet, ſed cogente ad cõfeſsionem peccati. Non enim & Dominus Ieſus Chriſtus quæ tam multa interrogabat, neſciebat. Reſpondit autem uoce eius audita, abſcondiſſe ſe, quoniam nudus eſſet. Iam miſerrimo errore reſpondit, quaſi Deo poſſet diſplicere nudus, ſicut eũ ipſe fecerat. Eſt autem hoc erroris proprium, ut quod cuique diſplicet, hoc etiam Deo diſplicere arbitretur. Illud autem ſubtiliter intelligendum eſt, quod docuimus ait, Quis nuntiauit tibi quod nudus eſſes, niſi quia ab illa arbore, de qua dixeram tibi, ex illa ſola ne manducares, ex illa manducaſti? Nudus enim erat à ſimulatione, ſed ueſtiebatur luce diuina. Vnde auerſus & ad ſeipſum conuerſus, quod ſignificat de illa arbore manducaſſe, nuditatem ſuam uidit, & diſplicuit ſibi ex eo, quòd non habebat aliquid proprium.

De Gen. ad Lit. Lib. 11. Cap. XXXIII. Tomo. III.

Et audierunt uocem Domini Dei. Ea quippe hora tales iam conuenerat uiſitare qui defecerãt à luce ueritatis. Fortaſsis enim in alijs intrinſecus uel effabilibus uel ineffabilibus modis Deus cũm illis antea loquebatur, ſicut etiam cum angelis loquitur ipſa incommutabili ueritate, illuſtrans mentes eorum ubi eſt intellectus noſſe ſimul quæcunque etiam per tẽpora non fiunt ſimul. Fortè, inquam, ſic cũm eis loquebatur, & ſi non tanta participatione diuinæ ſapientiæ quantùm capiunt angeli: tamen pro humano modulo quantumlibet minus, ſed ipſo genere uiſitationis & locutionis, fortaſsis etiam illo qui fit per creaturam, ſiue in ecſtaſi ſpiritus corporalibus imaginibus, ſiue ipſis ſenſibus corporis aliqua ſpecie præſentata uel ad uidendum uel ad audiendum, ſicut in angelis ſuis ſolet uideri Deus uel ſonare per nubem. Nunc tamen quod audierunt uocem Dei ambulantis in paradiſo ad ueſperam non niſi per creaturam uiſibiliter factum eſt, ne ſubſtantia illa inuiſibilis & ubique tota quæ eſt patris & filij & ſpiritusſancti corporalibus eorum ſenſibus locali & temporali motu apparuiſſe credatur. Et abſconderunt ſe Adam & mulier eius à facie Domini in medio ligno, quod eſt in paradiſo. Cũm Deus auertit intrinſecus faciem ſuam, & fit homo conturbatus, non miremur hæc fieri quæ ſimilia ſunt dementiæ per nimium pudorem ac timorem, illo quoque occulto inſtinctu non quieſcente, ut ea neſcientes facerent quæ aliquid ſignificarent, quan-

Eiuſdẽ lib. Cap. 34. doque ſcituris poſteris propter quos iſta conſcripta ſunt. Et uocauit Dominus Deus

A Deus Adam, & dixit illi, ubi es? Increpantis uox est non ignorantis. Et hoc sanè ad aliquam pertinet significationem: quòd sicut præceptum uiro datum est per quem perueniret ad fœminam, ita uir prior interrogatur. Præceptum enim à Domino per uirum usque ad fœminam: peccatum autem à diabolo per fœminam usque ad uirum: hæc mysticis significationibus plena sunt, non id agentibus in quibus facta sunt, sed de his illud agente potentissima sapientia Dei. Non autem nunc significata referamus, sed gesta defendimus. Respondit ergo Adam: Vocem tuam audiui in paradiso & timui, quia nudus sum & abscondi me. Satis probabile est solere Deum per creaturam tali actioni congruam in forma humana primis illis hominibus apparere, quos tamē nunquam permisit aduertere nuditatem suam, eorum intentionem in superna sustollens, nisi cùm post peccatum pudendum in membris motum pœnali membrorum lege sensissent. Sic ergo affecti sunt ut solent affici homines sub oculis hominū, & talis affectio de peccati pœna erat, cùm latêre uellent quem latêre nihil potest, & ab eo carnem occultare, qui cordis inspector est. Sed quid mirum si superbi uolentes esse sicut dij, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum? Se quippe dixerunt esse sapientes in abundantia sua, & illo auertente faciem, stulti facti sunt. Quòd enim iam ipsos pudebat erga seipsos, unde sibi succinctoria fecerant, multò uehemētius ab illo etiam sic succincti uideri uerebātur, qui tanquam familiari temperamento ad eos uidendos per creaturam uisibilem, uelut humanos oculos afferebat. Si enim propterea sic apparebat ut homines tanquam cùm homine loquerentur, quemadmodum Abraham ad quercum Mambræ, illa ipsa propè amicitia pudorem onerabat post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum, nec iam illā nuditatem audebant ostendere talibus oculis, quæ displicebat & suis. Dominus ergo uolens iam peccatores more iustitiæ interrogatos punire, amplius quàm erat illa pœna, de qua iam cogebantur erubescere, quis nunciauit, inquit, tibi quia nudus es, nisi à ligno quod præceperam tibi tantùm ne ex eo manducares ab eo edisti? Hinc enim mors concæpta propter Dei sententiam, qui sic fuerat comminatus, fecit aduerti concupiscentialiter membra: & ibi dicti sunt aperti oculi, & secutum est quod puderent. Et dixit Adam, Mulier quam dedisti mecum, hæc mihi dedit à ligno & edi: nunquid dixit, peccaui? Superbia habet confusionis deformitatem, & non habet confessionis humilitatem. Ad hæc ista conscripta sunt, quia & ipsæ interrogationes nimirum ad hoc factæ sunt, ut & ueraciter & utiliter scriberentur: quia si mendaciter, non utique utiliter: ut aduertamus quo morbo superbiæ laborent homines hodie, non nisi in creatorem conantes referre si quid egerint mali, tamen sibi uelint tribui si quid egerint boni. Mulier, inquit, quam dedisti mecum, id est, quam dedisti ut esset mecum, hæc mihi dedit à ligno, & edi: quasi ad hoc data sit, ut non ipsa potius obediret uiro, & ambo Deo. Et dixit Dominus Deus mulieri: Quid hoc fecisti? Et dixit mulier: Serpens seduxit me & manducaui. Nec ista confitetur peccatum, sed in alterum refert inpari sexu, pari fastu. Ex his tamen natus est, nec eos imitatus est, sed planè pluribus malis exercitatus, qui dixit, & dicet usque ad terminum seculi. Ego dixi domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi. Quantò melius sic & isti; Sed adhuc ceruices

Rom. 1.

B

Eiusdē lib. cap. 35.

ces peccatorum non conciderat Dominus: restabant labores, dolores mortis, & omnis contritio sæculi, & gratia Dei, qua tẽpore opportuno subuenit hominibus, quos afflictos docuit non de seipsis debere præsumere. Serpẽs, inquit, seduxit me & manducaui: quasi cuiusquam suasio, præcepto Dei debuerit anteponi. C

Item Vide. 2. Cor. 3. in hæc uerba: Nos autem omnes reuelata facie.

De Trinit. Lib. 2. Cap. IX. Tomo. III.

Audiui uocem tuam, & absconsdi me. Quia itaque inquiunt, antequam natus esset filius Dei de uirgine Maria, ipse apparuit patribus nostris, non in una eadémque specie, sed multiformiter, aliter atque aliter: & uisibilis est per seipsum, quia nondum carne assumpta, substantia eius conspicua mortalibus oculis fuit, & mortalis inquãtum mutabilis. Ita & spiritus sanctus qui aliâs columba, aliâs ignis apparuit. Vnde nõ trinitati, aiunt, sed singulariter & propriè patri tantummodo conuenit, quod dictũ est: Immortali inuisibili soli Deo, & qui solus habet immortalitatẽ &c. Omissis ergo istis, qui nec animæ substantiam inuisibilem nosse potuerunt, unde longè remotum ab eis erat ut nossent unius & solius Dei, id est, patris & filij & spiritus sancti, non solùm inuisibilem, uerùm & incommutabilem permanere substantiam, ac per hoc in uera & syncera immortalitate consistere: nos qui nunquã apparuisse corporeis oculis Deum nec patrem, nec filium, nec spiritumsanctum dicimus, nisi per subiectam suæ potestati corpoream creaturam, in pace catholica pacifico studio requiramus: parati corrigi, si fraternè ac rectè reprehendimur, parati etiam si ab inimico, uera tamen dicente, mordemur, utrùm indiscretè Deus apparuit patribus nostris antequam Christus ueniret in carne, an aliqua ex trinitate persona, an singulatim quasi per uices. Ac primùm in eo quod scriptum est in Genesi locutum Deum cum homine quem de limo finxerat, si excæpta figurata significatione, ut rei gestæ fides etiam ad literam teneatur, ista tractamus, in specie hominis uidetur Deus cum homine tunc locutus. Nõ quidem expressè hoc in libro positum est, sed circumstantia locutionis id resonat, maximè in illo quod scriptum est, uocem Dei audiuisse Adam deambulantis in paradiso ad uesperam; & abscondisse se in medio ligni quod erat in paradiso, Deóque dicenti: Adam ubi es, respondisse: Audiui uocem tuam & abscondi me à facie tua, quoniam nudus sum. Quomodo enim possit ad literam intelligi talis Dei ambulatio & collocutio, nisi in specie humana, non uideo. Neque enim dici potest uocem solam factam ubi deambulasse dictus est Deus, aut eum qui deambulabat in loco non fuisse uisibilem, cùm & Adã dicat quòd absconderit se à facie Dei. Quis ergo erat ille, utrùm pater, an filius, aut spiritus sanctus? An omnino Deus indiscretè ipsa trinitas, in forma hominis homini loquebatur? Cõtextio quidem ipsa scripturæ nusquam transire sentitur à persona ad personam, sed ille uidetur loqui ad primum hominem qui dixit: Fiat lux, & fiat firmamentum, & cætera per illos singulos dies, quem Deum patrem solemus accipere, dicentem ut fiat quicquid facere uoluit. Omnia enim per uerbum suum fecit, quod uerbum eius unicum filium eius secundum rectam fidei regulam nouimus. Si ergo Deus pater locutus est ad primum hominem, & ipse deambulabat in paradiso ad uesperam, & ab eius facie se in medio ligni paradisi peccator absconderet: cur nõ iam ipse intelligatur apparuisse Abrahę

(margin: Eiusdẽ lib. cap. 10. — D; Gen. 1.)

& Moysi,

A & Moysi,& quibus noluit,& quemadmodum uoluit per subiectam sibi cōmutabilem atque uisibilem creaturā,cùm ipse in seipso atque in substantia sua,qua est, incommutabilis atque inuisibilis maneat?Sed fieri potuit ut à persona ad personā occultè scriptura transiret,& cùm patrē dixisse narrasset:Fiat lux,& cætera quę per uerbum fecisse commemoratur,iam per filium indicaret loqui ad primū hominem,non apertè explicans hoc,sed eis qui possent,intelligendū intimans. Qui ergo habet uires,quibus hoc secretum posit mentis acie penetrare,ut ei liquidò appareat,uel posse etiam patrem,uel non posse nisi filium,uel etiam spiritum sanctum,per creaturam uisibilem humanis oculis apparere,pergat in hæc scrutāda, si potest,etiam uerbis enuntianda atque tractāda.Res tamen,quantū ad hoc scripturæ testimonium attinet,ubi Deus cum homine locutus est,quantùm existimo occulta est.Quia etiam utrùm soleret Adam corporeis oculis Deum uidere, non euidenter apparet,cùm præsertim magna sit quæstio, cuiusmodi oculi eis aperti fuerint,quando uetitum cibum gustauerunt.Hi enim antequam gustassent,clausi erant.Illud tamen non temerè dixerim,si paradisum corporalem quendam locū illa scriptura insinuat,deambulare ibi Deum,nisi in aliqua corporea forma,nullo modo potuisse.Nam et solas uoces factas quas audiret homo,nec aliquam formā uideret,dici potest,nec quia scriptum est:Abscondit se Adam à facie Dei, cōtinuò sequitur ut soleret faciem eius uidere.Quid si eum non quidem uidere ipse poterat,sed uideri ipse metuebat,ab eo cuius uocem audierat,& deambulantis præsentiam senserat?Nam & Cain dixit Deo: A facie tua abscondam me, nec ideo fateri cogimur,eum solere cernere faciem Dei corporeis oculis,in qualibet forma uisi- *Gen.3.* *Gen.4.*

B bili,quamuis de facinore suo uocem interrogantis secúmque loquentis audisset. Cuiusmodi autem loquela tunc Deus exterioribus hominum auribus insonaret, maximè ad primum hominem loquens,& inuenire difficile est, & non hoc isto sermone suscepimus.Veruntamen si solæ uoces & sonitus fiebant,quibus quædā sensibilis præsentia Dei,primis illis hominibus præberetur,cur ibi personam Dei patris nō intelligā,nescio,quādoquidē eius persona ostēditur,& in ea uoce,cùm Iesus in monte corā tribus discipulis præfulgens apparuit:Et in illa,ubi super baptizatum columba descendit:Et in illa ubi ad patrem de sua clarificatione clamauit,eiq; respōsum est:Et clarificaui & iterū clarificabo.Non quia fieri potuit uox sine opere filij & spiritussancti(trinitas quippe inseparabiliter operatur) sed quia ea uox facta est quæ solius personam patris ostenderet,sicut humanam illam formam ex uirgine Maria trinitas operata est, sed solius filij persona est. Visibilem nanque solius filij personam,inuisibilis trinitas operata est.Nec nos aliquid prohibet,illas uoces factas ad Adam,non solum à trinitate factas intelligere,sed etiam personam demonstrantes eiusdem trinitatis accipere.Ibi enim cogimur,non nisi patris accipere,ubi dictum est:Hic est filius meus dilectus.Neque enim Iesus etiā spiritussancti filius,aut etiam suus filius credi aut intelligi potest:Et ubi sonuit: Et clarificaui & iterum clarificabo,non nisi patris personam fatemur.Respōsio quippe est ad illam Domini uocem,qua dixerat:Pater clarifica filium tuum,quod non potuit dicere,nisi Deo patri tantum,non & spirituisancto,cuius non est filius.Hîc autem ubi scriptum est: Et dixit Dominus Deus ad Adam,cur non ipsa trinitas *Gen.3.* *Matth.17.* *Matth.3.* *Ioan.12.* *Matth.3.* *Ioan.12.* *Ioan.17.* *Gen.3.*

G intelligatur,

intelligatur, nihil dici potest. Similiter etiam quod scriptum est: Et dixit Dominus C
Gen.12. ad Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, nō est apertum, utrùm sola uox facta sit ad aures Abrahæ, an & aliquid oculis eius apparuerit. Paulo pòst autē aliquantò apertius dictum est: Et uisus est Dominus Abrahæ, & dixit illi: Semini tuo dabo terrā hanc. Sed nec ibi expressum est, in qua specie uisus sit ei Dominus, aut utrùm pater, an filius, an spiritussanctus ei uisus sit: Nisi fortè ideo putant filium uisum esse Abrahæ, quia non scriptum est, uisus est ei
1.Cor.8. Deus, sed uisus est ei Dominus. Tanquam enim propriè uidetur filius Dominus uocari, dicente Apostolo: Nam & si sunt qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra, sicuti sunt dij multi & Domini multi, nobis tamē unus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & unus Dominus Iesus Christus, per quē omnia, & nos per ipsum. Sed & cùm Deus pater multis locis inueniatur dictus Dominus, sicuti est illud: Do-
Psal.2. minus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et illud: Dixit Dominus
Psal.109. Domino meo, sede à dextris meis. Cùm etiam spiritussanctus Dominus dictus in-
2.Cor.3. ueniatur, ubi Apostolus ait: Dominus autem spiritus est. Et ne quisquam arbitraretur filium significatum, & ideo dictum spiritum propter incorpoream substantiam, secutus contexuit. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Spiritū autem Domini nemo esse dubitauerit spiritum sanctum. Neq hîc ergo euidenter apparet, utrùm aliqua ex trinitate persona, an Deus ipsa trinitas, de quo uno Deo dictum
Deut.6. est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, uisus fuerit Abrahæ. Sub ilice autē Mambræ, tres uiros uidit, quibus & inuitatis, hospitioq́ susceptis & epulantibus ministrauit. Sic tamen scriptura illa rem gestam narrare cœpit, ut non di-
Gen.18. cat, uisi sunt ei tres uiri, sed uisus est ei Dominus. Atque inde consequenter exponens, quomodo ei uisus sit Dominus, contexit narrationem de tribus uiris, quos D
Abraham per pluralem numerum inuitat, ut hospitio suscipiat, & postea singulariter sicut unū alloquitur. Et sicut unus ei de Sara filium pollicetur, quem Dominum dicit scriptura, sicut in eiusdem narrationis exordio. Visus est, inquit, Dominus Abrahæ. Inuitat ergo & pedes lauat, & deducit abeuntes tanquam homines: loquitur autem tanquam cùm Domino Deo, siue cum ei promittitur filius, siue cū
Cap.11. ei Sodomæ imminens interitus indicatur. Non paruam neque transitoriā considerationem postulat iste scripturæ locus. Si enim uir unus uisus fuisset, iam illi qui dicunt, & priusquam de uirgine nasceretur per suam substantiam uisibilē filium, quid aliud quàm ipsum esse clamarent, quoniā de patre inquiunt, dictū est: In uisibili soli Deo? Et tamen possem adhuc quærere, quomodo ante susceptam carnem, habitu est inuentus ut homo, quandoquidem ei pedes loti sunt, & humanis
1.Timo.1. epulis epulatus est? Quomodo istud fieri poterat, cùm adhuc in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo? Nunquid enim iam semetipsum exinanierat, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuētus ut homo: quùm hoc quando fecerit per partum uirginis nouerimus. Quomodo igitur antequam hoc fecisset, ut uir unus apparuit Abrahæ, an illa forma uera non erat? Possem ista quærere, si uir unus apparuisset Abrahæ. Idemq́; Dei filius crederetur. Cùm uerò tres uiri uisi sunt, nec quisquam in eis uel forma uel ætate uel potestate maior cæteris dictus est, cur non hîc accipiamus uisibiliter insinuatam

per

A per creaturam uisibilem, trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis unã eandemq; substantiam? Nam ne quisquam putaret sic intimatum unum in tribus fuisse maiorem, & eum Dominum Dei filium intelligendum, duos autem alios angelos eius, quia cùm tres uisi sint, uni Domino illic loquitur Abrahã, sancta scriptura futuris talibus cogitationibus & opinionibus contradicendo non prætermisit occurrere, quãdo paulo pòst duos angelos dicit uenisse ad Loth, in quibus & ille uir iustus, qui de Sodomorum incendio meruit liberari, ad unũ Dominum loquitur. Sic enim scriptura sequitur dicens. Abijt autem Dominus postquam cessauit loqui ad Abraham, & Abraham reuersus est ad locum suum.

De Gen. cont. Manich. Lib. 2. Cap. XVII. Tomo. I.

Mulier quam dedisti mihi. Deinde iam more superbiæ in se non accusat, quòd cõsensit mulieri, sed in mulierẽ refundit culpam suã, & sic subtiliter quasi de astutia, quã miser conceperat, uoluit ad ipsum Deum pertinere quòd peccauit. Nõ enim ait, mulier dedit mihi, sed addidit dicens, mulier quam dedisti mihi. Nihil est autem tam familiare peccantibus quàm tribuere Deo uelle undecunque accusantur. Et hoc de illa uena superbiæ, ut quoniam sic homo peccauit cùm uult esse par Deo, id est, liber esse ab eius dominio: sic ut ille ab omni dominio liber est, quoniam ipse est Dominus omnium Quoniam ergo in maiestate par illi esse non potuit, iam lapsus & iacens in peccato suo, parem sibi eum facere conatur, uel potius illum uult ostendere peccasse, se autem esse innocentem: & mulier interrogata refert culpã in serpentem, quasi aut ille sic accepærit uxorem ut ei obtemperaret, & nõ potius ut ipsam sibi obtemperare faceret: aut illa non poterat Dei præceptũ potius custodire quàm uerba serpentis admittere. Iam serpens non interrogatur, sed prior ex

B cæpit pœnam, quia nec confiteri peccatum potest, nec habet omninò unde se excuset. Non autẽ nunc ea damnatio diaboli dicitur quæ ultimo iudicio reseruatur, de qua loquitur Dominus cùm dicit: Ite in ignem æternũ, qui præparatus est diabolo & angelis eius: sed ea pœna eius dicitur qua nobis cauendus est. Pœna enim eius est, ut in potestate habeat eos qui Dei præcepta contemnunt, Hoc enim explicatur his uerbis, quibus in eum profertur sentẽtia: & inde maior pœna est, quia de hac tam infelici potestate lætatur, qui solebat antequam caderet sublimi ueritate gaudere: in qna non stetit: & ideo illi etiam pecora præponuntur, non in potestate, sed in conuersione natnræ suæ: quia pecora non amiserunt beatitudinẽ aliquã cœlestem, quam nunquam habuerunt, sed in sua natura quam acceperunt peragunt uitam. Dicitur ergo huic, pectore & uentre repes. Quod quidem & in colubro animaduertitur, & ex illo animante uisibili ad hunc inuisibilem inimicum nostrum locutio figuratur. Nomine enim pectoris significatur superbia, quia ibi dominatur impetus animæ. Nomine autem uentris, significatur carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore: Et quia his rebus ille serpit ad eos, quos uult decipere, propterea dictum est: Pectore & uentre repes. Matth. 25.

Ex lib. 14. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XIIII. Tom. V.

Nusquam hic sonat petitio ueniæ, nusquam imploratio medicinæ. Nam licet isti non sicut Cain, quod commiserunt, negent, adhuc tamen superbia quærit in alium referre, quod perperam fecit: superbia mulieris in serpentem, superbia uiri

in mulierem. Sed accusatio potius, quàm excusatio uera est, ubi mandati diuini est aperta transgresio. Neque enim hoc propterea non fecerunt, quia id mulier serpente suadente, uir muliere impertiente cōmisit, quasi quicquam Deo cui uel crederetur, uel cederetur, anteponendum fuerit. C

De Gen. ad Lit. Lib. 11. Cap. XXXVI. Tomo. III.

Super pectus tuum. Tota ista sententia figurata est, nec aliquid debet ei scriptoris fides narrationisq; ueritas, nisi ne illā dictā fuisse dubitemus. Quod enim positū est: Et dixit Dominus Deus serpēti, uerba sola scribentis sunt, & hæc exigenda sunt per proprietatē. Hoc ergo uerè dictū est serpenti. Iā cætera uerba Dei sunt, quæ libero lectoris intellectui relinquētur, utrùm propriè an figuratè accipi debeāt. Proinde quòd serpens cur hoc fecerit nō est interrogatus, potest uideri, quòd nō ipse utiq; id in sua natura & uoluntate fecerat, sed diabolus de illo & per illū & in illo fuerat operatus, qui iā ex peccato impietatis & superbiæ suæ igni destinatus fuerat sempiterno. Nunc ergo quod serpenti dicitur, & ad eū qui per serpentē operatus est, utique refertur, proculdubiò figuratū est: nā in his uerbis tentator ille describitur, qualis generi humano futurus esset: quòd genus humanum propagari tunc cœpit, quādo hæc in diabolum est tanquam in serpentem prolata sententia.

De Gen. contra Manich. Lib. 2. Cap. XVIII. Tomo. I.

Et terram manducabis. Id est, omnibus diebus quibus agis hanc potestatē, ante illā ultimā pœnā iudicij. Hæc enim uita eius uidetur, de qua gaudet atque gloriatur. Terrā ergo manducabis, duobus modis intelligi potest, uel ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis, id est, peccatores, qui terræ nomine significantur, uel certe genus tertium tentationis his uerbis figuratur, quod curiositas. Terram enim qui manducat, profunda & tenebrosa penetrat, & tamen temporalia atque terrena. Non autem inimicitiæ ponuntur inter ipsum & uirum, sed inter ipsum & mulierem. Nunquid quia uiros non decipit & tentat? Sed manifestū est quod decipit. An quia ipsum Adam non decępit, sed mulierem eius? Sed nunquid propterea non est inimicus eius, ad quem peruenit per mulierem suam illa decęptio, maximè quia de futuro iam dicitur, inimicitias ponam inter te & mulierem? Si autem quòd non deinceps decępit Adam, nec ipsam Euam deinceps decæpit. Quare ergo ita dicitur, nisi quia hinc manifestè ostenditur, non posse nos à diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem, uel exēplum in uno ipso homine ostendit, de qua superius iam multa diximus? Quòd autem etiam inter semen diaboli & semen mulieris ponuntur inimicitiæ, significatur semine diaboli peruersa suggestio: semine autem mulieris, fructus boni operis, quo peruersæ suggestioni resistit. Et ideo obseruat ipse plantam mulieris, ut si quando illicita labitur delectatio, tunc illam capiat: Et illa obseruat caput eius, ut eum in ipso initio male suasionis excludat. D

Eiusdē lib. cap. 19. *Multiplicando multiplicabo dol.* Iam de pœna mulieris nulla quæstio est: manifestè enim multiplicatos dolores habet, atque suspiria in huius uitæ calamitatibus: & quòd in doloribus pariat filios, quamuis & in ista uisibili muliere compleatur, tamen ad illam secretiorem consideratio reuocanda est. Nam & in pecoribus fœminæ cum doloribus pariūt filios, & hæc est illis mortalis cōditio potius quàm

pœna peccati. Poteſt ergo fieri, ut etiam in fœminis hominibus mortalium corporum ſit iſta conditio. Sed hoc eſt magnum ſupplicium, quod ad iſtam corporum mortalitatem ex illa immortalitate uenerunt. Veruntamen magnum ſacramentum eſt huius ſententiæ, quòd nulla abſtinentia fiat à uoluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorẽ partẽ conſuetudo flectatur. Quod cùm prouenerit, quaſi natus eſt filius: id eſt, ad bonũ opus paratus eſt affectus per conſuetudinem bonam. Quæ conſuetudo ut naſceretur, cum dolore reluctatum eſt conſuetudini malæ. Nam & illud quod poſt partum dictum eſt: Erit tibi conuerſio ad uirum tuum, & ipſe tui dominabitur, nõne multæ ac propè omnes mulieres abſentibus uiris ſuis pariunt, et poſt partum ſe ad illos nõ conuertunt? Quę autem ſuperbæ ſunt mulieres, & dominantur uiris, nunquid poſt partum carent hoc uitio, ut uiri earum dominentur? Immò quaſi dignitatem ſibi additam credunt, quòd matres fiunt, & plerunque ſuperbiores exiſtunt. Quid ſibi ergo uult, quòd poſteaquam dictum eſt, in doloribus paries filios, additum eſt: Et erit tibi cõuerſio ad uirum tuum, & ipſe tui dominabitur: niſi quia illa pars animæ, quæ carnalibus gaudijs tenetur, cùm aliquam malã conſuetudinem uolens uincere, paſſa fuerit difficultatem ac dolorem, atque ita peperit conſuetudinem bonam, cautius iam & diligentius rationi obtemperat tanquam uiro: & ipſis tanquam erudita doloribus conuertitur ad rationem, & libenter ſeruit iubenti, ne iterum in aliquam pernicioſam defluat? Iſta ergo quæ uidentur maledicta, præcepta ſunt, ſi non carnaliter ſpiritalia legamus. Lex enim ſpiritalis eſt.

De Gen. ad Lit. Lib. 11. Cap. XXXVII. Tomo. III.

B Hæc quoque in mulierẽ, Dei uerba, figuratè ac propheticè multò commodius intelliguntur, ueruntamen quia nondum pepererat fœmina, nec dolor & gemitus parientis, niſi ex corpore mortis, quę illa præcepti trãſgreſsione concępta eſt: animalibus quidem etiam tunc membris, ſed ſi homo non peccaſſet, non utique morituris, & alio quodã ſtatu feliciore uicturis, donec poſt uitam bene geſtam in melius mutari mereretur, ſicut iã ſuprà pluribus locis inſinuauimus refertur hæc pœna & ad proprietatem literæ: niſi quia id dictum eſt: Et ad uirum tuum cõuerſio tua, & ipſe dominabitur tui, uidendum eſt quemadmodum propriè poſsit accipi. Neque enim & ante peccatum, aliter factã fuiſſe decet credere mulierem, niſi ut uir ei dominaretur, & ad eum ipſa ſeruiẽdo uerteretur. Sed rectè accipi poteſt hanc ſeruitutem ſignificatã, quæ cuiuſdã conditionis eſt potius qnàm dilectionis, ut etiam ipſa talis ſeruitus qua homines hominibus poſtea eſſe ſerui cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta. Dixit quidem Apoſtolus: Per charitatem ſeruite inuicem, ſed nequaquam diceret, inuicem dominamini. Poſſunt itaque coniuges per charitatem ſeruire inuicem, ſed mulierem non permittit Apoſtolus dominari in uirum. Hoc enim uiro potius Dei ſententia detulit, & maritum habere Dominum meruit mulieris non natura ſed culpa. Quod tamen niſi ſeruetur, deprauabitur amplius natura, & augebitur culpa. Dixit ergo ad uirum eius, quia audiſti &c. Hos eſſe in terra labores humani generis, quis ignorat? Et quia nõ eſſent, ſi felicitas quæ in paradiſo fuerat, teneretur, non eſt utique dubitandũ, ac per hoc etiam propriè uerba hæc primitus accipere ne pigeat. Seruãda tamen eſt & expectanda *Eiuſdẽ lib. cap. 38.*

ctanda significatio prophetiæ, quam maximè hîc intuetur Dei loquentis intentio. C
Neque enim frustrà & ipse Adam maiori quodam instinctu tunc uocauit nomen mulieris suæ uitam, subijciens etiam, quoniam ista est mater omnium uiuentium. Nam & hæc non scriptoris narrantis uel affirmãtis, sed ipsius primi hominis uerba intelligenda sunt, ut diceret, quoniam hæc mater omnium uiuentium, tãquam nominis à se impositi causam inferens, cur eam uocauerit uitam.

De Gen. cont. Manich. Lib. 2. Cap. XX. Tomo. I.

Maledicta terra. Item de sententia ista quæ prolata est in ipsum uirum, quid dicemus? Nunquid fortè diuites, quibus prouenit facillimus uictus, neque in terra operantur, euasisse istam pœnam existimandi sunt, qua dicitur: Maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis, in tristitia & gemitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus uitæ tuæ: spinas & tribulos pariet tibi, & edes pabulum agri tui: in sudore uultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia terra es & in terram ibis? Sed certè illud manifestum est, quòd nemo euadat istam sententiam. Hoc ipsum enim, quòd in hac uita quisque natus est, difficultatem inueniẽdæ ueritatis ex corruptibili corpore patitur. Sic enim
Sap. 9. Salomon dicit: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: ipsi sunt labores & tristitiæ quas habet homo ex terra: & spinæ ac tribuli sunt punctiones tortuosarum quæstionum, aut cogitationes de prouisione huius uitæ: quæ plerunque nisi extirpentur, &
Marc. 4. de agro Dei proijciantur, suffocãt uerbum Dei ne fructificet in homine, sicut Dominus in euangelio dicit: Et quoniam necessitate iam per hos oculos, & per has aures de ipsa ueritate admonemur, & difficile est resistere phantasmatibus, quæ D
per istos sensus intrant in animam, quamuis per illos intret etiam ipsa admonitio ueritatis. In ista ergo perplexitate cuius uultus non sudet ut manducet panem suum? Quod omnibus diebus uitæ nostræ passuri sumus, id est, huius uitæ quæ transitura est. Et hoc illi dictum est, qui coluerit agrum suum, qui ista patitur donec reuertatur in terram de qua sumptus est, id est, donec finiat uitam istam. Qui enim coluerit agrum suum interius, & ad panem suum quamuis cum labore peruenerit, potest usque ad finem uitæ huius hunc laborem pati: post hanc autem uitam non est necesse ut patiatur. Sed qui fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac uita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc uitam habebit, uel ignem purgationis, uel pœnam æternam. Ita nemo euadit istam sententiam, sed agẽdum est, ut saltem in hac tantum uita sentiatur.

De Gen. Lib. 3. Cap. XVIII. Tomo. III.

Spinas & tribulos pariet tibi. Talis etiã quæstio de spinis et tribulis solet oboriri, & de quibusdã lignis infructuosis, uel cur uel quãdo creata sint, cùm Deus dixerit: Producat terra herbam pabuli seminantem semen, & lignum fructiferum faciens fructum. Si qui ita mouentur, non intelligunt saltem de usitatis formulis humani iuris, quemadmodum appelletur usus fructus. Vtilitas enim quædam fruentium in fructus nomine consideratur. Quãtæ autem sint utilitates, siue manifestæ siue occultæ omnium quæ terra gignens radicitùs alit, & ipsi quædam intueãtur,

& ab

& ab expertis cætera inquirant. Et de spinis quidem ac tribulis absoluta potest esse responsio, quia post peccatum dictum est homini de terra: Spinas & tribulos pariet tibi. Nec tamen facilè dicēdum est tunc cœpisse ista oriri ex terra. Fortassis enim quoniam in ipsis quoque generibus seminum multæ reperiuntur utilitates, poterant habere locum suum, sine ulla pœna hominis. Sed ut in agris in quibus iam pœnaliter laborabat, etiam ista nascerentur, hoc ad cumulum pœnæ ualere credi potest, cùm possent alibi nasci, uel ad auium pecorúmq; pastus, uel ad ipsorum hominum aliquos usus. Quanquam & ille sensus non abhorret ab his uerbis, quo ita intelligitur dictum: Spinas & tribulos pariet tibi, ut hęc etiam antea terra pariens, non tamen homini pareret ad laborem, sed cuiusque modi animalibus cōuenientem cibum. Sunt enim quæ his generibus & mollioribus & aridioribus commodè suauitérque uescantur. Tunc autē cœperit ista homini parere ad ęrumnosum negocium, cùm post peccatum cœpit in terra laborare. Non quòd alijs locis hæc antea nascerentur, & pòst in agris, quos homo ad capiendas fruges coleret, sed & prius & postea in eisdem locis: prius tamen non homini, pòst autem homini, ut significetur quod additum est, tibi: quia non est dictum spinas & tribulos pariet, sed pariet tibi, id est, ut tibi iam ista nasci incipiant ad laborem, quæ ad pastum tantùm alijs animalibus antea nascebantur.

Ex Lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cont. Pelag. Cap. XXXIII. Tomo. VII.

In sudore uultus tui edes panem tuum, &c. Posset enim & alius hoc non intelligens dicere: Si propter peccatū dixit Deus homini: In sudore uultus &c. quare & post remissionem peccatorum labor hic permanet, & hæc dura & aspera parit etiam

B terra fidelium? Item si propter peccatū dictum est mulieri: In gemitu paries, cur etiam post peccatorum remissionem fœminę fideles eosdem dolores in parturiendo patiuntur? Et tamen constat propter peccatū quod admiserant, illos à Deo primos homines hęc audisse atque meruisse, nec resistit his uerbis diuini libri quę positi de labore hominis & de parturitione mulieris, nisi qui prorsus alienus à fide catholica eisdem literis aduersatur &c. Caro enim quæ primò facta est, non erat caro peccati, in qua noluit homo inter delitias paradisi seruare iustitiam. Unde statuit Deus, ut post eius peccatum propagata caro peccati ad recipiendam iustitiam, laboribus & molestijs niteretur. Propter hoc etiam de paradiso eiectus Adam, contra Eden habitauit, id est, contra sedem delitiarum, ut significaret quod in laboribus qui sunt delitijs contrarij, erudienda esset caro peccati, quæ in delitijs obedientiam non seruauit, antequam esset caro peccati. Sicut ergo illi primi homines postea iustè uiuendo, unde meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, nō tamen in illa uita meruerunt ad paradisum reuocari: sic & caro peccati etiam si remissis peccatis homo in ea iustè uixerit, nō continuò meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. *Eiusdē lib. cap. 34.*

De Trinit. Lib. 13. Cap. XII. Tomo. III.

Terra es & in terram ibis. Eo quòd dictū, in terrā ibis, mors corporis prænūciata est, quia nec ipsam fuerat experturus si permāsisset ut factus est rectus. Quòd uerò uiuenti ait: Terra es, ostendit totum hominem in deterius commutatū. Talis est enim, Terra es: Quale illud: Nō permanebit spiritus meus in hominibus istis

quoniam caro sunt. Tunc ergo demonstrauit eum ei traditum, cui dictum fuerat **C**
terram mãducabis. Apostolus autem apertius hoc prædicat, ubi dicit: Et uos cùm
essetis mortui delictis & peccatis uestris &c. Filij diffidentiæ sunt infideles, et quis
hoc non est antequam fidelis fiat? Quocirca omnes homines ab origine sub princi-
pe potestatis aëris, qui operatur in filijs diffidentiæ. Et quod dixi ab origine, hoc
est, quod dicit Apostolus, natura & se fuisse sicut cæteros: natura scilicet ut est de-
prauata à peccato, non ut recta creata est ab initio. Modus autem iste quo traditus
est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit,
aut fieri iusserit, sed quod tantùm permiserit, iustè tamen. Illo enim deserente pec
cantem, peccati author illicò inuasit. Nec ita sanè Deus deseruit creaturam suã, ut
non se illi exhiberet Deum creantem & uiuificãtem, & inter pœnalia mala etiam
bona malis multa præstautem. Non enim continuit in ira sua miserationes suas,
nec hominem à lege suæ potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse permi-
sit, quia nec ipse diabolus à potestate omnipotentis alienus est, sicut neque à boni-
tate. Nam & maligni angeli unde qualecunque subsisterent uita, nisi per eum qui
uiuificat omnia? Si ergo commissio peccatorum per iram Dei iustã hominem sub
didit diabolo, profectò remissio peccatorum per recõciliationem Dei benignam,
eruit hominem à diabolo.

Item. Vide. 1. Thess. 4. in hæc uerba: Nolumus ignorare uos fratres de dor-
mientibus,

De Gen. cont. Manich. Lib. 2. Cap. XXI. Tomo. I.

Et *quod mater esset omnium uiuentium.* Quem autem nõ moueat, quòd post pec
catum & sententiam iudicis Dei uocat Adam mulierem suam uitam, quia uiuo- **D**
rum ipsa sit mater, posteaquam meruit mortem, & mortales fœtus parere, desti-
nata est, nisi quia illos fœtus attendit scriptura, quos cùm in doloribus pepererit,
fiet illi conuersio ad uirum suum, & eius ipse dominabitur? De quibus fœtibus su
perius dictum est. Sic enim est illa uita materque uiuorũ. Nam uita quæ in pecca-
tis est, mors appellari in scripturis solet, sicut Apostolus dicit, mortuam esse ui-
duã, quæ in delitijs uiuit. Et mortui nomine peccatum ipsum significari legimus
ubi dictum est. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit in
lauachro suo? Sic & qui ieiunat super peccata sua, & iterum ambulans hæc ea-
dem facit. Pro peccato enim mortuum posuit, abstinentiam uerò ieiuniúmque à
peccato, tanquam baptismum, hoc est, inundationem à mortuo. Iterum autem re
dire ad peccatum, tanquã iterum tãgere mortuum. Quare animalis illa pars no-
stra, quæ tanquam uiro debet obtemperare rationi cùm per ipsam rationem de
uerbo uitæ rectè uiuendi sarcinã concepit, appellatur uita: & cùm parturitione ab
stinentiæ, quãuis cum doloribus atque gemitibus, malæ consuetudini resistens, bo
nam consuetudinem ad rectè facta peperit, mater uiuorum uocatur, id est, rectè
factorũ: quibus contraria sunt peccata, quæ nomine mortuorum significari posse
docuimus. Nam illa mors quam omnes qui ex Adam nati sumus cœpimus debe-
re naturæ, quã minatus est Deus, cùm præceptũ daret ne arboris fructus ille ede-
retur: illa ergo mors in tunicis pelliceis figurata est. Ipsi enim sibi fecerunt præ-
cinctoria de folijs fici, & Deus illis fecit tunicas pelliceas, id est, ipsi appetiuerunt
mentiendi

A mentiendi libidinem relicta facie ueritatis, & Deus corpora eorum in istam mortalitatem carnis mutauit, ubi latent corda mendacia. Neque enim in illis corporibus cœlestibus sic latêre posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent. Sed sicut nonnulli motus animorum apparent in uultu, & maximè in oculis: sic in illa perspicuitate ac simplicitate cœlestium corporum omnes omninò motus animi latêre non arbitror. Itaque illi merebuntur habitationem illam & cõmutationem in angelicam formam, qui etiam in hac uita cùm possint sub tunicis pelliceis occultare mendacia, oderunt tamen ea & cauent flagrantissimo amore ueritatis, & hoc solùm tegunt quod dij qui audiunt ferre non possunt, sed nulla mētiuntur. Veniet enim tempus ut nihil etiam cõtegatur. Nihil est enim occultum, quod non manifestabitur. Tamdiu autem in paradiso fuerunt isti, quamuis iam sub sententia damnantis Dei, donec uentum esset ad pelliceas tunicas, id est, ad huius uitæ mortalitatem. Quo enim maiore indicio potuit significari mors quam sentimus in corpore, quàm pellibus quæ mortuis pecoribus detrahi solent. Itaque cùm contra præceptum non imitatione legitima, sed illicita superbia Deus esse appetit homo, usque ad beluarum mortalitatem deiectus est. Ideo sic illi lex diuina insultat, ore Dei, qua insultatione nos admonemur, quantùm possumus cauere superbiam.

De Gen. ad Lit. Lib. II. Cap. XXXIX. Tomo. III.

Tunicas pelliceas & induit eos. Et hoc significationis gratia factum est, sed tamen factũ: sicut illa quæ significationis gratia dicta sunt, sed tamē dicta sunt. Hoc enim quod sæpe dixi, nec me sæpius piget dicere, à narratore rerum propriè gestarum

B exigendum est, ut ea narret facta esse, quæ facta sunt, & dicta esse quæ dicta sunt. Sicut autem in factis quęritur quid factum sit & quid significet: ita in uerbis quid dictum sit & quid significet. Siue enim figuratè, siue propriè dictum sit, quod dictum esse narratur, dictum tamen esse nõ debet putari figuratum. Et dixit Deus: Ecce Adam factus &c. Quoniam hoc per quodlibet & quomodolibet dictũ sit, Deus tamen dixit, non aliter intelligendũ est, & quod ait: Vnus ex nobis, nisi propter trinitatem numerus pluralis accipiatur: sicut dictũ erat, faciamus hominem, sicut etiam Dominus de se & de patre: Veniemus ad eum & mansionē apud eum faciemus. Replicatum est igitur in caput superbi quo exitu concupiuerit quod à serpente suggestum est: Eritis sicut dij. Ecce, inquit, Adam factus est tanquã unus ex nobis. Verba enim sunt hæc Dei non tam huic insultantis, quàm cæteros ne ita superbiant deterrentis, propter quos ista conscripta sunt. Factus est, inquit, tanquam unus ex nobis in cognoscēdo bonum & malũ. Quid aliud intelligendum, nisi exemplum timoris incutiendi esse propositum, quod non solùm non fuerit factus, qualis fieri uoluit, sed nec illud quod factus fuerat conseruauit. Et nunc inquit, Deus ne aliquãdo extendat manũ &c. Superiora uerba Dei sunt: hoc autem factum propter ipsa uerba secutum est. Alienatus enim à uita, non solùm quam fuerat si præceptũ seruasset cum angelis accepturus, sed ab illa etiam, quam ducebat in paradiso, felici quodã corporis statu, separari utique debuit à ligno uitæ. Siue quòd ex ipso illo subsisteret felix ille status corporis, ex re uisibili, uirtute inuisibili; siue quòd in eo esset sacramentum uisibile inuisibilis sapientiæ: alienandus

[Margin notes: Ioan. 14. — Eiusdē lib. cap. 40.]

alienandus inde uti si fuerat, uel iam moriturus, uel etiam tanquam excōmunica- C
tus, sicut etiam in hoc paradiso, id est, ecclesia solent à sacramētis altaris uisibilibus
homines disciplina ecclesiastica remoueri. Et eiecit Adam & collocauit eum cōtra
paradisum uoluptatis. Et hoc significandi gratia factum est, sed tamen factum, ut
contra paradisum, quo beata uita etiā spiritaliter significatur, habitaret peccator,
utique in miseria. Et ordinauit cherubim & flammeā romphæam quæ uertitur,
custodire uiam ligni uitæ. Hoc per cœlestes utiq; potestates etiam in paradiso uisibi
li factum esse credendum est, ut per angelicum ministerium esset illic ignea quæ-
Eiusdē lib. dam custodia: non tamen frustrà factum esse, nisi quia significat aliquid etiā de pa-
Cap. 41. radiso spiritali, non est utique dubitandum. Non tamen ignoro quibusdam
esse uisum festinatione peruertisse illos homines appetitum scientiæ boni & mali;
& immaturo tempore percipere uoluisse, quod eis dilatū opportunius seruaba-
tur: idq; egisse tentatorem, ut præoccupādo quod nōdum talibus congruebat, of-
fenderent Deum, & ab eius utilitate alienarentur exclusi atque damnati, ad quam
si suo tempore sicut Deus uolebat accederent, possent ea salubriter perfrui. Hoc si
fortè per lignum illud nō ad proprietatē, ut uerum lignum & uera pœna eius, sed
ad figuram uelint accipere, habeat exitum aliquem rectæ fidei ueritatiq; probabi-
lem. Visum est & quibusdam, duos illos primos homines nuptias suas fuisse fura-
tos, & antè mixtos concubitu, quàm eos qui creauerat copulasset. Quam rem no
mine ligni fuisse significatum, unde prohibiti erant, donec opportuno tempore
iungerentur. Quasi uerò in ea ætate facti esse credendi sint, ut expectanda esset
maturitas pubertatis: aut non illud tunc legitimum esset, cùm primùm fieri po-
tuisset, cùm antea non potuisset, non utique fieret, nisi fortè sponsa erat à patre D
tradenda, & expectanda erat uotorum solennitas & conuiuij celebritas, & dotis
æstimatio, & conscriptio tabularum. Ridiculum istud est, propter quod à rerum
Eiusdē lib. gestarum proprietate discedat, quam suscæpimus asserendum, & quantùm Deus
Cap. 42. donare uoluit asseruimus. Illud magis mouet, si iam spiritalis erat Adam,
quamuis mente non corpore, quomodo credere potuerit, quod per serpentem
dictum est, ideo Deum prohibuisse ne fructu ligni illius uescerentur, quia scie-
bat eos si fecissent futuros ut Deos propter dignoscentiam boni & mali, tanquam
hoc totum bonum creaturæ suæ creator inuiderit: hoc mirum si homo spiritali
mente præditus credere potuisset. An quia hoc credere ipse non posset, propte-
rea mulier addita est, quæ parui intellectus esset, & adhuc fortasse secundum sen-
sum carnis, non secundum spiritum mentis uiueret, & hoc est quòd ei Apostolus
1. Cor. 11. non tribuit imaginem Dei. Sic enim ait: Vir quidem non debet uelare caput, cùm
sit imago & gloria Dei, mulier autem gloria uiri est. Non quòd mens fœminæ ean
dem imaginem capere non posśit, cùm in illa gratia nos dicat, nec masculum esse
nec fœminam. Sed quòd fortaśsis illa hoc nondum perceperat, quod fit in agni-
tione Dei, & uiro regente ac dispēsante paulatim fuerat percæptura. Neque enim
frustrà est illud, quod Apostolus ait: Adam enim primus formatus est, deinde
Eua: & Adam non est seductus, mulier autem seducta, in præuaricatione facta est,
id est, ut per illam etiam uir præuaricaretur. Nam & ipsum dicit præuaricatorem,
ubi ait, in similitudinem præuaricationis Adæ qui est forma futuri. Seductum ta-
men

men negat. Nam & interrogatus non ait: Mulier quã dedisti mecum seduxit me, & manducaui, sed ipsa mihi, inquit, dedit à ligno, & manducaui: Illa uerò: Serpens inquit, seduxit me. Ita Salomon uir tantæ sapientiæ, nunquídnam credendum est quod in simulachrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non eualuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas quibus deperibat atque defluebat mortiferas delitias cõtristaret. Ita & Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eique dedit ut simul ederent, noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & omninò illa interire discordia, Non quidem carnis uictus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed amicali quadam beneuolentia, qua plerunque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuisse, diuinæ sententiæ iustus exitus indicauit. Ergo alio quodam modo etiam ipse deceptus est: sed dolo illo serpentino quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci in illo modo, quo illa potuit. Hanc autem propriè seductionem appellauit Apostolus, qua id quod suadebatur cùm falsum esset, uerũ esse putatum est: id est, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quòd sciebat eos si tetigissent uelut Deos futuros, tanquam eis diuinitatem inuideret, qui eos homines fecerat. Sed etiam si uirum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum internorum scrutatorem latêre non poterat, sollicitauit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierem uideret accepta illa esca non esse mortuam, secundum ea quæ superius tractauimus, non tamen eum arbitror, si iam spiritali mente
B prædit
us erat, ullo modo credere potuisse, quòd eos Deus ab esca illius ligni inuidendo uetuisset. Sed quid plura? Persuasum est illud peccatum sicut persuaderi talibus posset: conscriptum est autem sicut legi ab omnibus oporteret, & si à paucis hæc intelligerentur sicut oportet.

De.Gen.contra Manich.Lib.2. Cap.XXII. Tomo.I.

Ecce Adam factus est antequam unus ex nobis. Quę ambigua locutio figuram facit. Nã factus est tanquam unus ex nobis dupliciter intelligi potest. Vel unus ex nobis, quasi et ipse Deus, quod pertinet ad insultationẽ. Sicut dicitur, unus est ex senatoribus utiq; senator. Aut certè, quia & ipse Deus esset, quãuis creatoris sui bæneficio non natura, si sub eius potestate manere uoluisset, sic dictũ est, ex nobis, quomodo dicitur, ex cõsulibus, aut proconsulibus, qui iã non est. Sed ad quam rem factus est, tanquàm unus ex nobis? ad scientiã scilicet dignoscendi boni & mali, ut iste per experimentum disceret dum sentit malum, quod Deus per sapientiam nouit: & potestatem illam omnipotentis, quam pati noluit beatus atque consentiens, pœna sua discat esse ineuitabilem. Et tunc ne porrigeret Adam manum suam ad arborem uitæ, & uiueret in æternum, dimisit illum Deus de paradiso. Bene dictũ est, dimisit, non exclusit, ut ipso peccatorum suorum pondere tanquam in locum sibi congruũ uideretur urgeri. Quod patitur plerunque malus homo, cùm inter bonos uiuere cœperit, si se in melius commutare noluerit: & ex illa bonorum cõgregatione pondere malæ suæ consuetudinis pellitur, & illi eum non excludunt reluctantem, sed dimittunt cupientem. Quod autem dictum est, ne porrigeret Adam

Adam manum suam ad arborem uitæ, etiam hæc ambigua locutio. Loquimur C
enim sic cùm dicimus: Ideo te moneo ne iterum facias quod fecisti, uolentes utique ut non faciat. Et iterum sic: Ideo te moneo ne fortè sis bonus, uolentes utique ut sit, id est, moneo te ne desperes quod bonus possis esse. Sicut loquitur Apostolus cùm dicit: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam ueritatem. Potest ergo uideri propterea homo in labores huius uitæ esse dimissus, ut aliquando manum porrigat ad arborem uitæ, & uiuat in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem, per quam uita æterna comparatur, quamuis etiam si illo modo intelligamus ne manum porrigat, & uiuat in æternum, non iniusta pœna est post peccatum, interclusum esse aditum ad sapientiam, donec Dei misericordia mensuris temporum reuiuiscat, qui mortuus est, ut inueniatur, qui perierat. Demissus est ergo de paradiso suauitatis, ut operaretur terram, de qua sumptus erat, ut in corpore isto laboraret, id est, si posset, & ibi collocaret sibi meritum redeundi. Moratus est autem contra paradisum in miseria, quæ utique beatæ uitæ contraria est Nam beatam uitam paradisi nomine significari existimo.

Eiusdē lib. cap. 23. *Posuit autem Deus Cherubim.* Sicut illi uolunt qui Hebræa uerba in scripturis interpretati sunt, Cherubim latinè scientiæ plenitudo esse dicitur. Flāmea uerò framea uersatilis temporales pœnæ intelligūtur, quoniam tempora uolubilitate uersantur. Propterea & flammea dicitur, quia urit quodam modo omnis tribulatio. Sed aliud est uri ad consumptionem, & aliud est uri ad purgationē. Nam & Apo-
2. Cor. 11. stolus dicit: Quis scandalizatur, & ego non uror? Sed iste affectus purgabat eum
Eccle. 2. magis, quia de charitate ueniebat. Et illæ tribulationes quas iusti patiuntur, ad istam pertinent flammeā frameam, quoniam in igne probatur aurum & argen- D
Eccle. 27. tum, & homines acceptabiles Deo in camino humiliationis. Et iterum: Vasa figu-
Heb. 12. li probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Quoniam ergo quem diligit Deus, hunc corripit, & flagellat omnem filium quē recipit. Sicut dicit Apostolus: Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem proba-
Rom. 5. tionem, & legimus, & audimus, & credendum est arborem uitæ plenitudinem scientiæ, & flammea framea custodiri. Nemo ergo potest peruenire ad arborem uitæ, nisi per has duas, id est, per tolerantiam molestiarum & scientiæ plenitudinem. Sed tolerantia molestiarum omnibus ferè in hac uita subeunda est, tendentibus ad arborem uitæ. Plenitudo autem scientiæ uidetur paucioribus prouenire, aut quasi non omnes qui perueniunt ad arborem uitæ, per scientiæ plenitudinem ueniant, quamuis omnes tolerantiam molestiarum, id est, flammeam frameā uer-
Rom. 13. satilem sentiant. Sed si attēdatur quod Apostolus dicit: Plenitudo autem legis charitas, & uideamus eandem legis charitatem præcepto illo gemino contineri: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Et diliges proximum tanquam teipsum, in quibus duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ, sine dubitatione intelligemus ad arborem uitæ non solùm per flammeam frameam uersatilem, id est, per tolerantiam temporalium molestiarum, sed etiam per plenitudinem scientiæ, id est, per charitatem ueniri: quia si charitatem, inquit, non habeam, nihil sum.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Epistola. 49. Tomo. II.

C *Ait ex fructibus terræ*. Hinc potius esse intelligendum quàm sit res anti qua sacrificium, quod non nisi uni Deo uero offerri oportere ueraces & sacræ literæ monent, non quòd illo egeat Deus, iuxta Psal. 15.

Ex Lib. 12. contra Faust. Manich. Cap. IX. Tomo. VI.

Ad Cain uerò & oblationem illius non respexit. Sicut Cain sacrificium ex terræ fru ctibus reprobatur, Abel autem sacrificium ex ouibus & earum adipe suscipitur, ita noui testamenti fides ex innocentia gratiæ Deum laudans, ueteris testamenti terrenis operibus anteponitur: quia & Iudæi antè rectè illa fecerunt, in eo tamen infidelitatis rei sunt, quia Christo ueniente iam tempus noui testamenti, à tempo re ueteris testamenti non distinxerunt. Dixit enim Deus ad Cain: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Qui si obtemperasset Deo dicenti, Quiesce: ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius, ad se conuertisset peccatũ suum, sibi hoc tribuens, & confitens Deo: ac sic adiutus indulgentiæ gratia, ipse peccato suo dominaretur: non illo sibi dominante seruus peccati, fratrem occideret inno centem. Sic & Iudæi, in quorum hæc figura gerebantur, si quiescerent à sua per turbatiane, & tempus salutis per gratiam in peccatorum remissione agnoscentes, audirent Christum dicentem. Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. *Matth. 9.* Non ueni uocare iustos, sed peccatores in pœnitentiam. Et omnis qui facit pecca tum, seruus est peccati. Et si uos filius liberauerit, nunc uerè liberi eritis: ad se con- *Ioan. 8.* uertissent peccatum suum in confessione, sicut in Psalmo scriptum est, medico di- *Psal. 40.* B cente: Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Ei dem peccato, quandiu esset adhuc in eorum mortali corpore, per spem gratiæ li beri dominarentur. Nunc autem ignorantes Dei iustitiam, & suam uolentes con- *Rom. 10.* stituere, elati de operibus legis, non humiliati de peccatis suis, non quieuerunt: & regnante peccato in eorum mortali corpore ad obediendum desiderijs eius, offen derunt in lapidem offensionis: & exarserunt odio aduersus eum, cuius opera ui dentes Deo accæpta esse, doluerunt, illo qui cæcus natus iam uidebat, sibi dicente: Scimus quia peccatores Deus non exaudit, sed qui eum coluerit & uoluntatem *Ioan. 9.* eius fecerit, hunc exaudit: Tanquam hoc eis diceret. Super sacrificium Cain non respicit, sed super sacrificium Abel respicit. Itaque occiditur Abel minor natu à fratre maiore natu. Occiditur Christus caput populi minoris natu, à populo Iu dæorum maiore natu, ille in campo, iste in Caluariæ loco. Interrogat Deus *Eiusdẽ lib.* Cain, non tanquam ignarus eum à quo discat, sed tanquam iudex reum quem pu *cap. 10.* niat, ubi sit frater eius. Respondit ille nescire se, nec eius se esse custodem. Vsque adhuc quid nobis respondent Iudæi, cùm eos Dei uoce, hoc est, sanctarum scriptu rarum uoce interrogamus de Christo, nisi nescire se Christum quem dicimus? Fal lax enim Cain ignoratio, Iudæorum est falsa negatio. Essent autem quodammodo Christi custodes, si Christianam fidem accipere & custodire uoluissent. Nam qui custodit in corde suo Christum, non dicit quod Cain: Nunquid ego custos sum fra tris mei? Dicit Deus ad Cain: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sic arguit in scripturis sanctis uox diuina Iudæos. Habet enim magnam uocem

uocem Christi sanguis in terra, cùm eo accepto ab omnibus gentibus responde- C
tur, Amen. Hæc est clara uox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fide-
Eiusdē lib. lium eodem sanguine redēptorum. Dicit Deus ad Cain: Et nunc maledictus tu
cap.11. à terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinē fratris tui de manu tua? quoniam operaberis terram & non adijciet uirtutē suam dare tibi. Gemens & tremens eris in terra. Nō dixit, maledicta terra, sed maledictus tu à terra, quæ aperuit os suum excipere sanguinē fratris tui de manu tua. Maledictus est enim populus Iudaicus infidelis à terra, id est, ab ecclesia, quę aperuit os suum in confessione peccatorum accipere sanguinem Christi, qui fusus est in remissionem peccatorum, de manu peccatoris nolentis esse sub gratia, sed sub lege, ut esset ab ecclesia maledictus, id est, ut eum intelligeret & ostenderet ecclesia maledictum, dicente Apostolo: Qui-
Gal.3. cunq; enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt legis. Deinde cùm dixisset: Maledictus tu à terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinem fratris tui de manu tua. Nō dixit: Quoniam operaberis eam, sed ait: Quoniam operaberis terram & non adijciet uirtutem suam dare tibi. Vnde necesse est eandem terram intelligere operari Cain, quæ apperuit os accipere sanguinem fratris de manu eius: sed ideo maledictus intelligitur ab hac terra, quoniam operatur terram, quæ nōdum adijciet uirtutem suam dare illi: id est, ideo populum Iudęorū maledictum agnoscit & ostendit ecclesia, quoniam occiso Christo adhuc operatur terrenam circuncisionem, terrenum sabbatum, terrenum azymum, terrenum pascha: quæ omnis terrena operatio habet occultam uirtutem intelligendæ gratię Christi, quæ nō datur Iudæis in impietate & infidelitate perseuerantibus, quia nouo testamento reuelata est. Et non transeuntibus ad Dominum, non eis auferetur uelamē, quod in D
lectione ueteris testamenti manet, quia in solo Christo euacuatur, non ipse lectio ueteris testamenti, quæ habet absconditam uirtutem, sed uelamen quo absconditur. Vnde Christo in cruce passo, uelū templi concissum est, ut per Christi passionem reuelentur secreta sacramentorum fidelibus, ad bibendum eius sanguinem ore aperto in confessione transeuntibus, propterea populus ille sicut Cain adhuc operatur terram, adhuc exercet operationem legis carnaliter, quæ non ei dat uirtutem suam, quia in ea non intelligit gratiam Christi. Propterea & in ipsa terra, quam Christus portauit, id est, in eius carne, ipsi operati sunt salutem nostrā crucifigendo Christum, qui mortuus est propter delicta nostra. Nec eis dedit eadē terra uirtutem suam: quia non iustificati sunt uirtute resurrectionis eius, qui resurrexit propter iustificationem nostram: quia & si crucifixus est ex infirmitate, sed ui-
1.Cor.13. uit ex uirtute Dei, sicut dicit Apostolus. Hæc ergo est uirtus terræ illius, quam non ostendit impijs & incredulis. Vnde nec resurgens eis, à quibus erat crucifixus, apparuit tanquā Cain operanti terram, ut granum illud seminaretur, nō ostendens eadem terra fructū uirtutis suæ: quoniam operaberis, inquit terrā, & non adijciet
Eiusdē lib. uirtutem suam dare tibi, gemens & tremens eris in terra. Nunc ecce quis non
cap.12. uideat, quis non agnoscat in tota terra, quacunque dispersus est ille populus, quomodo gemat mœrore amissi regni, & tremat timore sub innumerabilibus populis Christianis. Ideóq; respondit Cain & dixit: Maior est causa mea, si eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero gemēs & tremens super terram,

& erit,

A & erit, omnis qui inuenerit me, occidet me. Verè inde gemit & tremit, ne regno etiam terreno perdito, ista uisibili morte occidatur. Hanc dicit maiorem causam quàm illam, quod ei terra non dat uirtutẽ suã, ne spiritaliter moriatur. Carnaliter enim sapit & abscondi à facie Dei, id est, iratum habere Deum graue nõ putat, nisi & inueniatur & occidatur. Carnaliter sapit tãquam operans terrã, cuius uirtutẽ non accipit. Sapere autẽ secundũ carnẽ mors est. Quã ille non intelligens, amisso regno gemit, & corporalem mortem tremit. Sed quid ei respondit Deus? Nõ sic, inquit, Omnis qui occiderit Cain, septem uindictas exoluet, id est non sic quomodo dicis, non corporali morte interibit genus impium carnalium Iudæorum. Quicunque enim eos ita perdiderit, septẽ uindictas exoluet, id est, aufert ab eis septẽ uindictas quibus alligati sunt propter reatum occisi Christi, ut in hoc toto tempore quod septenario dierum numero uoluitur, magis, quia nõ interit gens Iudæa, satis appareat fidelibus Christianis, quàm subiectionẽ meruerint, qui superbo regno Dominum interfecerunt. Et posuit Dominus Deus in Cain signũ, ne eum occidat omnis qui inuenerit. Hoc reuerà multùm mirabile est, quemadmodũ omnes gentes quę à Romanis subiectæ sunt, in ritum Romanorum sacrorum transierint, eaq; sacrilegia obseruanda & celebrãda susceperint, gens autem Iudæa, siue sub paganis regibus, siue sub Christianis non amiserit signũ legis suæ, quo à cæteris gentibus populisque distinguitur: & omnis imperator uel rex, qui eos in regno suo inuenit, cũ ipso signo eos inuenit, nec occidit: id est, nõ efficit ut non sint Iudæi, certo quodã & proprio suæ obseruationis signo à cæterarũ gentium com- *Eiusdẽ lib. cap. 13.*

B munione discreti: nisi quicunque eorũ ad Christum transierit, ut iã nõ inueniatur Cain, nec exeat à facie Dei ne habitet in terra Naid, quod dicitur interpretari commotio, Cõtra quod malum, Deus rogatur in Psalmo: Ne dederis in motum pedes meos, & manus peccatorum non moueant me: & qui tribulant me exultabunt si motus fuero, et Dominus à dextris est mihi ne cõmouear, et innumera talia, quod patiuntur omnes, qui exeunt à facie Dei, id est, à misericordia dilectionis eius. Vnde dicitur in quodã psalmo: Ego dixi in abundantia mea, nõ mouebor in æternũ. Sed uide quid sequitur? Domine in uoluntate tua præstitisti decori meo uirtutem, auertisti autẽ faciem tuã à me, & factus sum cõturbatus, Vnde intelligitur omnẽ animã participatione lucis Dei, nõ per seipsam esse pulchrã & decorã & uirtute pollentẽ. Quod & isti Manichæi si considerarent & intelligerent, non in tantam blasphemiã caderent, putãdo se esse natura substantiã Dei. Sed ideo non possunt, quia non quiescunt. Sabbatum enim cordis non intelligunt: nã si quiescerẽt sicut dictum est ad Cain, peccatum suum ad se conuerterent, id sibi tribuerent, non genti nescio cui tenebrarum, atque ita per gratiã Dei eidem peccato dominarentur. Nunc uerò & ipsi & omnes qui diuersis errorib. contumaces resistendo ueritati exeunt à facie Dei, sicut Cain, sicut Iudæi perditi, habitant in terra commotionis, id est, in perturbatione carnali contra iucunditatẽ Dei, hoc est, contra Eden, quod interpretatur epulatio, ubi est plantatus paradisus. *Psal. 33. et 65.* *Psal. 29.*

Ex lib. 15. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. VII. Tomo. V.

Quare tristis factus es? Sed hoc ipsum quod sicut potuimus exposuimus, cùm Deus locutus esset ad Cain eo modo, quo primis hominibus per creaturam subie-

ctam

ctam uelut eorum socius forma cōgrua loquebatur, quid ei profuit? Nónne conceptum scœlus in necando fratre etiam post uerbum diuinæ admonitionis impleuit? Nam cùm sacrificia discreuisset amborum, in illius respiciēs, huius despiciens, Quod non dubitandum est potuisse cognosci signo aliquo attestante uisibili, & hoc ideo fecisset Deus, quia mala erant opera eius, fratris uerò eius bona, contristatus est Cain ualde, & concidit facies eius. Sic enim scriptum est: Et dixit Dominus ad Cain: Quare tristis factus es? & quare concidit facies tua? Nónne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, statim in foribus peccatum aderit? Peccasti, quiesce, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. In hac admonitione quam Deus protulit ad Cain, illud quidem quod dictum est: Nónne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti: quia non elucet cur uel unde sit dictum, multos sensus peperit eius obscuritas, cùm diuinarum scripturarum quisque tractator secundum fidei regulam id conatur exponere. Rectè quippe offertur sacrificium cùm offertur uero Deo, cui uni tantummodo sacrificandum est. Non autem rectè diuiditur, dum non discernuntur rectè uel loca, uel tempora, uel res ipsæ quæ offeruntur, uel qui offert, uel cui offertur, uel hi quibus ad uescendum distribuitur, quod oblatum est, ut diuisionem intelligamus hîc discretionē: siue cùm offertur, ubi non oportet, aut quod non ibi, sed alibi oportet: siue cùm offertur quando non oportet, aut quod non tunc, sed aliâs oportet: siue cùm id offertur quod nusquam & nunquam penitus debuit, siue cùm electiora sibi eiusdem generis rerum tenet homo, quàm sunt ea quæ offert Deo: siue cùm eius rei quæ oblata est, fit particeps prophanus, aut quilibet quem fas non est fieri. In quo autem horum Deo displicuerit Cain, facilè non potest inueniri. Sed quoniam Ioannes Apostolus D

Ioan. 3. cùm de his fratribus loqueretur: Num sicut Cain, inquit, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum, & cuius rei gratia occidit eum? quia opera illius maligna fuerunt, fratris autem iusta, datur intelligi propterea Deum non respexisse in munera eius: quia hoc ipso malè diuidebat, dans Deo aliquid suum, sibi autē seipsum. Quod omnes faciunt qui non Dei, sed suam sectantes uoluntatem, id est, non recto, sed peruerso corde uiuentes offerunt Deo tantùm munus, quo putant eum redimi, ut eorum non opituletur sanandis prauis cupiditatibus, sed explendis. Et hoc est proprium terrenæ ciuitatis, Deum uel Deos colere, quibus adiuuantibus regnet in uictorijs & pace terrena, non charitate consulendi, sed dominandi cupiditate. Boni quippe ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo, mali autem contrà, ut fruantur mundo, uti uolunt Deo, qui tamen eum uel esse, uel res humanas curare iam credunt. Sunt enim multò deteriores, qui nec hoc quidem credunt. Cognito itaque Cain quòd super eius germani sacrificium, non super suum respexerat Deus, utique fratrem bonum mutatus imitari, non elatus debuit emulari. Sed quia contristatus est & concidit uultus eius, hoc peccatum maximè arguit Deus, tristitiam de alterius bonitate, & hoc fratris. Hoc quippe arguendo interrogauit dicens: Quare contristatus es, & quare concidit facies tua? Quia enim fratri inuidebat, Deus uidebat, & hoc arguebat. Nam hominibus quibus absconditum est cor alterius, esse posset ambiguum, & prorsus incertum, utrùm illa tristitia malignitatem suam, in qua se Deo displicuisse didicerat, an fratris doluerit bonitatem,

quæ

A quæ Deo placuit, cùm in sacrificium eius aspexit. Sed rationem Deus reddens cur eius oblationem accipere noluerit, ut sibi ipse potius meritò, quàm ei immeritò frater displiceret, cùm esset iniustus nõ rectè diuidẽdo, hoc est, non rectè uiuẽdo, & indignus cuius approbaretur oblatio, quàm esset iniustior, quòd fratrem iustũ gratis odisset, ostendit. Non tamen eũ dimittens sine mandato sancto, iusto & bono: Quiesce, inquit, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. Nunquid fratris? Absit. Cuius igitur, nisi peccati? Dixerat enim: Peccasti, tamen deinde addidit: Quiesce, ad te enim cõuersio eius, & tu dominaberis illius. Potest quidem ita intelligi ad ipsum hominem conuersionẽ esse debere peccati, ut nulli alij quàm sibi sciat tribuere debere, quod peccat. Hæc est enim salubris pœnitẽtię medicina, et ueniæ petitio nõ incongrua, ut ubi ait, Ad te enim conuersio eius, nõ subaudiatur erit, sed sit præcipientis, uidelicet non prædicentis modo. Tũc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi non defendendo proposuerit, sed pœnitendo subiecerit. Alioquin & illi seruiet dominãti: si patrocinium adhibuerit accidenti. Sed ut peccatum intelligatur concupiscẽtia ipsa carnalis, de qua dicit Apostolus: Caro enim cõcupiscit aduersus spiritũ, in cuius carnis fructibus & inuidia commemoratur, qua utiq; Cain stimulabatur & accẽdebatur in fratris exitiũ, bene subauditur erit, id est, ad te enim conuersio eius erit, & tu dominaberis illius. Cùm enim cõmota fuerit pars ipsa carnalis, quã peccatum appellat Apostolus ubi dicit: Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ, quã partem animi etiam philosophi dicũt esse uitiosam, non quæ mentẽ debeat trahere, sed cui mens debeat imperare, eãq; ab illicitis operibus ratione cohibere, cùm ergo cõmota fuerit ad aliquid perpe- Gal. 5.

B rã cõmittendum, si acquiescatur & obtẽperetur dicenti Apostolo: Ne exhibeatis mẽbra uestra arma iniquitatis peccato, ad mentẽ domita & uicta conuertitur, ut subdita ratio dominetur, hoc præcępit Deus huic, qui facibus inuidiæ inflãmabatur in fratrẽ, & quẽ debebat imitari, cupiebat auferre. Quiesce, inquit, id est, manus à scelere cõtine. Non regnet peccatũ in tuo mortali corpore ad obediendum desiderijs eius, nec exhibeas mẽbra tua iniquitatis arma peccato. Ad te enim conuersio eius, dũ non adiuuatur relaxãdo, sed quiescẽdo frenatur. Et tu dominaberis illius. Vt cùm forinsecùs nõ permittitur operari, sub potestate mẽtis regẽtis & beneuolẽtis assuescat etiã intrinsecùs nõ moueri. Dictum est tale aliquid in eodẽ diuino libro & de muliere, quãdo post peccatũ Deo interrogãte atq; iudicãte dãnationis sentẽtias accęperũt, in serpente diabolus, et in seipsis illa et maritus. Cùm enim dixisset ei: Multiplicãs multiplicabo tristitias tuas, & gemitũ tuũ, & in tristitijs paries filios: deinde addidit: Et ad uirũ tuum cõuersio tua & ipse dominabitur tui. Quod dictũ est ad Cain de peccato uel de uitiosa carnis cõcupiscentia: hoc isto in loco de peccatrice fœmina, ubi intelligendũ est uirum ad regendã uxorem animo carnẽ regẽti similem esse oportere. Propter quod dicit Apostolus: Qui diligit uxorẽ suã, seipsum diligit. Nemo enim unquã carnẽ suã odio habuit. Sanãda sunt enim hæc, sicut nostra: non sicut aliena dãnanda. Sed illud Dei pręceptum, Cain sicut præuaricator accępit. Inualescente quippe inuidentiæ uitio, fratrem insidiatus occidit. Talis erat terrenæ conditor ciuitatis. Quomodo autem significauerit etiã Cain Iudæos, à quibus Christus occisus est pastor ouium hominum, quem pastor Rom. 6. Ephes. 5.

ouium pecorum præfigurabat Abel: quia in allegoria prophetica res est. C

Ex lib. contra Adimant. Manich. discip. Cap. IIII. Tomo. VI.

Vox sanguinis fratris tui &c. Huic capitulo Geneseos, quo maledictionē accæpit Cain, ut terræ sterilitate puniretur calūniantes Manichæi, & euangelio contrariū demonstrare cupientes, non sanè mihi uidentur cogitare cū hominibus se agere, sed prorsus quasi pecora forent, qui eos audirēt, uel eorū scripta legerēt: sic abusi sunt imperitia eorum, uel tarditate ingenij, uel potius animi cæcitate. Quippe dixerunt huic capitulo illud in euāgelio esse contrariū, quod Dominus ait discipulis suis: Nolite cogitare de crastino &c. Quasi uerò Cain parricida discipulis cōparādus sit, ut quoniā ille meruit pœnā sterilitatis terræ, consequens esset ut eandē sterilitatē isti etiā paterentur, qui Dominū Iesum Christum secuti prædicādo euāgelio parabantur. Imò etiā in istis duobus capitulis, quorum unum de Genesi, alterū de euāgelio tanquam sibi inimica posuerunt, tanta inuenitur amicitia atq; cōcordia, ut nulla maior desiderāda sit. Quid enim cōgruentius, quàm ut illū, cuius erat scelere frater occisus, etiā in terra laborātē sterilitas sequeretur, illis autē, per quorū ministeriū in prædicādo Dei uerbo fratres liberabātur, etiā de crastino minimè cogitātibus fructuosa terra seruiret? Quòd si in ueteri testamēto exhorrescūt maledicto Dei terrā sterilem factā esse peccatori: cur nō in nouo testamento exhorrescūt maledicto Domini nostri Iesu Christi arborem fici aridā factā, nullo peccato Domini sui? Itē si Domini sentētia delectātur, quòd discipulis dicit, ne de crastino cogitēt, quòd de uictu eorū Deus curā gerat: cur nō & in prophetica sentētia delectātur, qua cecinit dicēs: Abijce in Dominū sollicitudinē tuā, & ipse te pascet? Vt hoc modo si possint, miseri intelligāt, & illa quæ detestantur in ueteri testamento de Deo dicta, usque adeò recta esse, ut etiam in nouo inueniantur: & illa quæ in nouo laudant & prædicant, etiam in ueteri reperiri: unde clarescat bene intelligentibus utriusque testamenti manifesta concordia. D

Psal. 54.

Quæst. super Gen. lib. Cap. I. Tomo. IIII.

Et ædificauit ciuitatem. Quomodo Cain potuerit condere ciuitatem, cùm ciuitas alicui utique cōstituatur hominū multitudini, illi autem duo parētes & duo filij fuisse referantur, quorum filiorum ab altero alter occisus est, in cuius occisi locū alius natus esse narratur? An ideo quæstio est, quoniā qui legunt, putant solos tunc fuisse homines quos diuina scriptura commemorat, nec aduertunt eos qui prius sint conditi duos, uel eos etiam quos genuerunt tā diù uixisse, ut multos gignerent. Non enim & Adā ipse eos solos genuit, quorum nomina leguntur, cùm de illo scriptura loquens ita cōcludat, quòd genuerit filios & filias. Proinde cùm multò pluribus illi uixerint annis, quàm Israelitæ in Aegypto fuerunt, quis non uideat quàm multi homines nasci potuerint, unde illa ciuitas impleretur, si Hebræi multò minore tempore ita multiplicari potuerunt?

Ex lib. 15. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XVIII. Tomo. V

Et Seth natus est filius. & nominauit nomen eius Enos. Nēpe clamat attestatio ueritatis: In spe igitur uiuit homo filius resurrectionis: in spe uiuit, quandiu peregrinatur, hic ciuitas Dei quæ gignitur ex fide resurrectionis Christi. Ex duobus nāq; illis hominibus, Abel, qui interpretatur luctus, & eius fratre Seth, qui interpreta-

A tur resurrectio, mors Christi & uita eius, ex mortuis præfiguratur. Ex qua fide gignitur hic ciuitas Dei, id est, homo qui sperauit inuocare nomen Domini Dei. Spe enim salui facti sumus, ait Apostolus: Spes autem quæ uidetur, non est spes. Rom. 8. Quod enim uidet quis, quid sperat? Si autem quod non uidemus speramus, per patientiam expectamus. Nam quis uacare hoc existimet ab altitudine sacramenti? Nunquid enim Abel non sperauit inuocare nomen Domini Dei, cuius sacrificiũ scriptura tam acceptum Deo fuisse commemorat? Nunquid ipse Seth non sperauit nomen Domini Dei? de quo dictum est: Suscitauit enim mihi Deus semẽ aliud Abel. Cur ergo huic propriè tribuitur, quod piorum omnium intelligitur esse cõmune, nisi quia oportebat in eo qui de patre generationum in meliorem partem, hoc est, supernæ ciuitatis separatarum, primus commemoratur exortus, præfigurari hominem, id est, hominum societatem, quæ non secundum hominem inhæret terrenæ felicitati, sed secundum Deum uiuit in spe felicitatis æternæ? Nec dicẽdum est, hic sperauit in Dominum Deum: aut, hic inuocauit nomen Domini Dei: sed hic sperauit, inquit, inuocare nomen Domini Dei. Quid sibi hoc uult, sperauit inuocare, nisi quia prophetia est, exorturum populum, qui secũdum electionem gratiæ inuocaret nomen Domini Dei. Hoc est quod per alium prophetam dictum est, Apostolus de hoc populo intelligit ad Dei gratiã pertinere. Et erit, omnis quicunq; inuocauerit nomẽ Domini saluus erit. Hoc enim ipsum quod dicitur: Et nominauit nomen eius Enos: quod interpretatur homo: ac deinde additur: Hic sperauit inuocare nomen Domini Dei, satis ostenditur, quòd non in seipso spem ponere debeat homo. Maledictus enim omnis, sicut alibi legitur, qui spem suam ponit in homine: ac per hoc, nec in se, ut sit ciuis alterius ciuitatis, quæ non solum secundum filium Cain dedicatur hoc tempore, hoc est, mortalis huius seculi labente trãscursu, sed in illa immortalitate beatitudinis sempiternæ.

B

CAPVT QVINTVM.

Eiusdẽ lib. cap. 19.

T non apparuit, quia tulit eum Dominus. Enoch interpretatur dedicatio, sed ipse est ille translatus, qui placuit Deo, & insigni numero in ordine generationum quo sabbatum consecratum est, septimo scilicet ab Adã: Ab ipso autem patre istarum generationum, quæ discernũtur à propagine Cain, id est, à Seth sextus est: quoto die factus est homo, & consummauit Deus omnia opera sua. Sed huius Enoch translatio nostræ dedicationis est præfigurata dilatio. Quæ quidem iam facta est in Christo capite nostro: qui sic resurrexit, ut non moriatur ulterius, sed etiam ipse translatus est. Restat autem altera dedicatio uniuersæ domus, cuius ipse Christus est fundamentum, quæ differtur in finem, quando erit omnium resurrectio, non moriturorum amplius.

Item. Vide supra in cap. 2. in hæc uerba. Faciamus ei ad iutorium simile.

CAPVT SEXTVM.

Eiusdẽ lib. cap. 23.

Identes filii Dei filias hominũ. Verùm possint angeli cùm spiritus sint, corporaliter coire cũ fœminis. Scriptũ est enim: Qui facit angelos suos spiritus, id est, eos qui natura spiritus sunt, facit esse angelos suos, iniun- Psal. 105.

gendo eis officium nunciandi. Qui enim græcè dicitur ἄγγελος, quod nomen lati- C
na declinatione angelus perhibetur: latina lingua nūtius interpretatur. Sed utrùm
eorum corpora consequenter adiunxerit, dicendo: Et ministros suos ignem ardē
tem: an quod charitate tanquam igne spiritali feruere debeant ministri eius, ambi
guum est: apparuisse tamen hominibus angelos in talibus corporibus, quòd non
solum uideri, uerumetiā tangi possent, eadē uerissima scriptura testatur. Et quo-
niam creberrima fama est, multíque se expertos, uel ab eis qui experti essent, de
quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Syluanos & Faunos, quos
uulgo Incubos uocant, improbos sæpe extitisse mulieribus. & earum appetijsse,
ac peregisse concubitum. Et quosdā dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hāc
assiduè immunditiā & tentare, & efficere plures talesq; asseuerant, ut hoc nega-
re, impudentiæ uideatur. Non hinc aliquid audeo temerè diffinire, utrùm aliqui
spiritus elemento aëreo corporati sunt: nā hoc elementum etiā cùm agitatur fla-
bello sensu corporis, tactúque sentitur, possunt etiā hanc pati libidinem, ut quo-
modo possunt sentientibus fœminis, misceantur. Dei tamen angelos sanctos nul-
2.Pet.2. lo modo illo tempore sic labi potuisse crediderim: nec de his dixisse Apostolū Pe-
trum: Si enim Deus angelis peccātibus nō pepercit, sed carceribus caliginis infer-
ni retrudens tradidit, in iudicio puniēdos reseruari, sed potius de illis qui primùm
apostantes à Deo cum diabolo principe suo ceciderunt, qui primum hominē per
inuidiā serpentina fraude decępit. Angelos autem fuisse etiā Dei homines nuncu
Matth.11. patos, eadē scriptura sancta locupletissima testis est. Nā & de Ioanne scriptum est.
Ecce mitto angelum meū ante faciem tuā, qui præparabit uiā tuam. Et Malachias
Malach.3. propheta, propria quadam, id est, sibi propriè impertita gratia, dictus est angelus.
Verùm hoc mouet quosdam, quòd ex illis qui dicti sunt angeli Dei, & ex mulieri D
bus, quas amauerunt, non quasi homines generis nostri, sed gigantes legimus esse
natos, quasi uerò corpora hominū modum nostrum longè excedentia, quod etiā
suprà cōmemoraui, non etiā nostris temporibus nata sint. Nónne ante paucos an
nos cùm Romanæ urbis, quod à Gothis factū est, appropinquaret excidium: Ro-
mæ fuit fœmina cum suo patre & sua matre, quæ corpore quodā modo gigātæo
longè cæteris præmineret? Ad quā uisendā mirabilis fiebat usquequaque concur
sus. Et hoc erat maximę admirationi, quòd ambo parentes eius nec saltem tā lon
gi homines erāt, quàm longissimos uidere cōsueuimus. Potuerūt ergo gigātes na
sci, & prius quàm filij Dei dicti sunt, filiabus hominū, hoc est secundū hominē ui-
uentiū miscerentur, filij scilicet Seth, filiabus Cain. Nā & canonica scriptura sic lo
quitur: in quo libro hæc legimus, cuius uerba ista sunt: Et factū est postquā cœpe
runt homines multi fieri super terrā &c. Hæc libri uerba diuini satis indicāt, iā il-
lis diebus fuisse gigātes super terrā, quādo filij Dei acceperunt uxores filias homi
nū, cùm eas amarent bonas, id est, pulchras. Consuetudo quippe scripturæ huius
est, etiā speciosos corpore, bonos uocare. Sed & postquā hoc factū est, nati sunt gi
gātes. Sic enim ait: Gigātes autem erant super terram in diebus illis. Et post illud.
Cùm intrarent filij Dei ad filias hominū. Ergo & antè in illis diebus, & post illud.
Quòd autē ait: Et generabāt sibi, satis ostēdit, quòd prius antequā sic caderēt filij
Dei, Deo generabāt, nō sibi, id est, non domināte sibi libidine coëundi, sed seruiēte
officio

officio propagandi:non familiã fastus sui,sed ciues ciuitatis Dei,quibus annunciauerãt tanquam angeli Dei,ut ponerẽt in Deo spem suã,similes illius,qui natus est de Seth,filius resurrectionis,& sperauit inuocare nomen Domini Dei:in qua spe essent cũ suis posteris coheredes æternorum bonorũ,& sub Deo patre fratres filiorũ. Non autem illos ita fuisse angelos Dei ut homines nõ essent,sicut quidã putãt,sed homines proculdubiò fuisse scriptura ipsa sine ulla ambiguitate declarat. Cùm enim præmissum esset,quòd uidentes angeli Dei filias hominũ, quia bonæ sunt,sumpserũt sibi uxorẽ ex omnibus quas elegerãt,mox adiunctũ est:Et dixit Dominus Deus:Nõ permanebit spiritus meus in hominibus his in æternum:propter quòd caro sunt.Spiritu Dei quippe fuerũt facti angeli Dei,& filij Dei,sed declinãdo ad inferiora homines dicũtur nomine naturæ,nõ gratiæ:dicuntur & caro,desertores spũs,& deserẽdo deserti.Et septuaginta quidẽ interpretes,et angelos Dei dixerũt istos & filios Dei,quod quidẽ etiã nõ oẽs codices habẽt,nã quidã nisi filios Dei nõ habẽt.Aquila autẽ quẽ interpretẽ Iudei ceteris anteponũt nõ angelos Dei,nec filios Dei,sed filios deorũ interpretatus est.Vtrũq; autẽ uerũ est,nã & filij Dei erãt sub quo patre suorũ patrũ etiã fratres erãt:filij deorũ,quoniam à dijs geniti erãt,cũ quibus etiã ipsi dij erãt,iuxta illud psal.Ego dixi,dij estis,& filij excelsi oẽs.Merito enim creduntur septuaginta interpretes accepisse propheticũ spiritũ,ut siquid eius authoritate mutarẽt,atq; aliter quàm erat,quod interpretabãtur dicerẽt,neq; hoc diuinitus esse dictum dubitaretur.Quãuis hoc in Hebræo esse perhibeatur ambiguũ,ut & filij Dei & filij Deorũ posset interpretari.Omittamus igitur earũ scripturarũ fabulas,quæ apocryphæ nuncupãtur,eò quòd earũ

B occulta origo nõ claruit patribus,à quibus usq; ad nos authoritas ueraciũ scripturarũ certissima & notissima successione peruenit.In his autẽ apocryphis,& si inuenitur aliqua ueritas,tamen propter multa falsa nulla est canonica authoritas.

Ex lib.I.Cont.aduer.leg.& proph. Cap.XXI. Tomo.VI.

Vidit aũt Dominus quod multa malitia hominis esset in terra &c. Si putemus,inquit, merito cõuersationis suæ homines diluuij excepisse sententiã, & Noẽ iustum ad reparationẽ creaturæ melioris esse seruatũ,cur exinde peiores oriũtur,& in eosdẽ actus uitæ sordentis humani generis etiã nunc nati uita reuoluitur. Ita hoc dicit,tãquam uixerit cũ eis qui diluuio perierunt,& inde nouerit quòd nunc peiores oriũtur.Sed siue in peiore,siue in eodẽ,siue in meliore actu post diluuium genus uersetur humanũ,puto Dei dimittẽdum esse iudicio,qui nouit retribuere unicuiq; secundũ merita eius:nõ huic cani rabido aduersus Dominum suum latrãti, uel asino stulto aduersus stimulũ calcitrãti.Apostolus clamat:O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei &c.Et iste illi cui nullus est cõsiliarius audet esse aduersarius.Quid autẽ interest,morituris cunctis,quantùm ad mortẽ attinet corporis, utrùm singillatim,an simul omnes pariterq; moriãtur:nisi quòd cùm singuli moriãtur & omnes mortẽ,& omnes de mortuis patiantur dolorem:cùm autẽ uniuersos rapit unus interitus,saltẽ nemini relinquitur luctus?Verũ altius in illo diluuio cõsilium Dei fuit,quàm cor infidelium uel nouit uel capit.Sed nolo me,Apostolum Petrũ potius audiat iste dicẽtẽ:In diebus Noẽ cùm fabricaretur arca,octo animas saluas factas per aquam:quod & uos,inquit,simili forma baptisma saluos Rom.II.

facit, non carnis depositio sordium, sed concupiscentiæ bonæ interrogatio in Deũ per resurrectionem Iesu Christi. Ecce habet expositi diluuij sacramentum. Vbi propterea est additum, per resurrectionem Iesu Christi, ut hominem intelligeremus octauum, quod significauit in arca numerus hominũ: octauo enim die, hoc est, post septimum sabbati Dominus resurrexit. Sic illa quæ gesta commemorantur, si quis intelligat, etiam prophetiæ fuerunt. Sed iste præter arcam, id est præter ecclesiam constitutus, submersus est diluuio, non ablutus. C

Ex lib. 15. de Ciuit. Dei. ad Marcel. Cap. XXV. Tomo. V.

Et recogitauit & dixit Deus: Delebo &c. Ira Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio uerò eius & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio; Neque enim sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius est de omnibus omninò rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Sed si non utatur scriptura talibus uerbis, non se quodam modo familiarius insinuabit omni generi hominum, quibus uult esse consultum, ut & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat quærẽtes, & alat intelligentes. Quod non faceret si nõ se prius inclinaret & quodam modo descenderet ad iacentes. Quòd autem etiam interitum omnium animalium terrenorum uolatiliumq́; denunciat, magnitudinem futuræ cladis effatur: non animantibus rationis expertibus tanquam & ipsa peccauerint minatur exitium.

Eiusdẽ lib. cap. 24. *Et erunt dies eorum centum & uiginti anni.* Hoc non sic accipiendum est, quasi prænunciatum sit post hæc homines centum uiginti annos uiuendo non transgredi, cùm & post diluuium etiam quingentos excessisse inueniamus. Sed intelligendum est hoc Deum dixisse, cùm circa finem quingentorum annorum esset Noë, id est, quadringentos octoginta uitæ annos ageret, quos more suo scriptura quingentos uocat, nomine totius maximam partem plerunque significans: sexcentesimo quippe anno uitæ Noë, secundo mense factum est diluuium, ac sic centum uiginti anni prædicti sunt futuri uitæ hominum periturorum, quibus transactis diluuio delerentur. Nec frustrà creditur sic factum esse diluuium, iam non inuentis in terra qui non erant digni tali morte defungi, qua in impios uindicatum est, nõ quòd hic quicquam bonis quandoque morituris tale genus mortis faciat aliquid, quod eis possit obesse post mortem. Verũtamen nullus eorum diluuio mortuus est, quos de Semine Seth propagatos sancta scriptura commemorat. Sic autem diuinitùs diluuij causa narratur. Videns, inquit, Dominus Deus, quia multiplicatæ sunt malitiæ hominum super terram &c. D

Quæst. super Gen. Lib. Cap. IIII. Tomo. IIII.

Fac tibi arcam de lignis. De arca quæri solet, utrùm tanta capacitate quanta describitur, animalia omnia quæ in eam ingressa dicuntur, & escas eorum ferre potuerit. Quam quæstionem cubito geometrico soluit Origenes, asserens non frustrà scripturam dixisse, quòd Moyses omni sapientia Aegyptiorum fuerit eruditus, qui geomatricam dilexerunt. Cubitum autem geometricum dicit tantùm ualere quantùm nostra cubita sex ualent. Si ergo tam magna cubita intelligamus,

nulla

nulla quæstio est, tantæ capacitatis arcam fuisse ut posset illa omnia continere. Itē quæritur, utrùm arca tam magna centum annis potuerit fabricari à quatuor hominibus, id est, Noë & tribus filijs eius. Sed si non potuit, non erat magnum fabros alios adhibere, quamuis operis sui mercede accepta non curauerint utrùm eam Noë sapienter, an uerò inaniter fabricaret. Et ideo non in eam intrauerunt, quia non crediderunt quod ille crediderat. Item quæritur quomodo ibi leones uel aquilæ, quæ consueuerunt carnibus uiuere, pasci potuerint: utrùm & animalia præter illum numerum propter aliorum escam fuerint intromissa, an aliqua præter carnes, quod magis credendum est, à uiro sapiente, uel Deo demonstrante prouisa sint, quæ talium quoque animantium escis conuenirent.

Ex lib. 12. contra Faust. Manich. Cap. XIIII. Tomo. VI.

Quem enim non moueat ad quærendum & intelligendum Christum in illis libris, ut ea omittam, quæ quamuis tantò suauius contemplentur, quantò ex abditioribus locis enucleantur: tamen exigunt prolixitatem dissertationis, quia pluribus attestationibus indigent. Vt omittam ergo talia, quem non moueant ad salubrem fidem, quòd Enoch septimus ab Adam Deo placuit & translatus est: & septima requies prædicatur, ad quam transfertur omnis qui tanquam sexto die sexta ætate seculi Christi aduentu formatur? Quòd Noë cum suis per aquam & lignum liberatur, sicut familia Christi per baptismum in crucis passione signatur. Quòd de lignis quadratis eadem arca fabricatur: sicut ecclesia de sanctis construitur ad omne opus bonum semper paratis. Quadratum enim quacunque uerteris firmiter stat. Quòd sexies longa ad latitudinem suam & decies ad altitudinem suam, humani corporis instar ostendit: quia in corpore humano Christus
B apparuit. Quòd cubitis quinquaginta latitudo eius expanditur, sicut dicit Apostolus: Cor nostrum dilatatum est: Vnde? nisi charitate spiritali, propter quod ipse item dicit: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quinquagesimo enim die post resurrectionem suam, Christus spiritum sanctum misit, quo corda credentium dilatauit. Quòd trecentis cubitis longa est, ut sexies quinquaginta compleantur, sicut sex ætatibus omne huius seculi tempus extenditur, in quibus omnibus Christus nunquam destitit prædicari, in quinta per prophetiam prænunciatus, in sexta per euangelium diffamatus. Quòd eius altitudo triginta cubitis surgit, quem numerum decies habet in trecentis longitudo, quia Christus est altitudo nostra, qui triginta annorum ætatem gerens, doctrinam euangelicam consecrauit, contestans legem non se uenisse soluere, sed implere. Legis autem cor in decem præceptis agnoscitur. Vnde decies tricenis arcæ longitudo perficitur, unde & ipse Noë ab Adam decimus computatur. Quòd bitumine glutinantur arcæ ligna intrinsecùs & extrinsecùs, ut in compage unitatis significetur tolerantia charitatis, ne scandalis ecclesiam tentantibus, siue ab eis qui intùs, siue ab eis qui foris sunt, cedat fraterna iunctura, & soluatur uinculum pacis. Est enim bitumen feruentissimum, & uiolentissimum gluten, significās dilectionis ardorem, in magna fortitudine ad tenendam societatem spiritalem omnia tolerantem.

2. Cor. 6.
Rom. 5.

CAPVT SEPTIMVM.

Eiusdē lib. cap. 15. *Eni tu & omnis domus tua. &c.* Quòd cuncta animalium genera in arca C
V clauduntur, sicut omnes gentes quas etiā Petro demonstratus discus ille ille significat ecclesia cōtinet. Quòd & munda & immunda ibi sunt animalia, sicut in ecclesiæ sacramentis & boni & mali uersantur. Quòd septena sunt munda & bina immunda, nō quia pauciores sunt mali quàm boni, sed quia boni seruant unitatem spiritus in uinculo pacis. Sanctum autem spiritum diuina scriptura in septiformi operatione cōmendat: sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & timoris Dei. Vnde & ille numerus quinquaginta dierum ad aduentum sancti spiritus pertinens, in septies septenis, qui fiunt quadraginta nouem, uno addito cōsummatur: propter quod dictū est: Studentes seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Mali autē in binario numero ad schismata faciles & quodāmodo diuisibiles ostenduntur. Quòd ipse Noë cū suis octauus numeratur, quia in Christo spes resurrectionis nostræ apparuit, qui octauo die, id est, post sabbati septimū primo à mortuis resurrexit. Qui dies à passione tertius, in numero autem dierum qui per omne tempus uoluuntur octauus & primus

Eiusdē lib. cap. 16. est. Quòd arca collecta ad unum cubitum desuper consummatur, sicut ecclesia corpus Christi in unitatem collecta sublimatur, & perficitur. Vnde dicit in

Matth. 12. euangelio: Qui mecum nō colligit spargit. Quòd aditus ei fit à latere, nemo quippe intrat in ecclesiam, nisi per sacramentum remissionis peccatorum: hoc autem de Christi latere aperto manauit. Quòd inferiora arcæ bicamerata & tricamerata construuntur, sicut ex omnibus gentibus, uel bipartitam multitudinem congregat ecclesia, propter circumcisionem & præputium: uel tripartitam propter tres filios Noë, quorum progenie repletus est orbis. Et ideo arcæ inferiora ista dicta D
sunt, quia in hac terrena uita est diuersitas gentium, in summo autem omnes in unum consummamur. Et non est ista uarietas, quia omnia & in omnibus Christus est, tanquam nos uno cubitu desuper cœlesti unitate cōsummans.

Eiusdē lib. cap. 17. Quòd post septem dies ex quo ingressus est Noë in arcam, factum est diluuium, quia spe futuræ quietis, quæ septimo die significata est baptizamur. Quòd præter arcam omnis caro, quam terra sustentabat diluuio, consummata est: quia præter ecclesiæ societatem, aqua baptismi quamuis eadem sit, non solùm non ualet ad salutem, sed ualet potius ad perniciem. Quòd quadraginta diebus & quadraginta noctibus pluit: quia omnis reatus peccatorum qui decem præceptis legis admittitur per uniuersum orbem terrarum, qui quatuor partibus continetur. Decem quippe quater ducta, quadraginta fiunt, siue ille reatus, quod ad dies pertinet, ex rerum prosperitate: siue, quòd ad noctes, ex rerum aduersitate contractus sit, sacramento baptismi cœlestis abluitur.

Eiusdē lib. cap. 18. Quòd Noë quingentorum erat annorum cùm ei locutus est Dominus ut arcam sibi faceret, & sexcētos agebat annos cùm in eam esset ingressus, unde intelligitur per centum annos arca fabricata, quid aliud hîc uidentur centum anni significare, nisi ætates singulas seculi? Vnde ista sexta ætas, quæ completis qningentis usque ad sexcētos significatur, in manifestatione euangelica ecclesiam constituit: & ideo qui sibi ad uitam cōsulit, si uelut quadratum lignū, paratus ad omne opus bonum, & intret fabricā sanctā: quia & se-

cundus

A cundus mensis anni sexcẽtesimi, quo intrat Noë in arcam, eandem senariam ætatem significat. Duo enim menses sexagenario numero concluduntur, à senario autem numero & sexaginta cognominantur, & sexcenti, & sex milia, & sexaginta milia, & sexcenta milia, & sexcenties, & quicquid deinceps in maioribus summis, per eundem articulum numerus in infinita incrementa consurgit.

Ex lib. Sermon. de temp. Serm. LXIX. Tomo. X.

Et facta est pluuia super terram quadraginta diebus &c. Salutaris, inquã, & mysticus est quadragenarius numerus. Nam primùm cùm mundi faciem iniquitas hominum possideret, tot dierũ curriculo Deus de cœlo effusis imbribus, uniuersam terrã diluuio superfudit. Vides ergo iam illo tẽpore mysteriũ in figura dispositũ. Nã sicut tunc quadraginta diebus pluit ad purgandũ mundũ, ita & nunc quadraginta diebus miseretur ad hominẽ purificãdum: quanquã & illius tẽporis diluuiũ misericordia dicẽda est, quo iniquitas oppressa est, & iustitia conseruata. Pro misericordia enim factũ est, ut & iusti euaderent, & iniqui amplius nõ peccarent. Pro misericordia planè uidimus illud fuisse diluuiũ, quo ueluti baptismo quodã totius est mundi facies innouata: scilicet ut qui perditorum hominũ scelere sordebat ad crimina beati Noë habitatione floreret ad gratiã, & qui iniquitatis erat purgatorium tunc, modo fieret domiciliũ sanctitatis. Diluuiũ inquã illud, huius nostri fuit similitudo baptismatis. Hoc enim tunc gestũ est, quod nũc agitur, hoc est, ut exuberantibus aquarũ fontibus, periclitarentur uitia, iustitia sola regnaret, mergerentur in profundũ peccata, sanctitas uicina cœlo portaretur. Modò enim, sicut dixi, hoc quod nunc agitur in ecclesia Christi, sicut Noë arca submersis omnibus uitijs

B peccatorũ, ita baptismatis fonte cœlo uicina portatur ecclesia: & deletis omnium superstitionibus idolorum, fides regnat in terris, quæ de saluatoris arca procedit.

C Sãctum ergo & sacratum quadragesimæ tempus est, quod statim ab initio cœpit inter iustos & iniustos discernere, bonos à malis quodam iudicio separare. Quod quidem similiter fieri etiam in hac nostra quadragesimæ obseruatione perspiciemus. Nã per hos quadraginta dies separãtur mali à bonis, hoc est, luxuriosus à casto, à ieiuno intẽperans, à Christiano gentilis. Separatur, inquã, malus à bono, hoc est peccator à iusto, diabolus à sancto, hęreticus à fideli. Relictis enim his omnibus ad similitudinem diluuij tanquam in naufragio sæculi, sola ad instar arcæ illius in altum cum suis uirtutibus eleuatur ecclesia. Nam & nos etsi peccatores, ad imitationem sancti Noë annuntiamus uobis mundi futurum esse excidium, & illos tantummodo dicimus periculis euasuros, quos triplex arca intra se gremio religionis incluserit. Triplex enim arca est ecclesia, quę trinitatis continet sacramentum. Nam cùm dicit scriptura: Bicameratam & tricameratam eam fuisse, utique demonstrat tripliciter diuinitatis illam gratiam esse distinctam. Annuntiamus igitur sicut Noë mundi futurum esse naufragium, & ad hãc domum confugere omnes homines admonemus. Et sicut Noë filios suos in arca recæpit, ita & nos filios nostros optemus in ista arca suscipere, quicũq; enim in hac domo uult habitare nobiscũ, noster est filius. Sed dicit aliquis, sancti Noë prædicationis uocem in scripturis minimè esse descriptam. Audi igitur: Noë & si tacebat uoce, opere loquebatur silebat lingua, fabricatione clamabat. Nam utique cùm operaretur opus nouum,

& nulli

& nulli aliquando compertum, admonebat cunctos nouis periculis, noua tabernacula præparari. Loquebatur ergo opere, & dicebat illud euangelium Domini di- C
Ioan.10. ctum. Si mihi nõ creditis, operibus credite, & credẽdo periculũ euadere poteritis.

CAPVT VIII.

Ex lib.12. contra Fauſt. Manich. Cap XIX. Tomo.VI.

ET *requieuit arca in menſe ſeptimo &c.* Et quòd uiceſimus & ſeptimus dies menſis cõmemoratur, ad eiuſdem quadraturę ſignificationem pertinet, quæ iam in quadratis lignis expoſita eſt. Sic hîc euidentius, quia nos ad omne opus bonum paratos, id eſt quodãmodo conquadratos trinitas perficit, in memoriam qua Deum recolimus, in intelligentia qua cognoſcimus, in uoluntate qua diligimus. Tria enim ter, & hoc ter, fiunt uiginti ſeptẽ, qui eſt numeri ternarij quadratus. Quòd ſeptimo menſe arca ſedit, hoc eſt, requieuit, ad illam ſeptimam requiem ſignificatio recurrit. Et quia perfecti requieſcunt, ibi quoq; illius quadraturæ numerus iteratur. Nam uiceſimaſeptima die ſecundi menſis cõmendatũ eſt hoc ſacramentũ, & rurſus uiceſima & ſeptima die ſeptimi menſis, eadem cõmendatio cõfirmata eſt cùm arca requieuit. Quod enim promittitur in ſpe, hoc exhibetur in re. Porrò quia ipſa ſeptima requies cum octaua reſurrectione coniungitur: neque enim reddito corpore finitur requies, quæ poſt hanc uitam excipit ſanctos, ſed potius totum hominem non ad ſpem, ſed iam rem ipſam, omni ex parte, & ſpiritus & corporis perfecta immortalitatis ſalute renouatam, in æternæ uitæ munus aſſumit. Quia ergo ſeptima requies cum octaua reſurrectione coniungitur, & hoc in ſacramento regenerationis noſtræ, id eſt, in baptiſmo, altum profundũmq; myſterij eſt. Quindecim cubitis ſupercreuit aqua excedens altitudinem mõtium, id eſt, hoc ſacramentũ tranſcendit, omnẽ ſapientiam ſuperiorũ. Septem D quippe & octo coniuncti quindecim fiunt. Et quia ſeptuaginta à ſeptẽ & octoginta ab octo denominantur, coniuncto utroq; numero, centũ quinquaginta diebus exaltata eſt aqua, eandẽ cõmendans nobis atque confirmans altitudinẽ baptiſmi, in conſecrando nouo homine ad tenendam quietis & reſurrectionis fidem.

Eiuſdẽ lib. Cap.20. Quòd poſt dies quadraginta emiſſus coruus, non eſt reuerſus, aut aquis utiq; interceptus, aut aliquo ſupernatãte cadauere illectus: ſignificat homines in immunditia cupiditatis teterrimos, & ob hoc ad ea quæ foris ſunt in hoc mũdo nimis intentos, aut rebaptizari, aut ab his quos præter arcã, id eſt præter eccleſiam baptiſmus occidit ſeduci & teneri. Quòd columba nõ inuenta requie reuerſa eſt, oſtendit per nouum teſtamentum requiem ſanctis in hoc mundo non eſſe promiſſam: poſt quadraginta enim dies emiſſa eſt, qui numerus uitam, quæ in hoc mundo agitur ſignificat. Deniq; poſt ſeptem dies dimiſſa, propter illã ſeptenariam operationem ſpiritalem, oliuæ fructuoſum ſurculum retulit: quo ſignificaret nonnullos etiam extra eccleſiã baptizatos, ſi eis pinguedo non defuerit charitatis, poſteriorẽ tempore quaſi ueſpere, in ore colũbæ tanquã in oſculo pacis, ád unitatis ſocietatẽ poſſe perduci. Quòd poſt alios ſeptẽ dies dimiſſa, reuerſa non eſt, ſignificat finem ſeculi, quando erit ſanctorum requies: non adhuc in ſacramento ſpei, quo in hoc tempore conſotiatur eccleſia, quãdiù bibitur quod de Chriſti latere manauit: ſed

A iam in ipsa perfectione salutis æternæ, cùm traditur regnũ Deo & patri, ut in illa perspicua contemplatione incõmutabilis ueritatis, nullis mysterijs corporalibus egeamus. Nimis longum est, ut uel tam breuiter quàm hæc cucurri, cuncta coniungã, cur sexcentesimo & uno anno uitæ Noë, id est, peractis sexcentis annis aperitur arcæ tectum, & tanquã reuelatur quod erat absconditum sacramẽtum. Cur uicesima septima die secũdi mensis dicitur siccasse terram, tanquã finita esset iam baptizandi necessitas in numero dierum quinquagesimo & septimo. Ipse est enim dies secundi mensis uicesimus septimus, qui numerus ex illa coniunctione spiritus & corporis, septies octonos habet, uno addito propter unitatis uinculũ. Cur de arca coniuncti exeunt, qui disiuncti intrauerãt: sic enim dictũ erat: Quòd intrauerit in arcam Noë, & filij eius, & uxor eius, & uxores filiorũ eius: Seorsum uiri, seorsum fœminæ cõmemoratę sunt. In hoc enim tempore huius sacramenti, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Exeunt autem Noë & uxor eius & filij eius, & uxores filiorum eius, nunc coniuncti cõmemorati masculi & fœminæ: quia in fine seculi atque in resuerrectione iustorum, omnimoda & perfecta pace spiritui corpus adhærebit, nulla mortalitatis indigentia, uel concupiscentia resistente. Cur animalia quamuis & munda & immunda in arca fuerint, tamen post egressum de arca nõ offeruntur Deo in sacrificio nisi munda. *Eiusdẽ lib. Cap. 21.*

CAPVT NONVM.

ERit uobis in escam &c. Quid deinde sibi uelit Deo loquente ad Noë, & tanquam rursus ab exordio, quia multis modis eadem significari oportebat, figuram ecclesiæ commendante, quòd progenies eius benedicitur ad implendam terrã, quòd dantur eis in escam cuncta animalia: sicut in illo disco Petro dicitur: Macta & manduca. Quòd eiecto sanguine iubentur manducare, ne uita pristina quasi suffocata in conscientia teneatur, sed habeat tanquam effusionem per confessionem. Quòd testamentum posuit Deus inter se & homines, atque omnem animam uiuam, ne perdat eam diluuio, arcum qui apparet in nubibus, qui nunquã nisi de sole resplendet: illi enim non pereunt diluuio separati ab ecclesia, qui in prophetis, & omnibus diuinis scripturis tanquam in Dei nubibus agnoscunt Christi gloriam, non quærunt suam. Verùm ne adoratores huius solis amplius tumescant, sciant ita significari Christum aliquando per solem, sicut per leonem, per agnum, per lapidem, cuiusdam similitudinis causa, non proprietatis substantia. *Eiusdẽ lib. cap. 22.* Iam uerò illud quod uinea quã plantauit inebriatus Noë, nudatus est in domo sua, cui nõ appareat Christus, passus in gente sua? Tunc enim nudata est mortalitas carnis eius Iudæis scandalum, gentibus stultitia: ipsis autem Iudæis & gentibus tanquam Sem & Iaphet, Dei uirtus & Dei sapientia, quia quod stultũ est Dei, sapientius est quàm homines: & quod infirmum est Dei, fortius est quàm homines. Proinde in duobus filijs, maximo & minimo, duo populi figurati, unam uestem à tergo portantes sacramentum scilicet iam præteritæ atque transactæ dominicæ passionis, nuditatem patris neque intuentur, quia in Christi necem non consentiunt, & tamen honorant uelamento, tanquam scientes unde sint nati; Medius autem filius, id est, populus Iudæorum, *Eiusdẽ lib. cap. 23.*

B

ideo

ideo medius, quia nec primatum Apostolorũ tenuit, nec ultimus in gentibus credidit, uidit nuditatem patris, quia cõsensit in necem Christi, & nuntiauit foras fratribus. Per eum quippe manifestatum est, & quodãmodo publicatum, quod erat in prophetia secretum, ideóque fit seruus fratrum suorum. Quid est enim aliud hodiéque gens ipsa, nisi quædam scriniaria Christianornm, baiulans legem & prophetas ad testimonium assertionis ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum, quod nuntiat illa per literam? Quem autem non excitet, quem non uel informet, uel cõfirmet in fide, quòd ita benedicuntur duo illi, qui nuditatem patris honorauerunt: quamuis auersi, uelut quibus factum sceleratæ uineæ displicuerit? Benedictus, inquit, Dominus Deus Sem. Quanquã enim sit Deus omnium gentium, quodãmodo tamen proprio uocabulo, & in ipsis iam gentibus dicitur Deus Israël. Et unde hoc factum est, nisi ex benedictione Iaphet? In populo enim gentium totum orbem terrarum occupauit ecclesia. Hoc prorsus prænuntiabatur, cùm diceretur: Lætificet Deus Iaphet, & habitet in domibus Sem. Videte Manichæi uidete, ecce in conspectu uestro est orbis terrarum: hoc stupetis, hoc doletis in populis nostris, quia lætificat Deus Iaphet: Videte si non habitet in domibus Sem, id est, in ecclesijs, quas filij prophetarum Apostoli construxerunt. Audite quid dicat Paulus iam fidelibus gentibus. Qui eratis, inquit, illo in tempore sine Christo, alienati à societate Israël, & peregrini testamentorum & promissionis, spem non habẽtes, & sine Deo in hoc mundo. Per hæc uerba ostenditur, quòd nondum habitabat Iaphet in domibus Sem. Sed paulò pòst quemadmodum concludat aduertite: Igitur iam, inquit, non estis peregrini & inquilini, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, supra ędificati, supra fundamentum Apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide existente Christo Iesu. Ecce quomodo dilatatur Iaphet, & habitat in domibus Sem: & tamen epistolas Apostolorum, quibus hæc omnia contestantur, tenetis, legitis, prædicatis. Vbi & uosipsos deputauerim, nisi in illa maledicta medietate, cui non est lapis angularis Christus? quia nec in illo pariete uos agnoscimus, qui ex circuncisione credidit in Christum. Vnde erant & Apostoli: nec in isto qui est ex præputio, unde sunt omnes ex cæteris gentibus in eandem unitatem fidei, tanquam in pace anguli concurrentes: sed & omnes, qui quoslibet nostri canonis libros accipiunt & legunt, ubi Christus mortaliter natus, & passus ostenditur: nec tamen eandem mortalitatem in passione nudatam, cõsociato unitatis sacramento honorificè uelant, sed sine scientia pietatis & charitatis nuntiant illud, unde omnes nati sumus: quamuis inter se dissentiant, & Iudæi ab hæreticis, & ipsi hæretici alij ab alijs: una tamen conditione seruitutis uel ad aliquam attestationem, uel ad aliquam probationem utiles sunt ecclesiæ. Nam & de hæreticis dictum est: Oportet & hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter uos. Ite nunc & obiectate calumnias ueteribus literis sacris, hoc agite serui Cham, ite quibus uiluit nudata caro, ex qua nati estis: neque enim esset unde uos quoquo modo Christianos appellare possetis, nisi Christus sicut à prophetis prænuntiatus est, uenisset in mundum, bibisset de uinea sua calicem illum, qui transire non potuit, dormisset in passione sua, tanquam in ebrietate stultitiæ, quæ sapientior est hominibus: atque ita nudaretur mortalis carnis infirmitas per occultũ Dei consilium fortior

Margin notes: *Eiusdẽ lib. cap. 24.* (beside "quod nuntiat illa per literam"); *Ephe. 2.* (beside "ecclesijs, quas filij"); *1. Cor. 11.* (beside "ctum est: Oportet"). Margin letters: C (top), D (beside "summo angulari lapide").

A tior hominibus, quam nisi Dei uerbum suscepisset, nomen omninò Christianum, quo & uos gloriamini, non esset in terris &c.

Quæst. super Gen. Lib. Cap. XVII. Tomo. IIII.

Maledictus puer Chanaan. Quæritur quare peccans Cham in patris offensa, non in seipso sed in filio suo Chanaan maledicitur? Nisi quia prophetatum est, terram Chanaan eiectis Chananæis inde & debellatis, accæpturos fuisse filios Israel, qui uenirent de semine Sem.

CAPVT DECIMVM.

De Doct. Christ. Lib. 3. Cap. XXXVI. Tomo. III.

Ii filii Cham in tribubus suis &c. Enumeratis quoque filijs Sem, sequitur. Hij filij Sem in tribubus suis, secundum linguas suas in regionibus suis & in gentibus suis. Et annectitur de omnibus. Hæ tribus filiorum Noë, secundum generationes eorum, & secundum gentes eorum. Ab his dispersæ sunt insulæ gentium super terram post diluuium: Et erat omnis terra labium unum & uox una omnibus. Hoc itaque quod adiunctum est: Erat omnis terra labium &c. id est, una lingua omnium, ita dictum uidetur tanquam eo iam tempore quo dispersi fuerant super terram, etiam secundum insulas gentium una fuerit omnibus lingua communis. Quod proculdubiò repugnat superioribus uerbis ubi dictum est: In tribubus suis secundum linguas suas. Neque enim dicerentur habuisse iam linguas suas singulæ tribus quę gentes singulas fecerant, quando erat omnibus una communis, ac per hoc recapitulando adiunctum est: Et erat omnis terra labium unum, & uox una omnibus, latenter narratione redeunte, ut diceret quomodo factum sit, ut ex una omnium lingua fuerint diuisi per multas. Et continuò de illa turris ædificatione narratur, ubi hæc eis iudicio diuino ingesta est pœna superbiæ, post quod factum dispersi sunt super terram secundum linguas suas. Gen. 11.

H

B

CAPVT VNDECIMVM.

Locution. de Gen. Lib. 1. Tomo. III.

E *T erat omnis terra labium unum.* Notandum omnem terram, appellatam omnes homines qui tunc erant, quamuis nondum in omni terra.

Quæst. super Gen. Lib. Cap. XVI. Tomo. IIII.

Venite ædificemus nobis ciuitatem. Si se hoc posse crediderunt, nimiùm stulta audacia & impietas deprehenditur. Et quia ob hoc Dei uindicta secuta est, ut eorum linguæ diuiderentur, non absurdè hoc cogitasse creduntur.

Et erat Arphaxat annorum. Quæritur quomodo dixerit Deus ad Noë: Erunt anni uitæ eorum centum uiginti. Nondum natus erat Arphaxat quando dixit hoc Deus, nec fuit in arca cum parentibus suis. Quomodo ergo intelligũtur deinceps anni uitæ humanæ prædicti centũ uiginti, cùm inueniatur homo uixisse amplius quadringentis annis. Nisi quia intelligitur ante uiginti annos quàm inciperet arca fieri, quæ centum annis facta reperitur, hoc Deum dixisse ad Noë, cùm iam prænuntiaret se facturum esse diluuium, nec uitæ humanæ deinceps futurę in his, qui Eiusdẽ lib. cap. 23.

post diluuium nascerentur spatium prædixisse, sed uitæ hominum quos fuerat diluuio deleturus. C

Ex Lib.16.de Ciuit.Dei ad Marcell. Cap.XIIII. Tomo.V.

Et fuerunt dies Thare in Charra. Id non sic accipiendum est, quasi omnes hos dies ibi egerit, sed quia omnes dies uitæ suæ, qui fuerunt anni ducenti & quinque, ibi cõpleuerit, alioquin nesciretur quot annis uixerit Thare in Charra, quoniam non legitur quoto anno uitæ suę in Charram uenerit: & absurdum est existimare in ista serie generationum ubi diligenter cõmemoratur, quot annos quisque uixerit, huius solius numerum annorum uitæ non cõmendatũ esse memoriæ. Quòd enim quorundam quos eadem scriptura cõmemorat, tacentur anni, non sunt in hoc ordine, in quo temporum dinumeratio discessione gignẽtium, & genitorum successione contexitur. Iste autem ordo qui digeritur ab Adam usque ad Noë, & inde usque ad Abraham, sine numero annorum uitæ suæ neminem continet.

CAPVT DVODECIMVM.

Ex Lib.Sermon.de temp.Serm.51.Dominica in.LX.Ser.I. Tomo.X.

Egredere de terra tua. Omnia quæ in ueteri testamento conscripta sunt, noui
1.Cor.10. testamenti typum & imaginem prætulerunt, sicut Apostolus dicit: Omnia enim in figura contingebant illis. Scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum obuenerunt. Si ergo propter nos scripta sunt, quod tunc in Abraham corporaliter legimus factum, spiritaliter in nobis uidebimus impletũ. Egredere, inquit Dominus, de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Hæc omnia fratres pro sacramẽto baptismi in nobis & credimus & sentimus impleri. Terra nostra caro nostra est: Et bene de terra nostra egredimur, quando carnales consuetudines deserentes Christi uestigijs inheremus. Quasi non tibi uidetur feliciter de terra sua, id est, de seipso egredi, qui de superbo efficitur humilis, patiens ex iracundo, castus ex luxurioso, largus ex cupido, benignus ex inuido, placidus ex cruento? uerè fratres feliciter de terra sua egreditur, qui pro Dei amore taliter commutatur. Denique etiam in collocutione priuata ita loqui consueuimus, ut si aliquis malus homo subitò bona opera cœperit exercere, dicamus de illo: Exijt iste de se. Et uerè bene de se exijsse dicitur. Egredere, inquit Dominus, de terra tua. Terra nostra, id est, caro nostra ante baptismum terra morientium fuit, per ba- D
Psal.16. ptismum facta est terra uiuentium. Ipsa est illa terra, de qua Psalmista commemorat dicẽs: Credo uidere bona Domini in terra uiuentium. Terra uiuentium & non morientium, id est, uirtutum & non uitiorum, ut dixi, per baptismũ facti sumus: si tamen post accæptum baptismum ad uitiorum non reuertimur uolutabrum: si posteaquam terra uiuentium facti sumus, opera morti obnoxia & luxuriosa non faciamus. Et ueni, inquit Dominus, in terram quam monstrauero tibi. Tunc enim ad terram quam Dominus ostẽdit cum gaudio ueniemus, si prius de terra nostra, id est, de carne nostra, ipso adiuuãte, uitia & peccata repellimus. Egredere, inquit, & de cognatione tua. Cognatio ista, uitia intelligũtur atque peccata, quæ nobiscũ quodãmodo & ex parte nascuntur, & ab infantia malis moribus adduntur ac nutriuntur. De cognatione ergo nostra egredimur, quando per gratiam baptismi omnibus

omnibus peccatis & uitijs uacuamur:ita tamē ut postea cùm Dei adiutorio quantùm possumus laboremus, ut expulsis uitijs uirtutibus repleamur. Nam si per baptismum malis omnibus uacuati, desides esse uolumus & ignaui, timeo ne impleatur illud in nobis quod in euangelio scriptum est. Cùm exierit spiritus immundus ab homine, uadit per loca arida & quærit requiem & non inuenit. Postea reuersus si inuenerit domum uacuam, adducit secum septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et erunt hominis illius posteriora peiora prioribus. Ita ergo de cognatione nostra, id est, de peccatis & uitijs exeamus, ut nunquam ad hæc mala postea uelut canis ad uomitum redire uelimus. Egredere, inquit, & de domo patris tui. Et hoc charissimi spiritaliter debemus accipere. Pater noster ante gratiam Christi, diabolus fuit. De ipso Dominus in euangelio Iudæos arguit, dicens: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri facere uultis. Patrem ergo hominum dixit diabolum, non ex ipso nascendo, sed ipsius nequitiam imitando, non quòd ex ipso potuerint nasci, sed quòd eum uoluerint imitari. Nam quòd prius pater noster diabolus fuerit, ex persona Dei loquentis ad ecclesiam, Psalmista commemorat, dicens: Audi filia & uide, & obliuiscere populum, & domum patris tui. Considerate fratres quid dixerit. Audi, inquit, filia: Qui dicit, Audi filia, pater utique est. Et cùm dicit: Obliuiscere populum tuum, & domū patris tui, patrem utique admonet relinquendum. Inuitamur ergo à Deo patre, ut beata & felici commutatione patrem diabolum relinquamus. Bene diabolum patrem relinquimus, si Deo auxiliante calliditatem & nequitias illius uitare semper uel fugere studeamus. Hæc ergo omnia fratres, id est, ut exemplo beati Abrahę de terra nostra, conuersatione utique carnali possimus exire, & cognationem nostram, uitia uidelicet & peccata relinquere, & de domo diaboli patris effugere, non nostris uiribus sed Christi gratia donante meruimus. Et ideo quantùm possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne iterum ad consortium uel ad amicitias diaboli, aut ad uitia, uel ad carnales concupiscētias redeamus, propter illud quod scriptum est: Iam sanus factus es, noli peccare, ne quid tibi deterius contingat: sed Abrahæ fidem potius imitando, & bona iugiter opera faciendo, non solùm ad ueniam, sed etiam ad consortium uel amicitiam Dei peruenire possimus.

Ioan. 8.

Psal. 44.

B

Ex Lib. 16. de Ciuit. Dei ad Marcell. Cap. XVI. Tomo. V.

Aduertendum est duas res promissas Abrahę: unam scilicet quòd terram Chanaan possessurum fuerat semen eius, quod significatur ubi dictum est: Vade in terram, quam tibi demonstrauero, & faciam te in gentem magnam: aliam uerò longè præstantiorem, nō de carnali, sed de spiritali semine, per quod pater est non unius gentis Israëliticæ, sed omnium gentium quæ fidei eius uestigia consequuntur, quod promitti cœpit his uerbis: Et benedicentur in te omnes tribus terræ. Hanc promissionem factam arbitratur Eusebius septuagesimo quinto anno ætatis Abrahæ, tanquam mox ut facta est de Charra exierit Abraham, quoniam scripturæ contradici non potest, ubi legitur, Abraham erat quinque & septuaginta annorum, cùm exijt de Charra. Sed si eo anno facta est ista promissio, iam utique in Charra cum patre suo demorabatur Abrahā. Neq; enim inde exire posset, nisi prius ibi habitasset. Nonquid nā ergo cōtradicitur Stephano, dicenti: Deus gloriæ

apparuit Abrahæ patri nostro cùm esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charra? Sed intelligendum est, quod eodem anno facta sunt omnia, & Dei promissio antequam in Charra habitaret Abraham, & in Charra habitatio eius, & inde profectio, non solùm quia Eusebius in Chronicis ab anno huius promissionis computat & ostendit quòd quadringētos & triginta annos exitum esse de Aegypto, quando lex data est, uerùm etiam, quia id commemorat Apostolus Paulus. Item. Vide Gen. Cap. 3. in hæc uerba: Audiui uocem tuam. C

Ex Lib. 16. de Ciuit. Dei ad Marcell. Cap. XVIII. Tomo. V.

Semini tuo dabo terram hanc. Nihil hîc de illo semine ei promissum est, in quo pater factus est omnium gentium, sed de illo solo, de quo pater est unius Israëliticæ gentis. Ab hoc enim semine terra illa possessa est.

Eiusdē lib. cap. 19. *Dic obsecro quod soror mea sis.* Vxorem suam dixit sororem suam, nihil mentitus. Erat enim & hoc, quia propinqua erat sanguine, sicut etiam Loth eadem propinquitate cùm fratris eius esset filius, frater eius dictus est. Itaq; uxorem tacuit, non negauit, coniugis tuendam pudicitiam committens Deo, & humanas insidias cauens ut homo, quoniam si periculum quantū cauere poterat, non caueret, magis tentaret Deum, quàm speraret in Deo. Denique factum est, quod de Domino præsumpsit Abraham. Nam Pharao rex Aegypti, qui eam sibi uxorem acceperat, grauiter afflictus marito reddidit. Vbi absit ut credamus alieno cōcubitu fuisse pollutam, quia multò est credibilius hoc Pharaonem facere afflictionibus magnis non fuisse permissum.

CAPVT DECIMVMTERTIVM. D

Locution. de Gen. Lib. I. Tomo. III.

Quia homines fratres nos sumus. Vnde intelligitur morem esse scripturæ ita loqui, ut fratres appellentur unius cognationis, etiam si gradu sanguinis differāt, ut alter sit in superiore, alter in inferiore, nam patruus erat Abraham.

Ex Lib. 16. de Ciuit. Dei ad Marcell. Cap. XXI. Tomo. V.

Si potest aliquis dinumerare arenam terræ. In hac promissione utrùm sit etiam illa qua pater factus est omnium gentium, non euidenter apparet. Potest enim uideri ad hoc pertinere: Et faciam semen tuum tanquam arenam terræ, quod ea locutione dictum est quam Græci dicunt hyperbolen, quæ utique tropica est non propria. Quo tamen modo, ut cæteris tropis, uti solere scripturam nullus qui eam didicit ambigit. Iste autem tropus, id est, modus locutionis, fit quando id quod dicitur longè est amplius, quàm quod eo dicto significatur. Quis enim non uideat, quod sit incomparabiliter amplior arenæ numerus, quàm potest esse omnium hominum ab ipso Adam usque ad terminum sæculi? Quantò ergo magis quàm semen Abrahæ, non solùm quod pertinet ad Israëliticam gentem: uerùm etiam quod est & futurum est, secundū imitationem fidei toto orbe terrarum in omnibus gentibus. Quod semen scilicet Abrahæ, in comparatione multitudinis impiorum, profectò in paucis est: quamuis & ipsi pauci faciant innumerabilem multitudinem suam, quæ significata est secundum hyperbolen, per arenam terræ. Sanè

ista

A ista multitudo quæ promittitur Abrahæ, non Deo est innumerabilis, sed hominibus: Deo autem nec arena terræ. Proinde quia non tãtùm gens Israëlitica, sed uniuersum semen Abrahæ, ubi est expressa promissio, non secundum carnem: sed secundum spiritum plurimorum filiorum, congruentius arenæ multitudini comparatur: potest hinc intelligi utriusque rei facta promissio. Sed ideo diximus, quòd non euidenter appareat, quia & illius gentis unius multitudo, quæ secundum carnem nata est ex Abraham, per eius nepotem Iacob intantùm creuit, ut penè omnes partes orbis impleuerit. Et ideo potuit & ipsa secundum hyperbolen arenæ multitudini comparari: quia & hæc sola innumera est homini multitudo, terram certè illam solam significatã, quæ appellata est Chanaan, nemo ambigit. Sed cùm dictum est: tibi dabo eam & semini tuo usque in seculum: potest mouere nonnullos, si usque in seculum intelligant in æternum. Si autem in seculum hoc loco sic accipiant, quemadmodum fideliter tenemus, initium futuri seculi, à fine præsentis ordiri, nihil eos mouebit: quia & si expulsi sunt Israëlitæ de Hierosolymis, manent tamen in alijs ciuitatibus terræ Chanaan, & usque in finẽ manebunt: & uniuersa terra cùm à Christianis inhabitatur, etiam ipsum semen est Abrahæ.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

M *Elchisedech, qui erat sacerdos Dei excelsi.* De quo in epistola quæ inscribitur ad Hebræos, quam plures Apostoli Pauli esse dicunt, quidam uerò negant: multa & magna conscripta sunt. Ibi quippe primùm apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturq; illud quod longè post hoc factum, per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat uenturus in carnem: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non scilicet secundum ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferẽdus, illucescentibus rebus, quę illis umbris prænotabantur. Epistola.95. Tomo.II. *Eiusdẽ lib. cap.22.*

B

Protulit panem. Inde Melchisedech prolato sacramento mensæ dominicæ, nouit æternum eius sacerdotium figurare.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ex Lib.16. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap.XXIIII. Tomo.V.

S *Ciendo scias quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria &c.* Hæc omnia in uisu facta diuinitùs atque dicta sunt, de quibus singulis enucleatè disserere longum est, & intentionem operis huius excedit. Quod ergo satis est nosse debemus: posteaquam dictum est, credidisse Abraham Deo, & deputatum esse illi ad iustitiam, non eum in fide defecisse, ut diceret: Dominator Domine secundum quid sciam, quòd hæres eius ero? Terræ quippe illius promissa erat hæreditas. Non enim ait, unde sciam, quasi adhuc non crederet: sed ait: Secundum quid sciam, ut ei rei quam crediderat, aliqua similitudo adhiberetur, qua eius modus agnosceretur. Sicut non est uirginis Mariæ diffidentia, quod ait: Quomodo fiet istud quoniam uirum non cognosco? Quod enim futurum esse certa erat, modum quo fieret, inquirebat. Et hoc cùm quæsîsset, audiuit: Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obum- *Luce.1.*

brabit tibi. Denique & hîc similitudo data est tribus animalibus, iuuenca, capra, & ariete, & duabus uolucribus, turture & columba: ut secundum hæc futurum sci ret, quod futurum esse iam non ambigeret. Siue ergo per iuuencam significata sit plebs posita sub iugo legis, per capram eadem plebs etiam peccatrix futura, per arietem eadem plebs etiam regnatura. Quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cùm sint insignes articuli temporũ ab Adam usque ad Noë, & inde usque ad Abrahã: & inde usque ad Dauid, quid reprobato Saule, primus in regno gẽtis Israëliticæ est Domini uoluntate fundatus: in hoc ordine tertio, qui tenditur ex Abrahã usque ad Dauid tanquã tertiam ætatem gerens ille populus adoleuit: siue aliquid aliud conuenientius ista significent. Nullo tamen modo dubitauerim, spiritales in eo typos præfiguratos additamento turturis & columbæ. Et ideo dictum est: Aues autem non diuisit: quoniam carnales inter se diuiduntur: spiritales autẽ nullo modo: siue à negotiosis cõuersationibus hominum se remoueant, sicut turtur: siue inter illas degant, sicut columba. Vtraque tamẽ auis est simplex & innoxia: significans & in illo Israëlitico populo, cui terra illa danda erat, futuros indiuiduos filios promissionis, & hæredes regni in æterna felicitate mansuros. Aues autem descendentes super corpora, quæ diuisa erant: non boni aliquid, sed spiritus indicãt aëris huius, pastũ quendã suum de carnalium diuisione quærẽtes. Quòd autem illis cõsedit Abrahã, significat etiã inter illas carnalium diuisiones, spiritales esse nõnullos ueros usque in finẽ seculi perseueraturos fideles. Et circa solis occasum quòd pauor irruit in Abrahã, & timor tenebrosus magnus, significat circa huius seculi finem magnã perturbationem ac tribulationem futuram fideliũ: de

Matth. 24 qua Dominus dixit in euãgelio: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio. Quòd uerò dictum est ad Abrahã: Sciẽdo scies, quia peregrinum &c de populo Israël, qui fuerat in Aegypto seruiturus apertissimè prophetatũ est. Non quod in eadẽ seruitute sub Aegyptijs affligentibus quadringentos annos ille populus fuerat peracturus, sed in ipsis quadringẽtis annis prænuntiatum est hoc futurũ. Quemadmodũ enim scriptum est de Thare patre Abrahę: Et fuerũt dies Thare in Charra quinque & ducenti anni: nõ quia omnes ibi acti sunt, sed quia ibi cõpleti sunt: ita & hîc, propterea interpositũ est: Et in seruitutẽ redigent eos, & affligent eos quadringentis annis: quoniã iste numerus in eadẽ afflictione completus est: non quia ibi uniuersus perfectus est. Quadringenti sanè dicũtur anni propter numeri plenitudinẽ, quamuis aliquantò amplius sint, siue ex hoc tempore cõputentur, quo ista promittebãtur Abrahæ, siue ex quo natus est Isaac propter semẽ Abrahæ, de quo ista prædicuntur. Cõputantur enim sicut superius iã diximus, ab anno septuagesimo & quinto Abrahæ, quãdo ad eum facta est prima promissio, usque ad exitũ Israël ex Aegypto quadringẽti & triginta anni: quorũ Apostolus ita meminit: Hoc antẽ, inquit, testamentũ confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, nõ infirmat ad euacuandã promissionem. Iam ergo est quadringenti & triginta anni, quadringenti poterãt nuncupari: quia non sunt multò amplius, quantò magis cum aliquot iam ex isto numero præterîssent, quando illa in uisu demonstrata & dicta sunt Abrahæ, uel quando Isaac natus est centenario patri suo, à prima promissione post uiginti quinque annos

A cùm iam ex istis quadringentis & triginta quadringenti & quinque remanerẽt, quos Deus quadringentos uoluit nominare, & cætera quæ sequuntur in uerbis prænuntiatis Dei, nullus dubitauerit ad Israëliticum populũ pertinere. Quòd uerò adiungitur: Cùm autẽ sol erat ad occasum flamma facta est &c. significat iã in fine seculi per ignem iudicandos esse carnales. Sicut enim afflictio ciuitatis Dei qualis antea nunquã fuit, quæ sub Antichristo futura speratur, significatur tenebroso timore Abrahæ circa solis occasum, id est, propinquante iam fine seculi, sic ad solis occasum, id est, ad ipsum iã finẽ seculi, significatur isto igne dies iudicij dirimens carnales per ignem saluandos, & in igne damnandos. Deinde testamentũ factum ad Abrahã, terrã Chanaan propriè manifestat, & nominat in ea undecim gentes à flumine Aegypti usque ad flumen magnum Euphratem. Non ergo à flumine magno Aegypti, hoc est, Nilo, sed à paruo quod diuidit inter Aegyptum & Palæstinam, ubi est ciuitas Rhinocorura.

Item. *Quia peregrinum erit semen tuum.* Vide Exod, Cap. 12. in hæc uerba: In sexcenta milia peditum.

Item. *In die illa disposuit Dominus.* Vide Iosue Cap. 21. in hæc uerba: Et dedit Dominus Israël omnem terram.

Ex Lib. Sermon. de tempo. Sermo. 68. Tomo. X.

Credidit Abrahã Deo & deputatum est &c. Ecce sine opere iustificatur ex fide, & quicquid illi legali posset obseruatione conferri, totũ credulitas sola donauit. Ipse sibi fuerat lex, qui legem non acceperat, natura tamen quicquid legis fuerat obseruabat. Abrahã pater noster radicẽ fidei nominisq́; Christiani habebat, qui cùm

B ex proprietate genuina ad incerta atque peregrina iuberetur exire, tota deuotione cõpleuit. Cui in re tã dura nulla dubitatio fuit, sed sententiam Dei tanquam qui optare uideretur accepit. Exi, inquit Dominus, de terra, & de cognatione tua, & ueni in terrã quã demonstrauero tibi. Nouũ probationis genus, habenti propria, exilia indicere peregrina, ingerere laborẽ itineris quiescenti, imperare penuriam possidẽti, & tantarum facultatũ Domino, necessitatẽ imponere peregrinãdi. Libẽter tamen fides accepit, quicquid arduũ uidebatur incredulis. Cui non est magis dulce propriũ tugurium, quàm palatia peregrina, & uoluntaria casa, quàm digesta prætoria? Leue cuiquã nõ est dimittere propria & sectari aliena incerta, dimittere quod scias, quærere quod ignoras? Quis enim propria sine dolore deseruit, aut sine lachrymis dereliquit? Cui nõ est durum illos cõscios natalium parietes, dulcia illa limina atque amabilẽ larem, quẽ & parentum memoria, & ipsius infantiæ rudimenta cõmendant: ubi cunabula illa noui & mox orientis hominis famulabãtur, ubi secura alludens infantia inter lucis primordia, aut pueriles anni simplicitate felices, quos sibi inter lasciuos atque ipsius ætatis lusus uernaculo genuina solo necessitas exhibebat? Inter hæc ergo tam blanda, tam dulcia, quæ omni fuerant difficultate relinquenda: Exi, ait, de terra tua. Quis hoc sine fidei uiribus libẽter audiret? Leuius probaretur, si uel nomẽ loci quò perrexisset, audiret. Proficiscitur, pergit socia scilicet credulitate, coniuge comite it securus, it fretus, promissum sibi fidei laboribus exacturus, plus sperans de incerto, quàm fuerat securus de proprio. It ergo per desertas solitudines, per inuias sedes, per naturæ secre

ta, ubi hominis uestigiũ nec dum rudis terra cognouerat: & inter illa omnia quæ Dei imperio dereliquerat, non tugurium, non casam, sed inter ipsa camporum silescentium formidolosa secreta hospes tantummodo cœli terræq; nullum suffugium quò diuerteret inueniebat. Excepit tamen Abraham peregrinum quercus arbor humana, quæ uenientem Abraham atque æstiuo sole decoctum amœnitatis suæ umbraculo refoueret, cuius syluescẽtis nemoris comata luxuries, in æstiuum tempus diem & urentis solis uaporiferos radios ramorum frequentia suspendebat: ut quicquid iniuria temporis irrogabat, omne auferret & ramorum & foliorum densitas. Ingreditur ergo lucũ arboris Abrahã, sub qua construitur qualecũque suffugium, angustum quidem homini, sed sufficiens maiestati. Dignum tamẽ Deo palatium fides deuota pingebat, in quo fuisset maiestas superna pransura. Cùm ergo illic positus curiosis oculis cœlum intentaret, ecce subitò in trium uirorum persona maiestas incorporea descendit. Accurrit, properat, manus supplices tendit, & transeuntium genua osculatur. Domine ait si inueni gratiam coram te, ne transieris puerum tuum. Videtis, Abraham tribus occurrit & unũ adorat. Trina unitas, & una trinitas. Sumatur aqua, lauentur pedes uestri, & refrigerate sub arbore ista, & afferam panem & manducabitis, & postea transibitis in uiã uestram. Et dixerunt ei: Fac ut dixisti. Seruat semper in bonis tenorem sui perfecta iustitia, offert peregrinis hospitium, qui non habet tectum, & cùm sit omni domicilio uiduatus, domicilium quale necessitas procurabat exhibuit transeuntibus. Et licet illa minora fuerint, quæ offerebantur, locorum angustijs magnitudinem dederat fides, quæ contemni non meruit à Deo. Diuertunt ad arboris hospitium, quod Abraham Deo iam fecerat dignum. Interea conspergitur similago, fiunt encryphiæ, mactatur & uitulus. Etsi illis diuinitas non eguit, iustitia tamen quod optabat impendit. Ecce ad humanam mensam cœlestis sublimitas recumbebat, cibus capitur, pransitatur, & contabernaculi colloquio inter hominem & Deum familiaria uerba miscentur. Et quia apud Deum infructuosa hospitalitas esse non potuit, statim precium mercedis accæpit. Datur filius seni, datur posteritas desperanti, accæpit senectus quod minimè potuit habere iuuentus. Ad hoc inquit ueniam tempus, & erit Saræ filius. Cumq; seniles anni, & emortua Saræ uiscera hoc posse fieri denegarent, dedit tamen diuinæ promissioni credulitas fidem. Patrem, inquit, multarum gentium posuit te. Repletus est bonis, quia quod ei promisit impleuit. Ecce in ipso uitæ margine senectutis, nondum prolatis legibus recitatisq; asserimus: Abrahã quod fuerat religiosus, & qui fuerat in cultura iustior, fuerit in credulitate probatior. Ecce enim senex ille maritus, qui adhuc unum non habebat, in uno tamen Deus innumerabiles promittebat. Ecce exhaustis uisceribus dixit Deus ad Abraham. Suspice in cœlum, & numera stellas, sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad iustitiam. Defecerunt Saræ uenire muliebria, quia iam lassa defecerant membra. Totũ corpus sulcatur in rugas, fit perarata fronte, & exhausta senectute. Deficiente sanguine in uenis tristis senectus delassatur, sed diuino iudicio ætatis feruor accenditur. Meliorem facit diuina promissio matrem, quam ætas non fecerat generare. Accæpit genetrix nomen quod ei sterilitas temporis subtraxerat. Longè deficientibus membris Isaac concipitur, subitò

Gen. 18.

A bito inanes ac marcescentes uenæ rediuiuo sanguine ferbuerunt,& emortua se-ni uiscera calefacto sanguine uaporata, usque ad partum inquilinis sunt calori-bus animata. Iuuenilis ætas incaluit,& calefacto sanguine uaporauit. Fit anus fœta, fit senex grauida, crescit uenter per dies singulos,& conualescente partu, tumescentis uteri capax sinus extenditur. Fit sarcina & desideratus affectus ex uisceribus lassis, onus nimium exoptata posteritas. Portabat uterum graue talis mater, quæ inanis ambulare uix posset: sed quia credulitatis fuerant quæ acceperat, defecta uiscera fides ualidior animabat. Marcidæ mammæ, quas in uacuos folles subducti succi detrimenta laxauerant, lactei fontis ubertate tenduntur. Fit mater in pectore, fit mater in partu, fit, inquam, mater quæ auia fuerat per ætatem. Dedit fides uetustis nouos uisceribus ignes. Sic Isaac credulitate nascitur, ut eorum fides in progenie enarretur in secula.

Sume mihi uaccam triennem.& capram trimam &c. Beatus Abraham pater multarum gentium à Domino dictus est. Omnes enim gentes quæ in Christum credunt & crediture sunt, filij sunt Abrahæ, imitando fidem, non nascendo per carnem. Nam sicut Iudæi per infidelitatem degeneres facti ex filijs Abrahæ, filij diaboli,& progenies uiperarum sunt in euangelio appellati: ita ecõtrariò omnes gẽtes dum in Christum fideliter credunt, Abrahæ filij effici meruerunt. Vacca ergo triennis,& aries annorum trium,& capra triennis,& turtur uel columba, figurã omnium gentium prætulerunt. Dicta sunt autem trium annorum, quia omnes gentes in trinitatis erant mysterium crediture. Et quia tota ecclesia catholica non solùm habet spiritales, sed habet etiam & carnales, quamuis nonnulli in trinitatẽ Eiusdẽ lib. cap. 54.

B se credere dicant, carnales tamen sunt, quia crimina & peccata uitare dissimulãt. Quia ergo cum carnalibus sunt etiam spiritales, ideo turtur & columba sunt additæ. In turture & columba, spiritales possunt significari, ut in illis tribus animalibus carnales intelligi. Ergo diligenter attendite, quia illa tria animalia diuisisse in duas partes dicitur Abraham,& contra se inuicem posuisse. Aues, scriptura inquit, non diuisit. Quare hoc fratres? Quia in ecclesia catholica carnales diuiduntur, spiritales omnino non diuiduntur:& sicut dicit scriptura, contra se inuicem præparantur. Quare carnales & diuisi & contra se positi sunt? Quia omnes luxuriosi & amatores mundi contra se inuicem diuisiones & scandala habere non desinunt. Isti ergo diuiduntur, quia sibi inuicem aduersantur: aues autem, id est, spiritales non diuiduntur. Quare spiritales non diuiduntur? Quia est illis cor unum,& anima una in Deum. Est enim illis unum uelle ac nolle: illis enim quas suprà diximus auibus, similes sunt turturi scilicet uel columbæ. In turture castitas, in colũba simplicitas designatur. Omnes enim in ecclesia catholica Deum timentes,& casti simplicesq; esse signantur,& cum Psalmista dicere possunt. Quis dabit mihi pẽnas sicut columbæ,& uolabo & requiescam? Et iterum, Turtur inuenit sibi nidũ ubi reponat pullos suos. Et quãdo carnales qui diuidi possunt, grauibus uitiorum compedibus premuntur in mundo, spiritales diuersarum uirtutum pennis eleuãtur in altum,& duabus uelut alis, duobus scilicet præceptis, diligendo Deum & proximum, eriguntur in cœlum,& cum Apostolo dicere possunt: Nostra autem cõuersatio in cœlis est. Et quotiens sacerdos dixerit: Sursum corda, securi & fide Psal. 83. Phil. 3.

liter dicunt se habere ad Deum, quod ualde pauci & rari in ecclesia fiducialiter & C
cum ueritate dicere possunt. Ideo ergo aues Abrahā nō diuisit, quia spiritales qui
bus, sicut dixi, est cor unum & anima una, diuidi et à Dei uel à proximi amore se-
Rom.8. parari non possunt, sed cum Apostolo clamant: Quis nos separabit à charitate
Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Et cætera quæ sequuntur, usque ad
id quod dictū est. Neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quę est
in Christo Iesu Domino nostro. Spiritales ergo, nec tormentis separantur à Chri-
sto, carnales uerò interdum etiam otiosis fabulis separantur. Illos non separat nec
crudelis gladius, istos uerò separat carnalis affectus. Spiritales nec dura frangunt,
carnales etiā blanda corrumpunt. Diuisit ergo Abraham illa animalia in duas par
tes, aues autem nō diuisit. Cùm autem occubuisset sol, sopor, inquit, irruit super
Abrahā, & horror magnus & tenebrosus nimis, & apparuit Clibanus ardens &
fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. Videte fratres quid ignis
iste inter diuisiones illas trāsiens dicitur, turturem quoque & columbam tetigisse
non legitur. Vespera illa, finem mundi significauit: animalia illa, sicut iā diximus,
typum omniū gentium in Christo credentiū prætulerunt. Quæ tamen gentes, si-
cut iā dictum est, quia in se non solum carnales, sed etiā spiritales, id est, non solum
bonos, sed etiam malos habent, ideo animalia illa diuisa sunt, & ignis transiuit per
1.Cor.3. ea, secundū illud quod dicit Apostolus: Dies enim Domini declarabit, quia in igne
reuelabitur. Clibanus ille ardens & fumans, et lampas ignis, diem iudicij figurauit.
Et ideo super beatum Abraham timor & horror tenebrosus incubuit. Vnde in-
telligimus quod si in die iudicij iustus uix saluabitur, peccator & impius ubi pare
bunt? Clibanus ergo ardens & fumans significauit diem iudicij. Diem, inquam, iu D
dicij in quo erit fletus & stridor dentium, in quo erit ululatus & lamētatio, & tar
da pœnitentia, quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra usq;
2.Pet.3. ad inferos deorsum, quādo, sicut dicit beatus Petrus: Cœli ardentes soluentur, ele
menta ignis ardore tabescent, quando sicut Dominus ipse in euangelio dicit, etiā
uirtutes cœlorum commouebuntur, quando sol obscurabitur, quando et luna nō
dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo: ubi se tunc impij uidebunt? ubi adul-
teri, ubi ebriosi, ubi maledici se recognoscent? Vbi amatores luxuriæ, ubi rapto-
res, ubi superbi & inuidi apparebunt? &c.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Ex Lib.16. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap.XXV. Tomo V.

Abens ancillam Aegyptiam nomine Agar. Nullo modo est inferendum de hac concubina crimen Abrahæ. Vsus est ea quippe ad generandam pro
H lem, non ad explendam libidinem, nec insultans, sed potius obediens coniugi, quæ suæ sterilitati credidit esse solatium, si fœcundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, uoluntate faceret suum, & eo iure quo dicit Apostolus: Similiter & uir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, uteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex seipsa. Nulla est hîc cupido lasciuiæ, nulla nequitiæ turpitudo. Ab uxore causa prolis ancilla marito traditur, à marito causa prolis accipitur, ab utroque nō culpæ luxus,

sed

A sed naturæ fructus exquiritur. Denique cùm ancilla grauida Dominæ sterili superbiret, & hoc Sara suspicione muliebri uiro potius imputaret, etiam ibi demonstrauit Abraham non se amatorem seruum, sed liberum fuisse genitorem, & in Agar, Saræ coniugi pudicitiam custodisse, nec uoluptatem suam, sed uoluntatem illius impleuisse: accepisse, nec petijsse: accessisse, nõ hæsisse: seminasse, nec amasse: Ait enim: Ecce ancilla tua in manibus tuis, utere ea, quomodo tibi placuerit. O uirum uiriliter utentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.

Ex Lib. 2. cont. aduers. legis & prophet. Cap. IX. Tomo VI.

[*Ingredere quæso ad ancillam meam.* Nam & ipsi patri gẽtium, ad quem promissiones factas nunc in omnibus gentibus uidemus impleri, crimen fornicationis obijciunt. Iste quippe proculdubiò cui respõdemus, ex illis se esse manifestat, de quibus prædictum est Apostolo dicente: Spiritus autẽ manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidã à fide &c. Nõ enim reperitur Abraham aliquo se cõtaminasse adulterio, quoniã non lubrico libidinis amauit ancillam, sed ab uxore accepit: quãdo uxor eius fecit de iure suo quod uoluit, uolens habere filios de marito suo, quãuis ex utero alieno. Vbi nulla omninò lasciuiendi, sed sola cogitata est causa generãdi. Iste autem Abrahæ, etiam usque ad decrepitã senectutẽ, fornicationis obijcit crimẽ, profectò quia & post mortẽ Saræ alteram duxit. Vbi etsi nullũ intelligeretur rei abditæ sacramentum, propter hoc solùm id facere debuit Abrahã, ne putarent hæretici aduersus Apostolũ, quibus etiã Tertullianus astipulator assistit, post uxoris mortem, crimen esse ducere uxorem. Sed sicut sibi iste I. Timoth.
B uidetur inuenire in Apostolicis literis, quæ dicat contra legem per Moysen datam uel contra testamentũ uetus: inueniat tale aliquid aduersus Abrahã, quod ex euãgelicis & apostolicis literis sonare uideatur: omninò non inuenit. Vbicunque ille nominatur in libris testamenti noui, cum honore debito nominatur: ita ut Iudæis diceret ipse Dominus: Si filij Abrahæ estis, facta Abrahæ facite. Ac per hoc iste qui blasphemat Abraham, Christum profectò blasphemat, qui tale testimonium perhibet Abrahæ. Sed dicat si potest, quam personam illarum quinque gerebat Apostolus, cùm sic prædicaret Abraham? Si enim eis qui sine lege fuerant, factus erat quasi esset & ipse sine lege, illi Abraham non nouerant. Ergo aliquem principem, siue Romanorum, siue Græcorum, siue aliquem philosophorum debuit inuenire, quem talibus prædicaret: ut eis, sicut huic placet, talem se quales ipsi erant fingendo congrueret: non Abraham nescio quem alienigenam patrem gentis Hebrææ, longè ab eorum moribus, longè ab eorum ritibus, longè ab eorum cogitationibus alienum. Si autem Iudæis tanquam Iudæus factus erat, aut eis qui sub lege erant, tanquã esset & ipse sub lege, ut quid dicebat, non esse hæredes ex lege? Vt quid dicebat: Lex iam operatur? Vt quid dicebat: Lex præuaricationis gratia proposita est, quod æquo animo ferre nõ possent qui gloriabãtur in lege? Quòd si ut infirmus loquebatur infirmis, et sic eos, ut fallacibus placet, fallẽdo lactabat: cur eos ab umbris ueteribus in quibus infirmi quiescebant sic perturbabat ut diceret: Ecce ego Paulus dico uobis, quia si circumcidamini, Christus uobis nihil proderit. Si aũt in illa persona quinta perfectis sapiẽtiã loquebatur, quales solos iste dignos Ioan. 8. Gal. 5.

putat,quos non fallat Apostolus:quare econtrariò uult esse ipse perfectus, ut blas- C
phemet Abraham,quem sic perfectum laudat Apostolus, maximè in illis duobus filijs eius,uno de ancilla,alio de libera? Si displicet illi cum Hesmaële testamentum uetus,cum Isaac placeat testamentum nouum. An & contra Apostolum propositurus est cathedram pestilentiæ,& disputaturus de qualitate figurarum, atque dicturus non eum debuisse figuras rerum honestarum de rebus turpibus ducere? Res enim turpis huic uidetur, etiam cum ipsa Sara concubitus coniugalis, quam liberam matrem nostram æternam Hierusalem significare testatur doctor gentiũ: quamuis narium rugas & frontis obducat,& crispato uultu hanc parabolam exhoreat doctor pestilentium:& multo amplius & aspernabilius,quando audit eundem gentium doctorem,quod scriptum est de masculo & fœmina: Erunt duo in carne una,addere & dicere: Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in
Ephe.5. Christo & in ecclesia.Itáne uerò ubi essent cognoscenda tantæ rei sacramenta, id est,sacra signa,& in re pudenda,atque in eis uerbis, quibus uerecundia debetur, cognosci non debuisse nec dici,homo iste sciebat, & beatus Apostolus nesciebat? Eat planè iste retrò cum suis similibus socijs qui dixerunt: Durus est hic sermo,
Ioan.6. quis eum potest audire? Nos autem audiamus & intelligamus duo testamenta in duobus filijs Abrahæ,duabusq; mulieribus eius cõmixtione fœtatis: sicut duos in carne una,Christum & ecclesiam:istis uolentibus, sine ulla obscuritate cognoscimus: sicut mediatorem Dei & hominũ,hominem Christum Iesum, carnẽ suam nobis manducandam,bibendumq; sanguinem dãtem,fideli corde atque ore suscipimus:quamuis horribilius uideatur humanam carnem manducare, quàm perimere,& humanum sanguinem potare quàm fundere. Atque in omnibus sanctis D
scripturis,secuudum sanè fidei regulam figuratè dictum uel factum si quid exponitur,de quibuslibet rebus & uerbis,quæ sacris paginis continentur,expositio illa ducatur,non aspernanter,sed sapienter audiamus.

Ex Lib.22.cont.Faust.Manich. Cap.XXX. Tomo.VI.

Ergo lege consulta,quæ ordinem naturalem conseruari iubet, perturbari uetat:uideamus quid peccauerit,id est, quid contra istam legem fecerit pater Abraham,in his quæ uelut magna crimina Faustus obiecit.Habende,inquit,prolis insana flagrans cupidine,& Deo,qui id iam sibi de Sara coniuge promiserat, minimè credens,cum pellice uolutatus sit. Insana uerò iste Faustus criminandi cupiditate cæcatus,& hæresis suæ nefas prodidit,& Abrahæ concubitum nesciens erransq; laudauit.Sicut enim lex æterna,id est,uoluntas Dei creaturarum omnium conditoris,conseruando naturali ordini consulens,nõ ut satiandæ libidini seruiatur,sed ut saluti generis prospiciatur, ad prolem tantummodo propagandam, mortalis carnis delectationem dominatu rationis in concubitu relaxari sinit: sic econtrariò peruersa lex Manichæorum,ne Deus eorum,quem ligatum in omnibus seminibus plangunt,in conceptu fœminæ arctius colligetur,prolem ante omnia deuitari à cõcumbentibus iubet,ut Deus eorum turpi lapsu potius effundatur, quàm crudeli nexu uinciatur. Non igitur Abraham prolis habendæ insana cupiditate flagrabat,sed Manichæus prolis deuitandæ insana uanitate delirabat. Proinde ille naturæ ordinem seruans,nihil humano concubitu agebat, nisi ut homo nascere-

tur:

A tur:iste peruersitatem fabulæ obseruans, nihil in quolibet concubitu timebat, nisi ne Deus captiuaretur. Vbi autem Faustus in facto Abrahæ uelut conscientiam culpat uxoris, ubi uerò malo quidem animo & intentione uituperandi, sed tamen nesciens & nolens utrunque collaudat. Neque enim conscientiam suam flagitio coniugis miscuit, quod ille suam libidinem turpi & illicita uoluptate satiaret: sed etiam illa naturali ordine filios uolens, séque sterilem sciens, ancillaris uteri fœcunditatem in usum iuris sui potestate licita uendicauit: non cedens uiro concupiscenti, sed iubens obedienti. Neque hoc inordinata superbia: quis enim nescit, uxorem marito tanquam domino debere seruire? Sed quod ad membra corporis attinet, quibus sexus ipse distinguitur, Apostolus dicit: Similiter & uir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: ut cùm in cæteris actibus ad humanam pacem pertinentibus, mulier uiro debeat seruitutem, huius unius rei, qua sexus utriusque carnali sorte discernitur, & carnali commixtione concernitur, similem in se habeant potestatem, uir in uxorem, & uxor in uirum. Prolem igitur, quam de se habere Sara non poterat, de ancilla habere uoluit: ex eo tamen semine, ex quo & de se, si posset, habere debebat. Nunquam hoc faceret mulier, si in corpore uiri carnali cuncupiscentia teneretur: Zelaret enim potius pellicem, non faceret matrem. Nũnc uerò propterea sic propagandi uoluntas pia fuit, quia concũbendi uoluntas libidinosa non fuit. Illud sanè defendi non potest, si Abraham, si cut Faustus obiecit, minimè credens Deo, qui sibi iam prolem de Sara promiserat, de Agar suscipere uoluit. Sed apertissimè falsum est. Nondum hoc promiserat Deus. Recenseant scripturæ illius superiora, qui uolunt, inuenient semini Abraham

Eiusdẽ lib. cap. 31.

1. Cor. 7.

Eiusdẽ lib. cap. 32.

B iam fuisse promissam terram, & innumerabilis multitudinis abundantiam, nondum tamen fuisse patefactum, quomodo illius seminis esset futura propagatio. utrùm ex carne Abrahæ, si de se ipse generaret, an ex uoluntate, si aliquem fortè adoptaret. Deinde si de carne ipsius, utrùm ex Sara, an ex alia, prorsus nondum manifestum fuit. Legant, inquam, qui uolunt, & inuenient Faustum, aut falli imprudenter, aut fallere impudenter. Itaque Abraham, cùm sibi uideret non nasci filios, & tamen semini suo factam promissionem teneret, primo de adoptione cogitabat. Hoc indicat, quòd cum Deo loquens, ait de uernaculo suo: Hic hæres meus erit, tanquàm diceret, quia de meipso mihi semen non dedisti, in isto comple quod meo semini promisisti. Si enim semen cuiusque non appellaretur, nisi quod eius carne nasceretur, nec nos appellaret Apostolus Semen Abrahæ: qui certè originem carnis ab illo non ducimus, sed imitatione fidei semen eius facti sumus, credentes in Christo, cuius caro ex illius carne propagata est. Tunc ergo Abraham audiuit à Domino: Non hic erit hæres tuus, sed qui exiet de utero tuo, ipse erit hæres tuus. Iam nunc adoptionis cogitatione sublata, cùm de seipso semen speraret Abraham, restabat incertum, utrùm ex Sara, an ex alia, quod illi Deus occultare uoluit, donec prius ex ancilla uetus testamentum figuraretur. Quid ergo mirum, si uidens Abraham sterilem uxorem, cupientem sibi prolem, quam parere ipsa non potuit, ex familia sua & ex marito prouenire, non suæ carnali cnpiditati cessit, sed coniugali potestati obtemperauit: credens hoc Saram ex Dei nutu uoluisse, quia iam ex seipso illi hæredem promiserat, sed ex qua fœmina non prædixerat?

Gen. 15.

dixerat? Frustrà igitur Faustus ad obijciendum hoc crimen insanus insiluit tanquam infidelem. Abraham infideliter arguens. Cætera enim cæcitate non credendi nec ualuit intelligere, hoc autem libidine calumniandi neglexit & legere. C

Epistola.48. Tomo II.

Et cùm affligeret eum Sara. Nónne cõtumacem ancillam, data sibi potestate Sara potius affligebat? Et utique non eam quam superius beneficio suo matrem fecerat crudeliter oderat, sed in ea superbiam salubriter edomabat. Nõ autem ignoras, quòd istæ duæ mulieres Sara & Agar, & duo filij earum Isaac & Ismaël, pro spiritalibus & carnalibus figurentur. Et cùm legamus ancillam & filiũ eius à Sara passos graues molestias, Paulus tamen Apostolus dicit, quòd ab Ismaële persecutionem sit passus Isaac. Sed sicut tunc, inquit, ille qui erat secundum carnem, persequebatur eum, qui erat secundum spiritum, ita & nunc: ut qui possunt intelligãt, magis ecclesiam catholicam persecutionem pati superbia, & impietate carnalium, quos temporalibus molestijs atque terroribus emendare conatur. Quicquid ergo facit uera & legitima mater, etiamsi asperum amarumq; sentiatur, non malum pro malo reddit, sed bonum disciplina expellendo malum iniquitatis apponit, non odio nocendi, sed dilectione sanandi.

Aperti sunt oculi eius. Vide Gen. cap. 2. in hæc uerba: De arbore uerò scientiæ boni & mali.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Ex lib. 16. de Ciuit. dei ad Marcel. Cap. XXVI. Tomo V.

E T *ecce testamentum meum tecum &c.* Hìc apertiora promissa sunt de uocatione gentium in Isaac, id est, in filio promissionis, quo significatur gratia, non natura: quia de sene & anu sterili promittitur filius. Quãuis enim & naturalem procreationis excursum Deus operetur, ubi tamen euidens opus Dei est, uitiata & cessante natura, ibi euidentius intelligitur gratia. Et quia hoc non per generationem, sed per regenerationem futurum erat, ideo nunc operata est circuncisio: quando de Sara promissus est filius, & quòd omnes, non solum filios, uerùm etiam seruos uernaculos & emptitios circuncidi iubet, ad omnes istam gratiam pertinere testatur. Quid enim aliud circũcisio significat, quàm uetustate exuta naturã renouatã? Et quid aliud quàm Christum octauus dies, qui hebdomada cõpleta, hoc est, post sabbatum resurrexit? Parentum mutantur & nomina, omnia resonant nouitatem, & in testamento ueteri obumbratum intelligitur nouum. Quid est enim quod dicitur testamentum uetus, nisi occultatio noui? Et quid est aliud quod dicitur nouum, nisi ueteris reuelatio? Risus Abrahæ exultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis. D

Testamentum meum custodi tu & semen tuum &c. Vide Deut. Cap. 5. in hæc uerba: obserua & sanctifica diem, quem præcepit tibi Dominus.

Quæst. super Gen. Lib. Cap. XXXI. Tomo IIII.

Omnem terram cultam in possessionem æternam. Quæstio est quomodo dixerit æternam, cùm Israëlitis temporaliter data sit: utrùm secundum hoc seculum dicta sit ęterna, ut ab eo quod est αἰών Gręcè, quod seculum significat dictum sit αἰώνιον, tanquam

A tanquam si latinè dici posit seculare: an ex hoc aliquid secundum spiritalem promissionem hîc intelligere cogamur, ut æternum dictum sit ideo, quia hinc æternum aliquid significat. An potius locutionis est scripturarum ut æternum appellent, cuius rei finis non constituitur, aut non ita fit ut deinceps non sit faciendum, quantùm pertinet ad curam uel potestatem facientis, sicut ait Horatius: Seruiat æternum qui paruo nesciat uti. Non enim potest in æternum seruire, cuius ipsa uita qua seruit æterna esse non potest.

Ex Lib. 16. de Ciui. Dei ad Marcel. Cap. XXVII. Tomo V.

Interibit anima illa de genere suo. Cùm hæc nulla culpa sit paruuli, cuius dixit animam perituram, nec ipse dissipauerit testamentum Dei, sed maiores, qui eum circuncidere non curarunt, nisi quia etiam paruuli, non secundum suæ uitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno testamentum Dei dissipauerunt, in quo omnes peccauerunt. Multa quippe appellantur testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis uetere & nouo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum quod factum est ad hominem primum profectò illud est: Qua die ederitis morte moriemini. Vnde scriptum est in libro, qui Ecclesiasticus appellatur: Omnis caro sicut uestis ueterascet. Eccle. 14. Testamentum ergo est à seculo morte mori eos, qui transgrediuntur præcepta Dei. Cùm enim lex euidentior postea data sit, & dicat Apostolus: Vbi autem non est lex, nec præuaricatio, quo pacto quod legitur in Psalmo uerum est: Præuaricatores æstimaui omnes peccatores terræ: nisi quia omnes legis alicuius præuaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Rom. 4. Psal. 118.
B Quam ob rem si etiam paruuli, quod uera fides habet nascuntur, non propriè, sed originaliter peccatores, unde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur, profectò eo modo quo sunt peccatores, etiam præuaricatores legis illius, quæ in paradiso data est agnoscuntur, ut uerum sit utrunque, quod scriptum est: Præuaricatores æstimaui omnes peccatores terræ, & ubi lex non est, nec præuaricatio. Ac per hoc quia circuncisio signum regenerationis fuit, non immeritò paruulum propter originale peccatum, quo primum Dei dissipatum est testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet: Sed intelligenda sunt hæc diuina uerba tanquam dictum sit: Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere eius, quia testamentum meum dissipauit, quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccauit. Si enim dixisset, quia hoc testamentum meum dissipauit, non nisi de ista circuncisione intelligi cogeret. Nunc uerò quoniam non expresit cuiusmodi testamentum paruulus dissipauerit, liberum est intelligere de illo testamento dictum cuius dissipatio pertinere posit ad paruulum. Si autem quisquam hoc non nisi de ista circuncisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum Dei, qui non est circuncisus dissipauerit paruulus, quærat locutionis aliquem modum, quo non absurdè posit intelligi, ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Verùm sic quoque animaduertendum est, nulla in se negligentia sua iustè interire incircuncisi animam paruuli, nisi originalis obligatione peccati.

CAPVT

CAPVT DECIMVMOCTAVVM. C

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 70. Tomo. X.

Ipse est Deus Abrahæ &c. Attendite fratres & uidete qualiter Deus apparuit Abrahę, & & qualiter apparuit Loth. Ad Abraham tres ueniunt, & stant super eum, ad Loth duo ueniunt, & sedent in platea. Videte fratres, si non dispensatione sancti spiritus pro meritis res geruntur. Etenim Loth longè inferior erat Abrahã, nisi enim inferior fuisset, à beato Abraham separari non meruisset, nec ei Sodomorum habitatio placuisset. Veniunt ergo ad Abraham tres uiri in meridie, uenerunt ad Loth duo, & uespere ueniunt. Non enim sustinebat meridianæ lucis magnitudinem Loth, Abraham uerò poterat plenum fulgorem lucis excipere. Nunc uideamus, qualiter Abraham, & qualiter Loth susceperunt uenientes. Præsumpsit Abrahã, & occurrit obuiam eis, & cùm occurrisset, festinat ad tabernaculum, & dicit ad uxorem suam: Festina, inquit, & consperge tres mẽsuras similaginis, & fac subcineritios panes, quod Græcè engryphias dicitur, occultos uidelicet & absconditos indicans panes. Ipse autem Abraham ad armentum cucurrit, & accæpit uitulum. Qualem uitulum? Fortè qui potuit primus occurrere: non ita est, sed uitulum bonum & tenerum. Tulit ergo uitulum, & dedit puero. Puer, inquit, festina facere eũ. Videte fratres, attendite quàm feruenti animo hospites debeatis excipere. Ecce ipse Abraham currit, uxor festinat, puer accelerat, nullus est piger in domo sapientis. Ecce æqualia sunt Abrahæ & Saræ hospitalitatis officia. Loth uerò excępit quidem, sed duos tantùm, & non integram trinitatem, nec in meridie, sed ad uesperum. Et quid eis apposuit? Coxit, inquit, azyma, & comederũt. Et quia meritis multò inferior erat D Abraham, nec uitulum saginatum habuit, nec in tribus mensuris similaginis, mysterium trinitatis agnouit. Attamen quia uel hoc, quod potuit benigno animo obtulit, de perditione Sodomorum liberari promeruit. Attendite fratres, quia etiam & Loth dum hospites non repellit, angelos excipere meruit. Ecce hospitalem domum angeli ingrediuntur, clausæ hospitibus domus flammis sulphureis concremantur. Venerũt ergo tres uiri ad Abraham, & steterunt super eum. Hoc ipsum uidete, quare sit quòd super eum ueniunt, non contra eum. Subiecerat se uoluntati Dei, & ideo super eum stare dicitur Deus. Astiterũt, inquit, super eũ, non contra eum ad repellendum, sed super eum ad protegendum. Tres uiros suscæpit, tribus mensuris panes apponit. Quare hoc fratres? nisi mysteriũ trinitatis intelligit? Apponit & uitulũ, qui uitulus non est durus, sed tener. Et quid tam tenerũ, quid tam bonũ, quàm est ille, qui se pro nobis humiliauit usq; ad mortem? Ipse est ille uitulus saginatus, quẽ pro recæpto pœnitentię filio iugulat pater. Sic enim dilexit
Ioan. 3. Deus mũdum, ut filium suũ unigenitũ daret. Tribus ergo occurrit Abraham, & unũ adorat. In eo autẽ quod tres uidit, sicut iam dictũ est, trinitatis mysteriũ intellexit. Quòd autem quasi unũ adorauit, in tribus personis unũ Deum esse cognouit. Ad unũ loquitur dicens: Declina ad puerũ tuum. Addit etiã, quasi ad homines loquẽs: Accipiã, inquit, aquã, & lauentur pedes uestri. Discite fratres à beato Abraham, hospites libenter excipere, pedes eorũ cum humilitate & pietate lauare. Lauate, inquã, sanctorũ peregrinantium pedes, ne fortè in illis remaneat puluis, quẽ ad

A ad iudicium uestrum possint de pedibus suis excutere. Sic enim in euãgelio dicit: Qui non susceperit uos, exeuntes excutite puluerem de pedibus uestris. Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Hoc ergo præuidebat in spiritum Abrahã, & ideo uolebat præuenire, & lauare pedes, ne quid fortè pulueris resideret, quod ad testimonium incredulitatis excussum posset in die iudicij reseruari. Propterea ergo dicit sapiẽs Abraham accipiã aquã, & lauentur pedes uestri. Diligenter hæc audite fratres, qui hospitalitatem exercere nõ uultis, qui hospitem uelut hostem excipitis. Ecce beatus Abraham dum homines feruenter exciperet, ipsum Deum suscipere hospitalitatis contemplatione promeruit. Hoc etiam in euangelio Christus confirmauit dicens: Hospes fui, & suscepistis me. Nolite ergo negligere peregrinos, ne fortè quem non excepistis ipse sit Christus. Vbi tamen factum sit hoc? Ad ilicem Mambre, quod in latina lingua interpretatur uisio, siue perspicacia. Vides qualis sit locus, in quo Dominus potest habere conuiuium? Delectauit enim eum uisio & perspicacia Abrahæ. Erat enim mundus corde, ut posset Deum uidere. In tali ergo loco, & in tali corde potest Dominus habere conuiuium. De ista uisione Dominus in euangelio locutus est ad Iudæos dicens: Abraham exultauit ut uideret diem meum, uidit & gauisus est. Diẽ, *Ioan.* 5. inquit, meum uidit, quia mysterium trinitatis agnouit. Vidit patrem diem, filium diem, spiritumsanctum diem, & in his tribus unum diem: sicut & pater Deus, & filius Deus, & spiritussanctus Deus, & hi tres unus Deus. Nam & sigillatim singulæ quæque personæ plenus Deus, & totæ tres simul unus Deus. Nam & illis tribus mensuris similaginis, propter unitatem substantiæ non incongruè pater & fi-

B lius & spiritussanctus intelligitur. Quod tamen & alio modo potest accipi, ut Saram intelligamus ecclesiam, tres mensuras similaginis fidem, spem & charitatem. In his enim tribus uirtutibus, uniuersæ fructus continentur ecclesię. Qui hæc tria in se meruerit habere, securus potest ad cõuiuium cordis sui totam trinitatem excipere. Post hæc dixit Dominus ad Abrahã: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ ascendit ad me, descendi ergo ut uiderem, si sermo qui uenit ad me opere compleatur, an non est ita, ut sciam. Hæc scripturæ sunt uerba, uideamus quid in his intelligi dignum sit. Descendi, inquit, ut uiderem. Quando ad Abraham responsa redduntur, non dicitur descendere Deus, sed supra ipsum adstare, nunc autẽ quia peccatorum causa agitur, descendere dicitur Deus. Vide ne ascensionem & descensionem localem sentias. Indignum est hoc de incorporea, & ubique tota sentire substantia. Sed descendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur. Quod specialius de Domino ac saluatore nostro sentire debemus, qui semetipsum exinaniuit, serui formam accipiens. Sed uideamus quid est quod dicit, descendi ut uiderem, utrùm sermo qui ad me peruenit opere completus sit, an non est ita ut sciam. Solẽt enim nos hinc impugnare Pagani, & maxime immundissimi Manichæi dicentes: Ecce nesciebat Deus legis, quid ageretur in Sodomis. Nos enim sano intellectu respondemus & dicimus, quod aliter dicitur Deus nosse iustos, aliter nouerit peccatores. Denique de iustis quid dicitur? Nouit Do- *2. Timo. 2.* minus qui sunt eius. De peccatoribus quid dicitur? Discedite à me omnes qui ope- *Matth. 7.* ramini iniquitatem, quia non noui uos. Et iterum Paulus Apostolus: Si quis est *1. Cor. 14.*

Domini

Domini, intelligat quæ dico, qui autem ignorat, ignorabitur. Quid est ergo? Nescio? Non noui uos, non uos agnosco in regula mea, non in uobis recognosco imaginem meam. Cognouit in uobis iustitia mea quòd puniat, & non cognoscit misericordia quòd coronet, ac sic quorum actus indigni Deo sunt, indigni etiam notitia Dei dicuntur. Descendi ergo ut uideam, non ut ego quid agunt sciam, sed ut ipsos scientia mea dignos efficiam, si quos ipsorum inueniam iustos, si quos inueniam pœnitentes, si quos tales quos debeam scire. Denique quia nullus qui pœniteret, nullus qui conuerteretur inuentus est præter Loth, ipse solus cognoscitur, ipse solus de incendio liberatur. C

Et lauit pedes eorum. Vide Zacha. Cap. I. in hæc uerba: Et dixit mihi angelus.

Locution. de Gen. Lib. I. Tomo. III.

Clamor Sodomorum Clamorem scriptura solet ponere pro tanta impudentia & libertate iniquitatis, ut nec uerecundia, nec timore abscondatur.

De Mendacio ad Consent. Lib. Cap. V. Tomo. IIII.

Sara risit post ostium tabernaculi. Inquiramus utrùm aliquando sit utile falsum aliquid enuntiare cum uoluntate fallendi. Nam qui hoc sentiunt adhibent testimonia sententiæ suæ, commemorantes Saram cùm risisset, angelis negasse quod riserit: Iacob à patre interrogatum, respōdisse quod ipse esset Esau maior filius eius. Aegyptias quoq; obstetrices ne infantes Hæbræis nascentes interficerentur, etiam Deo approbante & remunerāte mentitas. Et multa eiusmodi exempla eligentes, eorum hominum mendacia cōmemorant, quos culpare non audeas: atque ita fatearis, aliquando esse posse, non solùm repræhensione non dignum, sed etiam dignum laude mendacium. Addunt etiam, quo non solos premant diuinis libris deditos, sed etiam omnes homines sensúmque cōmunem dicentes. Si quis ad te confugiat qui mēdacio tuo possit à morte liberari, nō es mentiturus? Si aliquid ægrotus interroget quod ei scire non expedit, qui etiam possit te non respondente grauius affligi: audebis ne aut uerum dicere, in perniciem hominis, aut silere potius quàm honesto & misericordi mendacio ualetudini eius opitulari? His atque talibus copiosissimè se arbitrantur urgere, ut si cōsulendi causa exigit, aliquādo mentiamur. Contrà illi quibus placet nunquam sic mentiendum, multò fortius agunt, utentes primò authoritate diuina, quoniam in ipso decalogo scriptum est: Falsum testimonium ne dicas: quo genere cōplectitur omne mendacium. Quisquis enim aliquid enuntiat, testimonium perhibet animo suo. Sed ne quis contendat non omne mendacium falsum testimonium esse appellandum, quid dicturus est ad id quod scriptum est: Os quod mentitur occidit animā? Quod ne quis arbitretur exceptis aliquibus mentientibus posse intelligi, alio loco legat: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Vnde ore suo ipse Dominus sic inquit: Sit in ore uestro, est, est: non, non: quod autem amplius est, à malo est. Hinc & Apostolus cùm exuendum ueterē hominem præciperet, quo nomine omnia peccata intelliguntur, consequenter ait, in primis ponens; Quapropter deponentes mendacium, loquimini ueritatem. Nec illis quæ de ueteribus libris mendaciorum exempla prolata sunt terreri se dicunt: ubi quicquid gestum est, figuratè accipi potest, quamuis reuerà contigerit. Quicquid autem figuratè fit, aut dicitur, non est mendacium. Omnis enim

(Margin: Gen. 27. — Exo. I. — D — Exo. 20. — Sap. I. — Psal. 5. — Matth. 5. — Ephe. 4.)

A enim enuntiatio, ad id quod enuntiat, referenda est. Omne autem figuratè aut factum aut dictum hoc enuntiat quod significat eis quibus intelligendum prolatum est. Vnde credendum est illos homines qui propheticis temporibus digni authoritate fuisse commemorantur, omnia quæ scripta sunt de illis, propheticè gessisse atque dixisse: nec minùs propheticè eis accidisse, quæcunq; sic acciderunt, ut eodem prophetico spiritu memoriæ literísque mandanda iudicarentur. De obstetricibus autem, quia non eas possunt dicere prophetico spiritu significandi futuri ueri gratia, aliud pro alio renuntiasse Pharaoni, etiam si aliquid ipsis nescientibus, quod per eas actum esset significauit, pro gradu suo dicunt approbatas & remuneratas à Deo &c.

Quæst. super Gen. Lib. Cap. XXXVI. Tomo. IIII.

Quare risit Sara. Quæritur quare istam redarguit Dominus, cùm & Abraham riserit, nisi quia illius risus admirationis & lætitię fuit, Saræ autem dubitationis, & ab illo dijudicari potuit, qui corda hominum nouit.

Quæst super Gen. Lib. Cap. XXXIX. Tomo. IIII.

Descendam ergo & uidebo si secundum clamorem &c. Verba hæc si non dubitantis, quid duorum potius euenturum sit, sed irascentis & minantis accipiamus, nulla quęstio est. More quippe humano Deus in scripturis ad homines loquitur, & eius iram nouerunt sine perturbatione eius intelligere qui nouerunt. Solemus autem etiam sic minaciter loqui. Videamus si non tibi facio, aut: Videamus si non illi facio, & si nō potuero tibi facere: uel sciam, id est, hoc ipsum experibor, utrùm non possim, quòd cōminando, non ignorando dicitur. Irati apparet affectus: sed per-
B turbatio non cadit in Deum. Mos autem humanæ locutionis & usitatus est, ut humanæ infirmitati congruat, cui Deus coaptat locutionem suam. Quæri solet, *Eiusdē lib.*
utrùm quod de Sodomis dixit Deus, non se perdere locum si inuenirentur illic *cap.40*
uel decem iusti, speciali quadam sententia de illa ciuitate, an de omnibus intelligendum sit generaliter, parcere Deum loco in quocunque uel decem iusti fuerint. In qua quæstione non est quidem necesse ut hoc de omni loco accipere compellamur. Verumtamen de Sodomis potuit & sic dici, quia sciebat Deus ibi nō esse uel decem: & ideò sic respondebatur Abrahę ut significaretur, nec tot ibi posse inueniri, ad exaggerationem iniquitatis illorum. Non enim necesse erat Deo tam sceleratis hominibus parcere, ne cum illis perderet iustos, cùm posset iustis inde liberatis, reddere impijs digna supplicia: sed ut dixi ad ostendendā malignitatem multitudinis illius dixit: Si decem ibi inuenero parcā uniuersæ ciuitati: tanquā si diceret: Certè possum nec pios cū impijs perdere, nec tamen propterea impijs parcere, quia liberatis & separatis inde pijs, possum impijs digna rependere, & tamen si ibi inueniantur parco, hoc est, quia nec tot possent ibi inueniri. Tale aliquid est apud Hieremiam ubi ait: Circūite uias Hierusalem, & uidete, & quærite in plateis *Hier. 5.*
eius, & cognoscite si inuenietis hominem facientem iustitiam & quærentem fidem, & propritius ero peccatis eorum, id est, inuenite uel unum & parco cæteris, ad exaggerandum & demonstrandum quod nec unus ibi posset inueniri.

Visus est Dominus Abrahæ. Vide suprà Cap. 3. in hæc uerba: Audiui uocem tuam.

CAPVT

CAPVT DECIMVMNONVM. C

De Trinit. Lib. 2. Cap. XII. Tomo. III.

V*enerunt autem duo angeli in Sodomis uespere.* Hic attentius consideran-dum est, quod ostendere institui. Cùm tribus certè loquebatur Abraham, & eum Dominum singulariter appellauit. Fortè inquiet aliquis, unum ex tribus agnoscebat Dominum, alios autẽ duos angelos eius. Quid sibi ergo uult, quod consequenter dicit scriptura: Abijt autem Dominus postquam cessauit loquens ad Abraham, & Abraham reuersus est ad lucum suũ. Venerunt &c. An fortè ille unus abscesserat, qui Dominus agnoscebatur in tribus, & duos angelos qui cum illo erant ad consumendam Sodomam miserat. Ergo sequentia uideamus. Venerunt, inquit, duò angeli in Sodomis uespere. Loth autem sedebat &c. Hic manifestum est, & duos angelos fuisse, & in hospitium pluraliter inuitatos, & honorificè appellatos Dominos, cùm fortasse homines putarentur. Sed rursum mouet, quia nisi angeli Dei cognoscerẽtur, nõ adoraret Loth in faciem super terram. Cur ergo tanquam tali humanitate indigentibus, & hospitium præbetur & uictus? Sed quodlibet hic lateat, illud nunc quod suscępimus exequamur. Duo apparent, angeli ambo dicuntur, pluraliter inuitantur. Tanquã cum duobus pluraliter loquitur, donec exeatur à Sodomis. Deinde sequitur scriptura & dicit: Et factum est postquã eduxit eos foras, dixerunt: Saluans salua animam tuam ne respexeris retrò, neque stes in hac uniuersa regione &c. Quid est hoc quod dixit ad eos: Rogo Domine, si iam ille discesserat qui Dominus erat, & angelos miserat, Cur dicitur? Rogo Domine, & non rogo Domini? Aut si unum ex eis uoluit appellare, cur ita scriptura: Dixit autem Loth ad eos: Rogo domine, D quoniam inuenit puer tuus ante te misericordiã? An & hic intelligimus in plurali numero duas personas? Cùm autem ijdem duo tanquã unus compellãtur, unius substantiæ unum Dominum Deum. Sed quas duas personas hic intelligimus? an patris & filij, an patris & spiritussancti, an filij & spiritussancti? Hoc fortè cõgruẽtius quod ultimum dixi. Missos enim se dixerunt, quod de filio & spiritussancto dicimus. Nam patrem missum nusquam scripturarum nobis notitia occurrit.

Cont. Mend. ad Consent. Lib. Cap. IX. Tomo. IIII.

Habeo duas filias quæ nondum cognouerunt uirum. Quis enim dubitet esse grande peccatum, si pater filias suas prostituat fornicationibus impiorum? Et tamen extitit causa, qua hoc uir iustus debere se facere existimaret, quãdo Sodomitę nefario libidinis impetu hospitibus eius irruebãt. Ait enim: Sunt mihi duæ filiæ &c. Quid hic dicemus? Nónne ita scelus quod Sodomitę hospitibus illius uiri iusti facere conabantur, horremus, ut quicquid fieret, ne hoc fieret, arbitremur fuisse faciendum. Mouet etiam maximè persona facientis, quę merito iustitię liberabatur à Sodomis: ut quoniam minus malum est fœminas quàm uiros perpeti stuprũ, etiam hoc ad iustitiã iusti illius pertinuisse dicatur, quod in filiabus hoc maluit fieri quàm in hospitibus suis: non tantùm id uolens animo, uerùm & offerens uerbo: & si illi assensi fuissent, impleturus & facto. Sed si hanc peccatis aperimus uiã, ut committamus minora, ne alij maiora committant, lato limite, imò nullo limite, sed conuulsis & remotis omnibus terminis infinito spatio cuncta intrabunt atque regnabunt.

A bunt. Quando enim fuerit definitum peccandum esse homini minus, ne alius peccet amplius, profectò & furtis nostris stupra cauebũtur aliena, et incæsta stupris: & si qua impietas uisa fuerit etiam peior incæstis, incæsta quoque facienda dicentur à nobis, si eo modo agi potuerint, & illa impietas non committatur ab alijs: & in singulis quibusque generibus peccatorum, & furta pro furtis, et stupra pro stupris, & incæsta pro incæstis, & sacrilegia pro sacrilegijs facienda putabuntur, nostra pro alienis: non solùm minora pro maioribus, uerùm etiam si & ad ipsa summa & pessima ueniatur, pauciora pro pluribus: si se ita rerum uerset incursus, ut aliter alij non se abstineant à peccatis, nisi minus aliquantò, sed tamen peccantibus nobis: ita ut omninò ubi dixerit inimicus, qui habuerit huiusmodi potestatem, nisi tu sceleratus fueris, ego sceleratior ero, aut nisi tu hoc scelus feceris, ego talia plura faciam, scelus nobis uideamur admittere, si uelimus ab scelere tẽperare. Hoc sapere quid est aliud nisi desipere, uel potius insanire? A mea quippe iniquitate, nõ ab aliena, siue in me, siue in alijs perpetrata, mihi est cauẽda dãnatio. Anima enim quæ peccauerit ipsa morietur. Si ergo peccare, ne grauius uel in nos, uel in quoslibet alij peccent, proculdubiò non debemus, considerandum est in eo quod fecit Loth, utrùm exemplum sit quod imitari, an potius quod uitare debeamus. Magis enim uidetur intuendum & notandum, cùm tam horrendum malum ex impietate flagitiosissima Sodomitarum suis impenderet hospitibus, quod cuperet depellere nec ualeret: sic etiam iusti animum potuisse turbari, ut uellet facere quod non humani timoris nebulosa tempestas, sed diuini iuris tranquilla serenitas, si cõsulatur à nobis, faciendum non esse clamabit: & iubebit potius ut sic nostra pec-

B cata caueamus, ne ullorum prorsus alienorum peccatorum timore peccemus. Aliena quippe ille uir iustus timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit suum, quo uoluit subdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in scripturis sanctis legimus, non ideo, quia facta credimus etiam facienda credamus, ne uiolemus præcepta, dum passim sectamur exempla. An uerò quia iurauit Dauid se occisurum esse Nabal, & clementi consideratione non fecit, propterea illum imitandum esse dicemus, ut temerè iuremus nos esse facturos, quod non esse faciendum postea uideamus? Sed sicut illum timor ut prostituere filias uellet, sic istum, ut temerè iuraret, ira turbauit. Denique si de ambobus interrogando ut dicerent, cur hæc fecerint, fas nobis esset inquirere, posset ille respondere? Timor & tremor uenerunt super me, & contexerunt me tenebræ: posset etiam dicere iste: Turbatus est præ ira oculus meus, ut non miraremur uel illum in timoris tenebris, uel istũ oculo turbato non uidisse quod uidendum fuit, ne faceret quod faciendum non fuit. Et sancto quidem Dauid iustius dici potuit, quod nec irasci debuerit: quamuis ingrato & reddenti mala pro bonis. Sed etsi ut homini ira subrepsit, non utique tantùm debuit præualere, ut se facturum iuraret, quod aut sæuiendo faceret, aut peierando non faceret. Illi autem inter libidinosas insanias Sodomitarum constituto, quis auderet dicere, etiã si tu hospites in tua domo, quò eos intrare humanitate uiolentissima compulisti ab impudicis apprehensi & oppressi muliebria patiantur, nihil timeas, nihil cures, non expauescas, nõ horrescas, nõ cõtremiscas. Quis hæc uel illorũ scelera-

1. Reg. 25.

K torum

torum socius hospiti pio dicere auderet? Sed planè rectißimè diceretur: Age quicquid potes, ne fiat quod meritò times. Sed non te timor iste compellat, ut facias quod in se filiæ tuæ fieri si uoluerint, facient cùm Sodomis te authore nequitiam: si autem noluerint, patientur à Sodomitis te authore uiolentiam. Noli facere magnum scelus tuum, dum magis horrescis alienum. Quantumlibet enim distet inter tuum & alienum, hoc erit tuum, illud alienum. Nisi fortè pro defensione huius uiri in eas se quispiam coarctet angustias, ut dicat: quoniam accipere quàm facere præstat iniuriam: hospites autem illi non erant utique facturi iniuriam, sed passuri: maluit uir iustus filias suas iniuriam pati, quàm hospites suos, eo iure quo filiarum Dominus erat, & nouerat non eas peccare si id fieret, quia peccantes potius quibus non consentirent, sine peccato proprio sustinerent. Denique non se ipsæ stuprandas quamuis pro masculis fœminas pro illis hospitibus obtulerunt, ne reas eas faceret non perpeßio libidinis alienæ, sed suæ consensio uolũtatis. Nec pater earum hoc in se fieri permittebat, cùm hoc facere conarentur, quibus hospites nõ prodebat: quamuis minus mali esset quod in uno, quàm si fieret in duobus. Sed quantùm poterat resistebat, ne ipsum quoque ullus proprius macularet assensus, quẽ libidinosus furor etiam si præualuisset corporis uiribus, tamen non consentientem non maculasset alienus. In filiabus autem non peccãtibus nec ipse peccabat, quia non eas peccare si opprimerentur inuitæ, sed peccantes ferre faciebat: tanquam si ab improbis ut sui serui cæderentur offerret, ne hospites eius paterentur cædis iniuriam. De qua re nõ disputabo, quia longum est, utrùm uel Dominus iure suæ potestatis rectè sic utatur in seruo, ut seruum suum cædi faciat innocentem, ne amicus eius etiam ipse innocens, in domo eius à uiolentis improbis uapulet. Sed certè Dauid nullo modo rectè dicitur iurare debuisse se esse facturum, quod postea cerneret se facere non debere. Vnde constat, quòd non omnia, quæ à sanctis uel iustis uiris legimus facta, trãsferre debemus in mores: sed etiam hinc discere quàm latè pateat, & ad quos usque perueniat quod Apostolus ait: Fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum ne & tu tentẽris. Præoccupationes enim sunt istæ, in quibus delinquitur, dum quid faciendum sit aut ad horam non uidetur, aut & qui uiderit uincitur, ut scilicet fiat peccatum, cùm uel latet ueritas, uel compellit infirmitas.

Quæst. super Gen. Lib. Cap. XLII. Tomo IIII.

Quoniam prostituere uolebat filias suas hac compensatione, ut uiri hospites eius nihil à Sodomitis tale paterentur, utrùm admittenda sit compensatio flagitiorum uel quorumcunq; peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat: an potius perturbationi Loth non consilio tribuẽdum sit, quia hoc dixerit, meritò quæritur: & nimirum periculosißimè admittitur hæc compensatio. Si autem perturbationi humanæ tribuitur & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est.

Ex Lib. 16. de Ciuit. Dei ad Marcell. Cap. XXX. Tomo V.

Noli respicere post tergum. Nam ad quid pertinet, quòd prohibiti sunt qui liberabantur ab angelis retrospicere, nisi quia non est in animo redeundum ad ueterem

A rem uitam,qua per gratiam regenerationis exuimur, si ultimum iudicium euadere cogitamus?Denique uxor Loth ubi respexit,remansit,& in salem conuersa hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum,quo sapiant aliquid, unde illud caueatur exemplum.

Ex Lib.22.cont.Faust.Manich. Cap.XLI. Tomo VI.

Veni,potabimus patrem nostrum uino &c. Loth autem frater eius(scilicet Abrahę) iustus & hospitalis in Sodomis,& ab omni Sodomitarũ cõtaminatione purus atq; integer,ex illo incẽdio,quod erat similitudo futuri iudicij, meruit saluus euadere, typũ gestans corporis Christi:quod in omnibus sanctis, & nũc inter iniquos atq; impios gemit:quorũ factis non consentit,& à quorũ cõmixtione in seculi fine liberabitur,illis dãnatis supplicio ignis æterni. Sicut autem aliud genus hominũ in eius uxore figuratũ est,eorũ scilicet,qui per gratiam Dei uocati,retrò respiciunt: non sicut Paulus,qui ea quæ retrò sunt,obliuiscitur,& in ea quæ antè sunt, extenditur. Vnde & ipse Dominus:Nemo,inquit,imponens manũ super aratrũ, & respiciens retrò,aptus est regno cœlorũ.Nec illud exemplũ tacuit,quo nos tanquã sale condiret, ut non fatui negligeremus, sed prudentes caueremus hoc malum. Vnde & illa,ut hoc admoneret,in statuam salis conuersa est: nã cùm præciperet, ut se quisque perseuerantissima anteriorũ intentione ab his quæ retrò sunt eriperet.Mementote,inquit,uxoris Loth. Sic etiam in ipso Loth,quãdo cum eo filiæ concubuerunt,non illud,quod cùm à Sodomis liberatus, sed aliud aliquid figuratum est.Nam tunc ille ipse Loth futuræ legis uidetur gestasse personã, quam quidã ex illa procreati,& sub lege positi,male intelligendo quodãmodo inebrian

B tes,aq; non legitimè utendo,infidelitatis opera pariunt.Bona est enim lex,ait Apostolus,si quis ea legitimè utatur.Nec ideo tamẽ hoc factũ,uel ipsius Loth,uel eius filiarũ,iustificamus,quia significauit aliquid,quod futuram quorundã peruersitatem prænuntiaret.Aliud enim illæ,ut hoc facerent, intenderunt:aliud Deus, qui hoc fieri permisit,ut etiam inde aliquid demonstraret, manente recto iudicio suo, super peccatũ hominũ tunc præsentium,& uigilante prouidentia sua pro significatione futurorũ.Proinde illud factum,cùm in sancta scriptura narratur,prophetia est:cùm uerò in illorũ uita,qui hoc cõmiserunt,cõsideratur,flagitium est. Nec rursus tanta reprehensione atq; accusatione res digna est,quantã in eam Faustus inimicus & cæcus euomuit.Consuli.ur enim æterna lex illum ordinem naturalem conseruari iubens,perturbari uetans, & non ita de hoc facto iudicat, ac si ille in filias nefaria libidine exarserit,ut earũ incæstato corpore frueretur, aut eas haberet uxores:sed nec de illis fœminis,ac si in sui patris carnẽ execrabili amore flagrassent.Ratio quippe iustitiæ non tantùm quid factum sit,uerumetiam quare factũ sit intuetur,ut ex causis suis facta pendentia,libramẽto æquitatis examinet. Cùm igitur illæ ad conseruationem generis prolem quærerent, qui utique in eis humanus erat & naturalis affectus,nec se crederent inuenire posse alios uiros,uelut exusto illa conflagratione orbe terrarum:neq; enim discernere poterant,quo usque ignis ille sæuierit,miscere se patri uoluerunt.Potius quidem nunquam esse matres,quàm sic uti patre debuerunt: Veruntamen multũ interest,quòd ea causa usæ sunt, quàm si concupiscentia tam funestæ uoluptatis uterentur. Ab illo

Luc.9.
Eiusdẽ lib. cap.42.
1.Timo.1.
Eiusdẽ lib. cap.43.

autem opere ita patrem abhorrere sentiebant, ut id se impleturas esse non crede- C
Eiusdē lib. cap. 44. rent, nisi eius ignorantiam procurarent. Nanque, ut scriptum est: Inebriauerunt eum, & se nescienti miscuerunt: quapropter culpandus est quidem, non tamen quantùm ille incæstus, sed quantùm illa meretur ebrietas. Nam & hanc lex æterna condemnat, quia cibum & potum ad ordinem naturalem, non nisi gratia conseruandæ salutis admittit. Quamuis ergo inter ebriosum & ebrium plurimū intersit (nam nec ebriosus semper est ebrius, nec quisquis aliquando ebrius, consequenter ebriosus est) tamen in homine iusto huius ipsius, & si non ebriositatis, at certè ebrietatis causa quærenda est. Quid enim tandem cogebat, ut filiabus suis crebra uina miscentibus, aut fortasse nec mixta crebrò porrigentibus, consentiret aut crederet? An ad hoc filias nimiam tristitiam fingentes, ita uoluit consolari, ut illius destitutionis & materni luctus dolor de cogitatione mentis ebriæ fugaretur, etiam ipsas tantundem bibere existimans, & aliqua fraude agentes ne biberent? Sed etiam talem tristibus suis adhibere consolationem, quomodo uirum iustum decuerit, non uidemus. An aliqua Sodomitarum arte pessima etiam paucis poculis patrem sic inebriare potuerunt, ut illud peccatum cum ignorante, uel potius de ignorante committerent? Sed mirum si hoc scriptura diuina tacuisset, uel
Eiusdē lib. cap. 45. seruum suum Deus sine aliquo uoluntatis eius uitio perpeti sineret. Nos tamē scripturas sanctas non hominum peccata defendimus: Sic autē de huius facti purgatione satagimus, quasi hoc Deus noster aut fieri iusserit, aut factum approbauerit, aut ita iusti homines in libris appellentur, ut si uoluerint peccare, non possint. Cùm ergo in literis, quas isti reprehendunt, Deus huic facto nullum iustitiæ testimoniū perhibuerit, qua dementia temeritatis hinc illas literas accusare contendunt, cum alijs earū locis apertissimè inueniātur diuinis præceptis ista prohiberi? D
Vnde in illa re gesta de opere filiarum Loth narrata ista sunt, non laudata, quædā uerò enuntiato iudicio Dei, quædam tacito narrari oportuit, ut quādo promitur quid inde iudicauerit Deus, instruatur nostra imperitia: quando autem tacetur, uel exerceatur peritia, ut quod alibi didicimus, recolamus: uel excutiatur pigritia, ut quod nondum nouimus, inquiramus. Deus ergo, qui nouit & de hominum opere malo facere opera bona, gentes quas uoluit ex illo semine propagauit: non scripturas suas propter hominum peccata damnauit. Prodidit quippe ista, non fecit: & cauenda admonuit, non imitanda proposuit.

CAPVT VICESIMVM.

Cont. Mend. ad Consent. Lib. Cap. X. Tomo. IIII.

Soror mea est. Non dixit, non est uxor mea, sed dixit soror mea est, quod erat reuerà tam propinqua genere, ut soror non mendaciter diceretur. Quod & postea iam sibi ab illo qui abduxerat ea reddita confirmauit, respondens illi & dicēs: Est uerè soror mea de patre, non de matre: hoc est de paterno genere, non de materno. Aliquid ergo ueri tacuit, non falsi aliquid dixit: quando tacuit uxorem: dixit sororem. Hoc & filius eius fecit Isaac. Nam & ipsum nouimus propinquam suam coniugem fuisse sortitum. Non est ergo mendacium cùm silendo absconditur uerum, sed cùm loquendo promitur falsum.

Ex

A Ex Lib.22.cont.Fauſt.Manich. Cap.XXXIII. Tomo VI.

Quòd autem iuſtum & fidelem uirum matrimonij ſui infamiſsimum nundinatorem appellans,auaritiæ ac uentris cauſa duobus regibus,Abimelech & Pharaoni,diuerſis temporibus Saram coniugem ſuam,ſororem mentitum,quia erat pulcherrima,in concubitum aſſerit uenditaſſe:non ore ueridico à turpitudine ſeparat honeſtatem,ſed ore maledico totum uertit in crimen.Hoc enim Abrahæ factum lenocinio ſimile uidetur,ſed non ualentibus ex illius æternæ legis lumine à peccatis rectè facta diſcernere : quibus & conſtantia pertinacia uideri poteſt , & uirtus fiduciæ uitium putatur audaciæ,& quæcunque ſimiliter obijciūtur , quaſi non rectè agentibus,à non rectè cernentibus.Neque enim Abraham flagitio conſenſit uxoris,eiuſq; uendidit adulterium:ſed ſicut illa famulam ſuam non libidine marito permiſit,ſed officio generandi , ultrò intulit,nequaquam turbato ordine naturali,ubi eius poteſtas erat,iubens potius obedienti,quàm cedens concupiſcēti:ſic & ipſe coniugem caſtam , & caſto corde ſibi cohærentem,de cuius animo, ubi pudicitiæ uirtus habitabat,nullo modo dubitabat,tacuit uxorem , dixit ſororem:ne ſe occiſo,ab alienigenis atque impijs captiua poſsideretur : certus de Deo ſuo,quòd nihil eam turpe ac flagitioſum perpeti ſineret.Nec eum fides ac ſpes fefellit:nam Pharao territus monſtris,multiſque propter eam malis afflictus , ubi eius uxorem diuinitus didicit , illæſam cum honore reſtituit . Abimelech autem ſomno commonitus atque edoctus ſimiliter fecit. Nonnulli quidem,non calumnioſi & maledici , ſicut Fauſtus,ſed eiſdem libris honorem debitum deferentes,quos iſte uel non intelligendo reprehendit,uel reprehendendo non intelligit: *Eiuſdē lib. cap.34.*
B cùm hoc Abrahæ factum conſiderarent,uiſum eſt eis quod à firmitate fidei ſubdefecerit atque titubauerit,& timore mortis,ſicut Dominum Petrus,ita iſte negauerit uxorem.Quòd ſi ita neceſſe eſſet intelligi , peccatum hominis agnoſcerem:nec ideo cuncta eius merita deleta atque obliterata cenſerem ſicut nec illius Apoſtoli : quanquam culpa non ſit æqualis negare uxorem , & negare ſaluatorem.Nunc uerò cùm habeam quod intelligam,nulla cauſa cogor temeritate labi ad reprehendendum,quem nemo conuincit timore lapſum fuiſſe ad mentiendum : neque enim utrùm eius uxor eſſet interrogatus , non eſſe reſpondit : ſed cùm ab eo quæreretur, quid ei eſſet illa mulier,indicauit ſororem , non negauit uxorem.Tacuit aliquid ueri,non dixit aliquid falſi. An uſque adeò deſipimus, ut hîc Fauſtum ſequamur,qui ait ſororem mentitum , quaſi genus Saræ aliunde didicerit , cùm hîc ſancta ſcriptura non aperuerit ? Puto iuſtum eſſe , ut in ea re, quam nouerat Abraham,nos autem non nouimus , patriarchæ potius credamus loquenti quod ſcit,quàm Manichæo criminanti quod neſcit . Cùm igitur Abraham eo tempore uiueret in rebus humanis,quo quidem iam fratres ex utroque aut ex altero uel altera parente natos,necti coniugio non licebat,filios autem fratrum,alioſq; longinquiori gradu generis conſanguineos,nulla lege,nulla poteſtate prohibita conſuetudo iungebat:quid mirum ſi ſororem ſuam,id eſt,ex patris ſui ſanguine procreatam habebat uxorem?Nam hoc ipſe reddenti ſibi eam regi,dixit de patre eſſe ſororem , non de matre:ubi certè ut ſororem mentiretur, nullo iam timore cogebatur,quando ille uxorem eius eſſe didicerat , & eam di- *Eiuſdē lib. cap.35.*

K 3 uinitus

uinitus territus cum honore reddebat. Fratres autē siue sorores generali nomi C
ne cōsanguineos uel consanguineas solere apud ueteres appellari scriptura te
Tob.3. statur. Nā & Tobias dicit Deo, cùm oraret antequam misceretur uxori: Et nūc
Domine, tu scis quoniā non luxuriæ causa accipio sororem meam, cùm esset illa
non ex concubitu eiusdem patris, nec ex eodem matris utero, sed ex eadem stir
pe cogitationis exorta. Et Loth frater Abrahæ dicitur, cùm patruus eius esset
Abrahā, ex qua ui uocabuli etiā fratres Domini uocantur in euāgelio, nō utiq;
quos Maria uirgo pepererat, sed ex eius consanguinitate omnes propinqui.

Eiusdē lib. cap.36. Dicet aliquis, Cur non potius ita de Deo suo præsumpsit Abrahā, ut fateri non
timeret uxorē? Nunquid enim Deus ab illo mortē non poterat repellere, quam
timebat, eumq; cū cōiuge sua ab omni pernicie in illa peregrinatione tutari, ut
nec uxor eius, quāuis esset pulcherrima, appeteretur ab aliquo, nec propter il-
lā ipse necaretur? Poterat sanè hoc efficere Deus: quis ita sit demens ut hoc ne-
get? Sed si interrogatus Abrahā, illam fœminā indicasset uxorem, duas res tuen-
das cōmitteret Deo, & suā uitam, & cōiugis pudicitiā. Pertinet autē ad sanam do
ctrinā, ut quādo habet quod faciat homo, nō tentet Dominū Deum suū. Neque
enim & ipse saluator non poterat tueri discipulos suos, quibus tamen ait: Si uos
persecuti fuerint in una ciuitate fugite in aliā. Cuius rei prior exēplū præbuit.
Nā cū potestatē haberet ponēdi animā suam, nec eam poneret, nisi cùm uellet,
in Aegyptū tamen portātibus parentibus fugit: & ad diē festū non euidenter, sed
latenter ascendit, cū aliâs palàm loqueretur Iudæis irascentibus, & inimicissimo
animo audientibus, nec tamen ualentibus in eū mittere manus, quia nondū ue-
nerat hora eius: nō cuius horæ necessitate cogeretur mori, sed cuius horæ opor D
tunitate dignaretur occidi. Qui ergo palàm docendo & arguendo, & tamen ini
micorū rabiem ualere in se aliquid non sinendo, Dei demonstrabat potestatem:
idem tamen fugiēdo & latendo hominis instruebat infirmitatē, ut Deum tentare
nō audeat, quādo habet quod faciat, ut quod cauere oportet, euadat. Neq; enim
& Apostolus Paulus desperauerat adiutoriū protectionemq; diuinam, fidemq;
perdiderat, quādo per murum in sporta submissus est, ut inimicorū manus effu
geret. Nō ergo in Deum non credendo sic fugit, sed Deum tentaret, si fugere no-
luisset, cùm sic fugere potuisset. Proinde cùm inter ignotos propter excellētissi-
mam pulchritudinem Saræ, & eius pudicitia & mariti uita esset in dubio, nec
utrūque tueri posset Abraham, uerūtamen unum horum posset, hoc est uitā ne
Deum suum tentaret, fecit quod potuit: quod autem non potuit, illi cōmisit. Qui
ergo se hominē occultare non ualuit, maritū se occultauit, ne occideretur: uxo-
Eiusdē lib. cap.37. rē Deo credidit, ne pollueretur. Quanquam scrupulosius disputari possit,
utrùm illius mulieris pudicitia uiolaretur, etiā si quisquā carni eius cōmixtus fo
ret, cùm id in se fieri pro mariti uita, nec illo nesciente, sed iubente permitteret:
nequaquam fidem deserens coniugalem et potestatem non abnuens maritalē: si-
cut ille adulter non fuit, quādo uxoris obtemperans potestati, de ancilla prolem
generare cōsensit: sed propter uim principiorum, qua non ita duobus uiris ui-
uis ad concumbendum fœmina subditur, sicut duæ fœminæ uni uiro, multò ue-
rius & honestius illud accipimus, quòd pater Abraham nec tentauit Deum quā-
do uitæ

A do uitæ suę quando potuit homo cõsuluit,& sperauit in Deum,cui pudicitiam cõ iugis cõmendauit. Iam uerò in hac re gesta,quæ in diuinis libris posita,fideli- térque narrata est quem non delectet etiam factum propheticum perscrutari, & sacramenti ostium pia fide studióque pulsare:ut aperiat Dominus & ostẽdat quis tunc in illo figurabatur uiro,& cuius sit uxor,quæ in hac peregrinatione at que inter alienigenas pollui maculariq; nõ sinitur,ut sit uiro suo sine macula & ruga.In gloria quippe Christi rectè uiuit ecclesia,ut pulchritudo eius honori sit uiro eius:sicut Abraham propter Saræ pulchritudinem inter alienigenas hono- rabatur, eíque ipsi, cui dicitur in Canticis canticorum: O pulchra inter mu- lieres,ipsius pulchritudinis merito reges offerunt munera,sicut Sarę obtulit rex Abimelech,plus in ea admirans formæ decus,quod amare potuit,& uiolare non potuit.Est enim & sancta ecclesia Domino Iesu Christo in occulto uxor. Occultè quippe atque intus in abscondito secreto spiritali,anima humana inhæret uerbo Dei,ut sint duo in carne una: quod magnum coniugij sacramentum in Christo & in ecclesia commendat Apostolus.Proinde regnum terrenum seculi huius,cu ius figuram gerebant reges,qui Saram polluere permissi non sunt, non exper- tum est,nec inuenit ecclesiam coniugem Christi,id est,quàm fideliter illi tanquam præcipuo uiro suo subdita cohæreret,nisi cùm uiolare tentauit.Diuino enim te- stimonio per fidem martyrũ cessit;correctamq; in posterioribus regibus hono- rauit munere,quã corruptioni suæ subdere in prioribus nõ eualuit. Nam quod tunc in eodẽ rege prius & posterius figuratũ est, hoc in isto regno prioribus & posterioribus regibus adimpletum. Cùm autem dicitur de patre esse sororem

B Christi ecclesiã,non de matre,nõ terrenæ generationis,quę euacuabitur,sed gra- tiæ cœlestis,quæ in æternũ manebit,cognatio cõmendatur.Secundũ quam gra- tiã genus mortale nõ erimus,accępta potestate,ut filij Dei uocemur et simus.Ne- que enim hãc gratiã de synagoga matre Christi secundum carnẽ, sed de Deo pa- tre percępimus.Hãc uerò cognationẽ terrenã,quæ ad mortẽ temporaliter gene rat,uocans in aliã uitã,ubi nullus moritur,negare uos Christus docuit,nõ fateri, cum discipulis ait:Ne uobis dicatis patrẽ in terra,unus est enim pater uester qui in cœlis est.Cuius rei præbuit exemplum,quãdo & ipse dixit:Quæ mihi mater, aut qui fratres?Et extendens manum super discipulos ait:Hi sunt fratres mei.Et ne quisquam in hoc uocabulo terrenam cognationem cogitaret,adiunxit:Et qui cunque fecerit uoluntatem patris mei,ipse mihi frater ac mater & soror est:tan- quam diceret.De Deo patre hanc cognationem appello,non de synagoga matre. Ad æternã quippe uitã nunc uoco,ubi immortaliter natus sum:non ad tempora lẽ,unde ut uocarem,mortalis effectus sum. Quod ergo ecclesia cuius uxor sit occultatur alienigenis,cuius autem soror,non tacetur,hęc interim causa facile oc currit:quia occultum & difficile ad intelligendum est, quomodo anima huma- na uerbo Dei copuletur siue misceatur: siue quod melius & aptius dici potest, cùm sit illud Deus,ista creatura.Secundum hoc enim spõsus & sponsa,uel uir & uxor.Christus & ecclesia dicuntur. Qua uerò cognatione sint fratres, Christus & omnes sancti,gratia diuina,non consanguinitate terrena,hoc est,de patre non de matre,& effabilius dicitur,& capacius auditur.Nã & inter se omnes sancti per

Eiusdẽ lib. cap.38.

Cant.1.

Eiusdẽ lib. cap.39.

Matth.23.

Eiusdẽ lib. cap.40.

eandem gratiam fratres sunt: sponsus autem cæterorum societate, nullus illorum C
est. Proinde Christum, quanquã excellentissimæ iustitiæ atque sapiẽtiæ, tamen ho
minem multò facilius & procliuius alienigenę crediderũt: nõ quidem falsò quod
Hier. 17. homo esset, sed quomodo etiam Deus esset, ignorauerunt. Hinc & Hieremias: Et
homo, inquit, est, & quis cognoscit eum: Et homo est, quia proditur quod frater
est, & quis agnoscit eum, quia occultatur quòd sponsus est?

Ex lib. 2. de Nup. & Concupisc. ad Valerium Com. Cap. XV. Tomo VII.

Nam claudendo repressit Dominus omnem uuluam: Item illud ex libro diuino testimonium, quod posuit de Abimelech. Et Deo uolente clausa omni uulua in domo eius, ne mulieres eius parerent, atque aperta rursus ut parerent, quid ad rem pertinet? quid habet de illa perdenda libidine, de qua nunc quæstio est? Nunquid ipsam Deus detraxit illis fœminis, reddiditq́; cum uoluit. Sed pœna fuit, ut parere non possent, beneficium uerò ut parere possent more huius corruptibilis carnis. Non enim tale beneficium Deus conferret corpori mortis huius, quale non haberet: nisi corpus uitæ illius in paradiso ante peccatum, ut & conceptus proueniret sine libidine pruriente, & partus sine dolore cruciante. Cur autem non intelligamus, quandoquidem dicit scriptura, à foris omnem uuluam fuisse conclusam, aliquo dolore factum esse, ut non possent fœminæ concubitum perpeti, qui dolor Deo succẽsente fuisset inflictus, miserãte detractus. Nam si ad impedimentum ferendæ prolis esset libido detrahenda, uiris esset detrahenda, non fœminis. Fœmina enim posset uoluntate concumbere etiam desistẽte libidine, qua stimularetur, si uiro non deesset qua excitaretur. Nisi fortè quia scriptum est, & ipsum Abimelech fuisse sanatum, uirilem dicturus est ei libidinem redditam. Quam profectò si amiserat, quid opus fuit eum diuinitus admoneri, ut Abrahę non misceretur uxori? Sed sanatum dicit, quia domus eius ab illa peste sanata est. D

Item. *Scio, quod simplici corde hoc feceris.* Vide Deut. cap. 29. in hæc uerba: Hæc uerba testamenti quod mandauit.

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

In Isaac uocabitur tibi semen. Vide nono cap. ad Ro. in hæc uerba. Volens Deus ostẽdere iram. Quæst. super Gen. lib. Cap. LIIII. Tomo IIII.

Defecit autem aqua de utre. Solet quæri quomodo cùm puer esset annorũ amplius quindecim, proiecerit eũ mater sub arborẽ, & ierit lõgè quãtùm arcus mittit, ne uideret eum morientem: quasi eũ quem portabat proiecerit: ita uidetur sonare quod dicitur, maximè, quia sequitur, fleuit puer. Sed intelligẽdum est, proie-
Psal. 20. ctum esse, nõ à portante, sed ut fit ab animo, tanquam moriturũ. Neq; enim quod
scriptum est: Proiectus sum à facie oculorum tuorũ, portabatur qui hoc dixit. Et est in quotidiano loquendi usu, cùm proijcitur aliquis ab aliquo cum quo erat, ne ab illo uideatur, aut cum illo maneat. Intelligendum est autem quod scriptura tacuit, ita discessisse matrẽ à filio, ut puer ignoraret quò mater abierit, & eã in syluestribus stirpibus latuisse, ne filium siti deficientẽ uideret. Ille autem etiã illa ætate, quid mirum si mater diutius non uisa & tãquam perdita eo loco, ubi solus remanserat fleuit? Quod ergo postea dicitur: Accipe puerum, non ut eum de terra uelut iacentem

A iacentem tolleret dictũ est, sed ut ei cõiungeretur & eum manu teneret deinceps comitem, sicut erat: quod plerunque faciunt simul ambulantes cuiuslibet ætatis.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

ET *tentauit Deus Abraham.* Quæri solet quomodo hoc uerum sit cùm dicat in epistola sua Iacobus: quod Deus neminem tentet, nisi quia locutione scripturarum solet dici, tentat, pro eo quod est probat. Tentatio uerò illa de qua Iacobus dicit, non intelligitur, nisi qua quisque peccato implicatur. Vnde Apostolus dicit: Ne fortè tentauerit uos is qui tentat. Nam & alibi scriptum est: Tentat uos Dominus uester, ut sciat si diligitis eum: Etiam hoc genere locutionis ut sciat, dictum est, ac si diceretur, ut scire uos faciat, quoniam uires dilectionis suæ hominem latent, nisi diuino experimento etiam eidem innotescat. *Eiusdẽ lib. cap.* 57. *Deut.* 13.

Item. Vide cap. tertium Exod. in hæc uerba: Et dixit Dominus ad Moysen.

Ex epistola 65. Tomo II

Tolle filium tuum. Posset quippe aliquantò diutius & uberius habitare gratia oris tui, si cùm dixisses ita te illo quo feliciter uteris loco perseuerare decreuisse, ut si quid de te aliud Domino placuerit, eius uoluntatẽ præferas tuæ, ad ipsum aliquantò apertius explicares, quo nam modo uoluntatem Dei quæ nostræ uoluntati præponenda est nouerimus. Vtrùm tantùm in ea re quam propterea præferre deberemus, quia & inuiti cogeremur. Ibi enim fit quidẽ quod uolumus. Sed ideo nos cogimur ut uelimus, quia ille uult cuius uoluntatis nec excellentiam fas est recusare, nec omnipotentiam licet euitare: sicut Petrum alter cinxit & tulit, quò noluerat: ueruntamen quò nollet ijt, sed uolens mortem subijt. Asperrimum est, ibi
B ubi est potestas, non mutare sententiam, quamuis aliud occurrat in quo potius appareat uolũtas Dei ad mutandam sententiam nos uocantis, non quia nostra mala erat, sed in qua rectè permaneretur, nisi ab illo in alteram uocaremur. Neque enim malum fuit Abrahæ nutrire & educare filium, quo posset quantùm in ipso esset usque ad finem uitæ suæ: sed repentè iussus occidere, mutauit utique non prius malam sententiam, sed quæ mala esset si potioribus mutata non esset. Hinc quoque non dubito nihil aliud uideri tibi, sed plerunq; non solùm uoce de cœlo, non per Prophetam, nõ per reuelationem, uel somnij uel excessus mentis, qui dicitur ecstasis, sed rebus ipsis accidentibus, & ad aliud quàm statueramus uocantibus cogimur agnoscere Dei uoluntatem aliam quàm erat nostra.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. LXXI. Tomo X.

Abraham quando Isaac filium suum obtulit, typum habuit Dei patris, Isaac uerò typum gessit Domini saluatoris. Quòd autem ad locũ immolationis die tertia peruenitur, mysterium trinitatis intelligitur. Nam quòd dies tertius in sacramẽto uel mysterio accipi debeat trinitatis, frequenter in uoluminibus sacris inuenitur, sicut in Exodo: Viam, inquit, trium dierum ibimus in desertum. Et iterum quãdo ad montem Sina uentum est, dictum est populo: Sanctificamini & estote parati in diem tertium. Et Iosue transiturus Iordanem, ut in die tertia populus paratus sit admonuit: Et Dominus die tertio resurrexit. Hoc ideo diximus, quia beatus Abraham *Exo.* 5. & 19 *Matth.* 28.

ham die tertio uenit ad locum, quē ei ostenderat Dominus. Duo pueri quos cum C
asina Abraham remanere iussit, typum habuerunt populi Iudęorum, qui pro eo
quòd in Christo non erant credituri, ideo ad locum ubi immolandus erat, ascen-
dere uel peruenire nō poterant. Asina illa significauit synagogam, aries uerò ille,
qui inter spinas cornibus tenebatur, & ipse typū Domini habuisse uidetur. Nam
& Christus quasi cornibus inter spinas hærebat, quando ad crucis cornua clauo-
rum confixione pendebat. Quòd uerò Isaac ipse sibi ad immolandum ligna de-
tulit, & in hoc Christum Dominum figurauit, qui ad locum passionis crucem
suam ipse portauit. De quo mysterio multò antè dictum fuerat per Prophetam:
Esa.9. Et erit, inquit, principatus eius super humerum eius. Tunc enim Christus princi-
patum super humerum eius habuit, quando crucem suam admirabili humilitate
portauit. Non incongruè crux Christi significat principatum. Nam per ipsam &
diabolus uincitur, & totus mundus ad Christi notitiam uel gratiam reuocatur.
Philip.2. Denique sic & Paulus dicit, cùm de passione Domini loqueretur: Factus, inquit,
obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus
illum exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. Hoc ideo dixi
mus fratres, ut agnosceret charitas uestra, quod principatus Christi, de quo scri-
ptum est: Et erit principatus super humerum eius, non sit aliud, nisi crux eius, &
ideo lectio ipsa in pascha legitur, quando Isaac uerus, cuius typum gerebat filius
Abrahę pro genere humano patibulo crucis affigitur. Legitur etiā in ipsa lectio-
ne, quòd ueniens beatus Abraham cum filio suo uiderit locū à longè, & dixerit
ad pueros: Sedete hîc cū asina, ego & puer proficiscemur, & cùm adorauerîmus,
reuertemur ad uos. Quare pueris qui figuram habuerunt Iudęorum dicitur: Se- D
dete hîc cum asina? Nónne asinam illā sedere fecit fratres charissimi? Sed ideo di-
citur: Sedete cum asina, quia Iudæorum populus qui in Christum crediturus non
erat, stare non poterat, sed ut debilis, & uelut peccator languidus, qui baculū cru
cis despexerat in terrā casurus erat. Dixit ergo Abraham beatus: Sedete hîc cum
asina, ego & puer proficiscemur, & cùm adorauerîmus reuertemur ad uos. Quid
est quod dicis beate Abraham? Ad immolādum filium uadis, & dicis cum filio re-
uertêris? Si enim in holocaustum obtuleris, utique tecum redire non poterit. Po-
terit respondere beatus Abraham: Verum dico, & offero filiū, & cum filio reuer-
tar ad uos. Tāta est fides mea, ut credam quòd ille, qui mihi eum de matris sterilis
utero dignatus est dare, possit etiam eum mortuum suscitare, & ideo uerū dico,
quia cùm adorauerîmus reuertemur ad uos. Quòd autem aries occisus est, &
Isaac non est occisus, ideo factum est, quia Isaac figura & ueritas nō erat, in ipso
designatum est, quod postea in Christo completum est. Videte Deum cum homi-
nibus magna pietate certantem. Abraham mortalem filium non moriturū obtu
lit Deo, & Deus immortalem filium pro hominibus tradidit morti. Potest tamen
& de beato Isaac, & de illo ariete etiam sic intelligi, ut in beato Isaac significata sit
diuinitas, in ariete humanitas Christi. Et quia in passione non diuinitas crucifixa
creditur, ideo non Isaac, sed aries immolatur. Dei enim filius, uel unigenitus offer
tur, & uirginis primogenitus immolatur. Audite aliud sacramentum fratres cha-
rissimi. Hieronymus presbyter scripsit ab antiquis & senioribus Iudæis se cer-
tissimè

A tiſsimè cognouiſſe, quod ibi immolatus ſit Iſaac, ubi poſtea Chriſtus crucifixus eſt. Denique ab eo loco unde beatus Abraham iuſſus eſt profic ſci, tertio die ad locum ubi Chriſtus crucifixus eſt peruenitur. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipſo loco ubi crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus, & ideo caluariæ locum dictum eſſe, quia caput humani generis, ibi dicitur eſſe ſepultum. Et uerè fratres non incongruè creditur, quia ibi erectus ſit medicus, ubi iacebat ægrotus. Et dignum erat ut ubi occiderat humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret diuina miſericordia. Et ſanguis ille precioſus etiã corporaliter puluerem antiqui peccatoris dum dignatur ſtillando cõtingere, redemiſſe credatur.

Notiſsima pietas patris noſtri Abrahæ reddita eſt nobis in memoriam per recentem lectionem: & eſt quidem ita mirabile, ut nullum cor arbitrandum ſi tam obliuioſum, ut inde aliquando elabi poſsit. Veruntamen neſcio quomodo quotieſcunque legitur, quaſi tunc fiat, ita afficit mentes audientium. Magna fides, magna pietas, non ſolùm in Deum, ſed etiam in ipſum unicum filium, cui nihil mali credidit eſſe pater, quicquid de illo iuſſerat qui creauit. Pater enim filij ſui erat Abraham ſecundum operationem carnis, non autem creator & conditor ſecundum operationem maieſtatis. Et quidem ſicut dicit Apoſtolus: Non ſecundum carnem natus eſt Iſaac Abrahæ, ſed ex promiſsione, nõ quia cum carne non erat operatus, ſed quia de ſumma eũ deſperatione ſuſcæperat. Et niſi adeſſet promittens Deus nihil iam ſenex de uiſceribus aniculę coniugis ſperare audebat poſteritatis. Sed credidit naſciturum, & nõ plangit moriturum. Eius dextera eligitur ad ſacrificium ut moreretur, cuius cor erectum eſt ad fidem ut naſceretur. *Eiuſdẽ lib. Serm. 72.*

B Non trepidauit Abraham credere quando promittebatur, non trepidauit offerre quando exigebatur, nec fuit religio credentis contraria deuotioni, obtemperatio. Hoc dico, non quòd ſibi dixit Abraham: Deus mihi locutus eſt quando promiſit filium: Credidi quòd mihi daturus eſſet Deus poſteritatem. Et qualem poſteritatem? Vt diceret mihi, In Iſaac uocabitur tibi ſemen. Et ne fortè ſic uocaretur mihi ſemen in Iſaac, ut ante me meus filius moreretur. In ſemine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes. Ipſe ergo mihi loquens promiſit filium, & ipſe exigit ut occidam? Non fecit ſibi quæſtionem quaſi de contrarijs & ſibi aduerſantibus uerbis Dei promittentis filium naſciturum, & poſtea dicentis: Occide mihi filium tuum, ſed erat in corde eius ſemper fides inconcuſſa, & nullo modo deficiens. Cogitauit enim Abraham Deum, qui dedit ut ille de ſenibus naſceretur qui non erat, poſſe etiam de morte reparare. Amplius eſt enim quod iam fecerat Deus, cùm qui non erat poſt tantam deſperationem uidebat ſibi datum filium: Et ſi humanam infirmitatem conſulas, impoſsibile. Adiecit itaque animum ad fidem, non credidit aliquid impoſsibile eſſe creatori, qui quemadmodum crediderat filium ſuſcæpit. Credidit poſtea iubenti Deo, iam in ſe ſuſcæpto filio probauerat Deum. Credidit ſuſcæpturus filium, credidit occiſurus. Vbique fidelis, nuſquam crudelis. Omninò perduxit filium ad locum uictimæ, armauit etiam dexteram cultro. Attendis quis feriat, & quem feriat, attende quis iubeat. Pius ergo Abrahã obtemperãdo, quid Deus in iubendo? Nónne fortè infirmis, non dicam ſacrilegis animis ipſe diſpliceat qui iubeat? Sed ſi placet qui obtemperabat, quomodo diſplicet qui iubebat?

bat? Quia si Abraham bene fecit obtemperando, multò melius & longè melius C
incomparabili modo Deus in iubendo. Fortasse sacramentum quæritur. Nō enim frustrà hoc Deus iuberet, aut carnaliter accipiendum est, quod lectum fortasse nonnullorum minus intelligentium corda cōmouit. Tentauit, inquit, Deus Abraham. Sic ergo ignarus est Deus rerum, sic nesciens cordis humani, ut tentando hominem inueniat? Absit, sed ut ipse homo se inueniat. Primò itaque fratres propter illos qui aduersantur legis ueteris scripturæ sanctæ: quia nonnulli non intelligentes citius uolunt exagitare quod non intelligunt, quàm quærere ut intelligant, & non fiunt humiles inquisitores, sed superbè calumniatores. Propter hos ergo qui euangelium uolūt accipere, & legem ueterem respuere, putantes in uia Dei posse se esse, & rectè uno pede ambulare, quoniam nō sunt scribæ eruditi in regno Dei, qui proferunt de thesauro suo noua & uetera. Propter hos ergo tales ne qui forte hîc lateant, aut & si hîc non sunt, habeant qui adsunt, quid talibus respondeāt, breuiter soluēda est ista quæstio. Dicimus talibus euangelium accipitis, legem non accipitis. Nos autem dicimus eundem esse euangelij misericordissimum largitorem, qui extitit etiam legis terribilis lator. Lege enim terruit, euāgelio conuersos sanauit, quos ut conuerteret lege terruerat. Imperator dedit legem & multa commissa sunt contra legem. Lex quam dedit imperator, non nouerat nisi punire peccantes. Restabat ergo ut ad soluenda delicta eorum ipse cum indulgentia ueniret, qui legem præmiserat. Sed quid dicit peruersum cor, quia dicit se accipere euangelium, legem uerò respuere? Quare respuit? Quia scriptum est, inquit: Tentauit Deus Abraham. Ego Deum colam qui tentat. Christum cole quem habes in euangelio: Ipse reuocat te ad intelligendam legem. Sed quia non transierunt ad D
Christum in suo phantasmate remanserunt. Nō enim colunt Christum qualis prędicatur ex euangelio, sed qualem ipsi sibi finxerūt. Propterea super uelamen stultitiæ suæ naturalis, addunt alterū uelamen peruersæ opinionis. Et quando per duplex uelamen poterit uideri quòd lucet in euāgelio: Displicet tibi tentās Deus, displicet tibi tentās Christus. Sed cū placuerit tibi tentās Christus, placeat tibi tētans Deus. Et Christus enim filius Dei Deus, & cū patre Christus unus Deus. Vbi igitur
Ioan.6. legimus tentantem Christum? Euangelium loquitur. Ait enim Philippo: Habentes panes, date illis manducare. Et sequitur euāgelista: Hoc autem dicebat, tentans eū. Ipse enim sciebat quid esset facturus. Refert nunc animū ad Deum tentantem Abraham. Hoc enim dicebat & Deus tentans Abrahā. Ipse enim sciebat quid esset facturus. Agnoscitur tentator Deus, agnoscitur tentator Christus, corrigatur tentator hæreticus. Non enim sic tentat hæreticus, quomodo tentat Deus. Deus enim tentat ut aperiat homini, hæreticus tentat, ut Deum sibi claudat. Ergo nouerit charitas uestra tentationē Dei nō id agere, ut ipse aliquid cognoscat, quod antè nesciebat, sed ut illo tentante, id est interrogante, quod est in homine occultū prodatur. Non enim sibi homo ita notus est ut creatori. Nec sic æger sibi notus est ut medico. Aegrotat homo, ipse patitur, medicus non patitur, & ab illo qui nō patitur ex-
Psal.18. pectat audire quod patitur. Ideo in psalmo clamat homo: Ab occultis meis munda me Domine, quia sunt in homine occulta ipsi homini in quo sunt & non procedunt, neq; aperiuntur, neq; inueniūtur, nisi in tentationibus. Si Deus cessat tentare,

A re, magister cessat docere. Sed Deus tentat ut doceat, diabolus tentat ut decipiat. Cui tamen nisi ille qui tentatur dederit locum, inanis & irridẽdus repellitur, ideo Apostolus: Ne detis, ait, locum diabolo. Dant autem locũ homines diabolo ex con cupiscentijs suis. Non enim uident diabolum homines cum quo pugnant, sed facile habent remedium. Seipsos interius uincant, & de illo foris triumphent. Quare hoc diximus? Quia nescit se homo, nisi in tentatione discat se. Cùm autem didicerit se, non se negligat. Si enim se negligebat latentem, non se negligat notum sibi. Quid ergo dicimus fratres? Et si sciebat se Abraham, nos non nôueramus Abraham. Aut sibi aut certè nobis prodendus erat. Sibi, ut sciret unde gratias ageret: Nobis, ut sciremus uel quid à Domino deprecaremur, uel quid in homine imitaremur. Quid ergo nos docet Abraham? Vt breuiter dicam, ut Deo non præponamus quod dat Deus: interim ad literam rerum gestarum antequam tractetur latebra sacramenti, id est, quid lateat in hoc mysterio, quo iussus est Abraham occidere unicum filium. Ergo nec illud quod tibi pro magno præstat Deus præponas illi qui præstitit. Et cùm uoluerit tibi subtrahere, non tibi uilescat, quia gratis amandus est Deus. Quod enim dulcius à Deo præmium, quàm ipse Deus? Ergo impleta Abraham deuotionis obedientia, audit à Deo: Nunc cognoui quoniam tu times Deum. Quod ita intelligitur, eo quod Abraham fecerit Deus ut sibi innotesceret, sicut quando loquitur Propheta, Christianis loquor, uel proficientibus in schola Dei, non sunt rudia nec noua quę dico, sed uestræ sanctitati nobiscum usitatissima & manifestissima. Quando Propheta loquitur: quid dicitur? Dixit Deus. Plane dicimus etiam: Dixit Propheta, Et utrunque rectè dicimus, & utrunque in authoritate inuenimus. Et apostoli sic intellexerunt prophetas ut dicerent: Dixit Deus. Et alio loco: Dixit Esaias. Vtrunque uerum est, quia utrunq; inuenimus

B in scripturis. Soluat mihi Christianus quæstionem quam modo proposui, & soluat sibi quod paulò antè proposuit. Quomodo? Quia quod homo dicit de dono Dei dicit, secundum illud: Non enim uos estis qui loquimini &c. Et iterum: Ecce ego Paulus loquor uobis. Et iterũ: Christus qui in me loquitur. Ergo istam regulam fratres transferte ad illud quod aliquando tortuosum uidebatur, & rectum erit. Illum ergo omnes intueamur, ut esurientes animas nostras ipse pascat, qui esuriuit propter nos, qui pauper factus est cùm diues esset, ut ipsius paupertate nos ditaremur. Oportunè ad eũ paulò antè cantauimus: Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore oportuno. Si omnia omnes, si omnes & nos. Non ergo si quid boni in sermone daturi sumus nos dabimus, sed ille à quo omnes accæpimus, quia omnes ad eum expectemus. Tempus est, det. Sed faciamus quod dixit ut det, id est expectemus ad eum. Ipsum corde intueamur, quia sicut oculi corporis & aures ad nos, ita oculi cordis & aures ad illum. Patenti aure cordis audite sacramentum magnum. Omnia quidem sacramenta diuinarũ scripturarum utique magna atque diuina sunt. Sunt tamen insigniora, magísque præcipua, quę maxime intentos nos desiderant, & quæ præ cæteris lapsos ædificant, satiant esurientes, qui non ita satientur ut fastidiant, sed non sit satietas fastidio pellens inopiam, non assumens contemptum. Quem non moueat iussus immolari unicus filius ei à quo promissus est. Et maximè res ita gesta, ut audiuimus, intentos animos

Marginal notes: Ephe. 4. — Matth. 10 — 2. Cor. 13. — Psal. 103.

mos facit ad quærendum exponi sacramentum. Ante omnia tamen fratres hoc in nomine Domini & admonemus quantùm possumus, & præcipimus, ut quando auditis exponi sacramentum scripturæ narrantis quæ gesta sunt, prius illud quod lectum est credatis sic gestum quomodo lectum est, ne subtracto fundamento rei gestæ, quasi in aëre quæratis ædificare. Abraham pater noster homo erat illis temporibus fidelis, credens Deo, iustificatus ex fide, sicut scriptura dicit & uetus & noua. Suscæpit filium de Sara uxore, iam in senectute utrisque constitutis, ex magna desperatione, sed secundum hominem. Quid autem de Deo desperandum, cui difficile nihil est? Qui sic facit magna, quomodo parua. Sic suscitat mortuos, quomodo creat uiuos. Si pictor eadem arte fecit murem qua elephantem, diuersa opera, sed ars una, quantò magis Deus, qui dixit, & facta sunt, mandauit & creata sunt? Quid difficile facit qui uerbo facit? Qua facilitate creauit angelos ultra cœlos, ea facilitate luminaria in cœlis, ea facilitate pisces in mari, ea facilitate arbores & animalia in terra, ea facilitate magna qua parua. Cui ergo cuncta facillimum fuit facere de nihilo, mirãdum est quia dedit senibus filium? Tales ergo illos uiros uel illos homines habebat Deus, & illo tempore tales fecerat præcones filio uenturo, ut non solum in his quæ dicebant, sed etiam in his quæ faciebant, uel in his quæ accidebant Christus quæratur, Christus inueniatur. Quicquid scriptura dicit de Abrabam, & factum est & prophetia est, sicut Apostolus quodam loco dicit: Scriptum est quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & alterum de libera. Quę sunt in allegoria. Hęc ergo sunt testamẽta. Iam prudenter dicimus, quia Isaac & natus est Abrahæ, & aliquid significauit, sicut & immolare filium iussus obtemperat Deo, perducit ad locum, peruenit triduo, dimittit duos seruos suos cum iumento, pergit ipse quò Deus præceperat, leuat lignum in altare, leuat filium super lignum. Antequam ueniat filius ad locũ sacrificij, portat lignum quo leuandus est. Deinde cùm iam penè feriretur, sonat uox ut parcatur, & non tamen sine sacrificio, & sine sanguine fuso receditur. Apparet aries in uepre inhærens cornibus, immolatur, peragitur sacrificiũ. Peracto sacrificio dicitur ad Abraham. Facio semẽ tuum sicut stellas cœli & arenã maris. Et obtinebit semen tuum ciuitates aduersariorum: Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod exaudisti uocem meam. Vide ergo quando factum est, & quando commemoratio fit facti ipsius. Quando dicit ille aries: Foderunt manus meas, & pedes meos &c. Quando peractum est illud in psalmo sacrificium, tunc in ipso psalmo dictum est: Commemorabuntur & cõuertentur ad Dominum uniuersi fines terræ: Et adorabunt in conspectu eius uniuersæ patriæ gentium: Quoniam ipsius est regnum, & ipse dominabitur gentium. Si commemorabuntur dictum est, præsignatum est aliquando quod fieri uidemus. Videamus ergo quomodo impletũ sit, & unde impletum, quo præcedente sacrificio impletum quòd dictũ est Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Felices omnes gentes, quæ illud non audierunt, & nunc legentes crediderunt, quod credidit ille qui audiuit. Credidit enim Abraham Deo, & reputatũ est illi ad iustitiam, & amicus Dei appelatus est. Quòd credidit Deo, intus in corde, in sola fide est. Quòd autem immolandum duxit filium, quòd intrepidus dexteram armauit, quòd iam feriret nisi uoce teneretur,

Marginalia: C (beside line 1); Gal. 4. (beside "his quæ accidebant"); D (beside "iussus obtemperat"); Psal. 21. (beside "moratio fit"); Gen. 22. (beside "audierunt"); Iaco. 2. (beside "enim Abraham")

A tur, magna fides est utique, & magnum opus, & ipsum opus laudauit ut diceret: Quoniã exaudisti uocẽ meam. Quare ergo apostolus Paulus ait: Arbitramur iustificari hominem per fidẽ sine operibus legis. Et alio loco dicit: Et fides quę per dilectionem operatur, per quam adipisci credimus salutem æternam. Rom. 8. Gal. 5.

Nouum præcepti genus est homini legem sceleris dare, & religiosum habere si impium uoluerit perpetrare. Abrahã si parricidium fecerit, iustus est: Si nõ fecerit indeuotus est. Quid sit ergo quòd nunquã Deum nisi pietate placamus? Cupit sibi uota offerri, nõ crudeliter coli. Ecce inter pietatem patris & deuotionem Dei, filium est quidẽ scelus occidere, sed Deum scelestius non audire. In angusto posita est perfecta iustitia. Parricidiũ iuberis ut facias tuis te manibus orbaturus. Quid hoc est? Imperat parricidiũ, qui prohibet homicidium. Iubetur, inquit, filium uictimare, solatium paternæ senectutis, & unicum pignus posteritatis. Qui quanto serior, tantò dulcior, quantò solus aut unicus, tãtò charior & dilectus. In utroque senes, creãdæ prolis desperatio retinebat, utpote post tẽpus quod natura fraudauerat, ætas in sene patre, sterilitas in anicula matre. Iã enim Sara actus suæ uuluæ perdiderat, & senẽ patrem uis generãdi lassauerat, quia fructum sterilis non habebat. Ecce subitò frigens uulua materna nõ instinctu libidinis, sed fomite uirtutis incaluit, rediuiuo successit flore iuuentutis. Mœrentis iã artus corporis uiruerunt marcida membra, & annosæ ætatis tabe pallentia, pueritiæ rubore uiruerũt, & in succido tepore ueterascens iã corpus, non tanquẽ concubitus, sed promissio uegetabat. Canis iam togatum caput albebat, & rugas suas uulua in uentre tendebat. Tumebat uterus grauidæ, tremebat gressus in poplite. Gestabat onustum uterum, quæ corpus iam non regebat incuruum. Nouissimis annis fœta & fessa mulier, quæ non nouerat in iuuentute cõcipere, discit in senectute lactare. Discite cõiugati uacare effectum seminis, ubi non fuerit munus authoris, ipso dicente: Priusquam te formarem in utero noui te. Accipe, inquit, filium tuum, & offer mihi illũ in unum de montibus, quẽ demonstrauero tibi. Senex pater, & unici mater, noui parẽtes, & ueteres genitores, ad tã acerbum nõ mouentur imperiũ. Hilaris accingebatur, qui nec timorẽ facinoris formidauit, nec implere quod iussus est degener animus dubitauit. Spes illa futura tot gentiũ paterna manu iubetur occidi. Deuotus pater eo uoto suscępit parricidiũ, quo susceperat filiũ: nec refert utrùm impẽdat aut perdat, dũ quoquo modo quod accęperat reddat. O domine pijssime, quẽ scis patri dilectũ, quid imperas uictimandum? Nũc nuper senẽ sterilẽ fœcundasti, & tã cito quod donaueras repetisti? Vbi est quod senibus pręstitisti? Ergo iratus potes lædere, sicut propitius imperas orbitatem? Absit à nobis ista incredulitas. Deus pro nobis filiũ iussit occidi, non nostros mactari. Ideo iubetur filiũ occidere, ut manifestetur mũdo, qui iã notus fuerat Deo. Nã quomodo innocentis desiderat sanguinẽ, qui reum damnat pro sanguine? Demõstrare cũctis hominibus deuotionẽ uoluit, qui parricidium ut fieret imperauit. Pater ilicò imperijs, præceptis obtẽperat, pergit percussor paratus, imò filius cum patre proficiscitur moriturus, atq; utinã tantũmodo moriturus, nõ insuper & patris gladio obiturus. Venerũt ergo ad locum quem dixerat Deus ambo pariter, aram cõstruunt sacerdotes, ligna aræ imponit, filium alligauit, & extento gladio, angelus ne percutias puerum

Eiusdẽ lib. Serm. 73.

B

Hiere. 1.

puerum exclamauit, oculis respice, & uide arietem in uepre. Videte fratres Abraham patientia fortem, deuotione constantem, non cum aliqua fera luctantem, sed cum natura pugnantem. Deuotio dicebat, percute. Pietas clamabat, parce. Illa reuocabat, ista prouocabat. Filius tunc moriturus iacebat, erigit dextram feriturus, & locum quo libens percutiebat aucupat. Parce, inquit, Abraham. Qui iusserat ut feriret, modo uociferatur ut parceret. Sciebat enim probatum patrem, & in deuotione feruentem gladium temperare, & filium non perimere, sed nec cremare. Parce, inquit, deuote pater, parricida sine crimine parce. Tuum sacrificium quod paraueras intendi, ego quòd iusseram ut obtulisses accepi. In uoto probaui, quod in facto renui. Acceptaui uotum, nec repuli sacrificium. Laudo fidem, nec reprobo pietatem, nec tibi patior inferri orbitatem. Perfecta sunt omnia, & salua sunt uniuersa. Vincitur innocēs hostia, ne offerentis deuotio putaret se minus aliquid exhibere, si impatientia doloris uictima calcitraret. Ecce spiritali præsagio meum præuenisti consilium. Quod enim paraui pro toto mundo, tu iam deliberasti in filio tuo. Quod in unigenito meo disposui, tu in tuo unico perfecisti. Vnde benedicentur in te omnes gentes. C

Ex lib. 16. de Ciuit. Dei ad marcell. Cap. XXXII. Tomo. V.

Inter hæc quæ omnia commemorare nimis longum est, tentatur Abraham de immolando dilectissimo filio suo Isaac, ut pia eius obedientia probaretur: seculis in notitiam proferenda, non Deo. Neque enim omnis est culpanda tentatio: quia & gratulanda est, qua fit probatio. Et plerunque aliter animus humanus sibiipsi innotescere non potest, nisi uires suas sibi non uerbo, sed experimento tentatione quodāmodo interrogante respondeat: ubi si Dei munus agnouerit, tunc pius est, B tunc solidatur firmitate gratiæ, non inflatur inanitate iactantiæ. Nunquā sanè crederet Abraham, quòd uictimis Deus delectaretur humanis. Quamuis diuino intonante præcepto obediendum sit, non disputandum: ueruntamen Abraham confestim filium cùm fuisset immolaturus, resurrecturum credidisse laudandus est. Dixerat nanque illi Deus, cùm de ancilla & filio eius foras eijciendis uoluntatem coniugis nollet implere: In Isaac uocabitur tibi semen. Et certè ibi sequitur, ac dicitur: Filium autem ancillæ huius in magnā gentem faciam: quia semen tuum est. Quomodo ergo dictū est: In Isaac uocabitur tibi semē, cùm & Hismaelem Deus
Rom. 9. semen eius uocauerit? Exponens autem Apostolus quid sit: In Isaac uocabitur tibi semen, id est, inquit, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed filij repromissionis deputantur in semen. Ac per hoc filij promissionis ut sint semen Abrahæ, in Isaac uocantur, hoc est, in Christo uocante gratia congregantur. Hāc ergo promissionem pater pius fideliter tenens, quia per hunc oportebat impleri, quem Deus iubebat occidi: non hæsitauit quòd sibi reddi poterat immolatus, qui dari poterat non spe
Heb. 11. ratus. Sic intellectum est & in epistola ad Hebræos, & sic expositum: Fide, inquit, præcessit Abraham, in Isaac tentatus: & unicum obtulit, qui promissiones suscepit, ad quem dictum est: In Isaac uocabitur tibi semen, cogitans, quia ex mortuis excitare potest Deus. Proinde addidit: Pro hoc etiam eum & in similitudinem adduxit. Cuius similitudinem, nisi illius, de quo dicit idem Apostolus: Qui proprio fi
Rom. 8. lio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Propterea & Isaac, sicut Dominus

A minus crucem suam, ita sibi ligna ad uictimæ locum, quibus fuerat imponẽdus ipse portauit. Postremò quia Isaac occidi non oportebat, posteaquam est pater eũ ferire prohibitus, quis erat ille aries, quo immolato impletũ significatiuo sanguine sacrificiũ? Nempe quãdo eum uidit Abrahã cornibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figurabatur, nisi Iesus Christus antequã immolaretur, spinis Iudaicis coronatus? Sed diuina per angelũ uerba potius audiamus. Ait quippe scriptura: Et extendit Abraham manũ suam sumere machærã, ut occideret filium suũ. Et uocauit illum angelus domini de cœlo, & dixit Abrahã: Ille autẽ dixit: Ecce ego. Et dixit: Ne inijcias manum tuã super puerum, neque facias illi quicquã. Nunc enim sciui, quia times Deum tuũ, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Nunc sciui dictũ est, id est, nunc sciri feci. Neque enim hoc nondũ sciebat Deus. Deinde ariete illo immolato pro Isaac filio suo, uocauit ut legitur, Abrahã nomen loci illius: Dominus uidit, ut dicatur, hodie in monte Dominus apparuit. Sicut dictũ est, nunc sciui, pro eo quod est, nũc sciri feci: ita hîc Dominus uidit, pro eo quod est Dominus apparuit, hoc est, uideri se fecit. Et uocauit angelus domini Abrahã secundo de cœlo dicẽs: Per memetipsum iuraui dicit Dominus: propter quod fecisti uerbũ hoc, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me: benedicens benedicã tibi, & multiplicãs multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, & tanquàm arenam quæ est iuxta labiũ maris. Et hæreditate pośsidebit semẽ tuũ ciuitates aduersariorũ suorum &c. Hoc modo est illa de uocatione gentium in semine Abrahæ post holocaustũ, quo significatus est Christus, etiam iuratione Dei firmata promisio. Sæpe enim promiserat, sed nunquam iurauerat. Quid autem est Dei ueri ueracisq; iuratio, nisi promis-
B si confirmatio, & infidelium quædam increpatio? Post hæc Sara mortua &c.

Item,

Vide Iudic. cap. undecimo in hæc uerba: Eum holocaustum offerã Domino. *Offerésque ibi eum in holocaustum.* Vide Exod. capite duodecimo in hæc uerba: Et spoliauerunt Aegyptios.

De Gen. ad Lit. Lib. 4. Cap. IX. Tomo III.

Nunc cognoui quia times deum. Deus dicitur cognoscere, cùm efficit ut cognoscamus. Neque enim Deus temporaliter cognoscit quod anteà non nouerat, & tamẽ dicit ad Abraham: Nunc cognoui quia times Deum, ubi quid aliud accipimus, nisi nunc feci ut cognosceretur? His locutionum modis, cùm ea quæ non accidunt Deo, tanquam illi accidant loquimur, eum facere agnoscimus, ut nobis accidant ea duntaxat, quæ laudabilia sunt.

Quæst. super Gen. lib. Cap. LIX. Tomo IIII.

Et non pepercisti filio tuo. Nunquid Abraham propter angelum non pepercit filio suo, aut propter Deũ? Aut ergo angeli nomine dominus Christus significatus est, qui sine dubio Deus est, & manifestè à Propheta dictus, magni cõsilij angelus. Aut quòd Deus erat in angelo, & ex persona Dei angelus loquebatur, sicut in prophetis etiam solet. Nã in consequentibus hoc magis uidetur apparere ubi legitur: Et uocauit angelus Domini Abrahã iterũ de cœlo: Per memetipsum iuraui dicit Dominus. Non facilè enim inuenitur dominus Christus patrem Dominum dicere tanquàm suum dominũ, illo præsertim tempore antequam sumeret carnẽ. Nam

secundũ id quod formã serui accępit,non incongruenter hoc dici uidetur. Nam C
Psal.2. secundũ huius rei futuræ prophetiã illud est in psalmo: Dominus dixit ad me, filius meus es tu. Nam neque in ipso euãgelio facile inuenimus à Christo Deum patrem Dominũ appellatum, quòd eius Dominus esset, quamuis Deũ inueniamus, in illo loco, ubi ait: Vado ad patrẽ meum & patrem uestrum Deum meum et Deũ uestrum. Quod autem scriptũ est: Dixit Dominus Domino meo, ad ipsum qui loquebatur refertur id, dixit Dominus meus Domino meo, pater scilicet filio. Et pluit Dominus à Domino, qui scribebat dixit, ut Dominus eius à Domino eius, id est Dominus noster à Domino nostro pluisse intelligatur, filius à patre.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

Dorauit populum terræ. Quæritur quomodo scriptũ sit: Dominũ Deum
A tuum adorabis, & illi soli seruies, cũ Abraham sic honorauerit populum quẽdam gentiũ, ut etiã adoraret. Sed animaduertendũ est in eodem præcepto, nõ dictũ Dominũ Deũ tuum solum adorabis, sicut dictum est, & illi soli seruies, quòd est Græce λατρεύσεις: talis enim seruitus nõ nisi Deo debetur. Vnde dãnantur idolatræ, id est, eiusmodi seruitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moueat quòd alio loco in quadam scriptura prohibet angelus hominẽ adorare se, & admonet ut Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat angelus, ut pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator.

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

Ex lib. Serm. De Temp. Serm. LXXV. Tomo X. D

One manũ tuam sub femur meum &c. Hæc enim omnia, fratres, quæ in te-
P stamento ueteri recitantur, si tantùm secundum literã uoluerimus accipere, aut paruum, aut nullum lucrũ animæ consequemur. Quid enim nobis prodest qui ad ecclesiã, ad audiendum Dei uerbum fideliter conuenimus, si nobis dicatur quòd Abraham miserit puerum suum, ut de regione longinqua adduceret uxorem filio suo, cùm & in istis regionibus hoc frequenter uideamus fieri? Nos uero fratres, sequentes beatum apostolum Paulum, credamus quia omnia quæ scripta sunt, Iudæis in figura contingebant, nobis autem in ueritate completa sunt. Dixit ergo Abraham ad puerum suum: Mitte manum tuã sub femur meum, & iura per Deũ cœli & terræ. Quid est hoc fratres? Sic dixit beatus Abraham: Mitte manum tuam sub femur meum, tanquam diceret, mitte manum tuã ad altare, aut diceret, mitte manum tuam ad arcam testamenti, aut, extende manum ad templum Dei & iura mihi. Femur tangebat, & per Deum cœli & terrę iurabat. Non enim errabat beatus Abraham, quando hoc fieri imperabat, sed quia prophetiæ spiritu repletus, nouerat de semine suo Christum cœli & terræ Dominum nasciturum. Ideo quando seruus suus femur illius contingebat, non per carnale membrum, sed per Deum uiuum & uerum iuramenta præstabat, quia Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam, de cuius semine Christus Dominus natus est. Et stetit iuxta fontem, & dixit in corde suo: Domine Deus &c. Nunc fratres charissimi, quantùm possumus, breuiter quid ista significent uideamus.

A uideamus. Beatus Abraham, quòd puerum dirigebat ut acciperet uxorem filio suo, typum habebat Dei patris, sicut & quando eum in holocausto obtulit, Dei patris imaginem figurabat, puer autem eius uerbum propheticum designabat. Misit ergo Abraham puerum suum in regionem longinquam, ut inde acciperet uxorē filio suo, quia miserat Deus pater propheticum uerbum per uniuersam terram, ut quæreret ecclesiam catholicam, sponsam unigenito suo. Et quomodo per puerum Abrahæ beato Isaac sponsa adducitur, ita per uerbum suum propheticū ecclesia gentium ad uerū sponsum Christū de longinquis regionibus inuitatur. Vbi tamen inuenitur sponsa illa, quæ Christo socianda erat? Vbi nisi ad aquam? Verū est charissimi, nisi ecclesia ad aquam baptismi uenisset, Christo sociata non esset. Rebecca ergo, Abrahæ puerum inuenit ad puteum, & ecclesia inuenit Christum ad baptismi sacramentum. Quid tamen post hæc factum est? Protulit puer inaures aureas, & dextralia aurea, & dedit ea Rebeccæ. In illis inauribus aureis significabātur uerba diuina, in illis armillis aureis opera sancta, quia in manibus opera designantur. Videamus quomodo hæc dederit Christus ecclesiæ. Puer ergo obtulit inaures aureas ad ornandam faciem Rebeccæ, & Christus uerba diuina margaritis omnibus preciosiora dedit ecclesiæ: & armillas posuit in manibus Rebeccæ, & Christus dedit opera sancta in manus ecclesiæ. Considerate fratres charissimi, & gaudete, & Deo gratias agite, quia quòd in illis figuratum est, in nobis Christo donāte impletum est. Et quomodo Rebecca nec inaures habere potuit, nec armillas in manibus, nisi Isaac per seruum suum transmitteret, ita & ecclesia nec uerba diuina in auribus, nec opera sancta habere potuisset in manibus, nisi hæc illi

B Christus per suam gratiam & per suos Apostolos contulisset. Quod autem interrogata puella à parentibus, utrùm uellet ire cum puero, respondit: Vado. Apertè hoc in ecclesia uidemus impleri: ibi interrogatur uoluntas Rebeccę, hîc requiritur uolūtas ecclesiæ: Rebeccæ dicitur: Vis ire cum homine isto? Et respōdet: Vado. Ecclesiæ dicitur: Credis in Christum? & respondet: Credo. Rebecca non duceretur ad Isaac, nisi diceret uolo: nec ecclesia Christo iungeretur, nisi diceret credo. Accępit ergo puer Rebeccam, & exhibuit Isaac. Videamus tamen ubi eum inuenerit, inuenit eum ad puteum iuramēti. Videte fratres, puer Isaac Rebeccam ad puteū inuenit, & iterū ipsum Isaac Rebecca ad puteum inuenit. Verū est: Nec Christus ecclesiā, nec ecclesia Christū inuenit, nisi ad baptismi sacramentum. Exierat ergo sicut dicit scriptura, beatus Isaac ad uesperum in agrum ad meditādum. Ager ille mundi figuram habebat. Exierat Isaac in agrum, quia Christus uenturus erat in mundum. Isaac ad uesperum diei, Christus in fine mundi. Isaac ergo ad meditandum in agrum processit, quia Christus in mundum pugnaturus contra diabolū uenit, ut eum uinceret iustè, dum ab eo occideretur iniustè: ut moriēdo mortē destrueret, & resurgendo uitā credentibus cōdonaret. Et quomodo Isaac corporaliter Rebecca, sic Christo spiritaliter iungeretur ecclesia, accipiēs in præsenti pręcio sam arram sanguinem sponsi sui, acceptura dotem postmodum regni sui. Quam rem beatus Petrus apostolus euidenter annunciat dicens: Nō enim, inquit, redempti estis auro & argento, sed præcioso sanguine tanquam agni immaculati. Accæpit ergo Isaac Rebeccam, & intromisit eā in tabernaculū matris suę: accepit Christus 1. Pet. 1.

ſtus eccleſiam, & eam in loco conſtituit ſynagogæ. Per infidelitatem enim ſynago- C
ga à Deo ſeprata & mortua eſt, & per fidem eccleſia Chriſto coniuncta & uiuifica
ta eſt. Accæpit ergo Iſaac Rebeccam, & intantũm dilexit, ut dolorẽ qui ex morte
matris acciderat temperaret. Mors enim Saræ infidelitatẽ ſignificat ſynagogæ.
Moritur ergo Sara, & in loco eius Rebecca ducitur, ſynagoga repudiatur ut intro
ducatur eccleſia. Accæpit ergo Iſaac Rebeccam, & intantũm dilexit, ut triſtitiam
quæ de matris morte acciderat, temperaret: accæpit Chriſtus eccleſiam, & intantũm dilexit, ut dolorem qui de perditione matris ſynagogæ acciderat, amore eccleſiæ mitigaret. Nam ſicut infidelitas ſynagogæ Chriſto triſtitiam fecit, ita illi fides eccleſiæ lętitiam generauit. Et quomodo per malitiam ſynagogæ unam gentem Iudeorum, nec ipſam tamen totam perdidit: ita totum mundum per fidem eccleſiæ Chriſtus dominus acquiſiuit. Et quia de nobis fratres chariſsimi, ſponſam ſibi ſpiritalem Chriſtus dominus præparauit, quam etiam, ſicut dixit, ſanguine pręcio ſo redemit: ita ipſo adiuuãte, unuſquiſque beneficia in ſe munere diuino collata, non ſolũm cuſtodiat, ſed etiam augere contendat, ut nihil in eum aut per luxuriam ſordidum, aut per ſuperbiam tumidum, aut per iracundiam combuſtum, aut per auaritiam obſcurum, aut per inuidiam uipereo ueneno percuſſum appareat, quia iuſtum eſt ut ſponſus ille ſpecioſus forma præ filijs hominum, nihil in nobis de ſuprà dictis peccatis inueniat, quod oculos ſuæ maieſtatis offendat.

Locution. de Gen. lib. I. Tomo III.

N*oluerit mulier ire tecum*. Mulierem fœminam appellare, proprium eſt illius linguæ. Sequitur: Ne reuoces filium. His uerbis ſolet comminatio declarari. Item dicit: Et iurauit ei de uerbo hoc. Ergo locutio eſt qua dixerat Abraham adiuro te, ac D
ſi dixiſſet, iura mihi: non autem ſolemus ſic loqui, ſed obſeruãdum eſt, utrũm ſint in ſcripturis aliæ ſimiles locutiones. Nam quod dixit Abraham, ſi noluerit mulier uenire tecum, purus eris à iuramento hoc manifeſtauit ita ſe dixiſſe, adiuro te, tãquàm diceret, iura mihi. Quod ſcriptum eſt de Rebecca. Virgo autem erat ſpecioſa ualde, uirgo erat, uir non cognouerat eam: iſta repetitio cõmendationem uirginitatis inſinuat. Sed cur additum ſit, uir non cognouerat eam, niſi locutionis ſit: mirum ſi poſsit accipi, ita ut uirgo nomen ſit ætatis, non integritatis. Græci autẽ non habent, cognouerat, ſed cognouit, quod uidetur inconſequens. Item: Quoniam non dereliquit iuſtitiam & ueritatem à Domino meo, id eſt iuſti ac ſi diceret, quam fecit Dominus meus. Et currẽs puella nuntiauit in domum matris ſuæ, quaſi non eſſet ipſa & patris domus. Et aquam lauare pedibus ipſius & pedibus uirorum qui cum eo erant. Dominus cui placuit ante ipſum, ipſe mittet angelum ſuum tecum, quaſi non ſufficeret, cui placuit: an poterat ei placere niſi ante ipſum? Si tu proſperas uiam meam, qua ego nunc ingredior in eam. Cum uerba ſua narrat ſeruus Abrahæ, quæ dixit acceſſura ad fontem, ita narrauit: Et erit uirgo. &c. Quibus uerbis ſatis euidenter expreſſum eſt etiam mulieres appellatas locutione Hebraica quæ uirgines eſſent. Et benedixi dominum Deum domini mei Abraham. Honorificentiæ locutio eſt & familiariſsima ſcripturis, ſicut Deus Heliæ. Renuntiato mihi ut redeam dexteram uel ſiniſtram, per dexteram ſciliet proſperitatẽ, per ſiniſtram aduerſitatem ſignificauit, id eſt, dexteram ſi conceſſerint, ſiniſtram ſi non

A si non concesserint. Nã utique ea uia rediturus fuerat qua uenerat. Quã locutionem scripturarum etiam cætera earum loca indicabunt: quia dextera nominatur in omnibus bonis, sinistra in malis: siue fœlicitas & infœlicitas, siue iustitia & iniustitia, & aliquando dextera in æternis, sinistra in temporalibus.

Quæst. sup. Gen. lib. Cap. LXIII. Tomo IIII.

Occurre obsecro mihi hodie. Quærẽdum quid differant augurationes illicitæ ab illa petitione signi, qua petiuit seruus Abrahæ ut ei Deus ostẽderet, ipsam esse futuram uxorem Domini sui Isaac, à qua cùm petiuisset ut biberet, diceretur illi, bibe & tu, & adaquabo camelos tuos quoadusque bibere desinent. Aliud est enim, mirum aliquid petere, quod ipso miraculo signũ sit: aliud hæc obseruare, quæ ita fiunt, ut mira non sint, sed à coniectoribus superstitiosa uanitate interpretentur. Sed hoc ipsum etiam mirũ quod aliquid postulatur, quo significetur quod quisq; uult nosse, utrùm audiẽdum sit, non parua quæstio est. Eo nanque pertinet quòd dicuntur qui hoc non rectè faciunt, tentare Dominum: Nam ipse Dominus cùm à diabolo tentaretur, testimonium de scripturis adhibuit: Nõ tentabis Dominum Deum tuũ. Suggerebatur enim tanquam homini, ut signo aliquo exploraret ipse quantus esset, id est quàm multùm apud Deum posset, quod uitiosè fit, cùm fit. Ab hoc autem discernitur quòd Gedeon fecit, pugnæ imminente periculo. Consultatio quippe illa magis quàm tẽtatio Dei fuit. Vnde & Achaz apud Esaiã timet signum petere, ne Deum tẽtare uideatur, cùm hoc eum Dominus admoneat per Prophetam, credo existimans quòd ab ipso Propheta exploraretur, utrùm præcepti memor esset, quo tentare Deum prohibemur.

B

CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

Ex lib. 16. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XXXIIII. Tomo V.

Braham uerò aliã duxit uxorem, nomine Cethuram. Quid autẽ sibi uult quod A Abrahã post mortem Saræ Cethuram duxit uxorem? Vbi absit, ut incõtinentiam suspicemur, præsertim in illa iam ætate, & in illa fidei sanctitate. An adhuc procreandi filij quærebantur, cùm iam Deo promittente tanta multiplicatio filiorum ex Isaac per stellas cœli et arenam terræ fide probatissima teneretur? Sed profectò si Agar & Hismaël doctore Apostolo, significauerũt carnales ueteris testamẽti, cur non etiam Cethura & filij eius significent carnales, qui se ad testamentum nouum existimant pertinere? Ambæ quippe & uxores Abrahæ et concubinæ sunt appellatæ. Sara uerò nunquam dicta est Abrahæ concubina, sed uxor tantùm. Nam & quando data est Agar Abrahæ, ita scriptum est: Et apprehendit Sara uxor Abraham Agar &c. De Cethura autem, quam post obitum Saræ accepit, sic legitur: Adijciens autem Abraham sumpsit uxorem, cui nomen Cethura. Ecce ambæ dicuntur uxores Abrahæ, ambę porrò concubinæ fuisse reperiuntur, postea dicente scriptura: Dedit autem Abraham omnem censum suum Isaac filio suo, & filijs cõcubinarum suarum dedit Abraham dona: & diuisit eos ab Isaac filio suo adhuc se uiuo, ad orientem in terram orientis. Habent ergo nonnulla munera filij concubinarũ in plaga orientis, sed non peruenięt ad regnũ promissum, nec hæretici, nec Iudæi carnales: quia pręter Isaac nullus est hęres: & nõ

qui filij carnis, hi filij Dei, sed filij promißionis deputantur in semine, de quo dictũ C
est: In Isaac uocabitur tibi semen. Neque enim uideo cur etiam Cethura post uxoris mortem ducta, nisi propter hoc mysterium dicta sit concubina, sed quisquis hæc non uult in istis significationibus accipere, non calumnietur Abrahæ. Quid enim si & hoc prouisum est contra hæreticos futuros secũdarum aduersarios nuptiarum, ut in ipso patre multarum gentium post obitum coniugis, iterum coniugari demonstraretur non esse peccatum?

Quæst. super Gen. Cap. LXX. Tomo IIII.

Sumpsit uxorẽ nomine Cethuram. Quæstio hic est, si peccatum est maximè in antiquis dantibus operam propagandæ proli: Quidlibet enim hic quàm incontinentia suspicanda est tãti uiri, in illa præsertim iam ætate. Cur autem in hac filios fecerit, qui cũ miraculo de Sara fecerat, suprà dictum est: quanquã nonnulli donum quod accæpit Abraham uelut reminiscentis corporis ad filios procreandos, diu permãsisse ei asserant, ita ut posset et alios procreare. Sed multò est absolutius, de adolescentula potuisse seniorem, quod senior de seniore non posset, nisi Deus illic miraculum præstitisset, maximè propter Saræ, non solùm ætatem, uerumetiã sterilitatem. Sanè etiam grãdioris ætatis, & sicut scriptura loquitur, plenum dierum posse dici seniorem, hoc est, presbyterum, hinc intelligi potest, quia hoc Abraham appellatus est quando mortuus est. Proinde omnis senex etiam presbyter, non omnis presbyter etiã senex: quia plerũq; hoc est nomẽ ætatis, quę infra senectutẽ senectuti uicina est, & ex hoc etiã ipsa à senectute nomen accępit. In latina autem lingua presbyter senior appellatur, apud Græcos autẽ maximè sicut scriptura loquitur, πρεσβύτερος & νεώτερος dicuntur etiã si ætates iuuenũ cõparentur, quod D
dicimus, nos maiorem atq; minorẽ. Veruntamen hoc factum Abrahæ, quòd post mortem Saræ de Cethura filios procreauit, non sic accipiẽdum est quasi humana consuetudine, & cogitatione tantummodo substituendæ numerosioris prolis hoc factum sit. Sic enim possent accipere homines etiã quod de Agar factum est, nisi Apostolus admoneret illa fuisse facta propheticè, ut in utrisq; personis mulierũ earumq; filiorum duo testamenta ad futurorum prænunciationem allegorica significatio figuraret. Vnde in isto quoque Abrahæ facto tale aliquid quęrendũ est. Si non facile occurrat, ego interim quod occurrit, munera quę accęperunt filij cõcubinarum, uidẽtur mihi significare quædam dona Dei, uel in sacramentis, uel in quibusque signis, etiam carnali populo Iudæorum & hæreticis data, uelut filijs cõcubinarum, cùm hæreditatis munus, quod est charitas & uita æterna, non nisi ad Isaac pertineat, hoc est, ad filios promißionis.

Collidebantur in utero. Vide infra in Luc. cap. 1. in hæc uerba. Exultauit in gaudio infans in utero meo.

Eiusdẽ lib. Quæst. 72 *Perrexitque Rebecca ut consuleret Dominũ.* Quęritur quò ierit: nõ enim erãt tunc prophetæ aut sacerdotes secundũ ordinẽ tabernaculi uel templi Domini. Quò ergo ierit meritò mouet, nisi fortè ad locum ubi aram constituerat Abrahã. Sed illic quomodo respõsa dẽtur, omninò tacet scriptura, utrùm per aliquem sacerdotẽ, quod incredibile est, si erat nõ fuisse nominatum, & nullam omninò sacerdotum aliquorum factam esse mentionem. An fortè ibi cùm orãdo allegassent desideria

sua,

A sua, dormiebant in loco, ut per somnium monerētur, an adhuc uiuebat Melchisedech, cuius tanta fuit excellentia, ut à nōnullis dubitetur, utrū̀m homo an angelus fuerit? an erāt aliqui tales etiam illo tempore homines Dei, in quibus posset Deus interrogari? Quicquid horum est, & si aliquid aliud quod me fortè ne commemorarem prætererierit: mentiri tamen scriptura non potest, quæ dicit Rebeccam iisse ad interrogandum Dominum, eiq́; Dominum respondisse.

Ex lib. Serm. de Temp. Serm. LXXVIII. Tomo X.

Duæ gentes in utero tuo &c. Lectio nobis de beato Isaac & sancta Rebecca, & paruulis qui in eius utero collidebātur recitata est. Quòd autē beatus Isaac typū habuerit Domini saluatoris, penè nulli habetur incognitum, Isaac ergo Christum Dominum, beata autem Rebecca ecclesiam figurauit. Quæ cùm multo tempore ad exemplum ipsius ecclesiæ sterilis permaneret, beato Isaac orāte & Domino donante concepit, sed collidebantur paruuli in utero eius, quorū molestiam nōn sustinens, dixit: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit cōcipere? Et ait illi Dominus: Duæ gentes in utero tuo sunt &c. Hæc omnia, fratres charißimi, sicut dicit Apostolus, in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos. Concæpit ergo corporaliter de beato Isaac Rebecca, quia cōcęptura erat spiritaliter de Christo ecclesia. Sed sicut duo paruuli in utero Rebeccæ collidebātur, sic in utero ecclesiæ duo sibi populi iugiter aduersātur. Si enim aut soli mali, aut soli boni essent, unus populus esset: quia uerò in ecclesia & boni inueniuntur et mali, tanquam in uentre spiritalis Rebeccæ duo populi collidūtur, humiles scilicet & superbi, casti & adulteri, mansueti & iracundi, benigni & inuidi, misericordes & cupidi, boni enim lucrari uolunt malos, mali uerò extinguere cupiūt bonos. Bonorum desiderium est, ut qui mali sunt corrigātur: malorum studium est, ut qui boni sunt consumantur. Vnum est genus piorum, aliud impiorum. Genus piorum ad cœlum erigitur per humilitatem, genus impiorum ad infernum demergitur per elationē. Omnes enim qui in ecclesia catholica terrena sapiunt, terram diligunt, terram cōcupiscunt, & omnem spem suam in terram constituunt ad Esau pertinent. Quicunq; ideo Deo seruire optat, ut honoribus crescat, & lucra terrena percipiat, & ad Esau, id est ad terrenā fœlicitatem pertinere cognoscitur. In Esau enim carnales intelligūtur, in Iacob uerò spiritales. Isti enim duo populi, sicut beatus Apostolus euidenter asignat, dum carnales demonstrat & spiritales insinuat. Sic enim ait: Manifesta sunt opera carnis, quę sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorū seruitus, ueneficia, inimicitiæ, cōtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, ebrietates, comessationes. Ecce fructus populi pertinentis ad Esau. Qui autem sunt fructus, qui pertinent ad Iacob, idem Apostolus, in consequentibus adiungit dicens: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, fides, bonitas, benignitas, modestia, continentia. Ecce opera spiritalium ad beatum Iacob, id est, ad piorum populum pertinentia. Quod autem dictum est: Populus populum superabit, & maior seruiet minori, secundum literam in Esau uel in Iacob non uidemus impletum. Non enim corporaliter beato Iacob seruisse cōmemorat scriptura. Quomodo ergo hoc oporteat intelligi, aut qualiter maior populus minori seruiat, spiritaliter debemus intelligere. Nisi enim fieret, non hoc sancta

(margin notes: B; 1. Cor. 10.; Gal. 5.)

L 4 scriptura

scriptura cõmemoraret. Quomodo ergo maior populus minori seruiat, hoc qui diligenter attendit, in Christianis uel in Iudæis agnoscit. Maior enim & senior populus Iudæorum iuniori, id est, populo Christiano seruire probatur, dum per totũ mundum libros diuinæ legis ad instructionem omnium gentium portare cognoscitur. Ideo enim per omnem terram Iudæi dispersi sunt, ut cùm aliquem paganũ ad fidem Christi uolumus inuitare, & ab omnibus prophetis ipsum Christum esse annunciatum testamur, & ille resistens dixerit, à nobis potius quàm à spiritu sancto libros diuinæ legis esse conscriptos, nos habemus unde eũ redarguere certa ratione possumus, dicẽtes ei: Si de meis libris tibi dubitatio nascitur, ecce Iudæorum libros utique inimicorum nostrorum, quos certum est si ego conscribere uel lem mutare nõ potui, ipsos relege, & cùm in ipsis hoc quod in meis inueneris, noli esse incredulus, sed fidelis. Hoc ordine maior populus minori seruire cognoscitur, dùm etiam per illorum libros ad credendum in Christo gentium populus inuitatur. Sed & alio modo populus maior seruiet minori. Quo inquis ordine? Illo utique quo mali seruiunt bonis, non utique obsequendo, sed persequendo. Quomodo ergo mali seruiunt bonis? Quomodo persecutores martyribus, quomodo limę uel mallei auro, quomodo molæ seruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia ut illi coquantur, illi consumãtur. Quomodo, inquam, mali seruiunt? Quomodo in fornace aurificis palea seru t auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. Non ergo glorientur: nec se extollant mali, quãdo bonis aliquas tribulationes immiserint, quia cùm illos persequuntur in corpore, se occidere probantur in mente. Vt ad uirum bonum perueniat hominis mali aduersitas, iã illius animam putrefacit iniquitas. Qui ergo malo animo uirum bonum iracundiæ furore succẽsus conatur incẽdere, utrùm ille possit exuri, adhuc dubium est. Quòd autem iste iam ardeat dubium nõ est, quia fortè ille uir bonus spiritali succo & sancti spiritus refrigerio plenus, apposito persecutionis igne non ardet: ille uerò qui eũ conatur exurere, sine dubio nõ potest non ardere. De uno ergo semine Isaac & Esau nascitur & Iacob, sicut de uno baptismo Domini saluatoris & de ecclesiæ utero procreatur populus Christianus, qui tamẽ pro morũ diuersitate, sicut Esau & Iacob in duas partes diuiditur, cùm ex fructibus operũ una pars cognoscitur carnalis, alia spiritalis. Ideo autẽ dixit: Maior seruiet minori, quia semper maior est numerus malorũ quàm bonorũ. Et sicut illi duo paruuli in utero Rebeccæ, ita & isti populi in uentre ecclesiæ usq; in diem iudicij colliduntur, dũ sicut iã suprà diximus, humilibus aduersantur superbi, dum castos adulteri persequuntur, dum quorum infinitus est numerus, ebriosi sobrios insectantur, dum benignis inuidi æmulantur, dũ eleemosynarios raptores, dũ pacificos extinguere cupiunt iracundi, dum eos qui cœlestia sapiunt ad terram retrahere luxuriosi conantur.

Item. Vide 1. Cor. cap. 15. in hæc uerba: Sicut in Adam omnes moriuntur.

Ex Lib. 16. de Ciuit. Dei ad Marcell. Cap. XXXV. Tomo V.

Maior seruiet minori. Nemo ferè nostrorũ aliter intellexit, quàm maiorem populum Iudæorum minori populo Christiano seruiturum. Et reuerà quamuis in gente Idumæorum, quæ nata est de maiore, cui duo nomina erant, nam & Esau uocabatur, & Edom, unde Idumæi, hoc uideri possit impletum, quia postea superanda fuerat à

A fuerat à populo, qui ortus est ex minore, id est, Israëlitico, eiq; fuerat futura subiecta: tamen in aliquid maius intentam fuisse istam prophetiam, qua dictum est: Populus populū superabit, & maior seruiet minori, cōuenientius creditur.

Item. Vide 1. Cor. cap. 4. hæc uerba: Quis enim te discernit?

Locut. de Gen. lib. 1. Tomo III.

Creuerunt autem iuuenes. Et talis locutio & apud authores seculares, sicuti est. Et scuta latentia condunt, id est condendo latentia faciunt. Sic & hîc: Creuerunt iuuenes, cum infantes essent, intelligitur crescendo facti sunt iuuenes.

Ex lib. 16. de Ciuit. dei ad Marcell. Cap. XXXVII. Tomo V.

Vende mihi primogenita tua. Vbi diximus in uescendo non cibi genere, sed auiditate immodestia quenquam culpandum.

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Ex lib. 22. contra Faust. Manich. Cap. XLVI. Tomo VI.

Ipse uerò dixit, soror mea est &c. Mirabili sanè impudentia Faustus, Isaac quoque filium Abrahæ criminatus est, quòd Rebeccam, quæ uxor erat, sororem finxerat. Genus enim Rebeccæ non tacitum est, & eam pernotissimā propinquitatem sororem eius fuisse manifestum est. Vt autem taceret uxorē quid mirum, aut quid prauum, si imitatus est patrem, cùm eadem iustitia defendatur, qua pater eius, de simili obiectu inculpatus inuentus est? Quæ igitur pro Abrahā, quod ad hanc rem attinet, aduersus criminantem Faustum diximus, eadem etiam pro Isaac filio eius ualent: quæ recensere non est difficile, nisi fortè studiosorum

B aliquis quærat, in cuius figuræ sacramento accipiendum sit, quòd rex alienigena Rebeccam uiri sui coniugem tunc esse cognouit, quando eum cum illa ludentem uidit: quod non cognouisset, nisi cum coniuge ille sic luderet, quomodo cum ea, quę côiunx non esset, ludere non deceret. Quod cùm sancti coniugati faciunt, nō inaniter faciunt, sed prudenter: descendunt enim quodāmodo ad fœminei sexus infirmitatem, ut aliquid blanda hilaritate uel dicant uel faciant: non eneruantes, sed temperantes uirilem rigorem: quod tamen ei, quæ uxor non est, qui dixerit aut fecerit, turpis est. Verùm hoc, quod ad mores humanitatis pertinet, dixerim: nec quisquā durus & sine effectu idipsum pro crimine obijciat sancto uiro, quòd cum coniuge sua luserat. Tales enim homines inhumani, si aliquem grauem uirū ludicrum aliquid garrientem pueris etiam paruulis uiderint, quo eorum lacteum sensum affabili & nutritoria facilitate permulceat, tanquā delirantē reprehendūt: obliti unde creuerint, atq; ingrati quòd creuerint. Quid autē sibi uelit in sacramēto Christi & ecclesiæ, quòd tātus patriarcha cum coniuge sua luserit, coniugiumq; illud inde sit cognitum, uidet profectò quisquis, ne aliquid errando in ecclesiā peccet, secretum uiri eius in scripturis sanctis diligēter intuetur: & inuenit eum maiestatē suam, qua in forma Dei æqualis est patri, paulisper abscōdisse in forma serui, ut eius capax esse humana infirmitas posset, eoq; modo se cōiugi cōgruenter aptaret. Quid enim absurdum, imò quid non conuenienter futurorum prænuntiationi accomodatū, si Propheta Dei carnale aliquid lusit, ut eum caperet affectus uxoris cùm ipsum uerbum Dei caro factum sit, ut habitaret in nobis?

Ex lib.

Ex lib. 16. de Ciuit. Dei ad Marcel Cap. XXXVI. Tomo V. C

Mansitque Isaac in Geraris. Iste patriarcha nec uxorē habuit aliā, nec aliquā cōcubinam, sed posteritate duorū geminorū ex uno concubitu procreatorum contentus fuit. Timuit sanè etiam ipse periculum de pulchritudine coniugis cùm habitaret inter alienos, fecítque quod pater, ut eam sororem diceret, taceret uxorem. Erat enim ei propinqua, & paterno & materno sanguine, sed etiā ipsa ab alienigenis cognito quod uxor eius esset, mansit intacta. Nec ideo tamen istum patri eius præferre debemus, quia iste nullam fœminam præter unam coniugem nouerat. Erant enim proculdubiò paternę fidei & obedientiæ merita potiora, intantùm ut propter illam dicat Deus, huic se facere bona, quæ fecit. Benedicentur, inquit, in semine tuo omnes gentes terræ: pro eo quod obaudiuit Abrahā pater tuus uocem meam &c. Et alio rursus oraculo: Ego sum, inquit, Deus Abraham patris tui &c. Vt intelligamus quàm castè Abraham fecerit, quòd hominibus impudicis & nequitiæ suæ de scripturis sanctis patrocinia requirentibus uidetur fecisse libidine. Deinde ut etiam hoc nouerímus, nō ex bonis singulis inter se homines comparare, sed in unoquoque consideremus uniuersa. Fieri enim potest ut habeat aliquid in uita & moribus quispiam, quo superet alium, idq; sit longè præstabilius, quàm est illud, unde ab alio superatur: Ac per hoc solo Dei ueróq; iudicio, cùm cōtinētia coniugio præferatur: melior est tamē homo fidelis cōiugatus, quàm cōtinens infidelis. Sed continens infidelis homo, non solùm minus laudandus est, quia se continet, dum nō credat: uerumetiā multò magis uituperādus, quia nā credit, cùm se cōtineat. Constituamus ergo ambos bonos, etiā sic profectò melior est cōiugatus fidelissimus & obedientissimus Deo, quàm cōtinens minoris fidei, minorisq; obedientiæ. Si uerò paria sint cætera, continentem coniugato præferre quis ambigat? D

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

Locut. de Gen. lib. I. Tomo III.

E

T *uocauit filium suum seniorem.* Hoc loco senioris nomen nō significat ætatem grauem, sed ex comparatione maiorē. Nunc ergo sume uas tuum. Non dixit, uasa sed uas. Quod autem intelligi uoluit, non apparet, nisi fortè locutio est, ut per uas pharetram uoluerit intelligi, & exponendo quid dixerit uas, adiunxit pharetrámque & arcum. Tanquam diceret: Sume uas tuum & pharetram, ueluti si diceres: Sume uas tuum, id est pharetram. Deinde aliud, & arcum, quod non ad aliud uas pertinet quod est pharetra. Aut certè pharetram & arcum uas uoluit appellare, singularem ponens numerum pro plurali, tanquam si diceret: Accipe uestem tuam, quo nomine intelligeremus plures uestes, sicut intelligimus militem pro militibus, & multa sunt talia.

Cont. Mend. ad Consent. lib. Cap. X. Tomo IIII.

Pelliculásque hædorum circundedit manibus. Hædinis certè pellibus membra contexit. Si causam proximam requiramus, mentitum putabimus. Hoc enim fecit ut putaretur esse qui non erat. Si autem hoc factum ad illud propter quod significandum reuerà factum est referatur, per hœdinas pelles peccata, per eū uerò qui eis se operuit, ille significatus est qui non sua, sed aliena peccata portauit. Verax ergo

A significatio nullo modo mendacium rectè dici potest. Vt autem in facto, ita & in uerbo. Nam cùm ei pater dixisset: Quis es tu fili? Ille respondit: Ego sum Esau primogenitus tuus. Hoc si referatur ad duos illos geminos, mendacium uidebitur. Si autem ad illud, propter quod significandum ista gesta dictáq; conscripta sunt, ille est hîc intelligendus in corpore suo, quod est eius ecclesia.

Item. *De mendacio Iacob.* Vide Gen. cap. 18. de mendacio Saræ.

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. LXXIX. Tomo X.

N *Oli accipere coniugem de genere &c.* Beatus Isaac, fratres charissimi, quando filiũ suum dirigebat in Mesopotamiam, Dei patris typum præfigurabat. Iacob uerò Christum Dominum designabat. Beatus ergo Isaac neglectis mulieribus regionis in qua habitabat, mittebat filiũ suum, ut in regione longinqua sibi uxorẽ acciperet, quia Deus pater missurus erat unigenitum suum, qui repudiata synagoga, de gentibus sibi ecclesiam sociaret. Hoc tunc in ueritate completum est, quando Iudæis apostoli dixerunt: Vobis quidem primùm oportebat loqui uerbum Dei, sed quia uos indignos iudicastis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. De beato Iacob non legimus quòd cùm æquis aut asinis aut camelis abierit, sed hoc tantùm legimus quòd baculum in manu portauerit. Sic enim ipse dum supplicaret Domino dixit: Domine, inquit, minor sum omnibus miserationibus tuis, cum baculo meo trãsiui Iordanẽ istum, & ecce cum duabus turmis regredior. Iacob ergo ad accipiendam uxorem exhi- Act. 13. Gen. 32.

B buit baculum, & Christus ad redimendam ecclesiam detulit crucis lignum. Iacob dormiens posuit lapidem sub capite suo, & uidit schalam pertingẽtem ad cœlum, & Dominum incumbentem schalæ. Videte fratres, quanta sint in hoc loco mysteria. Iacob typum gerebat Domini saluatoris, & lapis quem supposuit capiti suo, nihilominus Christum Dominum figurabat. Quare lapis ad caput Christum significet, audi Apostolum: Quia caput uiri Christus. Denique unxit beatus Iacob lapidem ipsum. Attendite unctum, & intelligitis Christum. Christus ab unctione, id est, à chrismate unctus interpretatur. Sed si Iacob Dominum in terra dormiens figurabat, quid est quòd in cœlo Dominus schalæ innixus incumbebat? Quomodo Christus Dominus & in cacumen schalæ in cœlo, & in beato Iacob esse uidebatur in terra? Quòd autem & in cœlo sit Christus & in terra, audi ipsum Christum dicentem: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis qui est in cœlo. Aduertite, quia & ipse Dominus & in cœlo & in terra se esse dixit: Christum Dominum fratres charissimi, caput esse ecclesiæ confitemur. Si caput est ecclesiæ, secundum caput in cœlo est, secundum corpus in terra. Denique cùm beatus Paulus apostolus, persequeretur ecclesiam, Christus de cœlo clamauit: Saule Saule, quid me persequeris? Non dixit, quid persequeris seruos meos? Nec hoc dixit, quid persequeris membra mea, sed hoc dixit, quid me persequeris? Iam quasi pede calcato lingua clamat: Calcasti me, cùm utique lingua calcari non posset, sed per cõcordiam charitatis caput pro membris omnibus clamat. Iacob ergo dormiebat, & Dominum in cacumen schalæ uidebat incumbere. 1. Cor. 11. Ioan. 3. Act. 9.

Quid

Quid est in schala incumbere nisi in ligno pendere? Considerate fratres, quis in C
ligno crucis pendens pro Iudæis orauerit, & agnoscetis, quis ad Iacob schalæ incumbens de cœlo clamauerit. Sed quare hoc in itinere factum est antequam Iacob uxorem acciperet? Quia & uerus Iacob Dominus noster prius in schala, id est, in cruce occubuit, & postea sibi ecclesiam sociauit, dans ei in præsenti arras sanguinis sui, daturus dotem postmodum sui regni. Quòd autem & Iacob dormiens, & Dominus schalæ incumbens, Christum figurauit, attendite & uidete rei huius altitudinem. Cùm enim saluator noster de Nathanaël loquens beatum
Ioan. 1. Iacob nominasset, dicens: Ecce Israëlita in quo dolus nõ est. In consequentibus dixit: Amodo uidebitis cœlos apertos, & angelos Dei ascendentes & descendentes ad filium hominis. Quod Iacob per figuram in somnis uiderat, hoc de se Dominus in euangelijs prædicabat: Videbitis, inquit, cœlos apertos, & angelos Dei ascendentes & descendentes ad filium hominis. Si ad filium angeli descẽdebant, quia in terris erat, quomodo hi ipsi angeli ascendebant ad filium hominis, nisi quia & in cœlis erat? Ac sic & in Iacob ipse dormiebat, & de cœlo ad Iacob ipse
1. *Cor.* 10. clamabat. Hæc omnia fratres, sicut Apostolus clamat, in figura cõtingebant illis, scripta sunt autem propter nos, in quos finis seculorum deuenit. Quomodo tamen fratres, angeli Dei ad filium hominis in cœlũ ascendant, & ad ipsum filium in terram descendant, diligenter attendite. Quando enim prædicatores Dei de scripturis sanctis alta & profunda, quæ non nisi à perfectis intelliguntur, annunciant, ascendunt ad filium hominis: quando uerò illa prædicant quę ad corrigendos mores pertinent, & quæ omnis populus intelligere possit, descendunt ad fi-
1. *Cor.* 2. lium hominis, sic & Apostolus dicit: Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam non huius seculi, sed archanam, absconditam, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram. Ista quando dicebat Apostolus, sine dubio ascende- D
1. *Cor.* 8. bat ad filium hominis. Quando autem dicebat: Fugite fornicationem, quando di-
Ephe. 5. cebat: Nolite inebriari uino, in quo luxuria est: quãdo denũciabat: Radix omnium malorum est cupiditas. In his uerbis tanquam angelus Dei descendebat ad fi-
Col. 3. lium hominis. Quando autem dicebat: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super
1. *Cor.* 15. terram, ascẽdebat. Cùm uerò dicebat: Sobrij estote, & nolite peccare: & reliqua quæ ad corrigendos mores pertinent, prædicabat, lac doctrinæ ministrans tanquam nutrix paruulis, descendebat, quia illa loquebatur, quæ etiam imperiti ca-
Heb. 5. pere possent. Hoc ordine & ascenditur & descenditur ad filium hominis, cùm & perfectis cibus solidus tribuitur, & doctrinæ lac etiam non negatur. Sed & bea-
Ioan. 1. tus Ioannes ascendebat, quando dicebat: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Satis in altum ascendebat, quando ista dicebat. Sed quia angeli Dei non solùm ascendunt, sed etiam descendunt, inclinans se ad paruulos dixit: Verbum caro factum est & habitauit in nobis.

Quæst. super Gen. lib. Cap. LXXXIII. Tomo IIII.

Viditque in somnis schalam. Hæc uerba ad prophetiam pertinent quia ibi futurum erat tabernaculum, quod constituit Dominus in hominibus in primo populo suo. Portam autem cœli sic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum cœlorum.

Ex lib.

A Ex lib.16.de Ciuit.Dei ad Marcel. Cap.XXXVIII. Tomo V.

Et surrexit Iacob,& sumpsit lapidē. Hoc ad prophetiā pertinet,nec more idololatriæ lapidē perfudit oleo Iacob,uelut faciens illū Deū,neq; enim adorauit eundē lapidē,uel ei sacrificauit,sed quoniā Christi nomē à chrismate est,id est, ab unctione:profectò figuratum est hinc aliquid,quod ad magnum pertineat sacramentū.Scalā uerò istā intelligitur ipse saluator nobis in memoriā reuocare in euangelio,ubi cùm dixisset de Nathanaële:Ecce uerè Israëlita,in quo dolus nō est,quia Israël uiderat istā uisionē,ipse est enim Iacob &c.Nullam igitur Iacob legitur petijsse uxorē,præter unā:nec usus plurimis,nisi gignendæ prolis officio cōiugali iure seruato:ut neque hoc faceret,nisi uxores eius ad id fieri flagitassent,quæ corporis uiri sui habebant legitimam potestatem.

Locut.de Gen.lib.1. Tomo III.

Quia Dominus in loco hoc. Ac si diceret:Est hîc demonstratio Domini,nō enim Dominus in loco est.

CAPVT VICESIMVMNONVM.

Ostis Laban filiū Nachor. Cùm esset filius Bathuel,Intelligendum est nobiliorem fuisse Nachor,& merito dignitatis eius factum esse,ut de ipso interrogaret: filium autem dici & aui & proaui ultra maioris alicuius eum qui ex illo propagatur,usitatissimæ locutionis est.Hinc est quòd & Isaac patrem filij sui appellauit Abraham. *Eiusdē lib. Tomo.3.*

Ex lib.Sermon.de Temp.Serm.LXXX. Tomo X.

B *Videt Rachel uenientem cū ouibus patris sui &c.* Frequēter charitati uestræ suggessimus,fratres dilectissimi,beatū Iacob typū habuisse & figurā Domini saluatoris.Denique quomodo Christus uenturus erat in mundū ut iungeretur ecclesiæ,ita in beato Iacob hoc præfiguratū est,quādo in regionem longinquā peregrinatus est,ut cōiugium sortiretur.Abijt ergo,sicut audistis,beatus Iacob in Mesopotamiā ad accipiendā uxorē,& cùm uenisset ad quendā puteū,uidet Rachel uenientē cū ouibus patris sui:et cùm agnouisset cōsobrinā suā esse,adaquato grege osculatus est.Si diligenter audistis fratres, potestis agnoscere non fuisse sine causa,quod sancti patriarchæ matrimonia ad puteos aut fontes inueniūt.Si hoc semel tantùmodo euenisset,poterat aliquis dicere,nō pro aliqua significatione factum esse,sed casu potius accidisse.Cùm uerò & beata Rebecca quæ iungenda erat Isaac,ad puteū inuenitur,& Rachel quā accepturus erat Iacob,ad puteū agnoscitur,nihilominus et Sephora quæ Moysi iūcta est,ad puteū reperitur,sine dubio aliqua in his sacramenta debemus agnoscere. Et quia toti tres isti patriarchæ typū Domini saluatoris præferebāt,ideo ad fontes uel ad puteos inueniūt matrimonia,quia Christus ad aquā baptismi inuēturus erat ecclesiā,Deniq; ueniens Iacob ad puteū,prius gregē Rachel adaquauit,et postea osculatus est eā.Verū est,fratres charissimi,nisi prius per aquā baptismi Christianus populus à malis omnibus abluatur,pacem Christi habere nō meretur.Nunquid beatus Iacob uidens consobrinā suā,non eam potuit osculari priusquam aquam gregibus daret?Potuit sine dubio,sed mysterium gerebatur.Oportebat enim ut per

ut per gratiam baptismi ab omni iniquitate uel discordia libararetur ecclesia, & C
sic pacem cum Deo habere mereretur. Quòd autem in illa peregrinatione duas
uxores accepit Iacob, duos populos figurabat, Iudæorũ & gentium. Nam in ad-
uentu Christi non paruus numerus etiam de Iudæorũ populo in eum legitur cre
Act. 2. didisse. Sic enim in Apostolorum actibus cõtinetur, quia crediderunt una die tria
milia, item alia die quinq; milia, item postea multa milia. Quòd autem duo populi
Ioan. 10. in Christum crediderunt, etiam ipse Dominus in euangelio confirmat: ubi ait: Ha-
beo & alias oues quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, ut fiat
unus grex & unus pastor. Duæ ergo illæ mulieres, id est, Lia & Rachel, quæ bea-
to Iacob fuerant iunctæ, istos duos populos figurauerunt, Lia Iudæorum, Rachel
gentium. Istis duobus populis uelut duobus parietibus, tanquam lapis angularis
iunctus est Christus. In ipso enim se osculati sunt, & in ipso æternã pacem inueni-
Ephe. 2. re meruerunt, sicut Apostolus dicit: Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.
Quomodo fecit utraq; unum? Vtiq; duos greges iungendo, & duos parietes sibi
inuicem copulando. Deniq; uidete quid postea consecutus est. Dicit enim scriptu-
ra, quòd post hæc diues factus fuerit beatus Iacob. Sicut enim sanctus Iacob cre-
uit ac ditatus est, & cum infinita substantia ad patriam reuersus est, ita & uerus Ia
cob Dominus noster Iesus Christus ueniens in hunc mundũ, & istas duas sibi ple-
bes, id est, gentium & Iudæorũ consocians, innumerabiles ex eis filios spiritaliter
Matth. 28. genuit & creauit, ac ditatus est nimis. Deniq; audi ipsum dicentem: Data est mihi
omnis potestas in cœlo & in terra. Nam expoliato diabolo reuersus ad patrẽ ma-
gnas secum diuitias reportauit, secundum quòd Psalmista de eo multò antè præ-
Psal. 67. dixerat: Ascendens in altum, captiuã duxit captiuitatem. Reuertente autem Iacob D
ad patriam suam, persecutus est eum Laban cum socijs suis, & scrutatus omnem
substantiã eius, nihil de rebus suis inuenit, & quia de suo nihil inuenit, tenere eum
omninò non potuit: Laban hic typum diaboli habuisse nõ incongruè dicitur, qui
& idolis seruiebat, & beato Iacob qui typũ Domini præferebat aduersarius erat.
Persecutus est ergo Iacob, nihil apud eũ de rebus suis inuenit. Audi hoc & uerum
Ioan. 14. Iacob in euangelio dicentem: Ecce uenit princeps huius mundi, & in me nihil in-
uenit. Concedat nobis diuina misericordia, ut etiam in nobis nihil de suis operibus
noster aduersarius recognoscat. Si enim de suo nihil inuenerit, tenere nos uel re-
uocare ab æterna uita non poterit. Et ideo fratres charissimi, diligẽter aspiciamus
arcellas cõscientiæ nostræ, perscrutemur latibula cordis nostri, & si nihil ibi quod
ad diabolum pertinet inuenimus, gaudeamus, & Deo gratias referamus, & quan-
tùm possumus cum ipsius adiutorio studeamus, ut ianuæ cordis nostri semper
aperiantur Christo, & usque ad finem claudantur diabolo. Si uerò aliquid de ope
ribus uel calliditate diaboli in animis nostris latitare cognoscimus, uelut uenenum
mortiferum euomere uel expuere festinemus, ut cùm nobis insidiari uoluerit, &
nihil quod ad se pertinet potuerit inuenire, cõfusus abscedat, & nos cum Prophe
Psal. 43. ta gratias agentes clamemus ad Dominum: Liberasti ex affligentibus nos, & eos
qui nos oderunt confudisti. Lia ergo sicut suprà diximus, significat illam plebem
quæ de Iudæis iuncta est Christo. Rachel uerò ecclesiæ, id est, omnium gentium
typum gessit, & ideo Lia uon est futura idola patris sui sed Rachel, quia post ad-
uentum

A uentum Christi non usquequaque synagoga idolis seruisse cognoscitur, sicut de ecclesia gentium manifestissimè cōprobatur,& propterea non apud Liam, id est, synagogam,sed apud Rachel quæ typum gentium præferebat, idola Laban legimus latuisse.Quòd autem uenit Iacob ad Iordanem, & transmissis omnibus rebus ipse solus remansit & luctabatur cum uiro usque dum ueniret aurora. Iacob in illa colluctatione Iudæorum populum figurauit, angelus qui cum illo luctabatur,typum saluatoris Domini præferebat.Luctatur Iacob cum angelo,quia populus Iudæorum luctaturus erat cum Christo.Vincebat Iacob angelū,quia Iudæorum populus Christum usq; ad mortem persecuturus erat.Et quia non totus populus Iudæorum infidelis extitit Christo,sicut iam suprà diximus, sed non parua multitudo in nomine eius legitur credidisse, ideo angelus tetigit femur Iacob, & claudicare cœpit. Pes enim ille in quo claudicabat, Iudæos qui in Christum non crediderunt figurabat:ille uerò qui sanus remansit,illorū typum gessit qui Christum Dominum recæperunt.Denique diligenter attendite,quia Iacob in illa colluctatione & uincebat & benedictionem petebat.Cùm enim dixisset angelus:Dimitte me,respondit Iacob:Non dimittam te nisi benedixeris mihi. In eo quòd uincebat Iacob,Iudæos persecuturos Christum significabat:in eo quòd benedictionem petebat,illum populum figurabat,qui in Christum Dominum crediturus erat. Denique quid ei dixit angelus?Si contra Dominum fortis fuisti, quantò magis contra homines prȩualebis?Hoc tunc impletum est,quando populus Iudȩorum Christum Dominum crucifixit: Dimitte me,inquit angelus,iam ascendit aurora: hoc iam resurrectionem Domini figurauit,quia Dominus,sicut optimè nostis,ante lu- Gen.32.

B cem legitur resurrexisse à mortuis.Quòd autem Iacob typum Domini figurauit etiam hinc cognoscimus,quòd orans Deum ut eum de manu Esau fratris sui eriperet:Domine,inquit,minor sum cunctis miserationibus tuis,in baculo meo transiui Iordanem,& ecce cum duabus turmis regredior. Verum est,fratres charissimi, baculo crucis Christus apprehendit mundum,& cum duabus turmis, id est, cum duobus populis ad patrem rediјt cum triumpho.

Ex lib.22.contra Faust.Manich.Cap.XLVII. Tomo VI.

Et tradidit sibi Rachelē filiam suā &c. Iā uerò filio eius(scilicet Isaac)Iacob,quòd pro ingēti crimine quatuor obiјciuntur uxores,generali prȩlocutione purgatur. Quando enim mos erat,crimen non erat:& nunc propterea crimē est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam,alia contra mores,alia contra prȩcepta.Quæ cum ita sint,quid tandem criminis est,quod de pluribus simul habitis uxoribus obiјcitur sancto uiro Iacob? Si naturam consulas,non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur:Si morem, illo tempore atq; in illis terris hoc factitabatur:Si præceptum,nulla lege prohibebatur. Nunc uerò cur crimen est,si quis hoc faciat,nisi quia & moribus & legibus hoc non licet?Quȩ duo quisquis contempserit,etiamsi tantummodo causa generandi uti possit fœminis pluribus,peccat tamen,& ipsam uiolat humanam societatē,cui necessaria est propagatio filiorum. Sed quia homines aliter se habentibus iam moribus & legibus, non possunt delectari uxorū multitudine,nisi libidinis magnitudine:ideo errāt,& putant haberi omninò non potuisse uxores multas,nisi flagrātia concupiscētiȩ carnalis,

nalis,& sordidæ uoluptatis.Comparantes enim non alios,quorum animi uirtutem prorsus nosse non possunt, sed,sicut ait Apostolus, semetipsos sibimetipsis non intelligunt.Et quia ipsi etiamsi unam habuerint, ad eandem non solùm generandi officio ducti,uiriliter accedunt, sed sæpe coëundi stimulo uicti, eneruiter pertrahuntur:quasi ueraciter sibi uidentur conijcere, quàm maiore huiusmodi morbo per multas alij captiuentur,quãdo se uident in una temperantiam non posse seruare. Verùm nos eis,qui hanc uirtutem non habent,ita de sanctorum uirorum moribus iudicium committere non debemus, C

Eusdē lib. cap.48.

sicut de ciborum suauitate ac salubritate iudicare febrientes non sinimus: potiúsque illis sanorum sensu & præcepto medicamine,quàm ex eorum ægritudinis affectione alimenta præparamus. Proinde isti si uolunt, non falsæ atque adumbratæ,sed ueræ ac solidæ pudicitiæ capere sanitatē,diuinæ scripturæ tanquam libris medicinalibus credant:nō frustrà tam magnum honorem sanctitatis tributum quibusdam uiris,etiam plures uxores habentibus,nisi quia fieri potest,ut imperator carnis animus tanta temperātiæ potestate præpolleat, ut genitalis delectationis motum insitum naturæ mortalium, ex prouidentia generandi,leges impositas non permittat excedere. Alioquin possunt isti maledici potius calumniatores, quàm ueridici iudices,etiam sanctos apostolos accusare,quod non uoluntate generandi filios uitæ æternæ, sed cupiditate laudis humanæ,populis tam multis euangelium prædicauerint.Neque enim deerat illis euãgelicis patribus per omnes Christi ecclesias fama præclara,tot linguis laudantibus comparata, imò uerò tanta aderat, ut maior ab hominibus honor & gloria deferri non debeat.Hanc in ecclesia gloriam peruersa uolũtate Simon perditus concupiuit,quando ab eis pecunia uoluit cæcus emere,quod illi diuina gratia eadémque gratuita meruerunt.Huius auidus gloriæ fuisse intelligitur, quem se uolentem sequi,Dominus in euangelio reuocat, dicens: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli diuersoria: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.Videbat enim eũ dolosa simulatione tenebrosum & uentosa elatione iactatum,non habere fidei locum,ubi se inclinantem doctorem humilitatis acciperet:quia in disciplinatu Christi non illius gratiam,sed suam gloriam requirebat.Hoc amore gloriæ corrupti erant,quos Paulus apostolus notat, quòd per inuidiam & contentionem non castè Christum annunciarent:quibus tamen prędicantibus gaudet Apostolus,sciens fieri posse,ut dum illi sectantur humanæ gloriæ cupiditatem,tamen his auditis fideles nascerentur:non ex eorum inuida cupiditate,qua se uolebant uel æquari,uel anteponi apostolicæ gloriæ:sed per euangelium,quod etiam,si non castè,tamen annunciabant,ut de malo illorum Deus operaretur bonum.Sicut fieri potest, ut homo ad concubitum non ingrediatur uoluntate generandi,sed luxuriandi libidine rapiatur:& tamen nascatur homo, bonum Dei opus de fœcunditate feminum,non de turpitudine uitiorum, Sicut ergo sancti apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam, cōdelectabantur, non auiditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ ueritatis: ita sancti patriarchæ coniugibus excipientibus semen suum miscebantur,non cōcupiscentia percipiendæ uoluptatis,sed prouidentia propagandæ successionis: ac per hoc D

Matth. 8.

nec

A nec illos ambitiosos multitudo populorum, nec illos libidinosos multitudo faciebat uxorum. Sed quid de uiris loquar, quibus excellentissimum testimonium di uina uoce perhibetur, cùm ipsas fœminas satis eluceat nihil aliud in concubitu ap petisse quàm filios: quippe ubi se minimè parere uiderunt famulas suas dederũt uiro suo, ut illas matres facerent carne, ipsæ fierent uoluntate. Nam & illud, *Eiusdẽ lib.* quod mẽdacissima criminatione Faustus obiecit, habuisse inter se uelut quatuor *cap.49.* scorta certamen, quænam eum ad cõcubitum raperet, ubi hoc legerit nescio, nisi fortè in corde suo tanquam in libro nefariarum fallaciarum, ubi uerè ipse scortabatur: sed cum serpente illo, de quo Apostolus timebat ecclesiæ, quam uirginem castam cupiebat uni uiro exhiberi Christo, nec sicut Euam deceperat astutia sua, sic & illorum mentes à Christi castitate auertẽdo corrumperet. Ita enim huic ser penti amici sunt isti, ut eum præstitisse potius, quàm nocuisse contendãt. Ipse pla nè Fausti persuasit pectori adulterato, falsitatis semina infundens, ut has male cõ ceptas calumnias ore immundissimo pareret, & stilo audacissimo etiam memoriæ cõmendaret. Nulla enim ancillarum uirum Iacob ab altera rapuit, nulla de illius cõcubitu cũ altera litigauit: ideo magis ordo erat, quia libido non erat: & tãtò firmius seruabantur cõiugalis potestatis iura, quãtò castius uitabatur carnalis cu piditatis iniuria. Quòd enim & ab uxore cõducitur, ibi uera nostra manifestatur assertio: ibi pro se aduersus maledicta Manichæorum ipsa ueritas clamat. Quid enim opus erat, ut eũ altera cõduceret, nisi quia ordo alterius erat, ut ad eam maritus intraret? Neque enim ad aliã unquam accessisset, nisi eũ cõduxisset. Sed uti que iustis ad eã uicibus accedebat, de qua tot filios procreauerat, & cui obedierat,
B ut etiam de ancilla procrearet, & de qua postea non conducente procreauit. Sed tunc Rachel noctem habebat in ordine, ut maneret cum uiro: tunc penes eã pote stas illa erat, de qua per Apostolũ uox certè noui testamẽti nõ tacuit, dicens: Similiter & uir non habet potestatẽ sui corporis, sed mulier. Ideo iam cũ sorore pacta erat, cui facta debitrix, eam ita legaret ad debitorem suum. Nam hoc nomine id appellat Apostolus: Vxori, inquit, uir debitum reddat. Cui ergo uir debitor erat, iã acceperat à sorore, quod elegerat uoluntate, ut ei daret quod habebat in potestate. Hic uerò ille, quẽ Faustus tanquam impudicum clausis uel potius extin- *Eiusdẽ lib.* ctis oculis criminatur, si cõcupiscentiæ non iustitiæ seruus esset, nónne per totũ *cap.50.* diem in uoluptatem illius noctis æstuaret, qua erat cum pulchriore cubiturus: quam certè amplius diligebat, & pro qua bis septenarium annorum laborẽ gra tuitum penderat? Cùm ergo iam die peracto in eius iret amplexus, quando inde auerteretur, si talis esset, qualem Manichæi nihil intelligentes opinantur: nónne placito contempto mulierum, intraret potius ad speciosam suam, quæ illi noctem ipsam, non solùm coniugis more, uerùm etiam ordinis iure debebat, uteretúrq; potius ipse potestate maritali? quia & uxor non habet potestatem corporis sui, sed uir, & pro eo tunc seruitutis illarum uicissitudo faciebat: coniugali ergo pote state multò uincibilius uteretur, si formæ desiderio uinceretur: sed eò meliores fœminæ inuenirentur, si illæ pro filijs concipiendis, ipse autem pro concubitus sui uoluptate certaret. Itaque uir temperatissimus, ut planè uir, quia tam uiriliter fœminis utebatur, ut delectationi carnali non subijceretur, sed dominaretur,

M magis

magis quid deberet, quàm quid ei deberetur attendit: nec ad propriam uoluptatem sua potestate abuti uoluit, sed illius debiti redditor quàm exactor esse maluit. Vnde consequens erat, ut ei redderet, quam pro se id accipere illa cui debebatur, elegit: quo earum placito pactóque comperto cùm repentè atque inopinatè à pulcherrima coniuge reuocaretur, & ad minus decoram uocaretur, non ira excanduit, non tristicia nubilatus est, non eneruiter blandus, ut sibi potius ratam noctē redderet, inter ambas sategit. Sed maritus iustus & prouidus pater, cùm illas pro prolis curam gerere uideret, & ipse nihil aliud de concubitu quæreret, earum uoluntati obtemperandum iudicauit, quæ sibi sigillatim filios optabant, sibi nihil minui, cui ambæ pariebant. Tanquam diceret: Vobis inter uos ut uultis cedite atque concedite, quænam uestrum fiat mater, ego quid contendam, quādo siue inde siue inde nascenti, non erit alius pater? Hanc profectò modestiam, hanc concupiscentiæ coërtionem, & in commixtione corporum coniugalium solùm appetitum posteritatis humanæ, ut erat acutus Faustus, in illis literis et intelligeret & laudaret nisi eius ingenium detestabili secta deprauatum, & quid repræhēderet quæreret, & unam nuptialis conuentionis honestatem, ut mares & fœminæ liberorum procreandorum causa copularentur, hoc crimen maximum deputaret.

Eiusdē lib. cap. 51. Nunc iam defensis patriarchæ moribus, refutatóque crimine, quod nefarius error obiecit, de libero, ut possumus, mysteriorum secreta rimemur, pulsemúsque fideli pietate, ut nobis aperiatur à Domino, quid rerum figurauerint quatuor istę uxores Iacob, quarum duæ liberæ, & duæ ancillæ fuerunt. Videmus enim Apostolum in libera & ancilla, quas habuit Abraham, duo testamenta intelligere: sed ibi in una & una facilius apparet quod dicitur: hîc autem duæ sunt & duæ. Deinde ibi ancillæ filius exhæreditatur, hîc uerò ancillarum filij simul cum filijs liberarum terram promissionis accipiunt.

Eiusdē lib. cap. 52. Vnde hîc proculdubiò aliquid aliud significatur. Quanquam enim duas liberas uxores Iacob ad nouum testamētum, quo in libertatem uocati sumus, existimem pertinere, nō tamen frustrà duæ sunt, nisi fortè, quia id quod in scripturis aduerti & inueniri potest: duæ uitæ nobis in Christi corpore prædicantur: una temporalis, in qua laboramus, alia æterna, in qua delectationem Dei contemplabimur. Istam Dominus passione, illam resurrectione declarauit. Admonent nos ad hoc intelligendum illarum etiam nomina fœminarum. Dicunt enim quòd Lia, interpretatur laborans: Rachel autem uisum principium, siue uerbū, ex quo uidetur principium. Actio ergo humana mortalisq; uitæ, in qua uiuimus ex fide multa laboriosa opera facientes, incerti quo exitu proueniant, ad utilitatem eorū quibus consulere uolumus, ipsa est Lia prior uxor Iacob, ac per hoc & infirmis oculis fuisse cōmemoratur. Cogitationes enim mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ nostræ. Spes uerò æternæ contemplationis Dei, habens certam & delectabilem intelligentiam ueritatis, ipsa est Rachel: unde etiam dicitur bona facie, & pulchra specie.

Eiusdē lib. cap. 53. Hanc enim amat omnis piè studiosus, & propter hanc seruit gratiæ Dei, qua peccata nostra, etsi fuerint sicut phœnicium, tanquam nix dealbantur: Laban quippe interpretatur dealbatio, cui seruiuit Iacob propter Rachel. Neq; enim se quisquam cōuertit sub gratia remissionis peccatorū seruire iustitię, nisi ut quietè uiuat in uerbo, ex quo uidetur principiū; quod

A quod est Deus: Ergo propter Rachel, non propter Liam seruitur. Nam quis tandē amauerit in operibus iustitiæ laborē actionum atq; passionum? Quis eam uitam propter seipsam expetiuerit sicut nec Iacob Liam? Sed tamē sibi nocte suppositā in usum generādi amplexus & fœcunditatem eius expertus est. Dominus enim eā, quia per seipsam diligi non poterat, primò ut ad Rachel perueniretur, tolerari fecit, deinde propter filios cōmēdauit. Ita uerò unusquisque utilis Dei seruus, sub dealbationis peccatorū suorum gratia constitutus, quid aliud in sua conuersatione meditatus est, quid aliud corde gestauit, quid aliud adamauit, nisi doctrinam sapientiæ? quam plerique se adepturos & percepturos putāt, statim ut se in septem præceptis legis exercuerint, quæ sunt de dilectione proximi, ne cuiquam homini noceatur: id est, Honora patrem & matrem, nō mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non cōcupisces uxorem proximi, non cōcupisces rem proximi tui, quibus quantùm potuerit obseruatis, posteaquam homini pro concupita & sperata pulcherrima delectatione doctrinæ, per tentationes uarias, quasi per huius seculi noctes tolerantia laboris adhæserit, uelut pro Rachel Lia inopinata coniuncta sit, & hanc sustinet, ut ad illam perueniat, si perseueranter amat, acceptis alijs septem præceptis, ac si dicatur ei: Serui alios septem annos pro Rachel, ut sis pauper spiritu, mitis, lugens, esuriēs, sitiénsque iustitiam, misericors, mundicors, pacificus. Vellet enim homo, si fieri posset, sine ulla tolerantia laboris, quæ in agendo patiendóque amplectenda est, statim ad pulchræ atque perfectæ sapientiæ delitias peruenire. Sed hoc non potest in terra morientiū. Hoc enim uidetur significare, quod dictum est ad Iacob: Non est moris in loco nostro, *Gen. 29.*
B ut minor nubat priusquam maior, quia non absurdè maior appellatur, quæ tempore prior est. Prior est autem in recta hominis eruditione labor operandi quæ iusta sunt, quàm uoluptas intelligendi quæ uera sunt. Ad hoc ualet quod scriptum est: Concupisti sapientiam, serua mandata, & Dominus præbet illam tibi. *Eccl. 1.* Mandata utique ad iustitiam pertinentia: iustitiam autem, quæ ex fide est, quæ inter tentationum incerta uersatur, ut piè credendo quod nondum intelligit, etiam intelligentiæ meritum consequatur. Quantùm enim ualet, quod modo *Esa. 7.* commemoraui esse scriptum: Concupisti sapientiam, serua mandata, & Dominus præbet illam tibi: tantùm & illud ualere arbitror. Nisi credideritis, non intelligetis, ut iustitia ad fidem, ad sapientiam uerò intelligentia pertinere monstretur. Proinde in his qui flagrant ingenti amore perspicuæ ueritatis, non est improbandum studium, sed ad ordinem reuocandum, ut à fide incipiat, & bonis moribus nitatur peruenire quò tendit. In eo quippe quod uersatur, uirtus est laboriosa: in eo uerò quod appetit, luminosa sapientia. Quid opus est, inquit, credere, quod non mihi ostenditur manifestum, aliquod uerbum pro me, quo uideam rerum omnium principium? Id enim est, in quod maximè ac primitus inardescit, si ud studiosus est animus rationalis, cui respondeatur: Pulchrum est quidem quod desideras, & amari dignissimum: sed prius nubit Lia, & postea Rachel. Ardor ergo iste ad id ualeat, ut ordo non recusetur, sed potius toleretur: sine quo non potest ad id perueniri, quod tanto ardore diligitur. Cùm autem peruentum fuerit, simul habebitur in hoc seculo, non solùm speciosa intelligentia, sed etiam

laboriosa iustitia. Quamlibet enim acutè synceriterq; eruatur à mortalibus incõ C
mutabile bonum, adhuc corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit ter rena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ad unum ergo tendendum, sed propter hoc multa ferenda sunt. Itaque duæ sunt uxores Iacob liberæ, ambæ quippe sunt filiæ remissionis peccatorum, hoc est, dealbationis, quod est Laban. Veruntamen una amatur, & altera toleratur: sed quæ toleratur, ipsa prius & uberius fœcundatur: ut si non propter seipsam, certè propter filios diligatur. Labor enim iustorum maximum fructum habet in eis, quos regno Dei generãt, inter multas tentationes & tribulationes prædicando euangelium: & eos propter quos sunt in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequẽter, & propter quos habẽt foris pugnas, intùs timores, gaudium & coronam suã uocant. Nascuntur autem eis facilius atque copiosius ex illo sermone fidei, quo prædicant Christum crucifixum, & quicquid humanitatis eius citius humana cogitatione percipitur, & infirmos etiam Liæ oculos non perturbat. Rachel autem clara aspectu, mente excedit Deo, et uidet in principio uerbum Domini apud Deum, & uult parere & non potest, quia generationem eius quis enarrabit? Proinde uita quæ studio contemplationis competit, ut ea quæ carni sunt inuisibilia, non infirmis oculis mentis, per ea quæ facta sunt, intellecta cõspiciat, & sempiternam Dei uirtutẽ ineffabiliter cernat, uacare uult ab omni negotio, & ideo sterilis. Affectando quippe otium, quo studia contemplationis ignescunt, non cõtemperatur infirmitati hominum, qui in uarijs pressuris sibi desiderant subueniri: sed quia & ipsa procreandi charitate inardescit (uult enim docere quod nouit, neque cum inuidia tabescente iter habere) uidet sororẽ labore agendi atque patiendi filijs abũdantem: & dolet potius currere homines ad eam uirtutem, qua eorum infirmitatibus necessitatibúsque consulitur, quàm ad illam, unde diuinum & incommutabile aliquid discitur. Hic dolor figuratus uidetur in eo, quod scriptum est: Et zelauit Rachel sororẽ suam. Proinde quia liquidus purúsque intellectus de illa substãtia, quæ corpus non est, ac per hoc ad carnis sensum non pertinet, uerbis carnẽ æditis exprimi non potest: elegit doctrina sapientiæ per quaslibet corporeas imagines, & similitudines, utcunque cogitanda insinuare diuina, quàm ab officio talia docẽdi cessare: sicut elegit Rachel ex uiro suo et ancilla suscipere liberos, quàm sine filijs omninò remaneret. Bala quippe interpretari dicitur inueterata, hãc habuit ancillam Rachel. De uetere quippe uita carnalibus sensibus dedita, corporeæ concitantur imagines, etiam cùm aliquid de spiritali & incommutabili substantia diuinitatis auditur. Suscipit & Lia de ancilla sua filios, amore abundæ numerosiorísque prolis accensa. Inuenimus autem Zelpham eius ancillam interpretari os hians. Quapropter prædicationem fidei euangelicæ, quorum os hiat & cor non hiat, cùm in scripturis aduerterimus, hæc intelligitur ancilla Liæ: scriptum est enim de quibusdam: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Et talibus dicit Apostolus: Qui prædicas non furandum furaris, qui dicis non mœchandum mœcharis. Veruntamen ut etiam per hanc conditionalem libera illa uxor Iacob laborans, filios hæredes regni suscipiat, ideo Dominus dicit: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Vnde in labore uinculorum D

Eiusdẽ lib. cap. 54.

Esa. 29.

Rom. 2.

A uita apostolica. Siue, inquit, occasione, siue ueritate Christus annūtietur, & in hoc Matth.23
gaudeo, sed et gaudebo, tanquã & ancilla pariẽte de prolis numerositate læta. Phil.2.

CAPVT TRICESIMVM.

Quæst. super Gen. Lib. Cap. XC. Tomo IIII.

Editque illi Balam in coniugium. Non facilè dinoscitur, quas cõcubinas ap
D pellet scriptura, quas uxores, quãdoquidem & Agar dicta est uxor quæ postea dicitur concubina, & Cethura & ancillæ quas dederunt Rachel & Lia uiro suo. Nisi fortè omnis concubina uxor, non autem omnis uxor concubina more loquendi scripturarum appelletur, id est, ut Sara & Rebecca, & Lia & Rachel concubinæ dici non possint. Agar uerò & Cethura, & Bala, & Zelpha & uxores & concubinæ.

De doct. Christ. Lib. 3. Cap. XVIII. Tomo III.

Item cauendũ est, ne fortè quod in scripturis ueteribus pro illorũ temporum conditione, etiãsi non figuratè sed propriè intelligatur, non est flagitium neque facinus, ad ista etiam tempora quis putet in usum uitæ posse transferri: quod nisi dominante cupiditate, & ipsarum quoque scripturarum quibus euertenda est satellitiũ quærẽte non faciet: nec intelligit miser ad hanc utilitatem illa sic esse posita, ut spei bonæ homines salubriter uideant, & consuetudinem quã aspernantur posse habere usum bonum, & eam quam amplexantur esse posse damnabilem, si & ibi charitas utentiũ, & hîc cupiditas attendatur. Nam si multis uxoribus castè uti quisquã pro tempore potuit, potest alius una libidinosè. Magis enim probo mul-
B tarũ fœcunditate utentẽ propter aliud, quàm unius carne fruentẽ propter ipsam. Ibi enim quæritur utilitas temporũ opportunitatibus congrua, hîc satiatur cupiditas tẽporalibus uoluptatibus implicata. Inferiorisq; gradus ad Deũ sunt, quibus secundũ ueniã concedit Apostolus carnalẽ cum singulis coniugibus consuetudinem propter intemperantiã eorũ, quàm illi qui plures singuli cùm haberẽt, sicut sapiẽs in cibo & potu non nisi salutẽ corporis, sic in cõcubitu non nisi procreationẽ filiorum intuebãtur. Itaque si eos in hac uita inuenisset Domini aduentus, cùm iam nõ mittendi, sed colligendi lapides tempus esset, statim seipsos castrarent propter regnum cœlorũ. Non enim est in carendo difficultas, nisi cùm est in habẽdo cupiditas. Nouerant quippe illi homines etiam in ipsis coniugibus luxuriam esse abutendi intemperantiã, quod Tobiæ testatur oratio, quando est copulatus uxori. Ait enim: Benedictus es domine Deus patrum nostrorũ &c. Tu fecisti Adã, & dedisti illi adiutoriũ Euã: Et nunc Domine tu scis quoniã non luxuriæ causa accipio sororem meã, sed ipsa ueritate ut miserearis nostri Domine. Tob.8. Sed quia effrenata libidine, uel per multa stupra diffluentes euagantur, uel in ipsa una coniuge, non solùm excedũt ad liberorũ procreationem pertinẽtem modũ, sed etiam inhumanioris intemperantiæ sordes inuerecunda omninò licentia seruilis cuiusdã libertatis accumulant, non credunt fieri potuisse, ut temperanter multis fœminis antiqui uterentur uiri, nihil seruantes in usu ullo, nisi congruum tempori propagandæ prolis officium: & quod ipsi laqueis libidinis obstricti, uel in una non faciũt nullo modo in multis fieri posse arbitrantur. Sed isti possunt dicere, nec honorari Eiusdẽ lib. cap.19.

M 3 quidem

quidem atque laudari oportere uiros bonos & sanctos, quia ipsi cùm honorãtur C
atque laudantur intumescunt superbia, tantò auidiores inanissimæ gloriæ, quantò eos frequentius atque latius lingua blandior uentilauerit: qua ita leues fiunt, ut eos rumoris aura, siue quæ prospera, siue quæ aduersa existimatur, in quaslibet inuehat uoragines flagitiorum, aut in facinorum etiã saxa collidat. Videant ergo quàm sibi arduum sit atque difficile, nec laudis esca illici, nec cõtumeliarum aculeis penetrari, & nõ ex se alios mentiantur.

Eiusdẽ lib. cap. 20. Credant potius Apostolos nostros nec cùm suspicerentur ab hominibus inflatos fuisse, nec cùm despicerentur elisos. Neutra quippe tentatio defuit illis uiris. Nam & credentiũ celebrabantur præconio, & persequentium maledictis infamabantur. Sicut ergo isti pro tẽpore utebantur his omnibus & non corrumpebãtur: sic illi ueteres usum fœminarum ad sui temporis conuenientiam referentes, non patiebantur eam dominationem libidinis, cui seruiunt qui ista non credunt. Et ideo isti sese nullo modo cohiberẽt ab inexpiabili filiorum odio, à quibus uel uxores uel concubinas suas attentatas, aut attrectatas esse cognoscerent, si eis fortè tale aliquid accidisset.

Eiusdẽ lib. cap. 21. *2. Reg. 18.* Rex autem Dauid cùm hoc ab impio atque immani filio passus esset, non solum ferocientem tolerauit, sed etiam planxit extinctum. Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo iniuriæ suæ, sed peccata filij commouebant. Nam ideo si uinceretur, eum occidi prohibuerat, ut edomito seruaretur pœnitendi locus. Et quia non potuit, non orbitatem doluit in eius interitu, sed quia nouerat in quas pœnas tam impia & adultera & parricidalis anima raperetur. Nanque alio pro filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente lætatus est. Ex hoc maximè apparet qua moderatione ac temperantia illi uiri fœminis utebantur, D
quòd cùm in unam illicitè irruisset rex idem æstu quodam ætatis & temporalium rerum prosperitatibus arreptus, cuius etiam maritum occidendum præceperat, accusatus est per prophetam. Qui cùm ad eum uenisset conuincendum de peccato, proposuit ei similitudinem de paupere qui habebat ouem unam, cuius uicinus cùm haberet multas, ad aduentum hospitis sui unicam potius uicini pauperis ouiculam exhibuit epulandam. In quem commotus Dauid occidi eum iussit, & quadruplicari ouem pauperi, ut se nesciens condemnaret, qui peccauerat

2. Reg. 12. sciens. Quod cùm ei manifestum esset, & diuinitùs denũtiata uindicta, diluit pœnitendo peccatum. Sed tamen in hac similitudine stuprum tantummodo designatum est de oue uicini pauperis. De marito autem mulieris interempto, hoc est de ipso paupere, qui unam habebat ouem occiso, nõ est per similitudinem interrogatus Dauid, ut in solo adulterio disceret sententiam damnationis suæ. Ex quo intelligitur quanta temperantia multas mulieres habuerit, quando de una in qua excessit modum à seipso puniri coactus est. Sed in isto uiro immoderatè huius libidinis, non permansio sed transitus fuit. Propterea etiam ab arguente etiam propheta ille illicitus appetitus hospes uocatus est. Non enim dixit eum regi suo, sed hospiti suo, uicini pauperis ouem ad epulandum exhibuisse. At uerò in eius filio Salomone, non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit. De quo scriptura non tacuit, culpans eum fuisse amatorem mulierum. Cuius tamen initia desiderio sapientiæ flagrauerunt, quàm cùm amore spiritali adeptus esset,

A esset, amore carnali amisit.

Ex Lib.22.cont.Faust.Manich. Cap.LVI. Tomo VI.

Inuenit mandragoras in agro. Est uerò quidam Liæ filius ex beneficio Rachel æditus, cùm uirum suum secum debita nocte cubiturum, acceptis à filio Liæ mandragoricis malis, cum sorore cubitare permittit. De hoc autem pomi genere opinari quosdam scio, quòd acceptum in escam, sterilibus fœminis fœcũditatem parit: ac per hoc putant omnimodo institisse Rachel, ut hoc à filio sororis acciperet cupiditate pariendi: quod ego quoque arbitrarer, si tunc concepisset. Nunc uerò, cùm post Liæ duos alios ab illa nocte partus, Dominus eam prole donauerit, nihil est cur de mandragora tale aliquid suspicemur, quale in nulla fœmina experti sumus. Dicam ergo quid sentiam, dicentq; hinc fortè meliora doctiores. Cùm enim hæc mala ipse uidissem, & propter istum ipsum sacræ lectionis locum id mihi obtigisse gratularer (rara enim res est) naturam eorum diligenter, quãtùm potui, perscrutatus sum, non aliqua à communi sensu remotiore scientia, quæ docet uirtutes radicum, & potestates herbarum: sed quantùm mihi & cuilibet homini renuntiabat uisus & olfactus & gustus. Proinde rem comperi pulchram & suaueolentem, sapore autem insipido: & ideo cur eam mulier tantoperè concupiuerit, ignorare me fateor, nisi fortè propter pomi raritatem, & odoris iucunditatẽ. Cur uerò ipsam rem gestam sancta scriptura tacere noluerit, quæ non utique talia desideria muliercularum nobis pro magno insinuare curaret, nisi aliquid in eis magnum quærere cõmoneret, nihil amplius conijcere ualeo, quàm quòd ex illo cõmuni sensu mihi suggeritur, ut illo mandragorico pomo figurari intelligam famam bonam, non eam quæ confertur, cùm laudant hominem pauci iusti atque sa-
B pientes, sed illam popularem, qua etiam maior & clarior notitia comparatur: nõ ipsa per sese expetenda, sed intentione bonorum, qua generi humano consulunt pernecessaria. Vnde dicit Apostolus: Oportet etiam testimonium habere bonum ab eis qui foris sunt, qui licet parum sapiant, reddunt tamen plerunque labori eorum, per quos sibi consulitur, & splendorem laudis, & odorem bonæ opinionis. Nec ad istam gloriam popularem primi perueniunt eorum, qui sunt in ecclesia, nisi quicunque in actionum periculis & labore uersantur. Propterea Liæ filius mala mandragorica inuenit, exiens in agrum, id est, honestè ambulans ad eos qui foris sunt: doctrina uerò illa sapientiæ, quæ à uulgi strepitu remotissima, in contemplatione ueritatis dulci delectatione defigitur, hanc popularem gloriam quantulamcunque non assequeretur, nisi per eos qui in medijs turbis agendo ac suadendo, populis præsunt: non ut præsint, sed ut prosint: quia dum isti actuosi & negotiosi homines, per quos multitudinis administratur utilitas, & quorum authoritas populi chara est, testimonium perhibent etiam uitæ propter studium conquirendæ & contemplandæ ueritatis otiosæ, quodammodo mala mandragorica per Liam perueniunt ad Rachel. Ad ipsam uerò Liam per filium primogenitum, id est, per honorem fœcunditatis eius, in qua est omnis fructus laboriosæ, atque inter incerta tentationum periclitantis actionis: quam plerique bono ingenio præditi, studióque flagrantes, quamuis idonei regendis populis esse possint, tamen uitant propter turbulentas occupationes, & in doctrinæ otium

1. Timot. 3

Eiusdē lib. cap. 57. toto pectore tanquā speciosæ Rachel feruntur amplexum. Sed quia bonum est, ut etiam hæc uita latius innotescens, popularem gloriam mereatur: iniustum est autem ut ea consequatur, si amatorem suum administrādis ecclesiasticis curis aptum & idoneum, in otio detinet, nec gubernationi cōmunis utilitatis impertit: propterea Lia sorori suæ dicit: Parum tibi est, quod uirum meum accæpisti, insuper & mandragorica filij mei uis accipere: per unum uirum significans eos omnes, qui cùm sint agendi uirtute habiles & digni quibus regimen ecclesiæ cōmittatur, ad dispensandum fidei sacramētum: illi accensi studio doctrinæ atque indagandæ & contemplandæ sapientiæ, se ab omnibus actionum molestijs remouere, atque in otio discendi ac docendi condere uolunt. Ita ergo dictum est: Parúmne est tibi, quòd accæpisti uirum meum, insuper & mandragorica filij mei uis accipere? ac si diceretur: Parum est quòd homines ad laborem rerum gerēdarum necessarios in otio detinet uita studiorum, insuper & popularem gloriam requirit. C

Eiu dē lib. cap. 58. Proinde ut eam iustè comparet, impertit Rachel uirum sorori suæ illa nocte: ut scilicet qui uirtute laboriosa regimini populorum accommodati sunt, etiam si scientiæ uacare delegerunt, suscipiant experientiam tentationum, curarúmque sarcinam pro utilitate cōmuni: ne ipsa doctrina sapientiæ, cui uacare statuerunt, blasphemetur, neque adipiscatur ab imperitioribus populis existimationem bonam, quod illa poma significant, & quod necessarium est ad exhortationem discentium. Sed planè ut hanc curam suscipiant, ui coguntur. Satis & hoc significatum est, quòd cùm ueniret de agro Iacob, occurrit ei Lia, eúmque detinens ait: Ad me intrabis, conduxi enim te pro mandragoris filij mei, tanquā diceret: Doctrinæ quam diligis, uis conferri bonam opinionem, noli defugere officiosum laborem. Hæc in ecclesia geri quisquis aduerterit cernit. Experimur in exemplis, quod intelligamus in libris. Quis non uideat hoc geri toto orbe terrarū, uenire omnes ab operibus seculi, & ire in otium cognoscēdæ & contēplandæ ueritatis, tanquā in amplexum Rachel: excipi de transuerso ecclesiastica necessitate, atque ordinari in laborem, tanquā dicēte, ad me intrabis? Quibus castè mysterium dei dispensantibus, ut in nocte huius seculi filios generent fidei, laudatur à populis etiam illa uita, cuius amore conuersi spem seculi reliquerunt, & ex cuius professione ad misericordiam regendæ plebis assumpti sunt. Id enim agunt in omnibus laboribus suis, ut illa professio, quò se conuerterāt, quia tales rectores populis dedit, latius & clarius glorificetur, tanquā Iacob nō recusante nocte Liæ, ut Rachel pomis suauè olentibus, & clarè nitentibus potiatur: quæ aliquādo & ipsa præstante misericordia Dei, per seipsam parit, uix tandē quidem quia perrarum est: ut in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, & quicquid de hac re piè sapientérque dicitur, sine phantasmate carnalis cogitationis & salubriter uel ex parte capiatur. D

Locut. de Gen. Lib. I. Tomo. III.

Si *inueni gratiam.* Tanquam diceret: ô si auguratus essem, id est, ad bonum augurium te in domo mea haberem.

Quando faciam & ego mihi domum. Vide Exod. Cap. I. in hæc uerba: Et fecerūt sibi domos.

Tollens

A *Tollens ergo Iacob uirgas populeas.* Vide Exod.Cap.7.in hæc uerba: Proiecerúntque singuli uirgas suas.

CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

Locut.de Gen.Lib.I. Tomo III.

T *uidit Iacob faciem.* Familiarissima in scripturis locutio, hesterna & nu
E diustertiana die, pro tẽpore præterito posuit. *Et uidi oculis meis in somno.* Cùm clausi sint in somno oculi corporis. *Qui apparui in loco Dei tibi.* Locutio est, An Deus in loco Dei sic accipiendum est, quomodo pluit Dominus à Domino, filius à patre? *Scrutatus est in domo Liæ.* Aduertendum est quomodo dicatur domus uxoris cùm in itinere comprehensi sint à Laban. Nisi fortè consuetudo scripturarum dicit domum pro cubiculo uel tentorio, quomodo etiam ancillarum domos dicit. Iacob dicit ad Laban, quia scrutatus es omnia uasa domus meæ. Nunc unam domum dicit, cuius membra erant domus uxorum eius, & concubinarum, ut intelligatur domus appellatas, cùm essent cubicula aut tentoria, quos etiam papiliones uocant. Item patrem suum appellat auum suum, sicut ei dixerat Isaac pater eius.

Deus Abraham & Deus Nachor. Vide Math.Cap.V.in hæc uerba: Ne iuretis omninò. Quæst.super Gen.Lib.Cap. C. Tomo IIII.

Iurauit Iacob per timorem patris sui. Per timorem utique quo timebat Deum, quem timorẽ etiam superius commendauit, cùm diceret: Deus patris mei Abrahæ, & timor patris mei Isaac est.

B

CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM.

Astra Dei sunt hæc. Castra Dei quæ uidit Iacob in itinere, nulla dubitatio *Eiusdẽ lib.*
C est, quòd angelorum fuerit multitudo, ea quippe in scripturis militia *cap.101.*
cœli nominatur.

Timuit Iacob ualde. Quæri potest, quomodo habuerit fidẽ promissis Dei, quan *Eiusdẽ lib.*
doquidem dixit: Si uenerit ad castra &c. Sed etiam hoc fieri potuit, ut euerteret *cap.102.*
castra eius Esau, & tamen Deus post illam afflictionẽ adesset & liberaret eum, & quæ promisit impleret. Et admonendi fuimus hoc exemplo, ut quamuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittẽtes ea Deum tentare uideamur. Denique post hæc quæ uerba dicat idem Iacob, considerandum est: Deus, inquit, patris mei Abraham &c. Satis in his uerbis & humana infirmitas & fides pietatis apparet.

Et ecce uir luctabatur cum eo. Quòd ab illo angelo Iacob benedici cui luctando *Eiusdẽ lib.*
præualuit, magna est de Christo prophetia. Nã eo ipso admonet mysticũ aliquid *cap.104.*
sapere, quo omnis homo à maiore uult benedici. Quomõ ergo ab eo benedici iste uoluit quẽ luctãdo superauit? Præualuit enim Iacob Christo, uel potius præualere uisus est, per eos Israëlitas, à quibus crucifixus est Christus, & ab eo tamẽ bene dicitur in eis Israëlitis, qui crediderũt in Christũ, ex quibus erat qui dicebat: Nam & ego Israëlita sum ex genere Abrahã de tribu Beniamin. Vnus ergo atque idẽ Iacob & claudus & benedictus: claudus in latitudine fœmoris tãquã in multitudine

dine generis, de quibus dictũ est: Et claudicauerunt à semitis suis: benedictus autem in eis de quibus dictum est: Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factę sunt. Item. Vide suprá cap. 29. in hæc uerba: Videt Rachel uenientem cum ouibus patris sui. C

Vidi eum facie ad faciem. Vide Matth. cap. 5. in hæc uerba: Beati mundo corde.

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

Quæst. super Gen. Lib. Cap. CV. Tomo IIII.

Q *Vasi uiderim uultum Dei.* Vtrùm pauētis & perturbati animi uerba usq; in hāc adulationē proruperunt: an secundũ aliquē intellectũ sine peccato dicta accipi possunt? Fortaſsis enim quia dicti sunt & gētium dij quia sunt dæmonia, non præiudicetur ex his uerbis homini Dei. Non enim dixit, quēadmodum si uiderē faciem Dei, sed cùm uidet aliquis: ipse enim aliquis, quem significare poſsit incertũ est: atq; ita fortaſſe temperata sunt uerba, ut & ipse Esau sibi delatum tantùm honorem gratè acciperet, & qui hæc etiam aliter intelligere poſſunt, eũ à quo dicta sunt nullo crimine impietatis arguerent. Quod & si benigno animo dicta hæc uerba fraterna sunt, quoniā & post bonā susceptionē metus ipse trāsierat, potuit sic dici, quēadmodum & Moyses Pharaonis Deus dictus est, secundũ quòd dicit Apostolus: Et si sunt qui dicuntur dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodũ sunt dij multi, & domini multi: maximè quia sine articulo in Græco dictũ est, quo articulo euidentiſsimè solet Dei ueri unius fieri significatio. Non enim dixit πρόσωπον τοῦ θεοῦ, sed dixit πρόσωπον θεοῦ. Facilè autē hoc intelligũt qua distantia dicatur, qui Græcum eloquium audire atque intelligere solent. D

CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

Eiusdē lib. cap. 107.

E *Tamauit uirginem.* Quomodo uírgo appellatur, si iā cum illa dormierat, eámq; humiliauerat? Nisi fortè uirgo nomen ætatis est secundũ hebræũ eloquium: an potius per recapitulationem postea cōmemoratur, quod primò factum est. Prius enim potuit intendere animæ ipsius & amare uirginem, & loqui secundum sensum uirginis, deinde cum illa dormire, eámq; humiliare.

Locut. de Gen. Lib. I. Tomo IIII.

Et omnia corpora eorum captiuauit. Inter hæc omnia non satis intelligitur, quid dixit, & corpora eorum: neque enim suspicādum est, quod corpora abstulerunt peremptorum, sed rerum intelligēda sunt, quæ corporaliter poſsidentur, ut eorum sit executio quod sequitur, & suppellectilem & cętera: Sicut in iure dicitur, traditio corporum. Quanquam Græci σωμάτια seruos appellant usitatiſsima locutione, sed quia non σωμάτια, sed σώματα hîc dictum est, nō temerè confirmandum, seruos significatos: fieri tamen potest ut hoc magis sit.

CAPVT TRICESIMVMQVINTVM.

Quæst. super Gen. Lib. Cap. CXIIII. Tomo IIII.

N *Omen tuum iam non uocabitur Iacob.* Hoc ei dicit, ecce iterum Deus in benedictione, quæ repetitio confirmat magnum promiſſum hoc nomine.

A mine. Nam hoc mirum est, quibus tantùm semel dictum est, amplius eos non uocari quod uocabantur, sed quod eis nomen nouum imponebatur, omninò amplius aliquid non uocatos, nisi quod eis impositum sit: istum autem per uitam suam & deinceps post uitam suam appellatum esse Iacob, cui non semel Deus dixerat: Non iam uocaberis Iacob, sed Israël erit nomen tuum. Nimirum ergo nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promissionem, ubi sic uidebitur Deus, quomodo non est anteà patribus uisus: ubi non erit nomen uetus, quia nihil remanebit uel in ipso corpore uetustatis, & Dei uisio summum erit præmium.

Erant autem filii Iacob duodecim. Hi sunt filij Israël qui nati sunt ei in Mesopotamia, cùm Beniamin longè postea natus sit, cùm iam transisset Bethel, & appropinquarent Bethlehem. Frustrà quidam conantes istam soluere quæstionem, dixerunt non legendum nati sunt, sicut Latini pleriq; codices habent, sed facti sunt, Græcè enim scriptum est, ἐγένοντο: ita uolentes intelligi etiam Beniamin, quamuis ibi natus non fuerit, ibi factum tamen, quia iam fuerat in utero seminatus, ut prægnans inde Rachel exiisse credatur. Hoc autem modo etiam si nati sunt legeretur, possent dicere iam in utero natum, quia conceptus erat: sicut de sancta Maria dictum est ad Ioseph. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Sed aliud est quod impedit hanc solutionem quæstionis huius, quia si iam ibi Beniamin conceptus erat, qui filij Iacob grandes inde exierunt, uix annorum duodecim esse potuerunt. Viginti nanque annos illic expleuit, quorum primis septem sine coniugio fuit, donec seruiendo Lia desponsaretur. Vt ergo primo anno quo duxit Eiusdē lib. cap. 117.

B uxorem ei filius nasceretur, duodecim annorū esse potuit primitiuus, cùm inde profectus est. Proinde si iam conceptus fuerat Beniamin, intra decem menses illa omnis uia peracta est, & quicquid in itinere scriptum est de Iacob. Vnde sequitur ut filij eius tam paruuli pro sorore sua Dina tantam stragem fecerint, tot homines trucidauerint, ita expugnauerint ciuitatem, in quibus Simeō & Leui, qui primi gladijs accincti intrauerint ad illos homines eósq; peremerint, undecim unus, alter decem annorū fuisse reperiatur, etiāsi per singulos annos sine intermissione illa pepererat. Quod utique incredibile est ab illius ætatis pueris illa omnia fieri potuisse: quando & ipsa Dina uix adhuc sex annorum fuit. Proinde aliter soluenda quæstio est, ut ideo intelligatur dictum commemoratis duodecim filijs: Hi sunt filij Iacob qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ, quia inter omnes qui tam multi erant, unus tantùm erat non ibi natus, qui tamen inde habuit nascendi causam, quòd ibi mater eius patri copulata est. Sed solutio ista quæstionis aliquo exēplo similis locutionis firmanda est. Nulla tamen est facilior solutio quæstionis huius, quàm ut per synecdochen dictum accipiatur. Vbi enim pars maior est, aut potior, solet eius nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet. Sicut ad duodecim apostolos iam non pertinebat Iudas, qui etiam mortuus fuit, cùm Dominus resurrexit à mortuis, & tamen ipsius duodenarij numeri nomen Apostolus in epistola sua tenuit, ubi ait: eum apparuisse illis duodecim. Cum articulo enim hoc Græci codices habent, ut non possent intelligi quicunque duodecim, sed illi in illo numero insignes. Eo modo locutionis puto 1. Cor. 15.

& illud

Ioan.6. & illud à Domino dictum: Nónne ego uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus est? ut non ad electionẽ etiã ipsam ipse pertinere uideatur. Non enim facilè inuenitur electorum nomen in malo, nisi quando mali eliguntur à malis. Quòd si putauerimus & illum electum, ut per eius traditionem Domini passio compleretur, id est, malitiam eius ad aliquid electam, bene utente Deo etiam malis: illud C
Ioan.13. attendamus, ubi ait: Non de omnibus uobis dico, ego scio quos elegi: ubi declarat ad electionem nõ pertinere nisi bonos. Ac per hoc illud quod dictum est: Ego uos duodecim elegi, per synecdochen dictum est, ut nomine maioris meliorísq; partis, etiam illud compleċteretur, quod ad ipsum nomen non pertinet. Hic modus est in hoc eodem loco, ubi Emor pro filio suo Sichem, ut acciperet Dinam filiam Iacob, exijt loqui cum eodem Iacob, & uenerunt etiam filij eius qui absentes erant, & ad omnes dicit Emor: Sichem filius meus elegit animo filiam uestram, date ergo illi eam uxorẽ. Quia enim potior erat patris persona, per synecdochen filiam uestram dicens, etiam fratres tenuit hoc nomine quorum non erat filia. Hinc est & illud: Curre ad oues, & accipe inde mihi duos hœdos, simul enim pascebantur oues & hœdi. Et quia potiores sunt oues, earum nomine caprinum pecus complexus est. Sic quia potior erat numerus undecim filiorum Iacob qui nati fuerant in Mesopotamia, ipsorum commemoratione scriptura complexa est etiam Beniamin, qui non erat ibi natus, & dictum est: Hi sunt filij Iacob qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ.

CAPVT TRICESIMVMSEPTIMVM.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 81. Tomo X. D

I *Srael autem diligebat Ioseph super omnes filios &c.* Cùm populus Christianus fideliter ad ecclesiam uenit, quid ei prodest quòd audit qualiter sancti patriarchæ aut uxores accæperint, aut filios procreauerint, nisi quare hæc facta sint, aut quid res ipsæ figurauerint, spiritali sensu perspexerit? Ecce audiuimus quòd beatus Iacob genuerit filium, & uocauerit nomẽ eius Ioseph, & eum plusquã reliquos filios suos dilexerit. Hoc loco beatus Iacob figuram habuit Dei patris, sanctus quoque Ioseph typũ gessit Domini saluatoris. Diligebat ergo Iacob filium suum, quia Deus pater diligit unicum suũ, sicut ipse dixit: Hic est filius meus dilectus. Iacob misit filium suũ, ut de fratribus suis sollicitudinem gereret, & Deus pater misit unigenitum suum, ut genus humanum peccatis languidnm uisitaret. Ioseph dum fratres suos quæreret, errabat in eremo, & Christus genus humanum requirebat quod errabat in mundo, quodãmodo quasi & ipse errabat, quia errantes requirebat. Ioseph enim fratres suos quærebat in Sichimis. Sichima interpretatur humerus. Semper enim peccatores dorsum magis quàm faciem ponunt in faciem iusti. Humeri enim retrò sunt. Sicut enim fratres Ioseph inuidia percussi, fraternæ dilectioni dorsum magis quàm facies offerebãt, ita & infœlices Iudæi uenietẽ ad eos salutis authorem, inuidere potius quàm diligere maluerũt. De talibus dicitur in Psalmo: Obscurẽtur oculi eorũ ne uideant, & dorsũ illorũ semper incurua. Inuenit ergo Ioseph fratres suos in Dothaim. Dothaim interpretatur defectio. Verè in grãdi defectione erãt, qui de parricidio cogitabant.

A tabant. Videntes ergo Ioseph fratres sui, de morte illius tractauerunt, sicut uidentes Iudæi uerum Ioseph dominum Christum, ut eum crucifigerent uno omnes consilio statuerunt. Ioseph expoliauerunt fratres sui tunica polymita & talari, & Iudæi Christum per mortem crucis expoliauerunt tunica corporali. Ioseph exutus tunica mittitur in cisternam, id est, in lacum, & Christus expoliatus carne humana descendit in infernum. Ioseph postea quam de cisterna leuatur, Hismaëlitis, id est, gentibus uenditur, & Christus postea quam de inferno regreditur, ab omnibus gentibus fidei commercio comparatur. Ioseph per consilium Iudæ triginta argenteis distrahitur, & Christus per consilium Iudæ Iscariotis eodem numero uenundatur. Quòd autem in diuersis trãslationibus non æquali pretio Ioseph scribitur uenundatus, sed alij dixerunt uiginti argenteis, alij triginta, hoc spiritaliter significauit, quòd Christus non æqualiter ab omnibus credendus uel diligẽdus esset. Denique etiam nunc in ecclesia, alij eum plus diligunt, alij minus. Ipsi enim plus ualet Christus, qui eum maiori charitate dilexerit. Ioseph descendit in Aegyptum, & Christus in mundum. Ioseph à penuria frumenti saluat Aegyptum, & Christus à fame uerbi Dei liberat mundum. Nisi enim Ioseph fratres sui uendidissent, defecerat Aegyptus. Fratres, uerum est, nisi Christum Iudæi crucifixissent, perierat mundus. Videamus tamen fratres charissimi, unde in beato Ioseph fratres sui tam crudeliter sæuierunt. Vnde, nisi inuidiæ ueneno, per quod mors intrauit in orbem terrarum? Denique audi scripturam dicentem: Inuidebant ei fratres sui, & non poterant ei loqui quicquam pacificum. Vidit enim beatus Ioseph somnium, quasi stantem se in agro cum fratri-
B bus suis, & manipulos alligantem, & fratrum manipulos adorare manipulum suum. Hoc in illo Ioseph tunc impletum est, quando eum in Aegypto adorauerunt fratres sui. Et non incongruè coacti sunt steriles manipuli fructuosum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant. Vidit etiam aliud somnium, quòd sol & luna & undecim stellæ adorarent eũ. Cui respondit pater suus. Nunquid ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terrã? Hoc in illo Ioseph impleri non potuit, quia iam mater ipsius de hac luce migrauerat; in nostro uerò Ioseph, id est, Domino Iesu Christo, somni illius sacramenta completa sunt. Sol enim & luna & undecim stellæ eum adorarunt, quando post resurrectionem sancta Maria quasi luna, & beatus Ioseph uelut sol, cum undecim stellis, id est, beatis apostolis, incuruati & prostrati sunt ante eum, & impleta est prophetia quæ dixerat: Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumẽ. *Psal.* 148.
Nam intantùm in illo Ioseph impleta non est somnij huius interpretatio, ut mater ipsius ante multos annos legatur fuisse defuncta, quàm præfata somnia ille uidisset. Et reuerà, quomodo fratribus ipsius potest conuenire, quòd eum quasi stellæ adorare possent, quos inuidiæ nox obscuros & tenebrosos effecerat? Iam enim claritatem stellarum perdiderant, qui in se lumen charitatis extinxerant. Meritò ergo hoc in Domino saluatore nostro uerius credimus fuisse completum, quem sicut iam antea dixi, & beatum Ioseph & beatam Mariam, cum undecim Apostolis frequentius legimus adorasse. Nam quòd Apostoli lumen stellarum habuerint, ipse Dominus in euangelio dixit: Vos estis lux mundi. Et iterum de ipsis *Matth.* 5. & 13.
ac suis

ac suis similibus: Tunc iusti, inquit, fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Ioseph interpretatur augmentatio siue ampliatio. Sed in illo Ioseph ampliationem non habuit, nisi sola Aegyptus: in nostro uerò Ioseph augmentum habere uniuersus meruit mũdus. Ille Ioseph erogauit triticum, noster erogare dignatus est uerbum. In omnem terram exiuit sonus Apostolorum & in fines orbis terræ uerba eorum. Nos ergo fratres dilectissimi, qui nullis præcedentibus meritis tanta bona per misericordiam ueri Ioseph Domini nostri Iesu Christi consecuti sumus, ad quos non umbra ueteris testamẽti, sed ipsa ueritas uenit, quantùm possumus cum Dei gratia laboremus, ut quod nobis contulit iudicatus, integrum inueniat iudicaturus. Qui tibi tantùm contulit, scit quantùm reposcat. Et quidem ille cùm uenerit redditurus est quod promisit, sed requisiturus est quod redemit, & quod dedit in primo aduentu, exacturus est in secundo &c. C

Vidi per somnium quasi solem & lunam. Vide in Luca Cap. 12. in hæc uerba: Moram facit Dominus meus.

Locut. de Gen. Lib. 1. Tomo III.

Non feriamus eum in anima. Hoc loco nomine animæ uitam corporis animati significat, per efficientem id quod efficitur. Secundum hoc uideri potest etiam ad

Iob. 2. diabolum dictum esse de Iob: Animam eius ne tãgas, id est, ne occidas eum. Nam secundum illam significationẽ qua natura animæ cõmemoratur, illud à Domino

Matth. 10 dicitur. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animã autẽ non possunt occidere.

CAPVT TRICESIMVMOCTAVVM.

Ex Lib. 22. cont. Faust. Manich. Cap LX. Tomo VI. D

Idens autem eam Iudas, putans eam meretricem esse &c. Porrò si peccatum Loth, cui perhibitum est antequam peccaret iustitiæ testimonium, non modò non decolorat diuinitatem Dei, uel scripturæ illius ueritatem, uerumetiam laudandam diligendámque commẽdat: quòd tanquam speculi fidelis nitor, admotarum sibi personarũ nõ solùm quæ pulchra atque integra, uerumetiam quæ deformia uitiosáque sint, indicat: quantò magis factum Iudæ, quòd cum sua nuru concubuit, nihil omninò affert, unde authoritas sancta culpetur: quæ in illis libris fundata persistens, non tantùm paucissimorum Manichæorum calumniosas argutias, uerumetiam gentilium tot tantorúmque populorum horrendas inimicitias diuino iure contemnit: quos penè iam totos à nefaria superstitione simulachorũ, ad unius Dei ueri cultum Christiano imperio subiugauit, edomito orbe terrarum, non uiolentia bellici certaminis, sed inuictæ potentia ueritatis. Vbi enim literarum illarum laudatus est Iudas, quid de illo boni scriptura illa testata est, nisi quòd in prophetia Christi, qui ex eius tribu prænuntiabatur in carne uenturus, benedictione patris sui præ cæteris commẽdatus eminuit? Cæterum ad id, quod eum Faustus fornicatum commemorauit, addimus nos aliud, quòd fratrem suum Ioseph in Aegyptum uendidit: nunquid cuiusquam membra distorta deprauant lucem, quæ cuncta demonstrat? Sic ne cuiuspiam malefacta, malam scripturam faciunt, qua prodente, legentibus innotescunt. Consulta quippe æterna lex illa, quæ ordinem naturalem conseruari iubet, perturbari uetat, non nisi

A nisi propagationis causa statuit hominis concubitum fieri: & hoc non nisi socialiter obstinato connubio, quod non peruertat uinculum pacis: & ideo prostitutio fœminarum, non ad substituendam prolem sed ad satiandam libidinem propositarum, diuina atque æterna lege damnatur. Omnem quippe dehonestat emptorem turpitudo uenalis, ac per hoc Iudas & si grauius peccasset, si nurum sciens cum ea concumbere uoluisset (si enim uir & uxor, sicut Dominus dicit, non iam duo sed una caro est, non aliter nurus est deputanda quàm filia) tamen eum, quantùm in ipso erat, deformiter cum meretrice cubasse non dubium est. At illa quæ socerum fefellit, non carnis eius concupiscentia, nec meretriciæ mercedis cupiditate peccauit: sed ex ipso sanguine prolem requirens, ex quo duobus iam fratribus nupta, tertio quoque denegato habere non potuit, patri eorum socero suo, fœtandum corpus fraude subiecit, pignore mercedis accepto, quod non ad ornamẽtum, sed ad testimonium reseruauit. Melius quidẽ sine filijs remaneret, quàm sine iure matrimonij mater fieret. Longè tamen alia intentione peccauit, quòd filijs suis patrem prouidit socerum suum, quàm si eum sibi cõcupisset adulterum. Denique cùm iussu eius produceretur ad mortẽ & uirgã, monile, atq; annulum protulisset, dicens ab eo se grauidatã, cuius pignora illa essent: ubi ea quæ dederat ille cognouit, istã magis quàm se iustificatã esse respondit, quòd ei filiũ suum maritum coniungere noluisset: qua destitutione cõpulsa, illo modo potius quàm nullo modo posteritatem, non aliunde quàm ab eadem stirpe cõquireret. In qua sententia nõ eam iustificatã, sed eam magis quàm se iustificatã, dicens, nec ipsam laudauit, sed in sui comparatione præposuit: desiderium scilicet habendæ prolis,

B quo ducta illa, se socero supposuerat, minus culpans, quàm libidinosi cõcubitus ardorem, quo ipse uelut ad meritricem uictus intrauerat: sicut quibusdam dicitur: Iustificastis Sodomam, id est, tantùm peccastis, ut uobis Sodoma cõparata, iusta uideatur. Quanquã etiamsi hæc mulier non in peioris facti comparatione minus culpata, sed omninò à socero laudata intelligatur: quæ tamen consulta illa æterna lege iustitiæ, quæ naturalem ordinem perturbari uetat, non utique tantummodo corporum, sed maximè ac primitus animorũ, quia in procreãdis filijs ordinatam societatem nõ custodiuit, meritò culpabilis inuenitur. Quid mirum si peccatrix à peccatore laudatur? Quòd ita nobis Faustus, uel ipsa Manichæa peruersitas arbitratur aduersum, quasi nobis in illius scripturæ ueneratione dignoq; præconio, uitia hominũ, quæ illa cõmemorat, necesse sit approbare: quin potius necesse est, ut quantò illam religiosius accipimus, tantò fidentius illa culpemus, quę per eius ueritatem certius culpanda didicimus. Ibi enim fornicatio & omnis illicitus concubitus diuino iure dãnatur: ac per hoc, cùm talia quorundam facta cõmemorat, de quibus eo loco suam taceat sententiam, iudicanda nobis permittit, non laudanda præscribit. Quis enim nostrum in ipso euangelio non detestatur Herodis crudelitatẽ, cùm de Christi natiuitate sollicitus, tot infantes iussit occidi? At hoc factum ibi non uituperatur, sed tantùm narratur. Sed ne hoc Manichæi uęsana impudentia falsum esse contendant: quia ipsam etiam Christi natiuitatem, qua Herodes perturbatus est, negant: ipsorum Iudæorũ immanitem & cæcitatem legãt, quemadmodũ illic tantummodo narretur, non uituperetur, &

Ezech. 16.

Eiusdẽ lib. cap. 62.

tamen

Eiusdē lib. cap. 63. tamen ab omnibus detestetur. Sed inquiunt, iste Iudas, qui cum sua nuru concubuit, inter duodecim patriarchas computatur. Quid enim & ille Iudas, qui Dominum tradidit, nónne inter duodecim Apostolos numeratus est, & cū eis unus ex eis ad prædicandum euangelium diabolus missus est? Sed adhuc respondent & dicunt. Ille post tale facinus laqueo suo peremptus, & apostolorum numero exemptus est: iste autem post hanc turpitudinem, inter fratres suos ab illo patre, cui tam magnum testimonium Deus perhibet, præcipuè benedictus, & super omnes laudatus est. Quinimò hinc expresius apparet, non ad ipsum, sed ad Christum, qui ex eius tribu prænuntiabatur in carne uenturus, illam pertinere prophetiam: & ideo magis flagitium eius diuina scriptura tacere non debuit, sicut nō tacuit, ut in uerbis patris eius, quibus post illud dedecus ita laudatur, quia ipse non agnoscitur, alius requiratur. Quanquam Faustus dente maledico hoc ipsum intelligatur mordere uoluisse, quod Christus à nobis ex eius tribu uenisse prædicatur: maximè quia in generationibus patrum eius, quas Mattheus euangelista commemorat, etiam Zara, quem Thamar ipsa ex illo conceptu peperit, inuenitur. Nam si stirpem Iacob, non Christi generationem uellet reprahendere, habebat magis primitiuum Ruben, qui paternum thorum nefaria libidine uiolauit, qualem fornicationem Apostolus nec in gentibus dicit auditam. Quod factum etiam ipse pater Iacob, cùm eos benediceret, super caput eius accusando & detestando non tacuit. Hoc ergo crimen potius Faustus obijceret, ubi non error ex habitu meretricio, sed omninò uoluntaria contaminatio paterni lectuli apparet, nisi & ipsam Thamar plus odisset, quod illo concubitu nihil aliud quàm parere cuperet, quàm si sola libidine carnalis uoluptatis arsisset: & Christi progenitores culpando, incarnationi eius fidem derogari uoluisset: ignorās miser uerissimum & ueracissimum saluatorē, non solùm loquendo, sed etiam nascendo magistrum extitisse. Fideles enim eius, uenturi ex omnibus gentibus, etiam exemplo carnis ipsius discere debuerunt, parētum suorum iniquitates sibi obesse non posse. Proinde sponsus ille suis congruens inuitatis, qui uocaturus erat ad nuptias bonos & malos, etiam nasci uoluit de bonis & malis: ut prophetiam paschæ, qua preceptus est manducari agnus acceptus ex ouibus & capris, tanquam iustis, & iniustis, ad se præfigurandum præcessisse firmaret: documenta quippe Dei & hominis ubiq; conseruans, parentes & bonos & malos propter cōuenientiam humanitatis non spreuit: partum autem uirginis propter miraculum diuinitatis elegit.

Cont. Mend. ad Consent. Lib. Cap. XIIII. Tomo IIII.

Sed non ideo debent imitanda existimari, quia in eis reperiuntur libris, qui sancti & diuini meritò nominantur. Habent enim conscripta & mala hominum & bona: illa uitanda, ista sectanda: & quædam ita posita, ut de illis etiam prolata sit sententia: quædam uerò tacito ibi iudicio nobis iudicanda permissa: quoniam non solùm nos nutriri manifestis, uerùm & exerceri oportebat obscuris. Cur autem isti imitandam sibi Thamar existimant mentientem, & imitandum Iudam non existimant fornicantem? Ibi enim utrunque legerunt, & nihil horum scriptura illa siue culpauit, siue laudauit: sed tantummodo utrunque narrauit, & iudicandum nobis utrunque dimisit. Sed mirum si aliquid horum imitandum impunè

A punè permisit. Quod enim Thamar non meretricandi libidine, sed concipiendi uoluntate mentita sit, nouimus. Verùm & fornicatio etiamsi Iudæ talis nō fuit, potest esse cuiuspiam, qua faciat ut homo liberetur, sicut illius mendacium fuit ut homo conciperetur. Nunquid propterea etiam fornicandum esse, si propter illud putatur fuisse mentiendum?

Nesciebat enim quòd nurus sua esset. Vide Iudic. Cap. 11. in hæc uerba: Eum holocaustum offeram Domino.

Ex Lib. 22. cont. Faustum Manich. Cap. LXXXIII. Tomo VI.

Dixit itaque Iuda ad Thamar nurū suam &c. Sequitur ut Iudæ factum consideremus, quòd cum sua nuru concubuit, quid significauerit futurorum. Sed prius præloquendum est, ne quenquā paruæ considerationis offendat, quod de quibusdam malis operibus hominū in scripturis sanctis, quædam non mala, sed bona futura significantur: seruat enim ubique diuiua prouidentia uirtutem bonitatis suę: ut quemadmodum ex adulterorum cōcubitu formatur & nascitur homo, de hominū opere malo bonum opus Dei, sicut in præcedenti sermone iam diximus, de fœcunditate seminū, nō de turpitudine uitiorum: ita in scripturis propheticis, nō tantùm bona hominum, uerumetiā & malefacta narrantibus, quoniam prophetica est ipsa narratio, significetur aliquid de malis operibus hominū etiam futurorum bonorū, non peccantis opere, sed scribentis. Neque enim Iudas, cùm ad Thamar cōcupiscentia uictus intraret, hanc suæ libidinis intētionem gerebat, ut inde aliquid significaretur, quod ad salutē hominū pertineret: sicut nec Iudas ille, qui Dominū tradidit, hoc intendit, ut aliquid inde gereretur, quod ad eandem salutē

B hominū pertineret. Porrò si de tā malo opere Iudæ illius, tam bonum opus Dominus fecit, ut eiusdē suæ passionis sanguine nos redimeret: quid mirū si propheta eius, de quo ipse ait: De me enim ille scripsit, ex malo facto Iudæ istius, boni aliquid significauit, ut suo ministerio nos doceret? Ea quippe hominū facta, sancto spiritu disponente atque inspirante, collegit propheta narrator, quorum interpositio nō uacaret ad præsignationem rerū quas intenderat prophetare: ad significanda autem aliqua bona, nihil interest, facta illa quibus ea significantur, seu bona seu mala sint. Quid enim mea interest, cùm uolo aliquid legendo cognoscere, utrùm ex minio reperiā scriptos nigros Aethiopes, & ex atramento cādidos Gallos? Veruntamen si non scripturam sed picturam talem uiderem, sine dubitatione reprehenderem. Ita in factis hominum, quæ ad imitandum uitandúmque proponuntur, magni interest bonáne an mala sint. Quæ autem ad significandum scribuntur siue dicuntur, nihil refert in moribus facientium, quam laudem repræhensionémue mereantur, si modò habēt aliquam rei, de qua agitur, necessariam præfigurandi congruentiam. Sicut enim Caiphas in Euangelio, quantùm ad eius noxiū perniciosumq; animū pertinebat: quantùm denique ad ipsa uerba, si in eis uoluntatē dicentis attendas, quibus agebat ut iustus iniustè necaretur, utique mala erant: tamen magnum bonum illo nesciente significabant, quando ait: Expedit ut unus moriatur, & non tota gens pereat. Dictúmque de illo est: Hoc autem à se non dixit, sed cùm esset pontifex, prophetauit: quia oportebat Iesum mori pro gente. Ita factum Iudæ secundum illius libidinem malum fuit, sed illo nesciente Ioan. 11.

magnum bonum significauit. A seipso quippe malum fecit, sed non à seipso bonum significauit. Hoc autē quod necessario præloquendū putaui, non ad hoc tantummodo Iudæ factū, sed etiam ad cætera ualeat, si qua occurrerint mala opera hominū, quibus bonum aliquid à narrāte prophetatum est. C

Eiusdē lib. cap. 84.

In Thamar ergo nuru Iudæ intelligitur plebs regni Iudæorū, cui de tribu Iuda regis tanquā mariti adhibebātur: meritò nomē eius amaritudo interpretatur, ipsa enim Domino fellis poculū dedit. Duo aūt genera principū, qui nō rectè operabantur in plebe: unum eorum qui oberant: alterum eorū qui nihil proderant, significabantur in duobus filijs Iudæ: quorum unus erat malignus uel sæuus ante Dominū: alter in terram fundebat, ne semen daret ad fœcundandam Thamar. Nec sunt amplius quàm duo genera hominum inutilia generi humano, unum nocentium, alterum præstare nolentium, & si quid boni habent in hac terrena uita perdentiū, tanquā in terra fundentium. Et quoniam in malo prior est qui nocet, quàm ille qui non prodest, ideo maior dicitur malignus, ille autē sequens qui fundebat in terrā. Nomen quippe maioris, qui uocabatur Her, interpretatur pelliceus: qualibus tunicis induti sunt primi homines, in pœna damnationis suæ dimissi ex paradiso, sequentis autem nomen, qui uocabatur Onas, interpretatur mœror eorum: quorū? nisi quibus nihil prodest, cùm habeat unde prodesse posit, atque id perdat in terra. Maius porrò malum est ablatæ uitæ, quod significat pellis, quàm nō adiutæ, quod significat mœror eorum: Deus tamen ambos occidisse dictus est, ubi figuratur regnum talibus hominibus abstulisse. Tertius uerò filius Iudæ, quòd illi mulieri nō iungitur, significat tēpus, ex quo reges plebi Iudæorū cœperūt de tribu Iuda nō fieri: & ideo erat quidem filius Iudæ, sed eum maritum Thamar non accipiebat, D quia erat eadem tribus Iuda, sed iam populo inde nemo regnabat. Vnde & nomen eius, id est, Sela, interpretatur dimissio eius. Non pertinent sanè ad hanc significationem uiri sancti & iusti, qui licet illo tēpore fuerint, ad nouū tamen pertinēt testamentum, cui prophetando scienter utiles fuerunt, qualis Dauid fuit. Eo sanè tēpore, quo iam Iudæa cœperat reges ex tribu Iuda nō habere, non est cōputandus Herodes maior in regibus eius, tanquā maritus Thamar (erat enim alienigena) nec ei sacramēto illo mysticæ unctionis tanquā coniugali fœdere cohærebat: sed tanquā extraneus dominabatur, quā potestatē à Romanis & à Cæsare accæperat. Sic & eius filij tetrarchæ, quorū erat unus Herodes, patris nomine appellatus, qui cum Pilato in passione Domini concordauit. Isti ergo alienigenæ usque adeò non deputabantur in regno illo mystico Iudæorū, ut ipsi Iudæi publicè clamarent, frendentes aduersum Christum: Nos non habemus regem nisi Cæsarem.

Ioan. 19.

Neque enim hoc uerum, nisi illa uniuersali dominatione Romanorū, quippe etiā Cæsar rex erat, non propriè Iudæorū, sed ut Christū negarent, & hunc adularēt, ideo se tali uoce damnarunt.

Eiusdē lib. cap. 85.

Illo ergo tēpore, quo iam de tribu Iudæ regnum defecerat, ueniendū erat Christo uero saluatori Domino nostro, qui non obesset, multúmque prodesset. Sic enim fuerat prohetatū: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de fœmoribus eius, donec ueniat cui repromissum est, & ipse erit expectatio gentium. Iam isto tēpore omne quippe magisterium Iudæorū, & mystica, unde Christi uocabantur, unctio ipsa defecerat, secundū prophetiam Danielis:

Tunc

A Tunc uenit cui repositum erat expectatio gentium,& unctus est sanctus sancto- Daniel. 9.
rũ oleo exultationis præ participibus suis. Natus est enim Herodis maioris tempore,passus est autẽ minoris Herodis tetrarchia. Huius itaque uenientis ad oues, quæ perierãt,domus Israël,figuram gessit ipse Iudas,cùm iret ad tõdendas oues suas in Thamna,quod interpretatur deficiẽs. Iam enim defecerat princeps ex Iuda,& omne magisteriũ atque unctio Iudæorum,ut ueniret cui repositum erat. Venit autem cum suo pastore Odollamite,cui nomen erat Hiras,& interpretatur Odollamites,testimonium in aqua. Cum hoc planè testimonio Dominus uenit,habens quidem testimonium maius Ioanne. Sed tamen propter oues infirmas, hoc testimonio usus est in aqua. Nam et ipse Hiras,quod nomen illius pastoris fuit,interpretatur fratris mei uisio. Vidit omninò fratrem suum Ioannes,fratrem secũdum semen Abrahæ,secundum cognationem Mariæ matris eius & Helisabet matris suæ,eundemq; Dominum & Deum suum:quia sicut ipse ait: Ex plenitudine eius accepit. Vidit omninò,& ideo in natis mulierum maior illo non exurrexit, quia ex omnibus prænunciantibus Christum ipse uidit, quod multi iusti & prophetæ cupierunt uidere & non uiderunt. Salutauit ex utero, agnouit perfectius ex columba:& ideo tanquam Odollamites uerè testimonium perhibuit in aqua. Venit autem Dominus ad oues tondendas,hoc est exonerandas sarcinis laboriosis,ex quibus ecclesiæ laudatæ in Canticis canticorum,dentes essent uelut grex de tonsarum. Iam Thamar habitum mutet, nam & commutans interpretatur Eiusdẽ lib.
Thamar,sed in ea prorsus nomen amaritudinis maneat:non illius amaritudinis, cap. 86.
in qua Domino fel ministrauit,sed illius,in qua Petrus amarè fleuit. Nam & Iuda
B latinè confessio est. Confessioni ergo amaritudo misceatur, ut uera pœnitentia præsignetur. Hac pœnitentia fœcundatur ecclesia,in omnibus gentibus constituta. Oportebat enim Christum pati & resurgere tertia die,& prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Nam & ipse habitus meretricius, confessio peccatorum est. Typum quippe iam ecclesiæ gerit Thamar,ex gentibus euocatæ,sedens cum habitu ad portam Enam,uel Enaim,quod interpretatur fontes. Cucurrit enim uelut ceruus ad fontes aquarum,peruenire ad semen Abrahæ:illic à non agnoscente fœtatur,quia de illa prædictum est: Populus quem non cognoui,seruiuit mihi. Accæ- Psal. 17.
pit in occulto anulum,monile & uirgam,uocatione signatur,iustificatione decoratur,glorificatione exaltatur. Quos enim prædestinauit,illos & uocauit:quos au Rom. 8.
tem uocauit,illos & iustificauit:et quos iustificauit,illos & glorificauit. Sed hæc,ut dixi adhuc in occulto,ubi fit & conceptio sanctæ ubertatis. Mittitur autem promissus hœdus tanquam meretrici,hœdus exprobratio peccati,per eundem Odollamitam,tanquam increpantem & dicentem:Generatio uiperarum. Sed nõ eam inuenit peccati exprobatio,quam mutauit confessionis amaritudo. Pòst uerò iã publicatis signis,anuli,monilis,& uirgæ,uicit temerè iudicantes Iudæos:quorum iã personã Iudas ipse gestabat, qui hodiéque dicunt,nõ hunc esse populũ Christi, nec habere nos semen Abrahæ:sed prolatis certissimis documentis nostræ uocationis,iustificationis,glorificationis,sine dubio confundentur,& nos magis quàm se iustificatos esse fatebuntur.

Quæst.super Gen.lib.1.Cap.CXXX. Tomo IIII. C

Et depositis uestimentis niduitatis suæ à se. Hîc insinuatur etiã tẽporibus patriarcharũ certa & sua fuisse uestimenta uiduarum, non utiq; talia qualia coniugatarum.

CAPVT TRICESIMVMNONVM.

Locut.de Gen.lib.1. Tomo III.

Præter panem quem ipse edebat. Per panem utique omnia intelligi uoluit ad uictũ eius pertinẽtia. Vnde pro quotidiano uictu, panis solus positus intelligitur in oratione dominica.

Ex lib.Sermon.de Temp Serm.LXXXIII. Tomo X.

I *Mmisit oculos uxor Domini eius in Ioseph.* Beatus Ioseph sanctus & fidelis Domini famulus tribulationibus magis iustus ostẽditur, qui primò inuidia fratrum Hismaëlitis in seruum addictus, ab eisq; uenditus, à quibus se uiderat adorandum: deinde Aegyptio Domino traditus, semper tamen ingenui animi tenuit dignitatem, docuitq; exemplo suo & seruos, & liberos in peccando non cõditione coæquales esse, sed mente. Cùm esset decorus & speciosus facie, pulchritudinem uultus sui non ad alienam deriuauit iniuriã, sed ad suã gratiam conseruauit, hoc se pulchriorem iudicans, si non dispendio castitatis, sed cultu pudoris speciosior probaretur: & illum esse uerum decorem qui non alienos oculos caperet, nec mẽtes fragiles uulneraret. Crimen enim dominæ suæ fuit, quæ malè uidit, nõ beati Ioseph qui malè uideri non uoluit. Nec in eo qui uisus est culpa est, quia non erat in potestate seruili ut non uideretur à domina: maritus debuit cauere uxoris oculos. Discãt tunc & uiri cauere oculos fœminarũ, cùm & amãtur, & qui nolũt amari. Denique adamatus est Ioseph, qui amantem contempserat, & bene excusauit eum scriptura, dicens: Immisit oculos uxor Domini eius in Ioseph, hoc est, non iste se ostentauit, nec illa cæpit incautum, sed illa retia sua immisit, & indagine sua capta est: catenas suas sparsit, & in suis uinculis colligata est. Dixit autem illi: Dormi mecum. Prima adulterij oculorum tela sunt, secunda uerborum. Sed qui non capitur oculis, potest uerbis resistere. Excusatur quòd ingressus est, prædicatur quòd elapsus est. Nec plus fecit per uestimenta corporis, quàm per animi castimoniam: reliquit tanquam non sua, quæ adultera manibus detinebat, & aliena iudicauit, quæ tactu impudicæ potuerant compræhẽdi. Magnus planè uir, qui uẽditus seruire tunc nesciuit, ingenuam adamatus non redamauit, rogatus non acquieuit, apprehensus aufugit: concupiscitur adolescens à Domina, sed ad cõcupiscentiam prouocatus & rogatus refugit, una hac in re blanditijs supplicat, quæ in cæteris imperabat. Amabat illum, an potius se? Ego puto, quia nec illum, nec se. Si illum amabat, quare uolebat perdere? Si se amabat, quare quærebat perire? Ecce probaui, quia non amabat: ueneno libidinis ardebat, non flãma charitatis lucebat. Sed ille nouerat uidere quod illa non nouerat. Pulchrior erat intùs Ioseph quàm foris, pulchrior in luce cordis quàm in facie corporis: ubi illius fœminæ oculus nõ penetrabat, ibi ipse sua pulchritudine fruebatur: Intuens ergo interiorem pulchritudinem castitatis in speculo conscientiæ suæ, quando illam maculari, quando uiolari fœminea tẽtatione permitteret? Quod ergo uidebat in se, & tu uis uidere in D te

A te pulchritudinem pudicitiæ interiorem spiritus talem? Si habes ad illā qualescun que oculos, exempli gratia tibi aliquid propono, ipsam uis in coniuge tua: noli er go odisse in aliena, quod amas in tua. Quid enim debes amare in coniuge tua? uti que castitatem. Hanc odisti in aliena. Serua ergo in coniuge aliena, quòd seruare cupis in tua, quia & in uxore castitatē potius diligis quàm carnem. Sed fortè existimas te amatorem esse carnis uxoris tuæ et non castitatis. Sordida quidē cogitatio, misera & uoluptuosa, sed non te dimitto sine exēplo. Tu putas quòd carnem amas uxoris tuæ, ego enim dico quòd castitatē plus amas. Deniq; hāc plus amas in filia tua. Quis enim hominum, qui non filias suas castiget, & non castas esse uelit? Nunquid & ibi carnem amas? Nunquid cōcupiscis corpus pulchrum, ubi exhorrescis incæstum? Si ergo amatorem te castitatis conuincis, quid te offendisti ut eam non ames in te? Quòd amas in filia tua, ama hoc & in uxore aliena, quia & filia tua uxor erit aliena. Ama ergo & in te castitatem. Nam si amas uxorem alienā, non continuò habebis: castitatem si amaueris, mox habebis. Blanda castitas & sancta, in cubiculo cordis tui suauis est, eius amplexus non habet amaritudinem, conuersatio illius in nullo tibi in domo conscientiæ contradicit. Ama ergo & in te & in alijs castitatem, imitaberis beatum Iosedh, qui noluit impudicæ mulieri accubitu illicito consentire, repulit concupiscentiam alienam, amplexus est pudicitiā suam. Amator Dei dilectissimi, mulieris amore non uincitur, castum animum incitans adolescentia non permouit, nec diligentis authoritas.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

B Locut. de Gen. lib. I. Tomo III.

Res dies sunt. Non dixit tres dies significant. Et multùm hæc locutio notanda est, ubi aliqua significantia earum rerum quas significant nomine appellantur. Inde est quòd ait Apostolus: Petra autem erat Christus, nō ait: petra significabat Christum. I. Cor. 10.

CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.

Eiusdē lib. cap. 41.

E *T erat somnium.* Amant scripturæ sic loqui de somnijs, cùm fuerit euigilatum, tanquam reddita homini ueritate uigilantium, tunc illud appareat somnium, quod cùm uideretur, ueritas fuit.

Quæst. super Gen. lib. I. Cap. CXXXIII. Tomo IIII.

Vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia. Obliuiscentur ubertatis futuræ in tota terra Aegypti, non futuræ illis qui famem patientur, tanquam postea ueniat illis ubertas, sed futura erat tunc quando loquebatur, tanquam diceret: Vbertatis huius quam futuram significauerunt boues bonæ, & spicæ bonæ, obliuiscētur homines in ea fame, quam significauerunt boues & spicæ malæ.

CAPVT QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

Ex lib. Serm. de Temp. Serm. LXXXII. Tomo X.

A *Vdiens autem Iacob quòd alimenta uenderentur &c.* In beato Iacob fratres charissimi, & in sancto filio eius Ioseph, qui diligēter attēdit, rē nimis ad

mirabilem deum fecisse cognoscit. Primùm non credo fuisse sine causa, quòd Dominus qui se totiès dignatus fuerat ostẽdere beato Iacob, per tot annos noluit ei indicare, quòd Ioseph filius eius uiueret, sed permisit eum longa afflictione cõsumi. Si hoc quisquam sine certa & euidenti ratione factum esse credit, uel hoc consideret, quòd nec filius eius Ioseph in tam proximo positus permissus sit ad patrem suum mittere, ut ei nuntiaret quòd non solùm uiueret, sed etiam in grandi honore floreret. Ab illo enim loco ubi erat beatus Iacob, usque in Aegyptũ] uix erant trecẽta miliaria. Vnde frequẽtissimè & ex Aegypto in locis illis ubi Iacob erat, plurimi properabant, & ex illo loco ad Aegyptum infinitæ multitudines assiduè confluebant. Sed fortè aliquis dicit, quòd beatus Ioseph paruulus exierit à patre suo, ut ideo recordari eũ non potuisset. Nõ ita est fratres charissimi. Puer enim erat sedecim annorum, & nulla ratione parentes suos poterat obliuisci. Nã & intantum eos oblitus non erat, ut fratres suos ubi primùm uidit agnosceret. Sed dicit aliquis, quòd licentiam aut potentiam non habuerit mittendi ad patrẽ suum. Etiã si hoc quasi uerisimile uideatur, posteaquã de carcere deductus est, & dominus factus est in omni terra Aegypti, per illos septẽ annos fertilitatis, & illos duos qui transacti sunt tẽpore inopiæ antequã fratres sui ad eũ descẽderent. Per istos nouẽ annos in trecẽtis miliarijs, sine ulla dubitatione potuit mittere ad patrẽ suum: sed occulto iudicio hoc Dominus fieri nõ permisit, intãtũ ut nec tũc se manifestaret fratribus suis, quãdo ad emendũ triticũ uenerãt, quinimò durissimè eis loquẽs, & fratrẽ illorũ in uinculis tenẽs, ad patrẽ suũ eos cũ grãdi dolore redire iussit. Attendite adhuc ad aliud maius miraculum, & uidete quomodo beatus Ioseph, qui patrẽ suum nouerat pro se intolerabilem amaritudinem sustinere, quasi paruum esset quod antè pertulerat, adhuc & Beniamin ei fecit auferri, quo facto utique nouerat eũ multiplicẽ passurũ esse dolorẽ. Hæc enim omnia sine spiritussancti dispensatione facta fuisse nõ credo. Deus enim cuius iudicia plerũque sunt occulta, nunquã tamẽ iniusta, qui beato Iacob noluit indicare filium suũ uiuere, ille etiã sanctũ Ioseph nõ permisit ut patri suo gloriã suam annuntiaret: quinimò adhuc Simeon in uinculis tenẽdo, Beniamin auferẽdo, ipsius patris sui angustias cumulauit. Hæc aũt fratres charissimi, si fideliter attẽdamus, cũ grãdi misericordia Dominũ fecisse cognoscimus. Ab initio enim mundi hoc Deus in sanctis suis exercuit, quod in beato Iacob cũ grandi pietate cõpleuit. Sed quare sit hoc factũ, diligẽter attendite. Quãuis enim serui & amici Dei capitalia crimina uitauerint, & multa opera bona fecerint, tamẽ sine minutis peccatis eos fuisse nõ credimus, quia nõ mentitur ille qui dixit: Non est immunis à peccato, nec infans cuius est unius diei uita super terrã. Et beatus Ioãnes Euangelista, qui utique meritis non erat inferior sancto Iacob, clamat & dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos decipimus, & ueritas in nobis non est. Et illud quod alibi scriptum est: Iustus septies cadit & resurgit. Quia ergo, sicut iam dictum est, sine istis minutis peccatis Iacob esse non potuit, uolens Deus ipsa parua peccata in hoc seculo tribulationis igne consumere, implet in eo quod ipse per spiritũ sanctum dixit: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tẽtatio tribulationis. Et illud: Flagellat Deus oẽm filium quẽ recipit. Et illud: Per multas tribulationes oportet

[Margin: C; D; Iob.15.; 1.Ioan.1.; Pro.24.; Eccl.17.; Heb.12.; Act.14.]

nos

A nos intrare in regnũ dei. Vt ergo sanctũ Iacob Deus noster uelut aurũ purgatũ in futuro iudicio præsentaret, prius ab illo oẽs maculas peccatorũ abstersit, ut in eo ignis ille arbiter quod exureret inueni re non posset. Quod etiã in ipso beato Ioseph factũ esse cognoscimus. Cùm enim sicut dicit scriptura, Dominus esset cũ eo, & gratiã ei apud Dominũ suum, & apud principẽ carceris dedisset, præuẽtus tunc est ut ab homine auxiliũ postularet, dicens magistro pincernarũ: Memento mei cùm tibi bene fuerit & supplica Phara. ut me eijciat de isto carcere. Et quia nondũ scriptũ erat: Bonũ est sperare in Domino, quàm sperare in homine: cùm in omnibus Dei gratiã meruisset, surreptũ est illi ut ab homine auxiliũ peteret. Pro qua re additi sunt duo anni quibus adhuc teneretur in carcere, tanquã diceret ei Deus: Ego tibi ostẽdo ut magis à me quàm ab homine debeas auxiliũ postulare. Sine ulla enim dubitatione credendum est, quòd pro castigatione sancti Ioseph non permisit Deus magistrum pincernarum ut in mẽte haberet quod ei sanctus Ioseph quando de carcere dimissus est supplicauerat. Et quia etiam & ipse Ioseph quamuis sanctus tunc, sine peccato esse non poterat, ideo tanto tempore fuit in carcere clausus, ut in eo impleretur quod scriptum est: Ego quos amo arguo, & quos diligo castigo. Si diligenter attendimus fratres charissimi, quod erga beatũ Iacob Deum fecisse credimus, hoc etiam Ioseph circa fratres suos exercuisse cognoscimus, qui utique tã sanctus fuit, ut eos odio habere non potuisset. Vnde credendũ est, quòd ideo eos tantis tribulationibus fatigauerit, ut illos ad cõfessionem criminis & ad medicamentum pœnitentiæ prouocaret. Denique cũ ingẽti dolore dixerunt se meritò pati illa, quia peccassent in fratrem suũ uidentes angustiam eius. Et quia sciebat beatus Ioseph, quòd fratribus suis parricidij crimen sine grandi pœnitentia indulgeri nõ posset, & semel & secũdo & tertio illos medicabili tribulatione tanquam spiritali igne decoxit, non ut se uindicaret, sed ut illos corrigeret, & de tam graui crimine liberaret. Denique priusquã peccatum suum confiterẽtur, & crimen quod admiserãt mutua inter se castigatione cõsumerent, nec agnoscẽdũ eis se dedit, nec pacis osculum eis indulsit. Cùm uerò illos pro peccato quod in ipso admiserant, humiliter uideret afflictos, deosculatus est singulos, & per singulos fleuit, & pauentium colla pio oculorũ rore perfundens, odiũ fratrũ charitatis lachrymis abluebat. Quod ergo Deus in beato Iacob fecit, & quod Ioseph erga fratres exercuit, hoc etiã & nos in illis, qui in nobis peccauerint debemus implere, & nõ ipsos, sed peccata eorũ studeamus odire, & ita uelimus secũdũ culpę merita durissima castigatiõe corripere, ut eos studeamus in ueritate diligere.

Gen.40.
Psal.117.
Apoc.3.
B

Item,

Vide Exod. cap. 19. in hæc uerba: Honora patrem & matrem.

CAPVT QVADRAGESIMVMTERTIVM.

Mitte puerum mecum & surgentes ibimus &c. Vide Exod. cap. 12. in hæc uerba: In sexcenta milia peditum.

Quæst. super Gen. lib. I. Cap. CXLIIII. Tomo IIII.

Biberunt autem & inebriati sunt cum eo. Solent hinc ebriosi adhibere testimonij patrociniũ, non propter illos filios Israël, sed propter Ioseph, qui ualde sapiẽs cõ-

 mendatur,

mendatur, sed hoc uerbum & pro facietate solere poni in scripturis, qui diligen- C
Psal.64. ter aduerterit, multis in locis inueniet. Vnde est illud: Visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti, ditare eam, eò quòd in laude benedictionis hoc positum est, & donum Dei commemoratur, apparet hanc ebrietatem saturitatem significare. Nã ita inebriari ut inebriabantur ebriosi, nec ipsi terræ utile est, quoniã maiore quàm sufficit facietate humore corrumpitur, sicut uita inebriosorum, qui non facietate se replent, sed mergunt diluuio.

CAPVT QVADRAGESIMVMSEXTVM.

Eiusdẽ lib. quæst.150 C *Vniuersæque animæ &c.* Videndum est quid hinc respõdeatur eis, qui hoc testimonio confirmare nituntur à parentibus simul animas cum corporibus propagari. Animas enim dictas pro hominibus, à parte totum significante locutione, nullus ambigit. Sed quomodo ipsam partem ex qua totum commemoratum est, hoc est animã, cuius nomine totus homo significatus est, alienemus ab eo quod dictum est, exierunt de fœmoribus eius, ut carnes tantùm ex illo natas, quãuis solæ animæ nominentur accipiamus, quærendi sunt locutionum modi secundum scripturas.

Item. Vide. 1. Cor. 15. in hæc uerba: Sicut in Adam omnes moriuntur.

CAPVT QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

Quæst. super Gen. lib. Cap. CLXI. Tomo IIII.

Oriturus Iacob filio suo Ioseph dicit. Ea filium iuratione constringit, qua seruum constrinxit Abraham. Ille mandans unde uxor ducatur filio D
M suo, iste sepulturam commendans corporis sui. In utraque tamen causa nominata sunt duo illa, quæ magni habenda atque pendenda sunt in scripturis omnibus, quacunque dispersa leguntur misericordia & iustitia, uel misericordia & iudicium, uel misericordia & ueritas: quandoquidem in
Psal.24. quodã loco scriptũ est: Vniuersæ uiæ domini misericordia & ueritas. Ita hæc duo multùm commendata, multùm consideranda sunt. Seruus autem Abraham dixerat: Si facitis in Dominum meum misericordiam & iustitiam, sicut & iste filio suo dicit, ut facias in me misericordiam & ueritatem. Quid sibi autem uelit à tanto uiro tam sollicita corporis commendatio, ut non in Aegypto sepeliatur, sed in terra Chanaan iuxta patres suos, mirum uidetur, & quasi absurdum, nec conue-
Eiusdẽ lib. quæst.161 niens tantæ excellentiæ mentis propheticæ, si hoc ex hominum cõsuetudine metiamur. Si autem in his omnibus sacramenta quærantur, maioris admirationis gaudium ipsi qui inuenerit orietur. Cadaueribus quippe mortuorum peccata significari in lege, non dubium est, cùm iubentur homines post eorũ contractionem, siue qualemcunq; contactum tanquam ab immunditia purificari. Et hinc
Eccl.34. illa sententia dicta est: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius? Sic & qui ieiunat super peccata sua, & iterum ambulans hæc eadem facit. Sepultura ergo mortuorum remissionem significat peccatorũ, eò per-
Psal.31. tinens, quod dictum est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Vbi ergo sepelienda erant hoc significantia cadauera patriarcharum

A rum,nisi in ea terra ubi ille crucifixus est,cuius sanguine facta est remissio pecca torũ?Mortibus enim patriarcharũ peccata hominũ figurata sunt. Dicunt autem ab eo loco,quod Abraëmium uocatur,ubi sunt ista corpora,abesse locũ ubi crucifixus est Dominus,ferè triginta milibus,aut etiã ipse numerus significare intelligatur,qui in baptismo apparuit ferè triginta annorũ,& si quid aliud de re tãta, uel hoc modo uel sublimius intelligi potest:dũ tamen nõ frustrà arbitremur tales ac tantos homines Dei tantã gessisse curã pro sepeliẽdis corporibus suis,cùm sit atq; esse debeat fideliũ ista securitas,ubicũq; corpora eorũ sepeliãtur,uel insepulta etiã inimicorũ rabie relinquantur, aut pro eorũ libidine dilacerata absumantur,nõ ideo uel minus integra,uel minus gloriosa in eorũ resurrectione futura.

Dies annorum uitæ meæ quos incolo. Sic enim habẽt Græci,quod Latini habẽt ago uel habeo,uel si quid aliud. Vtrùm ergo ideo dixit,quos incolo, quia in terra natus est,quã nondũ populus diuina promissione hæreditatis acceperat,& ibi uitã ducẽs,utiq; in aliena terra erat:nõ solùm quãdo peregrinabatur, sicut in Mesopotamia,uerũ etiam quando ibi erat ubi natus est. An potius secundũ id accipiendum est,quod ait Apostolus:Quandiu sumus in corpore peregrinamur à Domino. Secũdũ hoc & illud in Psalmo dictũ intelligitur:Inquilinus ego sum in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei. Nam iterum dicit de ipsis diebus uitæ suę: Non peruenerunt in dies annorũ uitæ patrũ meorũ, quos dies incoluerunt. Non enim hîc aliud uoluit intelligi, quàm id quod latini codices habent, uixerunt: ac per hoc significauit hanc uitã incolatũ esse super terrã,id est peregrinationis habitationẽ. Sed credo sanctis hoc cõuenire,quibus aliam patriã ęternã Dominus pollicetur. Vnde uidendũ est quẽadmodũ dictũ est de impijs: Incolent & abscõdent, ipsi calcaneum meum obseruabunt. De his enim conuenientius accipitur, qui ut abscondunt incolunt,id est,ut insidientur filijs non manent in domo in æternum.
Eiusdẽ lib. quæst. 156
1. Cor. 5.
Psal. 38.
Psal. 55.
B

Si inueni gratiam in conspectu tuo &c. Et filium iuratione constringit, qua seruum constrinxit Abraham,ille mandans.
Eiusdẽ lib. quæst. 161

Et adorauit super caput uirgæ eius. Nonnulli codices emendatius habent:Adorauit super caput uirgæ suæ,uel in capite uirgæ suæ,siue in cacumine, uel super cacumen. Fallit enim eos uerbũ Græcũ, quod eisdẽ literis scribitur siue eius siue suæ, sed accẽtus dispares sunt,& ab eis qui ista nouerũt,in codicibus nõ contẽnuntur. Valent enim ad magnã discretionẽ,quãuis & unam plus literã habere posset, si esset suæ,ut nõ essent αὐτοῦ sed ἑαυτοῦ. Ac per hoc meritò quæritur quid sit quod dictũ est. Nã facilè intelligeretur senem, qui uirgã ferebat eo more,quo illa ætas baculũ solet,ut se inclinauit ad Deum adorandũ,id utique fecerit super cacumen uirgæ suæ,quã sic ferebat ut super eam caput inclinando adoraret Deũ. Quid est ergo? Adorauit super cacumen uirgæ eius,id est,filij sui Ioseph? An fortè tulerat ab eo uirgã,quando ei iurabat idẽ filius:& dum eã tenet post uerba iurantis, nõdum illa reddita,mox adorauit Deum? Non enim pudebat eum ferre tantisper insigne potestatis filij sui,ubi figura magnæ rei futurę præsignabatur:quamuis in Hæbreo facillima huius quæstionis absolutio esse dicatur, ubi scriptum perhibẽt: Et adorauit Israël ad caput lecti,in quo utique senex iacebat:& sic positum habebat,ut in eo sine labore, quando uellet oraret:nec ideo tamen quòd septuaginta
Eiusdẽ lib. quæst. 162

interpretati sunt, nullum uel leuem sensum habere putandum est. C

CAPVT QVADRAGESIMVMOCTAVVM.

Locut.de Gen. lib.I. Tomo III.

V*ia pater tuus turbatur.* Aliqui codices habent uexatur, aliqui æstuatur, & aliud alij, sicut interpretari latini potuerunt, quod Græce scriptum est, ἐνοχλεῖται. Ideo autem turbatur, accommodatius dici uidetur, quia hoc dici solet de his qui afflictione corporis morte propinquante iactantur. Et ex hoc etiam turba ὄχλος dicitur. Est enim turba multitudo inordinata, non sicut populus quod δῆμος dicitur, nec sicut plebs quod λάος dicitur, sed sicut ὄχλος quod turba dicitur.

Quæst.super Gen.lib.I.Cap. CLXVII. Tomo IIII.

In gladio & arcu meo. Quæri potest quemadmodū ualeat ad literam conuenire. Emit enim centū agnis possessionem illā, non cœpit iure uictoriæ bellicæ. An quia Salem ciuitatem Sichimorū filij eius expugnauerūt, ut iure belli potuit eius fieri, & iustum bellum cum eis gestū uideatur, quia tantam priores iniuriam fecerunt in eius filia contaminādā? Cur non ergo illis illam terram dedit, qui hoc perpetrauerunt, hoc est maioribus filijs suis. Deinde si modo ex illa uictoria gloriās, dat eam terram filio suo Ioseph, cur ei displicuerūt tunc filij qui hoc cōmiserunt? Cur denique etiam nunc, cùm eos benediceret, exprobrando id cōmemorauit in factis eorū? Proculdubiò ergo aliquod hîc lateat propheticum sacramentū, quia & Ioseph quadam præcipua significatione Christum præfigurauit: & ei datur illa terra, ubi disperdiderat obruendo deos alienos Iacob, ut Christus intelligatur possessurus gentes, dijs patrum suorum renuntiantes & credentes in eum. D

CAPVT QVADRAGESIMVMNONVM.

Ex lib.12.contra Faust.Manich. Cap.XLII. Tomo VI.

C*ongregemini ut annunciem uobis quæ occursura sunt &c.* Hîc certè nemo dubitat prophetātis personā esse dilucidatam. Audiamus ergo quid dicat filio suo Iudæ, de cuius tribu Christus uenit ex semine Dauid secūdum carnem, sicut Apostolica doctrina testatur: Iuda, inquit, te laudabunt &c. Falsa sint ista, obscura sint ista, si non in Christo euidentissima luce claruerunt: si nō eum laudant fratres eius apostoli, & omnes cohæredes eius, non suā gloriā quærentes, sed ipsius: si non sunt manus eius super dorsa inimicorum eius: si non deprimuntur atque curuantur ad terram crescentibus populis Christianis, quicunque illi adhuc aduersantur: si non eum adorauerunt filij Iacob in reliquijs, quæ per electionē gratiæ saluæ factæ sunt: si non ipse catulus leonis est, qui nascēdo paruulus factus est, propter hoc additū, de germinatione filius meus. Causa quippe reddita est quare catulus, in cuius laude alibi scriptum est: Catulus leonis fortior iumentis, hoc est, etiam paruulus fortior maioribus: si non ascendit in cruce recumbens, cùm inclinato capite reddidit spiritum: si non dorminit ut leo, quia & in ipsa morte non est uictus, sed uicit, & ut catulus leonis, inde enim mortuus, unde & natus: si non ille eum suscitauit à mortuis, quem nemo hominum

Pro.30.

A hominũ uidit, nec uidere poteſt. Eo enim quod dictũ eſt: Quis ſuſcitabit eum? ſatis expreſſa eſt tãquã ignoti ſignificatio: ſi defuit princeps ex Iuda, et dux de fœmoribus eius, donec uenirent oportuno tẽpore, quæ promiſſa tãquã repoſita fuerãt. Sunt enim literæ certiſsimæ hiſtoriæ ipſorum quoq; Iudæorũ quibus oſtenditur primũ alienigenã Herodẽ regem fuiſſe in gẽte Iudæorũ, quo tempore natus Chriſtus eſt. Ita non defuit rex de ſemine Iuda, donec uenirent quæ repoſita erãt illi. Sed quia non ſolis Iudæis fidelibus profuit quod promiſſum eſt, uide quid ſequatur: Et ipſe expectatio gentiũ. Ipſe alligauit ad uineã pullũ ſuũ, id eſt, populũ ſuũ in cilicio prædicãs & clamãs: Agite pœnitentiã, appropinquauit enim regnũ cœlorũ. Populum autẽ gentiũ illi ſubditum cognoſcimus, pullo aſinæ cõparatũ, in quo etiã ſedit ducens eum in Hieruſalẽ, id eſt, in uiſionem pacis, docens mãſuetos uias ſuas: ſi non lauit in uino ſtolã ſuam, ipſa eſt enim glorioſa eccleſia: quam ſibi exhibet non habentem maculam aut rugam. Cui dicitur etiam per Eſaiam: Si fuerint peccata ueſtra ſicut phœnicium, tanquam niuẽ dealbabo. Vnde niſi de dimiſsis peccatis? In quo ergo uino niſi illo de quo dicitur, quod pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum? Ipſe eſt enim botrus ille qui pepẽdit in ligno. *Eſa.* 1.
Propterea & hîc uide quid adiungat: Et in ſanguine uuę amictum ſuũ. Iam uerò fulgere oculos eius à uino, illa in corpore eius membra cognoſcũt, quibus donatum eſt ſancta quadã ebrietate alienatæ mentis ab infrà labentibus temporalibus, æternã lucem ſapientiæ cõtueri. Vnde quiddam paulò antè cõmemorauimus dicente Paulo: Siue enim mente exceſsimus Deo. Hi ſunt fulgẽtes oculi à uino. Sed 1. *Cor.* 5.
tamen ſequitur: Siue temperantes ſumus uobis, nec paruuli relinquuntur adhuc
B lacte nutriendi, quia & hîc ſequitur: Et dentes candidiores lacte.

Quæſt. ſuper Gen. lib. 1. Cap. CLXVIII. Tomo IIII.

Appoſitúsque eſt ad populũ ſuum. Videndum quomodo dicant ſcripturæ, quod aſsiduè dicunt de mortuis: Et appoſitus eſt ad patres ſuos, uel appoſitus eſt ad populum ſuũ. Ecce enim de Iacob dicitur, iam quidem mortuo, ſed nondum ſepulto: & ad quẽ populum apponatur, non in promptu eſt uidere. Ex illo enim populus prior naſcitur, qui dictus eſt populus Iſraël, qui uerò eum præceſſerunt, tam pauci iuſti nominantur, ut eos populum appellare cunctemur. Nam ſi dictũ eſſet, appoſitus eſt ad patres ſuos, nulla quæſtio fieret. An fortè populus eſt, non ſolùm hominum ſanctorum, uerùm & angelorum, populus ciuitatis illius, unde dicitur ad Hebræos: Sed acceſsiſtis ad mõtem Sion, & ad ciuitatem Dei Hieruſalem, & ad *Heb.* 12.
millia angelorum exultantium. Huic populo apponuntur, qui poſt hãc uitam placentes Deo fiunt. Tunc enim dicuntur apponi, quando nulla iam remanet ſollicitudo tentationum & periculum peccatorum. Quod intuens ait ſcriptura: Ante mortem ne laudes hominem quenquam.

CAPVT QVINQVAGESIMVM.

Locut. de Gen. lib. 1. Tomo III.

Ixit Ioſeph *ſeruis ſuis ſepultoribus.* Non inuenit lingua latina quemadmo
D dum appellaret ἐνταφιαστὰς. Non enim ipſi ſepeliunt, id eſt, terræ mandant corpora mortuorum, quod non eſt græcè ἐνταφίασαι, ſed θάψαι.

Illi

Illi ergo ἐνταφιασταὶ id agunt, quod exhibetur corporibus humandis, uel cōdien do, uel ficcando, uel inuoluendo & alligando, in quo opere maximè egyptiorum cura præcellit. Quod ergo dicit etiam sepelierunt, curauerunt intelligere debemus. Et quod dicit quadraginta dies sepulturæ, ipsius curationis accipiendæ sunt. Sepultus enim ille non est nisi ubi se mandauerat sepeliri. C

Eiusdē lib. Cap.50. *Descende & sepeli patrem tuum.* Etiamsi per potentes illos per quos Ioseph mandauerat Pharao, dixit quòd perferrent ad Ioseph, non utique dixit nisi ipsi Ioseph.

Matth.8. Vnde illud est in euangelio, quòd unus euangelistarū dicit Centurionem uenisse

Luc.7. ad Dominum & dixisse illi: Puer meus iacet in domo paralyticus. Alius autem totum diligentius narrans, amicos eum ad Dominū misisse cōmemorat, qui hoc ei dicerent. In quibus amicis utique ipse uenit, cuius in eis uoluntas præsens fuit. Vn

Matth.10. de est: Qui uos recipit me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.

Quæst. super Gen. lib. Cap. CLXIX. Tomo IIII.

Transierunt quadraginta dies. Quadraginta dies sepulturæ, quos commemorat scriptura, fortè significant aliquid pœnitentiæ, qua peccata sepeliuntur. Nō enim frustrà etiam quadraginta dies ieiuniorum sunt constituti, quibus Moyses & Helias, & ipse Dominus ieiunauit: & ecclesia præcipua obseruatione ieiuniorū quadragesimam uocat, unde & in Hæbreo de Niniuitis apud Ionam prophetam scriptum perhibent, quadraginta dies & Niniue euertetur, ut per tot dies accōmodatos uidelicet humiliationi pœnitentium, intelligatur in ieiunijs sua defleuisse peccata, & impetrasse misericordiam Dei. Nec tamen putādum est istum numerum luctui pœnitentium tantūmodo conuenire, alioquin nō quadraginta dies fecisset Dominus cum discipulis suis post resurrectionem, intrans cum eis & exiens, manducans & bibens, qui dies utique magnæ lætitiæ fuerunt. Nec septuaginta inter- D

Ioan.3. pretes, quos legere consueuit ecclesia, errasse credendi sunt, ut non dicerent quadraginta dies, sed triduo & Niniue euertetur. Maiore quippe authoritate præditi quàm interpretum officium est, prophetico spiritu, quo etiam ore uno in suis interpretationibus, quod magnum miraculū fuit, consonuisse firmantur, triduum posuerunt: quamuis non ignorarēt, quòd dies quadraginta in Hrbræis codicibus legerentur, ut in Domini nostri Iesu Christi clarificatione intelligerentur dissolui

Rom.4. abolerique peccata, de quo dictum est: Qui traditus est propter delicta nostra: & resurrexit propter iustificationem nostram. Clarificatio autem Domini in resurrectione & in cœlum ascēsione cognoscitur. Vnde & bis numero, quāuis unum & eūdem spiritum sanctum dedit: primò postquā resurrexit, iterū posteaquam ascēdit in cœlum. Et quoniam post triduum resurrexit, post quadraginta autem dies ascendit, unum horum quod posterius factum est, per numerum dierum codices Hebræi significant: alterum autem de triduo, quod ad eandē etiam rem pertineret, septuaginta commemorare, non interpretationis seruitute, sed propheticę authoritate uoluerunt. Non ergo dicamus unum horum falsum esse, & pro alijs interpretibus aduersus alios litigemus, cùm & illi qui ex Hebræo interpretantur, probent nobis hoc scriptum esse quod interpretantur: & septuaginta interpretum authoritas, quæ quanto etiam diuinitus facto miraculo commendatur, tanta in ecclesijs uetustate firmetur.

D. AVRELII

A D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN EXODVM COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. LXXXIIII. Tomo X.

Ortuus est Ioseph, & filii Israel creuerunt &c. Audiuimus in lectione quæ lecta est fratres dilectissimi, quòd mortuo Ioseph, filij Israël
M creuerunt, & multiplicati sunt nimis, & quasi hærba germinauerunt. Quid est hoc fratres charissimi? Donec uiueret Ioseph non referuntur creuisse filij Israël, nec quòd multiplicati sunt nimis: sed posteaquam mortuus est, sic germinasse dicuntur, cùm utique sub patrocinio uel defensione Ioseph magis debuerant crescere & multiplicari. Sed hæc fratres charissimi, in illo Ioseph figurata sunt, in nostro autem Ioseph, id est, Domino Christo in ueritate completa sunt. Prius enim quàm moreretur, id est, quàm crucifigeretur Ioseph noster, pauci in eum crediderunt: posteaquam uerò mortuus est & resurrexit, in uniuerso mũdo multiplicati sunt, & creuerunt Israëlitæ, id est, populi Christiani. Sic & ipse Dominus in euangelio dixit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solùm manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Postea enim quàm passione præciosum granum *Ioan.12.*
B frumenti mortuum est, & sepultum, per uniuersum mundum de uno illo grano messis ecclesiæ pullulauit. Non enim, sicut anteà, in Iudęa tantùm notus est Deus, nec solùm in Israël nomen eius colitur, sed à solis ortu usque ad occasum nomen illius collaudatur. Interea mortuus est Ioseph, & surrexit nouus rex in Aegypto, qui ignorabat Ioseph, & alloquitur gentem suam, ut persequerentur filios Israël. Dum rex ille uiueret, qui nouerat Ioseph, non referuntur afflicti fuisse filij Israël, nec in luto & latere fatigati, nec masculi eorum necati & fœminæ uiuificatæ, sed posteaquam surrexit rex ille qui non nouerat Ioseph, omnia illa gesta referũtur. Hæc enim fratres secundum quod dicit Apostolus, in figura contingebant populo Iudæorum, scripta sunt autem propter nos. Quod in illis carnaliter figurabatur, in nobis spiritaliter adimpletur. Et nos ergo si diligenter attendimus, intus in nobis in homine interiore hæc fieri frequenter agnoscimus. Anima enim nostra aut à legitimo rege regitur, aut à tyranno uastatur. Si enim Deo adiuuante piè uiuimus, si de charitate, de misericordia, & de patientia atque pœnitentia, cæterísq; his similibus cogitamus, licet adhuc in Aegypto, id est in carne simus, tamẽ à Christo rege gubernamur, & ipse regit nos in luto & latere, sed non consumit, nec nos curis terrenis uel nimijs sollicitudinibus atterit & affligit. Si uerò anima nostra cœperit declinare à Deo, & ea quæ sunt turpia & inhonesta sectari, tunc prudentia carnis quæ inimica est Deo, repudiato rege Christo, subdit infœlicia colla tyrãno. Quod cùm fuerit factum, alloquitur gentem suam, id est corporis uoluptates: & uitiorum ducibus ad consilium conuocatis initur deliberatio aduersus filios Israël *1.Cor.10.*

Israël,id est,aduersus cogitationes sanctas & acceptabiles Deo,quomodo circū- C
ueniantur,quomodo opprimantur, ut luto & lateribus affligantur, ut masculos interficiant & fœminas reseruent. In masculis intelligitur sensus rationabilis, in fœminis concupiscentia carnis. Vult ergo diabolus in nobis uiros occidere, & fœminas reseruare,id est,sensum in nobis rationabilem ac Deum uidētem extinguere,& quæ ad concupiscentiam carnis pertinent reseruari. Non nobis hæc ad historiā tantùm scripta sunt,nec putandū est diuinos libros Aegyptiorum gesta
Roma.15. narrare,sed quæ scripta sunt,sicut Apostolus ait,ad nostram doctrinam & cōmonitionem scripta sunt,ut tu qui hæc audis,& gratiam baptismi iam cōsecutus es, & annumeratus es inter filios Israël,& suscepisti in regem Christum,si post hoc declinare uolueris & pro cupiditate opera seculi agere,actus terræ & luti,id est, luxuriosa explere ministeria agnoscas & intelligas,quia surrexit in te rex alius, qui nescit Ioseph. Rex Aegypti ipse te cogit ad opera sua,non iustitiæ,sed iniquitati seruire:ipse faciet laterem sibi operari & lutum:ipse te sub præpositis,magistris,& compulsoribus ad opera terrena & luxuriosa plagis & uerberibus aget: ipse est qui te fecit discurrere per seculum,maris ac terræ elemētis pro cupiditate turbari:ipse est rex Aegypti,qui te forum pulsare litibus facit,& pro exiguo terræ cespite propinquos iurgijs fatigare: ipse est qui te persuadet luxuria castitati insidiari,decipere innocentiā,in domum tuam quæ sunt fœda,foris quæ sunt crudelia,intra conscientiam quæ sunt flagitiosa cōmittere. Si ergo tales uideris esse actus tuos,scito te regi Aegypti militare,id est,non Christi,sed diaboli spiritu agi. Nos fratres charissimi,qui ante aduentum Domini saluatoris domus diaboli fuimus,& per gratiam Christi de potestate ipsius liberari meruimus,quātùm possu- D
mus ipso Deo adiuuante laborare debemus,ne à nobis malis actibus nostris offensus Christus abscedat,& diabolus illo recedēte succedat,ne fortè cor nostrū uero lumine effocato tenebrosa nox occupet.

Quidnam est hoc quod facere uoluistis? Vide Gen.cap.18.in hæc uerba: Sara risit post ostium.

Quæst.super Exod.lib.2.Cap.1. Tomo IIII.

Non sunt Hebrææ sicut Aegyptiæ mulieres. Quæri solet utrùm talia mendacia approbata sunt authoritate diuina,quandoquidem scriptum est,Deum bene fecisse obstetricibus:sed utrùm pro misericordia ignoscebat mendacio: an & ipsum mendacium dignum præmio iudicabat, incertum est. Aliud enim faciebant obstetrices uiuificando infantes paruulos,aliud Pharaoni mentiendo. Nam in illis uiuificandis opus misericordiæ fuit,mendacio uerò illo pro se utebātur ne noceret illis Pharao,quod potuit non ad laudem, sed ad ueniam pertinere. Neque hîc authoritatem ad mentiendum esse propositam mihi uidetur eis de quibus di-
Apo.14. ctum est: Et non est inuentum in ore eorum mēdacium. Quorundam enim uita longè inferior à professione sanctorum,si habeat ista mendaciorū peccata, prouectu ipso & indole feruntur, præsertim si beneficia nondum norunt expectare cœlestia,sed circa terrena occupantur. Qui autem ita uiuunt ut eorum conuer-
Phil.3. satio,sicut dicit Apostolus,in cœlis sit,non eos existimo linguæ suæ modū,quantùm ad ueritatem promendam attinet,falsitatémque uitandam exemplo illo obstetricum

A obstetricum debere formare.

Bene ergo fecit Deus obstetricibus. Vide Iudic.capite secundo in hæc uerba: Fateor uenerunt ad me,sed nesciebam.

Locut.de Exod.lib.2. Tomo III.

Et fecerunt sibi domos. Prædictum est enim:Benefaciebat Deus cum obstetricibus.Et ad hoc uidetur pertinere quòd fecerant sibi domos timendo Deum, tanquam beneficia Dei ad hoc eis profuerint ut facerent sibi domos. Nunquid anteà non eas habuisse domos intelligendum est? An ad diuitias,hoc uerbum pertinet, uel potius ad aliquas rei familiaris idoneas facultates? Huic enim simile uidetur, quòd ait etiam Iacob post quatuordecim annos seruitutis suæ socero suo uolenti eum adhuc apud se tenere.Nunc ergo quando faciam & ego mihi domum,dixerat enim quòd creuerant pecora Laban sub illo,sicut & ipse Laban confessus fuerat dicens:Benedixit me Deus in introitu tuo.Cùm ergo dicit,quando faciam & Gen.30. ego mihi domum,subintelligitur sicut & tu: Hoc uidetur enim ualere quòd ait, & ego,ut ad ipsam domum faciendam uideatur pertinere, quòd consequenter ad Laban merces ipsa statuenda proponitur.

CAPVT SECVNDVM.

Ex Lib.22.cont.Faust.Manich. Cap.XC. Tomo VI.

Vidérétque Aegyptium uirum percutientem quendam Hebræum &c. Quòd enim fratrem defendens occidit Aegyptium, cuius facillimè occurrit,iniuriosum nobis in hac peregrinatione diabolũ à domino Chri-

B sto nobis defensis occidi.Quòd uerò in arena obruit interemptum, manifestum est eius iam morticinam præsentiam in eis latere, qui non habent stabile fundamentum.Vnde ecclesiam Dominus super petrã ædificat:& eos qui audiunt uerbum eius,& faciunt,comparat prudẽti uiro,qui ædificat domum super petram, ne tentationibus cedat & corruat.Illos autem &c. Eiusdẽ lib.

Percussit Aegyptium. Vt interim omittã,quòd cùm percussisset Aegyptium, cap.70. quanquam illi Deus non præciperet,in persona tamen prophetica adhuc diuinitus fieri permissum est,ut futurum aliquid præsignaret:unde nunc non ago, sed omnmò tanquam nihil significauerint facta illa,discutio: consultáque illa æterna lege,reperio non debuisse hominem ab illo,qui nullam ordinatã potestatem gerebat,quamuis iniuriosum & improbum occidi. Veruntamen animæ uirtutis capaces ac fertiles,præmittunt sæpe uitia,quibus hoc ipsum indicent,cui uirtuti sint potissimum accommodatæ,si fuerint præceptis excultæ. Sicut enim & agricolæ, quam terram uiderint,quamuis inutiles,tamen ingentes herbas progignere,frumentis aptam esse pronuntiant:& ubi filicem aspexerint,licet eradicandam sciũt, ualidis uitibus habilem intelligunt:& quem montem oleastris syluescere aspexerint,oleis esse utilem, cultura accedente non dubitant: sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam perpetientem, nón obseruato ordine potestatis,inultum esse non pertulit: nõ uirtutum fructibus inutilis erat,sed adhuc incultus,uitiosa quidẽ, sed magnæ fertilitatis signa fundebat.Ipse deniq; per angelum suum diuinis Moysen uocibus euocauit in monte Syna, per quem

quem liberaretur ex Aegypto populus Israël, eúmque miraculo uisionis in rubo flammante & non ardente, uerbísque Dominicis ad frugem obedientiæ prępara uit: qui etiam Saulum ecclesiam persequentem de cœlo uocauit, prostrauit, erexit, impleuit, tanquam percussit, amputauit, inseruit, fœcundauit. Illa nanque Pauli sæuitia, cùm secundum æmulationem paternarum traditionum persequebatur ecclesiam, putans officium Deo se facere, tanquam syluestre erat uitium, sed magnæ feracitatis indicium. Hinc erat etiam illud Petri cùm euaginato gladio, uolēs defendere Dominum, aurem persecutoris abscidit, quod factū Dominus satis mi- C

Matth. 26 naciter cohibuit, dicens: Reconde gladium: qui enim gladio usus fuerit, gladio cadet. Ille autem utitur gladio, qui nulla superiori ac legitima potestate uel iubente uel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Nam utique Dominus iusserat, ut ferrum discipuli eius ferrent, sed non iusserat ut ferirent. Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est pastor ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Aegyptium factus est rector illius synagogæ? Vterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitiæ regulam excessit: uterque odio improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste Dominico: licet adhuc carnali, tamen amore peccauit. Resecandum hoc uitium uel eradicandum: sed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ferendis uirtutibus excolendum.

CAPVT TERTIVM.

De Trinit. Lib. 2. Cap. XIII. Tomo III.

Pparuit autem illi angelus Domini in flamma ignis de rubo. Et hîc primò angelus Domini dictus est, deinde Deus. Nunquid ergo angelus est D

A Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Potest ergo rectè intel

Rom. 9. ligi ipse saluator, de quo dicit Apostolus: Quorum patres, & ex quibus Christus secūdum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Qui ergo super omnia est Deus benedictus in secula, non absurdè etiam hîc ipse intelligitur Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Sed cur prius angelus Domini dictus est, cùm de rubo in flamma ignis apparuit, utrùm quia unus ex multis angelis erat, sed per dispensationem personam Domini sui gerebat: an assumptum erat aliquid creaturæ, quod ad præsens negocium uisibiliter appareret, & inde uoces sensibiliter æderētur, quibus præsentia Domini per subiectam creaturam corporeis etiam sensibus hominis sicut oportebat exhiberetur? Si enim unus ex angelis erat, quis facilè affirmare possit, utrùm ei filij persona nuntianda imposita fuerit, an spiritussancti, an Dei patris, an ipsius omninò trinitatis, quæ est unus & solus Deus, ut diceret: Ego sum Deus Abrahā, Deus Isaac, & Deus Iacob? Neque enim possumus dicere Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob, filium Dei esse, & patrem non esse, aut spiritum sanctum, aut ipsam trinitatem quam credimus & intelligimus unum Deum, audebit aliquis negare Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob. Ille enim non est illorū patrum Deus qui non est Deus. Porrò si non solùm pater Deus est, sicut etiam omnes hæretici concedunt, sed etiam filius, quod uelint nolint coguntur fateri, dicente Apo

Rom. 9. stolo: Qui est super omnia Deus benedictus in secula: & spiritussanctus dicente ipso

A ipſo Apoſtolo: Clarificate ergo Deũ in corpore ueſtro, cùm ſuprà diceretur: Neſcitis quoniã corpora ueſtra templum in uobis eſt ſpiritusſancti, quẽ habetis à Deo: & hi tres unus Deus, ſicut catholica ſanitas credit: non ſatis elucet quã in trinitate perſonã, & utrũm aliquam, an ipſius trinitatis gerebat ille angelus, ſi unus ex cæteris angelis erat. Si autem in uſum rei præſentis aſſumpta creatura eſt, quę & humanis oculis appareret, & auribus inſonaret, & appellaretur angelus Domini, et Dominus et Deus, non poteſt hîc Deus pater intelligi, ſed aut filius, aut ſpiritusſanctus: quanquã ſpiritum ſanctũ alicubi angelum dictũ non recolam, ſed ex opere poſsit intelligi. Dictum enim de illo eſt: Quæ uentura ſunt annuntiabit uobis. Et utique angelus græcè, latinè nuntius interpretatur. De domino autem Ieſu Chriſto euidentiſsimè legimus apud prophetam quòd magni conſilij angelus dictus ſit, cùm & ſpiritus ſanctus & Dei filius ſit Deus & Dominus angelorum. Eſa. 9.

Ex Lib. Sermo. de Temp. Serm. 86. Tomo X.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. In lectione diuina fratres chariſsimi, quæ nobis recitata eſt audiuimus, quòd poſteaquã ſanctus Moyſes natus eſt, propter metum Pharaonis miſſus ſit in fiſcellam ſcirpeam, & proiectus in carectum fluminis. Si diligenter attẽdimus fratres chariſsimi, ſicut beatum Iſaac & Iacob & Ioſeph, ita Moyſen typum Chriſti prætuliſſe cognoſcimus. Deniq; cõſiderate diligentius & uidebitis quãta in illo ſint figurata myſteria. Moyſes à muliere Iudæa naſcitur, & à Pharaonis filia adoptatur. Filia enim Pharaonis eccleſiam figurauit, quæ exierat de domo patris ſui, & ueniebat ut lauaretur ad aquã. Pharao in diaboli typum accipitur, filia eius, ſicut dixi, eccleſia intelligitur. Quòd autem pater eius diabolus antea fuerit Dominus in euangelio Iudęos increpans, ait: Vos, inquit, ex patre diabolo eſtis. Patrem ergo diabolum habuimus, non ex eo naſcendo, ſed nequitias illius imitando. Exierat ergo filia Pharaonis de domo patris ſui, quæ quamuis impium habuerit patrem, attamen ei dicitur per prophetam: Audi filia & uide, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui. Qui dicit, audi filia, pater eſt. Et ille qui admonetur obliuiſcendus, pater nihilominus nominatur: ac ſic Deus pater admonet, ut diabolum patrem debeat relinquere. Hæc ergo eſt eccleſia quæ exijt de domo patris ſui diaboli, & ad aquam, id eſt, ad aquam baptiſmi feſtinauit, ut lauaretur à peccatis quæ in domo patris ſui contraxerat. Denique ſtatim uiſcera miſericordiæ accipere meruit, & collegit Moyſen à parentibus ſuis proiectum in flumine. Moyſes ergo à matre ſua proijcitur, & à Pharaonis filia inuenitur atque colligitur: & Chriſtus dominus à ſynagoga de qua natus eſt repudiatur, & ab eccleſia inuenitur atque ſuſcipitur. Poſtquam autem creuit Moyſes, abijt in regionem longinquam, & accępit Aethiopiſſam uxorem. Agnoſcite fratres, hoc non paruum eſſe myſterium, Aethiopiſſa illa ex gentibus erat, quam beatus Moyſes duxit uxorem, quia & Chriſtus ex gentibus ſibi ſociaturus erat eccleſiam. Moyſes dereliquit populum ſuum in longinquis regionibus, & Aethiopiſſæ coniungitur: & Chriſtus derelicto populo Iudæorum, de extremis regionibus eccleſiæ ſociatur, illi utique quæ dicit in pſalmis: A finibus terræ ad te clamaui. Audi ex perſona eccleſiæ, in Canticis Canticorum ait eccleſia: Nigra ſum & formoſa. Quid eſt nigra ſum & formoſa, niſi nigra per natu- ram

B (margin, at "tem pater eius diabolus") — Ioan. 8. — Pſal. 44. — Pſal. 60. — Cant. 1.

Can.2. ram,formosa per gratiam? Nigra originali peccato,formosa baptismi sacramen- C
to. Dum ergo pasceret Moyses oues soceri sui in deserto,apparuit ei Dominus in rubo,& dixit Moyses: Vadam,& uidebo quare rubus ardet,& non consumitur. Et appropinquanti dixit Dominus. Ne appropinques huc,sed solue corrigiā calciamēti tui,quia locus in quo stas terra sancta est. Rubus ille genus est spinarum. Ardebat enim & non consumebatur. In rubo significata est synagoga Iudæorum. Multo enim tempore in eis feruor & flamma spiritus sanctus fuit,& tamen ita contra Dei gratiam rebelles semper spiritui sancto restiterunt,ut eorum peccata uel sacrilegia igne sancti spiritus consumi non possent. Dixit autem Dominus ad Moysen: Veni & mittam te in Aegyptum. Et respōdens Moyses dixit: Domine non sum eruditus & tardus sum ad loquendum. Et ait illi Dominus: Ego aperiā os tuum,& instruam te quæ oportet te loqui. Beati sunt quorum os Dominus aperit ut loquantur. Omnibus enim qui pro ueritate, pro iustitia, pro castitate, pro humilitate, pro misericordia loquuntur, sine ulla dubitatione os illorum non aperit nisi Dominus. Sicut econtrario qui de luxuria, de auaritia, de superbia, de rapinis, de scurrilitate uel nequitia assiduè loquuntur, quis illorum os aperiat nō opus est dicere, potest hoc unusquisque sine ulla difficultate cognoscere. Et ideo fratres charissimi, auxiliante Domino bona iugiter cogitemus, ut os nostrum nō crudelis aduersarius, sed Deus pius aperiat. Ex abundantia enim cordis os loqui-
Luc.6. tur. Vnusquisque nostrum cuius præsentiā susceperit in corde, ipsius uerba proferre consueuit ex ore. Nostrum autem cor aperiatur Christo, & claudatur diabolo, ut in nobis impleatur illud quod de Domino & populo sancto scriptum est:
Leuit.16. Et habitabo, inquit, in eis, & inambulabo. Et iterum: Ego & pater ueniemus, & D
Ioan.14. mansionem apud eum faciemus. Qui semper per quod iustum est loquitur, & Deus in illo habitat & ipse in Deo.

De Trinit. Lib.3. Cap. XI. Tomo III.

Dixit Dominus ad Moysen. Sed ait aliquis, cur ergo scriptū est: Dixit Dominus ad Moysen, & nō potius: Dixit angelus ad Moysen? Quia cùm uerba iudicis præco pronūciat, non scribitur in gestis, Ille præco dixit, sed ille iudex: sic etiā loquente propheta sanctos, etsi dicamus, propheta dixit, nihil aliud quàm Dominum dixisse intelligi uolumus. Et si dicamus, Dominus dixit, prophetam non subtrahimus, sed quis per eum dixerit admonemus. Et illa quidem scriptura sæpe aperit angelum esse Dominum, quo loquente identidem dicitur, Dominus dixit, sicut iam demōstrauimus. Sed propter eos, qui cùm scriptura illic angelum nominat, ipsum per seipsum filium Dei uolūt intelligi quia propter annūtiationem paternæ ac suæ uoluntatis à propheta dictus est angelus propterea uolui ex hac epistola manifestius testimonium dare, ubi non dictum est, per angelū, sed per angelos.
Act.7. Nam & Stephanus in actibus Apostolorum eo more narrat hæc, quo etiam in libris ueteribus conscripta sunt: Viri fratres & patres audite, inquit: Deus gloriæ apparuit Abrahæ patri nostro, cùm esset in Mesopotamia. Ne quis autem arbitraretur tunc Deum gloriæ per id quod in seipso est, cuiusquam oculis apparuisse mortalium, in consequētibus dicit, quòd Moysi angelus apparuerit: Fugit, inquit,
Exo.2. Moyses in uerbo isto, & factus est inquilinus in terra Madian, ubi genuit filios duos.

A duos. Et completis illic annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis sina angelus Domini in flamma ignis in rubo, Moyses autem uidens, mirabatur uisum. Qui cùm accederet considerare, facta est uox Domini dicens: Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat cōsiderare. Dixítque illi Dominus: Solue calciamentum pedum tuorum &c. Hîc certè & angelum & Dominum dicit, eundémque Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob, sicut in Genesi scriptum est. An fortè quisquam dicturus est, quòd Moysi per angelum apparuit Dominus, Abrahæ uerò per sepsum? At hoc à Stephano non quæramus, ipsum librum unde Stephanus ista narrauit, interrogemus. Nunquid enim quia scriptum est: Et dixit dominus Deus ad Abraham. Et paulò pòst: Et uisus est dominus Deus Abrahæ, propterea ista non per angelos facta sunt, cùm alio loco similiter dicat: Visus est autem ei Deus ad ilicem Mambræ, sedenti ad ostium tabernaculi sui meridie. Et tamen consequenter adiungit: Respiciens autem oculis suis uidit, & ecce tres uiri stabant propter eum, de quibus iam diximus. Quomodo enim poterunt isti, qui uel à uerbis ad intellectum nolunt assurgere, uel facilè se ab intellectu in uerba præcipitant, quomodò poterunt explicare uisum esse Deum in uiris tribus, nisi eos, sicut etiam consequentia docent, angelos fuisse fateantur? An quia non dictum est, Angelus ei locutus est uel apparuit, propterea dicere audebunt, Moysi quidem illam uisionem ac uocem per Angelum factam, quia ita scriptum est, Abrahæ autem, quia commemoratio angeli non est facta, per substantiam suam Deum apparuisse atque sonuisse. Quid quòd nec apud Abraham de angelo tacitum est? Nam ita legitur cùm immolandus filius eius præciperetur. Et factum est post hæc uerba, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. Et ille dixit: Ecce ego. Et dixit ei: Accipe filium tuum dilectum, quem diligis Isaac, & uade in terram excelsam, & offer eum ibi holocaustum super unum montem quem tibi dixero. Certè hîc Deus, non angelus commemoratus est. Paulò pòst uerò ita se habet scriptura: Extendens autem Abraham manum suam, sumpsit gladium, uolens occidere filium suum. Et uocauit eum angelus Domini de cœlo, & dixit ei, Abraham, Abraham. Et dixit: Ecce ego. Et dixit: Ne inijcias manum tuam super puerum, neque facias ei quicquam. Quid ad hoc respondetur? an dicturi sunt Deum iussisse ut occideretur Isaac, & angelum prohibuisse? Porrò ipsum patrem aduersum Dei præceptum, qui iusserat ut occideret, obtemperasse angelo ut parceret? Ridendus & abijciendus hîc sensus est. Sed neque huic tam crasso & abiecto ullum locum scriptura esse permittit, continuò subiungens: Nunc enim cognoui quia times Deum tu, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Quid est propter me, nisi propter eum qui occidi iusserat? Idem igitur Deus Abrahæ qui angelus, an potius per angelum Deus. Accipe sequentia. Certè iam hîc angelus manifestissimè expressus est, attende tamen quid contexatur: Respiciens Abraham oculis suis uidit, et ecce aries unus tenebatur in arbore Sabech cornibus, & abijt Abraham, & accepit arietem, et obtulit eũ holocaustum pro Isaac filio suo. Et cognominauit Abrahã nomen loci illius, Dominus uidit, ut dicant hodie quod in monte Dominus uisus est: sicut paulò antè quod di

Marginalia: Exo. 5. (beside "Qui cùm accederet"); Gen. 12. (beside "nus ista narrauit"); Gen. 17. (beside "nus Deus ad Abraham"); Gen. 18. (beside "propterea ista non"); B (beside "citum est? Nam ita legitur"); Gen. 22. (beside "est post hæc uerba")

xit Deus per angelum: Nunc enim cognoui quia times Deum, non quia tunc De- C
us cognouisse intelligendus est, sed egisse ut per Deum ipse Abraham cognosce-
ret quantas haberet uires cordis ad obediendum Deo usque adimmolationẽ uni
ci filij: illo modo locutionis quo significatur per efficiẽtem id quod efficitur, sicut
dicitur frigus pigrũ, quod pigros facit: ut ideo cognouisse diceretur, quia ipsum
Abraham cognoscere fecerat, quem poterat latẽre fidei suæ firmitas, nisi tali ex-
perimento probaretur. Ita & hic cognominauit Abraham nomẽ loci illius, Domi
nus uidit, id est, quòd uideri se fecit. Nam cõtinuò secutus ait: ut dicãt hodie quòd
in monte Dominus uisus est. Ecce idem angelus, Dominus dicitur, quare nisi quia
per angelum Dominus? Iã uerò in eo quod sequitur, propheticè omninò loqui-
tur angelus, & prorsus aperit quòd per angelum Deus loquatur: Et uocauit, in-
Gen.22. quit, angelus Domini Abraham iterum de cœlo, dicens: Per me iuraui dicit Domi
nus, pro eo quòd fecisti hoc uerbum, & nõ pepercisti filio tuo dilecto propter me
&c. Hæc certè uerba ut dicat ille per quẽ loquitur Dominus, Hæc dicit Dominus,
etiam prophetæ solent habere. An filius Dei de patre ait, Dicit Dominus, & ipse est
ille angelus patris? Quid ergo de illis tribus uiris, nónne respiciunt quomodo ur
geantur, qui uisi sunt Abrahæ, cùm prædictũ esset, uisus est ei Dominus, An quia
Dan.8. uiri dicti sunt, non erant angeli? Danielem legant dicentem: Ecce uir Gabriel. Sed
et.9. quid ultrà differimus ora eorum euidentissimo atque grauissimo alio documen
to oppilare, ubi nõ angelus singulariter, nec uiri pluraliter, sed omninò angeli di-
cuntur: per quos sermo non quilibet factus, sed lex ipsa data manifestissimè ostẽ
ditur, quam certè nullus fidelium dubitat Deum dedisse Moysi ad subiugandum
Act.7. populum Israël, sed tamen per angelos datam. Ita Stephanus loquitur: Dura cer D.
uice, inquit, & non circuncisi corde & auribus uos semper spirituisancto restiti-
stis, sicut & patres uestri: Quem prophetarum non persecuti sunt patres uestri?
Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu iusti, cuius nunc uos prodito-
res & interfectores fuistis, qui accepistis legem in edictis angelorum, nec custodi-
stis. Quid hoc euidentius, quid tanta authoritate robustius? In edictis quidem an-
gelorum lex illi populo data est, sed domini Iesu Christi per eum disponebatur et
prænũtiabatur aduẽtus. Et ipse tanquã uerbũ Dei miro & ineffabili modo erat in
angelis, in quorũ edictis lex ipsa dabatur, unde dicit in euãgelio: Si crederetis moy
Ioan.5. si crederetis et mihi, de me enim ille scripsit. Per angelos ergo tũc Dominus loque
batur, per angelos filius Dei, mediator Dei & hominũ futurus ex semine Abrahæ
suum disponebat aduentum, ut inueniret à quibus reciperetur confitentes reos,
quos lex non impleta fecerat trasgressores. Vnde & Apostolus ad Galatas dicit:
Gal.3. Quid ergo lex? transgressionis gratia proposita est, donec ueniret semen cui pro
missum est, disposita per angelos in manu mediatoris, hoc est, disposita per ange-
los in manu sua. Non enim natus est per conditionem, sed per potestatem. Quòd
autem nõ aliquem ex angelis dicit mediatorem, sed ipsum dominũ Iesum Chri-
I.Timo.2 stum, inquantum homo fieri dignatus est, habes alio loco: Vnus, inquit, Deus, &
unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Hinc illud pascha interfe-
ctione agni: hinc illa omnia quæ de Christo uenturo in carne atque passuro, sed
& resurrecturo, in lege figurantur, quæ data est in edictis angelorum, donec ue-
niret

A niret, semẽ, disposita per angelos in manu mediatoris. In quibus angelis erat utiq; & pater & filius & spiritussanctus: & aliquando pater, aliquãdo filius, aliquãdo spiritussanctus, aliquando sine ulla distinctione personæ Deus per illos figurabatur, etsi uisibilibus & sensibilibus formis apparens, per creaturam tamen suam, non per substantiam suam, cui uidendæ corda mundantur per hæc omnia quæ oculis uidentur, & auribus audiuntur.

Ex lib.12.de Ciuit.Dei ad Marcel. Cap.II Tomo V.

Ego sum qui sum. Cùm enim Deus summa essentia sit, hoc est summè sit, & ideo immutabilis sit, rebus quas ex nihilo creauit esse dedit, sed non summè esse sicut ipse est, & alijs dedit esse amplius, alijs minus: atque ita naturas essentiarum gradibus ordinauit &c.

Quæst. super Exod. Lib.2. Cap.VI. Tomo IIII.

Vasa argentea & aurea. Mãdati huius nõ potest iniustũ esse iudiciũ. Mandatum enim Dei est, de quo nõ iudicãdũ, sed ei obtẽperãdum fuit. Ille enim nouit quàm iustè mandauerit, ad seruum autem pertinet obedienter facere quod mandauit.

CAPVT QVARTVM.

Ex Lib. Serm. de Temp. Ser. 86. Tomo X.

Q*Vid est quod in manu gestas.* Virga illa fratres charissimi, crucis mysteriũ præferebat. Sicut enim per uirgam Aegyptus decem plagis percutitur, ita & per crucem totus mũdus humiliatur & uincitur. Et sicut Pharao & populus eius per uirgæ sacramentum affligitur, ut ad seruiendum Deo dimit-
B tat populum Iudæorum: ita diabolus & angeli eius per crucis mysterium fatigãtur & premuntur, ut à Dei seruitio reuocare non possint populum Christianũ. Quòd autem misit Moyses manum suam in sinum suum, & protulit eam leprosam, & iterum misit & protulit sanam, et carni reliquæ similem, non ociosè debemus accipere. In manu illa typus synagogæ uel ecclesię gerebatur. Sicut prior fuit populus Iudæorum, posterior gentium, ita antè fuit synagoga quàm ecclesia. Sed ecclesia eligitur & synagoga repudiatur, ideo in primis manus Moysi leprosa efficitur, & postea carni reliquæ similis redditur: ac sic synagoga propter infidelitatem leprosa relinquitur, ecclesia quasi manus sana, ad omne opus apta præeligitur. Leuauit ergo Moyses Sephorã uxorem suã, & ueniebat in Aegyptũ, & astitit Dominus contra eũ, & uolebat occidere eũ. Forsitan in hoc loco possumus intelligere, quòd displicuerit Deo, quare Moyses tãta mirabilia facturus, uxoris impedimentũ secũ ducere uellet in Aegyptum. Vnde datur intelligi, quòd ex illo loco remiserit uxorem suam ad socrum suum. Nam intantum sine illa descendit in Exod.18.
Aegyptũ, & postea iam in eremo constituto Moysi ipsam uxorẽ suam, sicut legimus, Iethro cognatus suus adduxerit. Quòd autẽ uirga proiecta in terrã, uersa est in serpentem, quid significet uideamus: Serpens pro sapientia reputatur, sicut Dominus in euangelio: Estote, inquit, prudentes sicut serpentes. Virgam crucẽ, Matth.10
diximus figurasse. Crux ergo quę infidelibus stultitia esse creditur, sicut dicit Apostolus: Gẽtibus stultitia, posteaquam in terrã missa est, id est, ad passionẽ Domini, præparata, uersa est in serpentẽ, hoc est, in sapientiã, & in tantam sapientiam quæ

omnem mundi istius sapientiã deuoraret, deniq; omnes serpentes quos magi in- C
cantationibus suis fecerant deglutiuit. Per uirgam ergo Aegyptus flagellatur, &
per crucem mundus uincitur, & diabolus superatur.

Quæst. super Exod. Lib. 2. Cap. VIII. Tomo IIII.

Quis fecit mutum & audientem. Sunt qui Deo calumniantur, uel scripturæ potius ueteris testamẽti, quia dixerat Deus, quòd ipse fecerat cęcũ & mutum. Quid ergo dicunt de domino Christo apertè in euangelio dicente: Ego ueni ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant? Quis autẽ nisi insipiens crediderit aliquid homini secũdum uitia corporalia posse accidere quod Deus nolit? Sed eum iustè totum uelle nemo ambigit.

Eiusdẽ lib. quæst. 4. *Et iratus iracundia dixit.* Quemadmodum possit intelligi irascens Deus, quia non sicut homo per irrationabilem perturbationem, per omnia tenendum est ubi tale aliquid scriptura dicit, ne de hoc eadẽ sæpe dicenda sint. Sed meritò quęritur, cur hîc iratus de fratre Moysi dixerit, quòd ille ipse loqueretur ad populum: uidetur enim tanquam diffidenti non dedisse plenissimam facultatem, quam daturus erat: & per duos agi uoluisse, quod etiam per unum posset si credidisset. Veruntamen eadem uerba omnia diligentius considerata, non significant iratum Dominum pro uindicta dedisse Aarõ. Sic enim dicit: Nónne ecce Aaron frater tuus Leuites, scio quia eloquens est, loquetur ipse? Quibus uerbis ostenditur Deus increpâsse potius eum, qui timeret ire quòd ipse esset minus idoneus, cùm haberet fratrem, per quem posset ad populum loqui quod uellet, quoniam erat ipse gracilis uocis, & linguæ tardioris, quanquam de Deo totum sperare deberet. Deinde eadem ipsa quæ paulò antè promiserat, & posteaquã iratus est dicit: Dixerat enim: D
Aperiam os tuum, & instruam te. Nunc autem dicit: Aperiam os tuum et os eius, & instruam uos quæ faciatis. Sed quoniam addidit: Et loquetur ipse tibi ad populum, uidetur oris apertio præstita, propter quod dicit Moyses linguæ se tardioris. De uocis autem gracilitate nihil ei Dominus præstare uoluit, sed propter hoc adiutorium fratris adiunxit, qui posset ea uti uoce, quæ populo docendo sufficeret. Quòd autem ait: Et dabis uerba mea in os eius, ostendit quòd ea loquendo esset daturus: nam si tãtummodo audiẽdo, sicut populo in aures diceret. Deinde quòd paulò pòst ait: Et loquetur ipse tibi ad populum, & ipse erit tuum os & sic subauditur ad populum. Et cùm dicit: Tibi loquetur ad populum, satis indicat in Moyse principatum, in Aaron ministerium: Deinde quod ait: Tu autem illi eris in his quæ ad Deum. Magnum hîc fortassis perscrutãdum est sacramentũ, cuius figuram gerat, uelut medius Moyses inter Dominum & Aaron, et medius Aaron inter Moysen & populum.

Eiusdẽ lib. quæst. 4. *Et ego aperiam os tuum.* Satis hîc apparet, non tantùm instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem ad Dei uoluntatem & gratiam pertinere. Non enim ait: Tu aperi os tuum, & ego instruam te, sed utrunque ipse promisit aperiam, & instruam. Alibi autem dicit in psalmo: Dilata os tuum, & adimplebo illud. Vbi significat in homine uoluntatem accipiendi, quod Deus donat uolẽti: ut ad uoluntatis exordium pertineat: Dilata os tuum: ad Dei autem gratiam: Et adimplebo illud. Hîc uerò & aperiam os tuum, & instruam te.

Item.

A Item, Vide caput.16.Pro.in hæc uerba:Hominis est præparare cor.

Locut.de Exod.Lib.2. Tomo III.

Mortui sunt omnes qui quærebant animam tuã. Cùm solum regem Aegypti scriptura dixerit mortuum,& de solo antea dictum fuerit, quòd Moysen quærebat occidere. An ipse post alios inimicos ultimus mortuus fuerit? Quod si ita est,non locutio sed sensus est. Item qui quærebant animam tuam,non in malo tãtùm,sed etiam in bono dici solet in scripturis. Nam sicut hîc in malo dictũ est,sic etiam in psalmis: Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam. In bono: Perijt fuga à me,& non est qui requirat animam meam. *Psal.39.* *Psal.141.*

Ex Lib.Sermon.de Temp,Serm.88. Tomo X.

Indurabo cor Pharaonis. Quotiens lectio illa recitatur, fratres charissimi,in qua frequenter audimus cor Pharaonis Dominum indurasse non solùm laicis, sed etiam aliquibus clericis solet scrupulum generare. Dicunt enim aliqui inter se: Cur enim iniquitas illa Pharaoni imputatur, cùm Dominus cor illius obdurasse referatur? Et quia de hac re immundissimi Manichæi sacrilego furore scripturam ueteris testamenti reprehendere solent, rogos uos,fratres charissimi,diligenter attendite,quia etsi non quantùm debemus, certè uel quantùm possumus breuiter uolumus charitati uestræ suggerere,qualiter obdurationem illam debeatis accipere. Primò hoc fideliter & firmiter credat dilectio uestra, quia nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Cùm enim & semel & secundò & tertiò unusque grauia peccata commiserit, expectat tamen illum Deus,sicut per prophetam dicit, ut conuertatur & uiuat.

B Cùm uerò in peccatis suis cœperit permanere,de multitudine peccatorum nascitur desperatio,ex desperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua quia parua sunt,crescentibus minutis peccatis adduntur etiam crimina,& cumulum faciunt & demergunt. Quod cùm factum fuerit,impletur hoc quod scriptum est: Peccator cùm uenerit in profundum malorum contemnit. De talibus & apostolus dicit: Ignoras quòd patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui & cor impœnitens,thesaurizas tibi iram in die iræ. Et de tali obduratione etiam alibi legimus: Equus indomitus euadit durus,& filius remissus euadit præceps. Et iterum de corrigendo filio scriptura loquitur. Vnde ait: Tunde latera filij tui dum infans est,ne induret & non consentiat tibi. Ista enim testimonia scripturarum ideo charitati uestræ insinuare uolui,ut intelligatis quia & obduratio non Dei potentia cõpellente perficitur,sed Dei remissione uel indulgentia generatur: ac sic Pharaonem non diuina potentia,sed diuina patientia credenda est obdurasse. Denique quotiens eum Dei plaga percussit,afflictus pœnituit. At ubi ei remissio diuina indulgentiam dedit,iterum se in superbiam elatus erexit. Hoc ergo diffinitissimè credite fratres,& hoc intelligite,quia quotiens Dominus dixit: Ego indurabo cor Pharaonis,non aliud intelligi uoluit,nisi ego,inquit,suspendo plagas meas & flagella, unde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto. Sed fortè aliquis dicat: Quare illum Deus parcendo indurari fecerit,& quare flagella remouerit? Hoc loco securus ego respondeo: Ideo Deus totiens flagella re- *Ezech.33.* *Pro.18.* *Rom.2.*

mouit, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum suorum non tanquam filius ad emendationem meruit corripi, sed tanquam hostis permissus est indurari. Tātæ enim illius iniquitates præcesserunt, & Deum totiens sacrilego ausu cōtempserunt, ut in illo impleretur quod de talibus spiritus sanctus dixit: In labore hominum non sunt & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Ecce qualiter obduratur, qui ad correctionem castigari à Domino non meretur. De illis autem quos indurari Dei misericordia non permittit, scriptum est: Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et iterum: Ego quos amo arguo & castigo. Et iterum: Quem enim diligit Dominus corripit. De hac obduratione etiam propheta ex persona populi ad Dominum clamat dicens: Indurasti cor nostrum ne timeremus te. Quod utique nō est aliud, nisi deseruisti cor nostrum, ne converteremur ad te. Quā rem multis præcedentibus sacrilegijs in populo Iudæorum impletam esse cognouimus. Nemo ergo cū Paganis aut Manichæis Dei iustitiā reprehendere aut culpare præsumat, sed certissimè credat, quòd Pharaonem non Dei uiolentia, sed propria iniquitas et indomabilis superbia contra Dei pręcepta totiēs fecerit obdurari. Quid est autem quod dixit: Ego indurabo cor eius, nisi cùm abfuerit gratia mea, obduret illū nequitia sua? Et ut hoc euidentius possit agnosci aliquā similitudinem de rebus uisibilibus charitati uestræ proponimus. Sicut enim quotiēs nimio frigore aqua cōstringitur, solis calore superueniente resoluitur, & descendēte eodem sole iterū obduratur: ita nimirū peccatorum frigore refrigescit charitas multorum, & uelut glacies obdurantur & cùm eis iterum calor diuinæ misericordiæ superuenerit resoluuntur. Ille utique calor de quo scriptum est: Nec est qui se abscondat à calore eius. Quod etiam erga Pharaonem impletum esse cognoscimus, à quo quotiens flagella remota sunt, contra Deum se obduratus erexit, quotiens uerò afflictus est humiliter supplicauit. Quare autem Deus noster non omnes ita misericorditer flagellat, ut nullū contra se obdurari permittat? Aut illorum iniquitati qui obdurari merentur asscribendum est, aut ad inscrutabilia Dei iudicia referendum, quæ plerunque sunt occulta, nunquam tamē iniusta. Nobis ergo sufficiat piè & humiliter credere illud quod Apostolus dixit: Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Et illud quod in Cantico cōsueuimus psallere: Deus fidelis in quo non est iniquitas. Vnde sicut iam superius suggessi de Pharaone, hoc sine aliqua dubitatione credamus, quòd eum non tam Dei potentia, quàm Dei patientia fecerit obdurari. Quam rem etiam ipso confitente euidenter agnoscimus. Sic enim ipse cùm castigaretur iustitia compellente professus est: Dominus iustus, ego autem & populus meus impij. Qua ergo conscientia Christianus Deum iniustum esse conqueritur? Nam & intantum non eum Deus irreuocabiliter obdurauit, ut post decem plagas populum Dei non solùm dimitteret, sed etiam exire cōpelleret. Quod enim decem plagis percussus fecisse legitur, post primam castigationem implere potuisse cognoscitur. Quam rem etiam circa uernaculos nostros exercere consueuimus, quos nimis delicatè aut satis remissè nutrimus, uel quibus frequēter peccātibus indulgemus. Cùm enim peiores de ipsa remissione redduntur, solemus his exprobrantes dicere: Ego te talem feci,

Marginalia: Psal. 71. — Heb. 12. — Apoc. 3. — Pro. 3. — Esa. 63. — Psal. 18. — Rom. 9. — Deut. 32. — C — D

A feci, ego tibi parcendo proteruiam tuam negligentiámque nutriui. Et hęc non dicimus, quòd ex uoluntate nostra in tantam sint superbiam deuoluti, sed quia magis de bonitate uel indulgentia nostra fuerint obdurati. Ita & Deus de Pharaone fecisse dinoscitur, dum ab illo pro ineffabili bonitate plagas suspendit, ille obdurato corde contra Deum superbus erigitur.

Quæst. super Exod. Lib. 2. Cap. XI. Tomo IIII.

Desiit sanguis circuncisionis. Primùm quæritur quē uolebat angelus occidere, utrùm Moysen, quia dictum est: Occurrit ei angelus, & quærebat eum occidere. Nam cui putabitur occurrisse, nisi illi qui uniuerso suorum comitatui præfuit, & à quo cæteri ducebantur? An puerum quærebat occidere, cui mater circuncidendo subuenit, ut ob hoc intelligatur occidere uoluisse infantē, quia nō erat circuncisus, atq; ita sancire præceptū circuncisionis, sęueritate uindictæ. Quòd si ita est, incertum est prius de quo dixerit. Quærebat eū occidere, quia ignoratur, quem nisi ex consequentibus reperiatur: mira sanè locutione & inusitata, ut prius diceret: Occurrit ei, & quærebat eum occidere, de quo nihil antè dixerat. Sed talis est in Psalmo: Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion. Inde enim Psalmus incipit, nec aliquid de illo uel de illa dixerat, cuius fundamenta uoluit intelligi, dicens: Fundamenta eius in montibus sanctis. Sed quia sequitur: Diligit Dominus portas Sion, fundamenta uel Domini uel Sion, & ad faciliorē sensum magis Sion, ut fundamēta ciuitatis accipiantur. Sed quia in hoc pronomine, quod est eius, genus ambiguum est: omnis enim generis est hoc pronomen, id est, & masculini, & fœminini, & neutri: in Græco autem in fœminino genere dicitur αὐτῆς, & habet codex Græcus αὐτοῦ, cogit intelligere nō fundamēta Sion, sed fundamenta Domini, id est, quæ constituit Dominus, de quo dictū est: Aedificans Hierusalem Dominus. Nec Sion tamen, nec Dominum antea nominauerat, cùm diceret: Fundamenta eius in montibus sanctis, sic & hìc nondum nominato infante dictum est. Occurrit ei, & quærebat eum occidere, ut de quo dixerit in cōsequentibus agnoscamus, quanquam & si de Moyse accipere quisquam uoluerit, non est magnoperè resistendum. Illud potius quod sequitur si fieri potest intelligatur, quid sibi uelit, ideo recessisse angelum ab interfectione cuiuslibet eorum, quia dixit mulier: Stetit sanguis circuncisionis infantis: non enim ait, recessit ab eo, propter quod circuncidit infantem, sed quia stetit sanguis circuncisionis, non quia cucurrit, sed quia stetit magno nisi fallor sacramento.

Marginal notes: Psal. 86. — B — Psal. 146.

CAPVT QVINTVM.

Imitte populū meū ut sacrificet. Quæritur quomodo populo dicatur, quòd D mandauit Deus eiecturum se eos de Aegypto in terram Chanaan: Pharaoni autem dicatur, quòd trium dierum iter exire uellēt in desertum, & immolare Deo suo ex mandato eius. Sed intelligendum est, quamuis Deus sciret quid esset facturus, quoniam præsciebat non consensurum Pharaonem ad populum dimittendum, illud primò dictum esse quod etiam primitus fieret si ille dimitteret: ut enim sic fierent omnia quemadmodum cōsequens scriptura testatur, Pharaonis contumacia meruit & suorum. Neque enim mendaciter Deus iubet

Marginal note: Eiusdē lib. quæst. 13.

iubet qnod scit non facturum cui iubetur, ut iustum iudicium consequatur. C

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 91. Tomo X.

Viam trium dierum ibimus in desertum &c. Hæc quidem uolebat Moyses sed contradicebat Pharao, & non uolebat filios Israël à se longè discedere. Non uolebat princeps huius mundi exercitum Domini trium dierũ sacramenta cognoscere, *Oseæ.6.* illa utique sacramenta, de quibus propheta dixit: Viuificabit nos post duos dies, in die tertio suscitabit nos. Prima dies passio Domini saluatoris est. Secunda qua descendit ad infernum. Tertia autẽ resurrectionis est dies. Et ideo in die tertia Deus antecedebat eos per diem in columna nubis, per noctem autẽ in columna ignis, ducitúrque populus per mare rubrum. Tres enim dies non incõgruè possumus dicere, patrem & filium & spiritumsanctum, quia & pater dies est, & filius dies est, & spiritussanctus dies est, & hi tres unus dies. Via trium dierum, quia exitus *Ioan.14.* de Aegypto rectè intelligitur ille, qui dixit: Ego sum uia & ueritas & uita, quia nemo uenit ad patrem nisi per ipsum. Ipse est uia, per quã populus qui Deo coniungitur de Aegypto, id est, de idolorũ obseruatione educitur: per mare rubrum Christi sanguine rubicundum, & quodammodo iam tunc mysterio cõsecratum, tanquam per baptismi sacramentum, Pharaone submerso, populus Dei eripitur. Et uerè ita fit fratres, quando in salutari lauacro tertio Christiani merguntur, tunc Aegyptij, id est, originalia peccata uel actualia crimina quasi in rubro mari sepeliuntur, & filijs Israël pertranseuntibus ad Dei seruitium, sola patiuntur peccata naufragium. Et ne aliquis dubitet & putet non omnia peccata sopiri per baptismum, agnoscat & intelligat, quia quomodo nullus remansit Aegyptiorum, sic nihil remanet penitus peccatorum. Sed antequam mare rubrum transiretur, clamauit Moyses ad Dominum. Quomodo clamat, quia nulla eius uox auditur? Et D tamen dicit ad eum Deus: Quid clamas ad me? Vellem scire quomodo sancti sine *Gal.4.* uoce clament ad Deum. Apostolus docet: Quia dedit Deus spiritum filij sui in cor *Rom.8.* dibus nostris, clamantem abba pater. Et alibi: Ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et iterum: Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis. Sic ergo inspirante spiritusancto apud Deum per silentium sanctorum clamor auditur. Post hæc iubetur Moyses uirga percutere mare. In uirga mysterium sanctæ crucis agnoscite. Et uerum est fratres. Attendite enim & uidete, quòd nisi uirga supra mare eleuetur, populus Dei Pharaonis potestate non tollitur. Sic est fratres charissimi: Si sancta crux eleuata non esset, Christianus populus in æternum perisset. Eleuata uerò uirga, id est, cruce erecta, cedit mare, cedunt & fluctus eius, hoc est, uincitur mundus & mundi istius potestates. Cogitur ergo fluctus in cumulum, & unda in semetipsa repressa curuatur. Soliditatem recipit liquor, & solum maris arescit in puluerem. Bonitatem creatoris intellige. Si uoluntati eius obtemperas, si legem ipsius seruaueris, ipsa tibi elementa etiam contra sui naturam seruire compellit. Oremus ergo fratres dilectissimi, ut Dominus noster quod de Aegyptijs fecit in mari rubro, faciat in corde & in corpore nostro, ut det nobis uirtutem & adiutorium spiritussancti, ut in nobisipsis spiritales Aegyptios possimus extinguere. Extinguit nanque spiritalem Aegyptium, qui non agit opera tenebrarum. Extin

guit

A guit Aegyptium, qui non carnaliter, sed spiritaliter uiuit. Extinguit Aegyptium, qui cogitationes sordidas & impuras uel depellit ex corde, uel omninò non recipit: sicut & Apostolus dicit: Assumentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela maligni ignita extinguere. Hoc ergo modo possumus hodie etiam Aegyptios uidere mortuos & iacentes ad litus, submergi quadrigas eorum & equos. Possumus etiam Pharaonem uidere submergi, si tanta fide uiuamus, ut Deus pacis conterat satanam sub pedibus nostris uelociter. Via etiam trium dierum, potest intelligi, bene cogitare, bene loqui, bene operari. Et reuerà qui hoc agit & tota animi uirtute custodit, non in nocte sed in die ambulat, nec filius tenebrarum sed filius lucis efficitur: & impletur in illo illud quod Apostolus dicit: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambulate. Quando fuimus tenebræ fratres? Vtique quando uias noctis ambulauimus, id est, quando malum cogitauimus, malum diximus, malum etiam operati sumus. Postea uerò uenientes ad Christum, per ipsius gratiam relinquamus opera tenebrarum, & bene cogitãdo, bene loquendo, bene operando uiam lucis currere festinemus. Istæ ergo sunt tres uiæ per quas peruenitur ad cœlum: sicut & illæ tres aliæ sunt per quas amatores mundi perueniunt in infernum, hoc est, malum cogitare, malum dicere, malum facere. Ista est lata & spatiosa uia quæ ducit ad perditionem. Et per istas uias diues purpuratus descendit in infernum, per illas uerò alias Lazarus ad Abrahæ peruenire meruit sinum. Istas tres uias obsidet inimicus, sicut de Pharaonis exercitu legimus: Electos ascensores ternos stantes demersit in mare rubrum. Qui sunt isti electi ascensores? Electi utique à diabolo ad luxuriam, ad malitiam, ad omnium B malorum caput superbiam. Et hi ergo terni stantes, istas tres obsident uias, ut ille aut hominem ad opera mala subuertat, aut ille sermonem malum eliciat, aut ille cogitationem iniquam extorqueat. Sed fœlix est, qui totas tres istas uias Deo adiuuante deuitans, per totum triduũ de Pharaonis societate discedit, ita ut nullum ille diem subtrahat inimicus, nec splendorem fidei eius uertat in noctem. Et ideo fratres, faciamus illud quod scriptum est: Omni custodia serua cor tuum. Confideremus cùm Dei adiutorio, & custodiamus corda simul & conscientias nostras, & si est quisquam in nobis cui cogitationem malam inimicus eliciat, quantùm potest laboret ut uel in sermone non peccet, ut si ei diabolus unum diem rapuit & conuertit in noctem, uel secundum diem in illo obtinere non possit. Si uerò & hoc subtilitate callidissima potuerit obtinere, ut malũ & corde cogitemus & ore loquamur, si iam duos dies perdidimus, uel unum diem cum Dei adiutorio conseruemus, ne etiam nos usque ad opera mala possit nequitia inimici subuertere. Si uerò & hoc factum est, non tamen de misericordia desperemus, sed citò per pœnitentiam de luto fecis pedes animæ nostræ excutere festinemus &c.

Ephe. 6.

Ephe. 5.

Prouer. 4.

Quæst. super Exod. Lib. 2. Cap. XIIII. Tomo IIII.

Domine cur afflixisti populum hunc? Non contumaciæ uerba sunt uel indignationis, sed inquisitionis & orationis. Quod ex his apparet, quæ illi Dominus respondet. Non enim arguit infidelitatem eius, sed quid sit facturus aperuit.

CAPVT

CAPVT SEXTVM. C

Eiuſdē lib. quæſt.6. E *Cce conſtitui te Deum Pharaonis.* Pharaoni dicitur Moyſes datus Deus, & ſecundum analogiam propheta Moyſi Aaron, ſed ad Pharaonem. Hîc inſinuatur nobis ea loqui prophetas Dei quæ audiunt ab eo, nihilque aliud eſſe prophetam Dei, niſi enuntiatorem uerborum Dei hominibus, qui Deum uel non poſſunt, uel non merentur audire.

CAPVT SEPTIMVM.

Eiuſdē lib. quæſt.7. I *Ndurabo cor Pharaonis.* Aſsiduè Deus dicit: Indurabo cor Pharaonis, & uelut cauſam infert cur hoc faciat: Et implebo ſigna mea, & portenta mea in Aegypto: tanquā neceſſaria fuerit obduratio cordis Pharaonis, ut ſigna Dei multiplicarentur uel implerentur in Aegypto. Vtitur ergo Deus bene cordibus malis, ad id quod uult oſtēdere bonis, uel quod facturus eſt bonis. Et quāuis uniuſcuiuſq; cordis in malitia qualitas, id eſt, quale cor habeat ad malum, ſuo fiat uitio, quod inoleuit ex arbitrio uolūtatis: & tamen qualitate mala ut huc uel illuc moueatur, cùm ſiue huc, ſiue illuc malè moueatur cauſis ſit quibus animus propellitur, quæ cauſæ ut exiſtant uel non exiſtant, non eſt in hominis poteſtate, ſed ueniunt ex occulta prouidētia, iuſtiſsima planè & ſapientiſsima, uniuerſum quod creauit diſponētis, & adminiſtrantis Dei. Vt ergo tale cor haberet Pharao quod patientia Dei moueretur ad pietatem, ſed potius ad impietatē, uitij proprij fuit. Quòd uerò facta ſunt ea, quibus cor ſuo uitio tam malignum reſiſteret iuſsionibus Dei: hoc eſt enim quod dicitur, Induratum: quia non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat: diſpenſationis fuit diuinæ, qua tali cordi non D ſolùm iuſta, ſed euidenter iuſta pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur. Propoſito quippe lucro, uerbi gratia, propter quod homicidium committatur, aliter auarus, aliter pecuniæ contemptor mouētur: ille ſcilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cauendum: ipſius tamen lucri propoſitio in alicuius illorum non fuit poteſtate. Ita cauſæ ueniunt hominibus malis, quæ non ſunt quidem illorum poteſtate, ſed hoc de illis faciunt, quales eos inuenerint iam factos proprijs uitijs ex præterita uoluntate. Videndum ſanè eſt, utrùm etiam ſic accipi poſsit: Ego indurabo, tanquam diceret, quàm durum ſit demonſtrabo.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 87. Tomo X.

Tolle uirgam tuam & proiice eam coram Pharaone &c. Moyſes ad Aegyptum ueniens fratres chariſsimi, defert & uirgam, qua caſtigat & uerberat Aegyptum decem plagis. Moyſes lex intelligitur, quæ data eſt huic mundo, ut eum decem plagis, id eſt, decem mandatis quæ in decalogo continentur, corripiat & emendet. Quòd autem lex Moyſes intelligi poſsit, Dominus in euangelio dixit: Habent Moyſen & prophetas, id eſt, legem & prophetas. Virga uerò per quam (Luc.16.) Aegyptus ſubijcitur & Pharao ſuperatur, crucis Chriſti imaginem præferebat, per quam mundus hic uincitur, & princeps huius mundi cum principatibus & poteſtatibus triumphatur. Quòd autem uirga proijcitur, & fit draco uel ſerpens, & deuorat Aegyptiorum ſerpentes. Serpens pro ſapientia (Matth.10) ponitur, ſicut ſcriptum eſt: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Idcirco uirga Moyſi, id eſt,

A id est, crux Christi posteaquam ad terras descendit, id est, posteaquam ad credulitatem & fidem hominum uenit, conuersa est in sapientiam, & in tantam sapientiam quæ omnem Aegyptiorum, id est, huius mūdi sapientiam deuoraret. Quòd uerò aquæ fluminis uertuntur in sanguinem, satis conuenienter aptatur, ut fluuius cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderant, authoribus sceleris poculum sanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculauerant, potando sentirent. Secunda uerò plaga in qua inducuntur ranę, indicari figuraliter arbitror carmina poëtarum, qui inani quadam & inflata modulatione uelut ranarum sonis & cantibus similes mundo huic decæptionis fabulas intulerunt. Ad nihil enim animal illud utile est, nisi quod sonum uocis improbis & importunis clamoribus reddit. Post hoc sciniphes producūtur: Hoc animal pennis quidem suspenditur per aëra uolitans, sed adeò subtile est & minutum, ut oculi uisum nisi acutè cernentis eludat, corpus tamen cùm insederit, acerbissimo terebrat stimulo, ita ut quem uolantē quis uidere non ualet, sentiat stimulantem. Hoc ergo animalis genus dignissimè arti philosophiæ uel hæreticorum calliditati poterit comparari, quæ minutis & subtilibus uerborum stimulis animas terebrat, & tanta calliditate circumuenit, ut decæptus quisque nec uideat, nec intelligat unde decipitur. Quarto quoque in loco cynomia, id est, musca canina inducitur, quę Cynicorum sectæ meritò comparantur, qui ad reliquas decæptionis suæ improbitates, etiam uoluptatem & libidinem summum prædicant bonum. Quoniam igitur per hæc singula prius decæptus est mundus, adueniens sermo & lex Dei huiuscemodi eum correptionibus arguit, ut ex qualitate pœnarū qualitates pro

B prij agnoscat erroris. Quinto in loco animalium nece uel pecudū Aegyptus uerberatur, uecordia in hoc arguitur stultitiáque mortalium, qui tanquam irrationabilia pecora cultum & uocabulū Dei imposuerunt figuris, non solùm hominum, sed & pecorum. Vnde iusto iudicio factum est, ut in quibus cultum credebant inesse diuinum, in his uiderent miseranda supplicia. Vulnera post hæc & uesicæ cum feruore, sexto in uerbere producuntur, & uidetur mihi quòd in ulceribus arguatur dolosa & purulenta malitia, in uesicis tumens & inflata superbia, in feruore, iræ ac furoris insania. Huc usque per errorem suorum figuras mundo supplicia temperantur. Post hæc uerò uerbera ueniunt de supernis uoces & tonitrua, & grando, & ignis discurrens in grandine. Videte temperamentum diuinæ correptionis. Non cum silentio uerberat, sed dat uoces & doctrinam cœlitus mittit, per quam possit culpam suam mundus castigatus agnoscere: dat & grandinem, per quam tenera adhuc uastentur nascētia uitium: dat & ignem, sciens esse spinas & tribulos peccatorum, quos debeat ignis ille depascere, de quo dicit Dominus: Ignem ueni mittere in terram. Per hunc enim incentiua uoluptatis & libidinis consumuntur. Quòd autem locustarum octauo in loco fit mentio, puto per hoc genus plagę aut detrahentis, aut semper à se discordantis humani generis inconstantiam designari. Locusta enim cùm regem no habeat, sicut scriptura dicit, una acie ordinatum ducit exercitum. Homines uerò cum rationabiles à Deo facti sunt, neque semetipsos regere potuerunt, neque Dei regis patienter moderamina pertulerunt. Nona plaga tenebræ sunt, ut mentis eorum cæcitas arguatur, Luc. 12.

ut

ut intelligant diuinæ dispensationis & prouidentiæ obscurissimas esse rationes. C
Psal.17. Posuit enim Deus, sicut Psalmista dicit, tenebras latibulum suũ, quæ superbi audacter & temerè perscrutari cupientes, & alia ex alijs asserentes, in crassas & palpabiles errorum deuoluti sunt tenebras. Ad ultimum primogenitorum infertur interitus. Primogenita Aegyptiorũ nõ incongruè principatus & potestates mundi huius, id est, diabolus & angeli eius intelliguntur, quos in aduentu suo Christus destruxisse dicitur, id est, captiuos duxisse & triumphasse in ligno crucis suæ. Possumus primogenita Aegyptiorum accipere etiam omnes hæreticorum authores, & inuentores falsarum quæ in hoc mundo sunt religionum, quas Christi ueritas cum suis extinguit authoribus. Et ut hæc quę dicta sunt, tenacius uestrę memoriæ inhæreant, & ea uelut mũda animalia, in ore cordis reuoluere & spiritaliter ruminare possitis, breuiter recapitulationem facimus. Quòd enim in prima plaga aquæ conuertuntur in sanguinem, significantur doctrinæ philosophorum, quæ paruulos sensu decipiunt. Quòd uerò in secũda plaga multitudo ranarum, intelliguntur in eis carmina poëtarum, quæ nullis unquam prodesse potuerunt. In tertia plaga sciniphes, id est, muscæ minutissimæ producuntur, grauissimo stimulo corpora cõpungentes, & in eis philosophiæ artis astutia, & infœlicium hæreticorum uenena uel commenta subtilissima designantur. Quarta plaga, musca canina inducitur, & cynicorum doctrinæ meritò comparatur, qui inter reliqua mala libidinem summum prædicant bonum. Quinto loco animalia occiduntur, & significatur in hoc uecordia uel stultitia hominum. Sexto loco ulcera & pustulæ uesicæ cum feruore mittuntur. In ulceribus arguitur dolosa & purulenta malitia: in uesicis tumens & inflata superbia: in feruore, iræ ac furoris insania. Postea D uerò septimo loco tonitrua & uoces de cœlo mittuntur simul & grãdo & ignis. In uocibus & tonitruis agnoscitur doctrina cœlestis, in grãdine disciplina, quam accipiunt peccatores, in igne gratia sancti spiritus, per quam libidinum uoluptates & peccatorum tribuli consumuntur. Octaua plaga, locustæ introducuntur. Animal dente noxium, & significatur in eis superbia hominum malignorũ, qui se inuicem falsis testimonijs & proditionibus persequũtur. De quibus Apostolus
Gal.5. dicit: Si inuicem mordetis & comeditis, uidete ne ab inuicem consumamini. Nona plaga, tenebræ inducuntur, per quas cæcitas mentis uel cordis arguitur. Decima plaga, primogenita percutiuntur, in quibus aut spiritales nequitiæ, aut originalia peccata intelligi possunt, quæ ueniente Christo per mysterium crucis & gratiam baptismi deleri uel extingui manifestissimè comprobantur.

De trinit. lib. 3. Cap. VII. Tomo III.

Proieceruntque singuli uirgas suas, quæ uersæ sunt in dracones. Hic uideo quid infirmæ cogitationi possit occurrere, cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant? Nam & magi Pharaonis similiter serpentes fecerũt, & alia similia. Sed illud amplius est admirandum, quomodo magorum illa potentia, quæ serpentes facere potuit, ubi ad muscas minutissimas uentũ est, omninò defecit: sciniphes enim musculæ sunt breuissimæ, qua tertia plaga, superbus populus Aegyptiorum cædebatur. Ibi certè deficientes magi dixerũt: Digitus Dei est hic. Vnde intelligi datur, ne ipsos quidem transgressores angelos & aëreas potestates, in imam istam caligi-

nem,

A nem, tanquam in sui generis carcerem, ab illius sublimis aethereæ puritatis habitatione detrusas, per quas magicę artes possunt quicquid possunt, ualere aliquid nisi data desupèr potestate. Datur autem uel ad fallẽdos fallaces, sicut in Aegyptios, & in ipsos etiam magos data est, ut in eorum spirituum seductione uiderẽtur admirandi, à quibus fiebant à Dei ueritate damnandi: uel ad admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderẽt, propter quod etiam nobis scripturæ authoritate sunt prodita: uel ad exercendam, probandam, manifestandámque iustorum patientiam. Neque enim parua uisibilium miraculorum potentia. Iob cuncta quæ habebat amisit, & filios & ipsam corporis sanitatem. *Iob.2.* Nec ideo putandum est istis transgressoribus angelis ad nutũ seruire hanc uisibilium rerum materiam, sed Deo potius, à quo hæc potestas datur, quantùm in sublimi & spiritali sede incommutabilis iudicat. *Eiusdẽ lib. cap.8.* Nam & damnatis iniquis etiam in metallo seruiunt aqua & ignis & terra, ut faciant inde quod uolunt, sed quantùm sinitur: nec sanè creatores illi mali angeli dicendi sunt, quia per illos magi resistentes famulo Dei, ranas & serpentes fecerunt. Non enim ipsi eas creauerunt. Omnium quippe rerum quæ corporaliter uisibiliterq; nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi huius elementis latent. Alia sunt enim hæc iam conspicua oculis nostris ex fructibus & animãtibus, alia uerò illa occulta istorum seminum semina. Vnde iubente creatore produxit aqua prima natatilia & uolatilia. Terra autẽ prima sui generis germina, & prima sui generis animalia. Neque enim tunc huiusce modi fœtus ita producti sunt, ut in eis quæ producta sunt, uis illa consumpta sit: sed plerunq; desunt congruæ temperamentorum occasiones, quibus erumpant

B & species suas peragant. Ecce enim breuissimus surculus semen est, nam conuenienter mãdatus terræ arborẽ facit. Huius autem surculi subtilius semen aliquod eiusdem generis granum est, & hucusq; nobis uisibile. Iam uerò huius etiam grani semen, quamuis oculis uidere nequeamus, ratione tamen conijcere possumus: quia nisi talis aliqua uis esset in istis elementis, non plerunque nascerentur ex terra quę ibi seminata non essent: nec animalia tam multa nulla mariũ fœminarũq; cõmixtione præcedente, siue in terra, siue in aqua: quæ tamen crescũt, & coẽundo alia pariunt, cùm illa nullis coẽuntibus parentibus orta sint. Et certè apes semina filiorum non coẽundo concipiunt, sed tanquam sparsa per terras ore colligũt. Inuisibilium enim seminum creator, ipse creator est omnium rerum: quoniam quæcunque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, & incrementa debitæ magnitudinis distinctionésq; formarum: ab originalibus tanquam regulis sumunt. Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamuis eorũ extrinsecus adhibitis motibus ista creanda Dei uirtus interius operetur. Ita non solùm malos, sed nec bonos angelos fas est putare creatores, si pro subtilitate sui sensus & corporis, semina rerũ istarũ nobis occultiora nouerunt, & ea per cõgruas temperationes elementorũ latenter spargunt, atque ita gignẽdarum rerum, & accelerandorum incremẽtorum præbent occasiones. Sed nec boni hæc nisi quantùm Deus iubet, nec mali hæc iniustè faciunt, nisi quãtùm iustè permittit. Nam iniqui malitia uoluntatem habet iniustam, potestatẽ autem non nisi iustè accipit, siue ad

pœnam

pœnam suam, siue ad aliorum, uel pœnam malorum, uel laudem bonorum. Itaq; C
apostolus Paulus discernens interius Deum creantem atque formantem, ab operibus creaturæ quæ admouentur extrinsecus, & de agricultura similitudinē assu
1.Cor.3. mens ait: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Sicut ergo in ipsa uita nostram mentem iustificando formare non potest nisi Deus, prędicare autem euangelium extrinsecus & homines possunt, non solùm boni per ueritatem, sed etiam mali per occasionem: ita creationem rerum uisibilium Deus interius operatur, exteriores autem operationes siue bonorū siue malorum, uel angelorum uel hominum, siue etiam quorumcunque animalium, secundum imperium suum, & à se impertitas distributiones potestatum & appetitiones commoditatum, ita rerum naturæ adhibet in qua creat omnia, quēadmodum terræ agriculturam. Quapropter, ita non possumus dicere angelos malos magicis artibus euocatos, creatores fuisse ranarum atque serpentium, sicut nō possum dicere homines malos creatores esse segetis, quam per eorum operam uideo exortam. Sicut nec Iacob creator colorum in pecoribus fuit, quia bibentibus in conceptu matribus uariatas uirgas quas intuerentur apposuit. Sed nec ipsę pecudes creatrices fuerunt uarietatis prolis suæ, quia inhæserat animæ illarum discolor phantasia ex contuitu uariarum uirgarum per oculos impressa, quæ non potuit nisi corpus quod sic affecto spiritu animabatur ex compassione commixtionis afficere, unde teneris fœtuum primordijs coloretenus aspergeretur. Vt enim sic ex semetipsis afficiantur, uel anima ex corpore, uel corpus ex anima, congruentiæ rationis id faciunt, quæ incommutabiliter uiuunt in ipsa summa Dei sapientia: quam nulla spatia locorum capiunt, & cùm ipsa sit incommutabilis, nihil eorum quę commu D
Gen.30. tabiliter sunt deserit, quia nihil eorum nisi per ipsam creatum est. Vt enim de pecoribus non uirgæ, sed pecora nascerentur, fecit hoc incommutabilis & inuisibilis ratio sapientiæ Dei, per quam creata sunt omnia. Vt autem de uarietate uirgarum, pecorum conceptorum color aliquid duceret, fecit hoc anima grauidæ pecudis per oculos affecta forinsecus, & interius secum pro suo modulo formandi regulam trahens, quam de intima potentia sui creatoris accepit. Sed quanta uis sit animæ ad afficiendam atque mutandam materiam corporalem, cùm tamen creatrix corporis dici non possit: quia omnis causa mutabilis sensibilisq; substantiæ, omnisque modus & numerus & pondus eius unde efficitur ut & sit, & natura ita uel ita sit, ab intelligibili & incommutabili uita, quæ super omnia est, existit & peruenit usque ad extrema atque terrena: multus sermo est, neque nunc necessarius. Verùm propterea factum Iacob de pecoribus commemorandum arbitratus sum, ut intelligeretur si homo qui uirgas illas sic posuit, dici nō potest creator colorum in agnis & hœdis: nec ipsæ matrum animæ, quę conceptam per oculos corporis phantasiam uarietatis, seminibus carne conceptis, quantùm natura passa est, asperserunt: multò minus dici posse ranarum serpentiúmque creatores angelos malos, per quos magi Pharaonis tunc illa fecerunt.

Quæst. super Exod. lib. 2. Cap. XXI. Tomo IIII.

Et absorbuit uirga Aaron uirgas illorum. Si dictum esset, Absorbuit draco Aaron uirgas illorum, intelligeretur uerus draco Aaron. Phantastica illa figmenta non absorbuisset,

A absorbuisse, sed uirgas. Hoc enim potuit absorbere quod erant, non quod esse ui debantur, & non erãt. Sed quoniam dixit: Absorbuit uirga Aaron uirgas illorũ, draco utique potuit uirgas absorbere, non uirga. Sed eo nomine appellata res unde uersa est, non in quo uersa est, quia in id etiam reuersa est: ideo hoc uocari debebat quod principaliter erat. Quid ergo dicendum est de uirgis magorũ, utrùm & ipsæ ueri dracones factæ fuerãt, sed ea ratione uirgæ appellatę sunt, qua & uirga Aaron: an potius uidebãtur esse quod non erant ludificatione uenefica? Cur ergo ex utraque parte & uirgæ dicuntur & dracones, ut de figmentis illis nihil differat loquendi modus? Sed demonstrare difficilè est quomodo etiam si ueri dracones facti sunt è uirgis magorum, non fuerint tamen creatores draconum, nec magi, nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur. Insunt enim corporeis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cùm data fuerit opportunitas temporalis atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. Et sic non dicuntur angeli, qui ista faciunt, animalium creatores, sicut nec agricolę segetum uel arborum uel quorumcunque in terra gignẽtium creatores dicendi sunt: quamuis nouerint præbere quasdam uisibiles opportunitates & causas, ut illa nascantur. Quod autem isti faciunt uisibiliter, hoc angeli inuisibiliter: Deus uerò solus uerus creator est, qui causas ipsas & rationes seminarias rebus ipsis inseruit.

CAPVT OCTAVVM.

E*T eduxerunt ranas super terram.* Quæritur unde, si iam ubique factũ erat. Sed similis quæstio est, unde & aquam in sanguinem uerterũt si tota aqua Aegypti in sanguinem conuersa iam fuerat, unde intelligẽdum est regionem, ubi filij Israël habitabant, plagis talibus non fuisse percussam: & inde potuerunt incantatores uel aquam haurire, quam in sanguinem uerterent, uel aliquas ranas educere ad solam demonstrationem magicæ potentiæ: quanquam potuerunt etiam, posteaquam illa compressa sunt, facere: sed scriptura citò narrando coniunxit, quod etiam postea fieri potuit. *Eiusdẽ lib. quæst. 23.*

B

Locut. de Exod. lib. 2. Tomo III.

Fecerunt autem similiter & incantatores. Notandum est, fecerunt dictum pro eo quod est, conati sunt facere. Nam utique si fecerunt similiter, proculdubiò eduxerunt sciniphes, sed quia sequitur ut educerent & non poterant, nõ ergo similiter fecerunt, sed similiter facere conati sunt. Aut si fortè & ipsi ueneficijs agerent, eadem tamen agendi specie uirgam extendebant, quod scriptura non expresit.

Quæst. sup. Exod. lib. 2. Cap. XXIIII. Tomo IIII.

Et uidit Pharao quoniam facta est refrigeratio. Hîc apparet nõ illas tantùm fuisse causas obdurationis cordis Pharaonis, quòd incantatores eius similia faciebãt, uerum etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebat. Patientia Dei secundum corda hominum, quibusdam utilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis ad resistẽdum Deo, & in malo perseuerandum: non tamen per seipsam inutilis est, sed secundum cor malum, sicut iam diximus. Hoc & Apostolus dicit: Ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundum autem duritiam cordis tui, & impœnitẽs cor thesaurizas tibi irã in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuique

P secundum

2.Cor.2. secũdum opera eius. Nã & alibi cùm diceret, Christi bonus odor sumus, in omni C
loco, etiam illud adiunxit, & in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Non dixit
Christi bonũ se odorem esse his qui salui fiunt, malum autẽ his qui pereunt, sed
tantùm bonum odorem se dixit. Illi uerò tales sunt, ut & bono odore pereant se
cundum sui cordis, ut sæpe dictum est, qualitatem, quæ mundanda est bona uolũ
tate in Dei gratiam, ut incipiãt ei prodesse iudicia Dei, quæ malis cordibus nocẽt.
Vnde ille immutato in melius corde cantabat: Viuet anima mea & laudabit te, et
iudicia tua adiuuabunt me. Nõ dixit munera, uel præmia tua, sed iudicia tua. Mul
tum est autẽ ut syncera fiducia dici possit: Proba me domine, & tenta me, ure re-
nes meos & cor meum. Et ne sibi aliquid ex suis uiribus tribuisse uideretur, con-
tinuò addidit: quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in
ueritate tua. Factam erga se cõmemorat misericordiam, ut complacere posset in
ueritate, quoniam uniuersæ uiæ Domini misericordia & ueritas.

Eiusdẽ lib. quæst. 29. *Et ingrauauit Pharao cor suum.* Certè nunc non dictum est: Ingrauatũ est cor Pharaonis, sed ingrauauit Pharao cor suum, sic utique in omnibus plagis. In uoluntate quippe hominis est origo uitiorum: mouentur autem causis corda hominum, alia sic, alia uerò sic, etiam non diuersis causis, sæpe diuerso modo secundũ proprias qualitates, quæ ex uoluntatibus ueniunt.

Eiusdẽ lib. quæst. 25. *Digitus Dei est hic.* Dixerunt id, quoniam non potuerũt educere sciniphes, ferunt profectò cùm artium suarum nephariarum scirent potentiam, nõ talibus artibus, uelut potentior in eis esset Moyses suos conatus fuisse frustratos, ut non possent educere sciniphes, sed digito Dei qui utiq; operabatur per Moysen. Digitus autẽ Dei, sicut euangeliũ manifestissimè loquitur, spiritus sanctus intelligitur. D

Luc. 11. Namque uno euangelista ita narrante uerba Domini ut diceret: Si ergo in digito Dei eijcio dæmonia, alius euangelista idipsum narrans exponere uoluit, quid sit digitus Dei, & ait: Si ego in spiritu Dei eijcio dæmonia. Cùm itaque magi faterentur, quorum Pharao potentiæ præsidebat, digitũ Dei esse in Moyse in quo superabantur, & eorum ueneficia frustrabantur, tamen induratũ est cor Pharaonis nũc mirabili omnino duritia. Cur autem in tertia ista plaga magi defecerunt? nam plagæ cœperunt ex quo aqua in sanguinem uersa est, & sentire & explicare difficilè est. Poterant enim & in primo signo deficere, ubi in serpentem uirga conuersa est, & in prima plaga, ubi aqua in sanguinem cõmutata est: & in secunda de ranis, si hoc uoluisset digitus Dei, id est spiritussanctus. Quis enim dementissimus dixerit digitum Dei in hoc signo potuisse conatus magorum impedire, & in superioribus nequiuisse? Omninò ergo certa causa est quare illa facere huc usque permissi sunt. Commendatur etiam fortasse trinitas &c.

Eiusdẽ lib. quæst. 28. *Abominationes enim Aegyptiorũ immolabimus &c.* Id est, hæc immolaturi sumus quæ abominantur Aegyptij, & propterea in Aegypto non possumus: hoc manifestant uerba quæ adiungit & dicit: Si enim immolauerimus abominationes Aegyptiorum, palam ipsis lapidabimur. Hoc enim non intelligentes, quidam interpretes nostri sic interpretati sunt, ut dicerent: Non potest fieri sic, nunquid abominationes Aegyptiorũ immolabimus domino Deo nostro? Cùm magis hoc scriptura dixerit, quia Aegyptiorũ abominationes immolaturi sunt. Alij uerò Latini sic habent:

A bent: Non potest fieri sic, quoniam abominationes Aegyptiorum non immolabimus domino Deo nostro. Cõtrarium sensum facit addita particula negatiua, cùm Moyses dixerit: Non potest fieri sic, abominationes Aegyptiorum immolabimus domino Deo nostro: & ideo in eremum dicebant se ire uelle, ubi Aegyptij non uiderent abominationes suas. Hoc autem intelligẽdum est mysticè significari, quod etiam de pastoribus diximus, qui erant Aegyptijs abominabiles: & ideo separatã terram Israëlitæ accęperunt, cùm uenerunt in Aegyptum. Sic enim & sacrificia Israëlitarum abominationes sunt Aegyptijs, sicut iniquis uita iustorum.

CAPVT NONVM.

Via non mortuum est de pecoribus filiorum Israel. Quomodo ex contrarijs causis facta est hęc ingrauatio cordis Pharaonis? Si enim et pecora Israëlitarũ morerentur, tunc uideretur causa competens, qua cor eius ingrauaretur ad contemnendum Deum, tanquam si & magi eius pecora Israëlitarum fecissent mori. Nunc uerò unde debuit ad timendum uel credendum moueri uidens nullum pecus mortuum ex pecoribus Hebræorum, hinc ingrauatus est, id est, illa ingrauatio etiam huc usque progressa est. *Eiusdẽ lib. quæst. 31.*

Vt ostendam in te uirtutem meã. Nouit ergo Deus bene uti malis, in quibus tamẽ humanam naturam non ad malitiam creat, sed eos perfert patienter quousque scit oportere: non inaniter, sed utendo eis ad admonitionem uel exercitationem bonorum. Ecce enim ut annunciaretur nomen Dei in uniuersa terra, uasis misericordiæ utique prodest. Ad eorum itaque utilitatem Pharao seruatus est, sicut et B scriptura testatur, & exitus docet. *Eiusdẽ lib. quæst. 32.*

Congrega iumenta tua. Quid est quod mandauit Deus Pharaoni, cùm se facturum magnam grandinem minaretur, ut festinet congregare pecora sua, & quæcunque illi essent in campo, ne grandine intereant. Hoc enim non tam indignanter quàm misericorditer uidetur admonere. Sed hoc nõ facit quæstionem, quòd Deus etiã irascens tẽperat pœnã. Illud est quod meritò mouet, quibus nunc pecoribus cõsulatur si omnia mortua fuerant plaga superiore, ubi scriptum est, quòd discreuit Deus inter pecora Hebræorum & Aegyptiorum ita ut illic nullum moreretur, omnia uerò Aegyptiorum pecora morerentur. An eo soluitur quæstio, quòd prædixerat ea moritura, quæ in campo fuissent, ut hæc accipiantur omnia: intelligantur autem euasisse quæ in domibus erant, quæ potuerunt etiam à dubitantibus colligi, & in domo teneri, ne fortè uerum esset quod Moyses Dominũ facturum esse prædixerat: & ex his esse in campis iterum potuerũt quæ modo admonet congregari in domos ne grandine pereant. Maximè quia sequitur scriptura & dicit: Qui timuit uerbum Domini seruorum Pharaonis congregauit pecora sua in domos: qui autem non intendit mente in uerbum Domini, dimisit pecora sua in campo. Hoc ergo fieri potuit, quando etiam mortem pecorum minatus est Deus, quanquam id scriptura tacuerit. *Eiusdẽ lib. quæst. 33.*

Scio quod nondum timetis Dominum. Qualẽ timorem quærebat, cui timor iste nõ dũ erat ei Domini timor. Facile est enim pœnã timere, sed non est hoc Deũ timere, illo scilicet Domini timore pietatis, quem commemorat Iacob, ubi dicit: Nisi *Eiusdẽ lib. quæst. 35.*

P 2 Deus

Deus patris mei Abraham & timor Isaac adesset mihi, nunc me inanẽ dimisisses. C

Locut. de Exod. lib. 2. Tomo III.

Et desinent uoces & grando. Notandum est scripturarum uoces solere appellare tonitrua, quas uoces Dei etiam Pharao superius appellauit dicẽs: orate pro me ad Dominum, ut desinant fieri uoces Dei.

CAPVT DECIMVM.

Quæst. super Exod. lib. 2. Cap. XXXVI. Tomo IIII.

VT *ordine superueniant signa mea.* Tãquam opus habeat Deus cuiusquã malitia. Sed sic intelligendum est, ac si diceret: Ego enim patiẽs fui super eum & seruos eius, ut non eos auferrem, ut ordine superueniant signa mea super eos. Quia cum patiẽtia Dei obstinatior fiebat malus animus, ideo pro eo quod est patiens fui, dicitur grauaui cor eius.

Eiusdẽ lib. quæst. 35. *Et non erat locusta.* Beneficium certè Dei commemorauit scriptura, quo abstulit locustas: & secuta, dixit indurasse Dominum cor Pharaonis, beneficio utique suo & patientia sua, qua illa fiebat obstinatio, dum ei parceretur, sicut omnia mala corda hominum patientia Dei malè utendo durescunt.

CAPVT VNDECIMVM.

Eiusdẽ lib. quæst. 39. P*etat unusquisque à proximo suo &c.* Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad expoliandum isto modo proximum. Hoc enim Deus iussit qui nouerat quid quenque pati oporteret, nec Israëlitæ furtum fecerunt, sed Deo iubente ministerium præbuerunt. Quemadmodum cùm D minister iudicis occidit eum quem iudex iussit occidi, profectò si id sponte faciat, homicida est, etiam si eum occidat quem scit occidi à iudice debuisse: Est etiam ista nonnulla quæstio: Si seorsum habitabant Hæbrei in terra Gessen, ubi nec plagæ fiebant quibus regnum Pharaonis affligebatur, quo modo quisque petit à proximo uel à proxima aurum, argentum, & uestem, præsertim quia ubi primum hoc mandatur per Moysen, sic positum est, & mulier à uicina sua & concellaria uel cõcellanea, si ita dicendum est, uel cohabitatrice sua. Vnde intelligendum est etiam in terra Gessen non solos Hebræos habitasse, sed eis aliquos Aegyptios in illa terra cohabitatores fuisse, ad quos potuerunt merito Hebræorum etiam illa diuina beneficia peruenire, ut hinc eos & diligerent ijdem Aegyptij cohabitatores, ac quod petebant facilè cõmodarent: nec tamen Deus iudicauit ita illos alienos fuisse ab iniurijs & contritionibus quas populus Dei pertulit, ut nec isto damno ferirentur, qui plagis illis propterea quòd terræ illi parcebatur percusi non erant.

Eiusdẽ lib. quæst. 40. *Non exaudiet uos Pharao.* Tanquàm opus fuerit eius inobedientia, ut signa illa multiplicarentur, quæ utiliter fiebãt ad terrendum populum Dei, atque ipsa discretione ad pietatem informandum. Sed hoc Dei fuit, malitia cordis illius bene utentis, non Pharaonis, Dei patientia malè abutentis.

Locut. de Exod, lib. 2. Tomo. III.

In filiis Israel non mutiet canis. Elegantißima locutio est, per canem quippe extremum significauit uel hominum uel pecorum. Ita commendauit quanta in Hebræis

A bræis qui es futura esset, Aegyptijs acerba orbitate clamantibus.

CAPVT DVODECIMVM.

Ccipiant singuli ouem per domos patriarum. Quas dicat patrias, non facile Eiusdē lib. quæst.35.
A est intelligere, utrùm ciuitates in quibus commanebāt, an potius nume rosas familias à cuiusque uelut paternitate propagatas. Hoc enim magis in græco significari perhibetur. Si autē pauci sint qui in domo, ita ut non sint idonei ad ouem, id est, ut ipsa paucitas non sit idonea ad ouem consumen dam, assumet secum uicinum proximum suum, hoc est, ipsa domus assumet uicinum, hominem proximum pro homine posuit, singularem autē pro plurali. Nō enim unum, sed quot sufficiunt.

Quæst. super Exod. lib. 2. Cap. XLI. Tomo IIII.

Mane igne cremabitis. Quæri potest quomodo aliquid superauit cùm hoc præmoniti fuerint, ut si domus non habuerit consumendo pecori idoneam multitudinem uicini assumantur. Sed intelligitur quoniam dictum est, os non contereris ab eo, remansura utique fuisse ossa quæ igni concremarentur.

Agnus perfectus. Mouere potest ista locutio, quasi agnus possit esse nō masculus Eiusdē lib. quæst.58. nesciente quā necessitate ita sit translatum. Ouis enim transferri debuit, quia Græcus πρόβατον habet, sed πρόβατον in Græca lingua generis neutri est, & potuerūt quæ sequūtur omnia cōuenire, tanquam si diceret, pecus perfectū masculū anniculū erit uobis. Potuit enim dici latinè masculum pecus: quomodo dicuntur mascula thura genere neutro: Ouis autem masculus dici nō posset: quia fœminini ge
B neris est ouis. Item ouis mascula si diceretur, esset absurdius: pecus uerò si poneretur, etiam aliud intelligeretur, nec seruaretur sacramentū. Quòd cùm scriptura de oue loquatur, pòst dicit ab agnis et hœdis accipietis illud. Qua in re Christus significari meritò accipitur. Quid enim opus erat ouem uel agnū ab agnis et hœdis accipiēdū moneri, nisi ille figuraretur cuius caro nō solùm ex iustis uerū etiam ex peccatoribus propagata est? Quanquā conentur Iudæi etiam hœdum intelligere accipiendum ad celebrandum pascha, & hoc etiam dictū esse putāt ab agnis & hœdis accipi, tanquam diceret, uel ab agnis agnum, uel ab hœdis hœdū, si illud desit, sumi oportere: apparet tamen in Christo rebus impletis quid illo præcepto fuerit figuratum.

In progenies uestras in legitimum æternum. Vel æternalem, quod Græcè dicitur Eiusdē lib. quæst.23. αἰώνιον, non sic accipiendum est tanquam possit istorum prætereuntium dies esse ullus æternus: sed illud æternum est, quod iste significat dies, uelut cùm dicimus ipsum Deum æternum, non utique istas duas syllabas æternas dicimus, sed quod significant: quanquam diligenter scrutādum sit, quomodo appellare scriptura soleat æternum, ne forte ita dixerit solenniter æternū, quem nefas habeant prætermittere aut sua sponte mutare. Aliud est enim quod præcipitur quousque fiat, sicut præceptum est ut septies muros Hiericho circumiret arca. Aliud cùm præcipitur sic obseruari aliquid, ut nullus terminus præfiniatur obseruationis, siue quotidie, siue per menses, siue per annos solenniter, siue per multorum uel aliquorū annorum certa interualla. Aut ergo sic appellauit æternum, quod non sua sponte

audeant desinere celebrare: aut sicut dixi, ut non ipsa signa rerum, sed res quæ his C significantur æternæ intelligantur.

Eiusdē lib. quæst. 44. *Factus est clamor magnus.* Nónne potuit esse aliqua domus, quæ primogenitū non haberet? Cùm ergo primogeniti tantummodo morerentur, quomodo nulla erat, quæ non haberet mortuum? An & hoc diuinitus præscientia Dei fuerat procuratum, ut in omnibus omninò essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Aegyptij? Ab hac sanè plaga non sunt putandi immunes fuisse Aegyptij, qui habitabant in terra Gessen, hominum quippe erat, uel animalium, non terræ, id est, homines & animalia primogenita moriebantur occulto & angelico percussu: non aliquid in terra uel in cœlo factum erat, sicut rana uel locusta, uel tenebræ unde qui habitabant affligerentur. A talibus enim plagis cùm terra Gessen fuisset aliena, proculdubiò perueniebat beneficium ad eos Aegyptios, qui in eadem terra cum Hebræis morabantur: hac uerò primogeniti eorum omnes percussi sunt.

Eiusdē lib. quæst. 46. *Tingentes ex sanguine.* Quæritur enim quem sanguinē dicat iuxta ostiū, cùm illius agni utiq; uelit intelligi sanguinē, cuius immolatione fit pascha: utrúmne eo modo consequenter præcepit, quāuis hoc tacuerit, ut idem agnus iuxta ostium occidatur? An quod est credibilius, ideo dixit ex sanguine qui est iuxta ostium, quia utique ille qui liniturus est superlimen & postes, uas ipsum in quo sanguinem excæpit, iuxta ostium positurus est, ut ad manum habeat quando tingat.

Eiusdē lib. quæst. 47. Sustulerunt autem filij Israël de Ramasse in Socoth, in sexcenta milia peditum uiri, præter instructum uel censum. Si isto modo potest rectè interpretari quod Græcus habet ἀποσκευὴν: quo uerbo non solùm mobilia, uerumetiam mouentia significari indicat scriptura, ubi Iudas loquens ad patrem suum dicit: Mitte puerum mecum D & surgentes ibimus ut uiuamus & non moriamur, & nos, & tu, & substantia nostra. Ibi enim Græcus ἀποσκευὴν habet ubi substantiam Latinus interpretatus est, quod aliquando censum interpretantur nostri: sicut nunc instructum dicere uoluimus, dum tamen eo nomine & homines & iumenta uel omnia pecora intelligantur: Vbi etiam uiri & uxores possent intelligi, nescio. Sexcenta tamen milia peditum cùm scriptura commemoret addens & dicens, & excæpto instructu uel censu uel substantia, uel si quo alio uerbo melius interpretatur ἀποσκευὴν, manifestum est & homines significatos, siue in seruis, siue in mulieribus, siue in his ætatibus, quæ militiæ non essent idoneæ, ut sexcenta milia peditum in eis solis intelligamus, qui possent militari agmine armari. Quæri autem solet, utrùm ad tantum numerum Hebræi peruenire potuerint per eos annos in Aegypto, quos ostendere consideratus in scripturis numerus potest, qui primùm anni quot fuerunt, nō parua quæstio. Dicit enim Deus ad Abraham cùm factum esset illud sacrificium de uacca trima & capra & ariete & turture & columba, antequam non solum Isaac, sed nec Hismaël quidem natus esset: Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, & in seruitutem redigent eos & nocebunt illis quadringentis annis. Si ergo quadringentos annos sic accepermus ut in seruitute sub Aegyptijs intelligantur, non paruum spatium temporis fuit, quo ita populus multiplicaretur. Sed tot annos non fuisse, apertissimo iudicio scriptura testatur. Quidam enim putant quadringentos triginta annos accipi debere, ex quo Iacob intrauit

Gen. 43.

Gen. 15.

A trauit in Aegyptum,donec inde populus per Moysen liberatus est, quoniam in Exodo scriptum est: Incolatus autem filiorum Israël quem incoluerunt in terra Aegypti & in terra Chanaan ipsi & patres eorum anni quadringēti triginta. Ser uitutis autem eorum uolunt esse annos quadringentos: propterea quòd scriptū est in Genesi: Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & in seruitutem redigent eos, & nocebunt illis quadringentis annis. Sed quoniā ser uitutis anni post mortem Ioseph computantur. Illo enim uiuo, non solùm ibi nō seruierunt, uerumetiam regnauerunt: non est quemadmodum cōputentur qua dringenti triginta in Aegypto. Ingressus est enim Iacob anno filij sui trigesimo et nono: quoniam triginta annorum erat Ioseph cùm apparuit in conspectu Pharaonis, & regnare cœpit sub illo. Transactis autem septē annis ubertatis, secundo anno famis ingressus est Iacob in Aegyptū cum alijs filijs suis: ac per hoc tūc agebat Ioseph triginta & nouem annos, qui impletis uitæ suæ annis centum & decē mortuus est. Vixit enim in Aegypto post ingressum ad se patris sui, septuaginta & unum annos. Quos si retraxerimus à quadringētis triginta annis, remanebūt seruitutis anni, id est, post mortem Ioseph, non quadringenti, sed trecenti & quinquaginta nouem anni. Quòd si ex illo putabimus nos cōputare debere, ex quo Ioseph sub Pharaone regnare cœpit, ut tunc quodammodo intelligatur intrasse Israël in Aegyptum, quando ibi filius eius tanta potestate sublimatus est, etiam sic trecenti quinquaginta erunt, quos Tychonius uult accipi quadringētos, ut à toto pars intelligatur, id est, à toto cētenario pars quinquagenaria, & probat hac loquēdi regula solere uti scripturā. Si autem quod aliquātò probabilius dici potest,

B tunc habeamus intrasse Israël in Aegyptum, quādo illis Ioseph esse uenditus cœpit, detracturi sumus adhuc annos tredecim, ut trecentos triginta septem annos pro quadringentis accipiamus. Sed cùm scriptura cōmemoret Caath filium Leui auum Moysi cum auo suo Iacob intrasse in Aegyptum, dicat autem eū uixisse annos centum triginta, filium uerò eius patrem Moysi Amram cētum triginta septem. Moysen uerò dicat octoginta annorum fuisse, cùm de Aegypto populum liberauit, etiam si tunc genuisset Caath patrem Moysi, quo anno mortuus est, ille quoque Amram ultimo uitæ suæ anno genuisset Moysen, computet annos centum triginta & centum triginta septem, & octoginta, trecētos et quadraginta septem, annos faciunt, non quadringētos triginta. Quòd siquis dicat extremo anno uitæ Iacob natū esse Caath filium Leui, septuaginta fermè anni possunt accedere illi summæ: quia septuaginta unum annos uixit in Aegypto Ioseph post ingressum patris sui. Quapropter etiā si septuaginta anni uitæ Ioseph ab ingressu Iacob in Aegyptū usque ad natiuitatē Caath, si tunc natus asseratur, & centū triginta anni ipsius Caath, & centū triginta septem filij eius Amram patris Moysi, et octoginta ipsius Moysi, quadringentos & decem & septem annos faciunt, nō quadringētos triginta. Proinde illa nimirum computatio, quam secutus est Eusebius in historia sua Chronica, perspicua ueritate subnixa est. Ab illa enim promissione computat quadringentos triginta annos qua uocauit Deus Abrahā, ut exiret de terra sua, in terram Chanaam: quia & Apostolus cùm Abrahæ laudaret & cōmēdaret fidem, in ea promissione qua Christum uult intelligi prophetatū, id est, qua

promisit Deus Abrahę quòd benedicerentur in eo oēs tribus terræ. Hoc aūt dico, C
inquit, quia testamentū confirmatū à Deo, post quadringentos & triginta annos
facta lex non cōfirmat ad euacuādas promissiones. Ex illa ergo promissione qua
uocatus est Abrahā & credidit Deo, post quadringētos & triginta annos factā le
gē dicit Apostolus, non ex tēpore quo Iacob intrauit in Aegyptū. Deinde etiam
ipsa scriptura Exodi satis hoc significauit: nō enim dixit: Incolatus filiorū Israël,
quē incoluerūt in terra Aegypti, anni quadringēti triginta: sed apertè dixit: Quē
incoluerunt in terra Aegypti, & in terra Chanaan ipsi & patres eorum. Ac per
hoc manifestū est cōputandum esse tēpus etiam patriarcharum Abrahę, Isaac &
Iacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham de terra Chanaan, id est, ex illa pro-
missione, in qua eius fidē laudat Apostolus, usque ad illud tēpus, quo ingressus
est Israël in Aegyptū. Toto quippe isto tempore peregrinati sunt patres in terra
Chanaan, & deinde semen Israël in Aegypto, ac sic cōpleti sunt quadringenti tri-
ginta anni à promissione usq; ad exitū Israël ex Aegypto, quando facta est lex in
monte Sina, quæ nō infirmat testamentū ad euacuandas promissiones. Septuage
simo & quinto anno uitæ suæ Abrahā, sicut scriptura dicit, egressus est in terram
Chanaan, & genuit Isaac cùm esset annorū centū. Fiūt itaque anni uigintiquinq;
ex promissione usque ad natū Isaac. His adduntur oēs anni uitæ suæ Isaac, id est,
centū octoginta, fiunt ducenti quinque, tunc erat Iacob annorū centū uiginti. Nā
ti sunt enim sexagenario patre gemini, ipse, & Esau: post decē aūt annos intrauit
Iacob in Aegyptum, cùm esset annorū centum triginta. Ioseph aūt cùm esset tri
gintanouē. Fiunt proinde anni à promissione usque ad ingressum Iacob in Aegy
ptum, ducenti quindecim. Ioseph aūt ab illo tricesimo & nono anno ætatis suæ, in D
quo eū pater in Aegypto inuenit, uixit septuaginta & unū annos: quia oēs ætatis
eius anni centum decē fuerunt. Cùm itaque ad ducentos quindecim annos acces
serint septuaginta unus, fiunt anni ducenti octoginta sex. Restāt centū quadragin
taquatuor uel quinque, quibus intelligitur seruisse in Aegypto populus Israël
post mortē Ioseph. His annis quantùm multiplicari potuerint, si fœcūditas homi
nis cōsideretur adiuuante illo, qui eos uoluit ualde multiplicari, reperitur nō esse
mirū quòd in sexcentis milibus peditū egressus est populus ex Aegypto: excæ-
pto cætero apparatu, ubi & seruitia erant, & sexus muliebris & imbellis ætas.
Gen. 21. Quòd ergo dixit Deus ad Abrahā: Sciēdo scias, quia peregrinū erit semen tuū in
terra nō propria, & in seruitutē redigent eos & nocebūt illis quadringētis annis,
nō sic accipiendū est tanquā in illa seruitute durissima quadringētos annos Dei
populus fuerit: sed quia scriptum est: In Isaac uocabitur tibi semen, ex anno nati-
uitatis Isaac usque ad annum egressionis ex Aegypto computātur anni quadrin
gentiquinque. Cùm ergo de quadringentis triginta detraxeris uigintiquinque
qui sunt à promissione usque ad natum Isaac, non mirum est si quadringētos &
& quinque annos, summa solida, quadringentos uoluit appellare scriptura, quæ
solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectioris numeri paululum
excrescit, aut infrà est, non computetur. Non itaque quod ait, in seruitutem redi
gent eos & nocebunt illis, ad quadringentos annos referendum est, tāquam per
tot annos eos habuerint in seruitute sed referendi sunt quadringenti anni ad id
quod

C quod dictum est, peregrinum erit semen tuum in terra non propria: quia, siue in terra Chanaan, siue in Aegypto peregrinum erat illud semen, antequam hæreditatem sumeret, terram ex promissione Dei, quod factum est posteaquã ex Aegypto liberati sunt: ut hyperbaton hîc intelligatur, & ordo uerborum sit: Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, quadringentis annis: illud autem interpositum intelligatur, & in seruitutem redigent eos & nocebunt illis: ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte annorum summæ huius, hoc est, post mortem Ioseph factum est ut in Aegypto populus Dei duram perageret seruitutem.

De doctrina Christ. lib. 2. Cap. XL. Tomo III.

Petierunt ab Aegyptiis uasa argentea & aurea. Philosophi autem qui uocantur, si qua fortè uera & fidei nostræ accõmoda dixerunt, maximè Platonici, non solũ formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in usum nostrum uendicanda. Sicut enim Aegyptij non solum idola habebant, & onera grauia, quæ populus Israël detestaretur & fugeret, sed etiã uasa atque ornamẽta de auro & argento & uestem, quæ ille populus exiẽs de Aegypto, sibi potius tanquã ad usum meliorẽ clanculò uendicauit, non authoritate propria, sed pręcepto Dei, ipsis Aegyptijs nescienter cõmodantibus ea, quibus non bene utebantur: Sic doctrinæ oẽs gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta, grauesq́ sarcinas superuacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque deuitare: sed etiã liberales disciplinas usui ueritatis aptiores, & quædam morum præcepta utilissima continent,
D deq; ipso uno Deo colendo nõnulla uera inueniuntur apud eos: quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdã quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt, & quo peruersè atque iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum iustum prædicandi euangelij. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accõmodata humanæ societati, qua in hac uita carere non possumus, accipere atq; habere licebit in usum conuertenda Christianum: nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nónne aspicimus quanto auro & argento & ueste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor suauissimus, & martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Vt de uiuis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quòd eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum. Quibus omnibus uiris superstitiosa gentium cõsuetudo, & maximè illis temporibus, cùm Christi iugum decutiens, Christianos persequebatur, disciplinas quas utiles habebat, nunquam commodaret, si eas in usum unius Dei colendi, quo uanus idolorũ cultus extingueretur, conuersum iri suspicaretur, sed dederunt aurum & argentum & uestem suam exeunti populo Dei de Aegypto, nescientes quemadmodum illa quæ dabant in Christi obsequium redderentur. Illud enim in Exodo factum, sine dubio figuratum est, ut hoc præsignaret: quod sine præiudicio alterius, aut paris, aut melioris intelligentiæ dixerim.

Quantùm

Eiusdē lib. cap.42. Quantùm autem minor est auri, argenti, uestísque copia, quam de ' egypto secum ille populus abstulit, in comparatione diuitiarū, quas postea Hierosolymæ consecutus est, quæ maximè in Salomone rege ostenduntur: tanta fit cuncta sciētia, quæ quidem est utilis collecta de libris gentium, si diuinarum scripturarum scientiæ comparetur. Nam quicquid homo extrà didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si utile est, ibi inuenitur. Et cùm ibi quisque inuenerit omnia quæ utiliter alibi didicit, multò abundantius ibi inueniet ea, quæ nusquam omninò alibi, sed in illarum tantūmodo scripturarū mirabili altitudine & mirabili humilitate discūtur. C

Ex Lib.22.cont.Faust.Manich. Cap.XCI. Tomo VI.

Dixi quòd auro & argento & ueste Aegyptiorum significatæ sint quædam doctrinæ, quæ in ipsa consuetudine gentium non inutili studio discantur. Sed siue hoc significet, siue illud, quod ex ipsis gentibus animæ pretiosæ, tanquam uasa aurea & argentea, cum suis utique corporibus, quod uestes significant, adiungunt se populo Dei, ut simul de hoc seculo tanquam de Aegypto liberentur: siue hoc ergo, siue illud, siue aliquid aliud hinc fuerit figuratum, certum est tamē eis qui has literas piè legunt, non frustrà, neque sine prænuntiatione futurorum esse illa iussa, facta, conscripta.

Eiusdē lib. cap.71. *Et spoliauerunt Aegyptios.* Quid ergo iam de spoliatis Aegyptijs Faustus obijcit, nesciens quid loquatur? Quod faciendo Moyses, usque adeò non peccauit, ut non faciendo peccaret. Deus enim iusserat, qui utique nouit non solùm secundū facta, uerumetiam secundum cor hominis, quid unusquisque, uel per quem perpeti debebat. Carnalis itaque adhuc ille populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus, Aegyptii uerò sacrilegi & iniqui: nam & auro illo, hoc est Dei creatura malè utentes, ad creatoris iniuriam suis idolis seruiebant: & homines peregrinos labore gratuito iniustè ac uehementer afflixerant. Digni ergo erant & isti quibus talia iuberentur, & illi qui talia paterentur: & fortè secundum suas uoluntates & cogitationes Hebræi magis permissi sunt facere ista, quàm iussi: sed eis Deus permissionem suam per famulum suum Moysen innotescere uoluit, quando mandauit ut diceret. Fieri autem potest, ut sint aliæ causæ occultissimæ, cur hoc illi populo diuinitus dictum sit, sed diuinis imperijs cedendum obtemperando, non resistendū disputādo, sicut Apostolus dixit: Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? Siue ergo ista sit causa, quam dixi, siue aliqua quælibet secreta & abdita dispositione Dei lateat, cur hoc per Moysen illi populo dixerit, ut ab Aegyptijs sibi commodanda peterent quæ auferrent, hoc tamen cōfirmo, nec frustrà, nec iniquè dictum esse, nec licuisse Moysen aliter quàm Deus dixerat facere, ut penes dominum esset consilium iubendi, penes famulum autem obsequium peragendi. D

Rom.11.

Eiusdē lib. cap.72 Sed Deus, inquit, uerus & bonus, nullo modo talia iussisse credendus est: imò uerò talia rectè non iubet, nisi Deus uerus & bonus, qui & solus nouit quid cuique iubendum sit, & solus neminem quicquam incongruum perpeti sinit. Cæterum ista imperita & falsa bonitas cordis humani, cōtradicat & Christo, ne Deo bono iubente, impij mali aliquid patiantur, cùm dicturus est angelis: Colligite primum zizania, & alligate fasciculos ad comburendum.

Matt.13. Qui tamen hoc ipsum importunè facere uolentes seruos prohibuit dicens: Ne forte cùm

A tè cum uultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum: ita solus Deus uerus Matth. 13.
& bonus nouit, quid, quando, quibus, per quos fieri aliquid uel iubeat uel permittat. Poterat etiam ista humana, non bonitas, sed planè uanitas eidē Domino contradicere, cùm desiderio noxio dæmonum in porcos ire uolente, petenti permisit: præsertim quia Manichæi non solùm porcos, uerumetiam minuta & abiecta animalia, hominum animas habere crediderunt. Qua uanitate improbata & abiecta, illud tamen constat, Dominum nostrum ipsum Christū Dei unicum filium, ac per hoc uerum Deum & bonum, morte pecorum alienorum, perniciem qualiumcunque animantium, & graue damnum hominum, desiderio dæmonū concessisse. Quis autē dementissimus dixerit, quòd eos ab hominibus non potuisset excludere, etiamsi eorum noxiæ uoluntati nec porcorum exitium præstare uoluisset? Porrò si spirituum damnatorum, & igni æterno iam destinatorum, quāuis sæua & iniqua cupiditas à creatore atque ordinatore omnium naturarum, occulto quidem, sed ubique iusto moderamine, in id quod inclinauerat, relaxata est, quid absurdum est, si Aegyptij ab Hebræis, homines iniquè dominantes, ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro eorum tam duris & iniustis laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus etiā ritu sacrilego, in iniuriam creatoris utebantur, priuari meruerunt? Quod tamen si Moyses sua sponte iussisset, aut hoc Hebræi sua sponte fecissent, profectò peccassent, quanquam illi non quidem hoc faciendo, quod uel iusserat uel permiserat Deus, sed tamen talia fortasse cupiendo peccauerunt. Quòd autem hoc facere diuina dispensatione permissi sunt, illius iudicio iusto bonóque permissi sunt, qui nouit & pœnis uel coërcere
B improbos, uel erudire subiectos: & præcepta ualidiora dare sanioribus, & quosdam medicinales gradus infirmioribus ordinare. Moyses uerò nec cupiditatis arguendus est in illis rebus desideratis, nec contumaciæ in diuinis imperijs quibuscunque contemptis. Quædam enim facta, lex illa æterna quæ ordinem naturalem conseruari iubet, perturbari uetat, ita medio quodam loco posuit hominibus, ut in eis usurpandis meritò reprehendatur audacia, in exequendis autem obedientia iure laudetur. Tantùm interest in ordine naturali, quid à quo agatur, & sub quo quisque agat. Abraham si filium sponte immolaret, quid nisi horribilis & insanus? Deo autem iubente, quid nisi fidelis & deuotus apparuit? Quod usque adeò ipsa ueritas clamat, ut eius uoce deterritus Faustus, cùm in ipsum Abraham quid diceret, unguibus & dentibus quærens, usque ad calumniosum mendacium perueniret, hoc tamen reprehendere non auderet: nisi fortè non ei ueniret in mentem factum ita nobile, ut & non lectum nec quæsitum, animo occurreret, ut denique tot linguis cantatum, tot locis pictum, & aures & oculos dissimulantes feriret. Quapropter si in occidendo filio spontaneus motus execrabilis, Deo autem iubente obsecundans famulatus, non solùm inculpabilis, uerumetiam laudabilis inuenitur, quid Moysen Fauste reprehēdis, quod expoliarit Aegyptios? Si te irritat uelut humana facientis improbitas, diuina terreat iubentis authoritas. An talia fieri uolentem, etiam ipsum Deum uituperare paratus es? Redi ergo retrò Satanas, neque enim sapis quæ Dei sunt, sed que sunt hominum: atq; utinam hoc sicut Petrus audire dignus fuisses, atq; id quod in Deo sensu infir

mo

mo reprehendis, postea prædicasses, quemadmodum ille glorioso præconio po- C
stea gentibus annuntiabat, quòd ei primò, cùm Dominus uellet fieri displicebat. quamobrem si iam tandem intelligit humana duritia, atque in rebus rectis uoluntas praua atque peruersa, plurimùm interesse, utrùm aliquid humana cupiditate uel temeritate admittatur, an Dei pareatur imperio: qui nouit, quid, quando, quibus permittat aut iubeat, quid cuique facere patique conueniat.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

Quæst. super Exod. Lib. 2. Cap. XLVIII. Tomo IIII.

Rit tibi in signo super manum tuam. An intelligitur super opera tua, id
E est, quod præferre debeas operibus tuis? Pertinet enim pascha propter occisionem ouis ad fidem Christi & sanguinem quo redempti sumus. Hæc autem fides operibus præponenda est, ut sit quodammodo super manum aduersus illos, qui in operibus legis gloriabantur: de qua re Apostolus loquitur, & nullũ ait posse Deo placere sine fide: qui fidem operibus sic antepONIT, ut ex illa pendeant bona opera, atq; ab ea præueniantur, non ut ipsa uelut meritis bonorum operum retribui uideatur. Illa enim ad gratiam pertinet: si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia. Sequitur.

Ne quando pœniteat populum. Hîc ostenditur omnia fieri debere quæ cõsilio rectè fieri possunt, ad euitãda quæ aduersa sunt, etiã cùm Deus apertissimè adiutor sit.

De Trinit. Lib. 2. Cap. XIIII. Tomo III.

Vsque per diem in columna nubis. Quis & hîc dubitet per subiectam creaturam, eandémque corpoream, non per suam substantiam Deũ oculis apparuisse mor- D
talium: sed utrùm patrem, an filium, an spiritumsanctum, an ipsam trinitatem unum Deum significaret non apparet.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 89. Tomo X.

Diuisáque est aqua, & ingressi sunt filii Israel &c. Aegyptiorum turmæ inter maritimos fluctus alienum iter ingressæ, aqua uindice puniuntur, ut
D illos in ditionem reuocarent, qui Deum habebant peculiariter defensorem. Quos in medium marini aluei sinum desperata traxit audacia, inanis furor iræ amplius prouocabat insania, confundentibus & in naturam suam redeũtibus undis, grauiter eos per diuersa mox litus excæpit, & insepultos bestiarum pastibus arena seruauit. Elegerat Deus Moysen qui Pharaonem uirtutibus inuitaret, signis & magnalibus admoneret, uindicta terreret, & territum sæueritate compesceret. Sed dicis: Quomodo posset liberari admonitus, qui iam Dei sententia trahebatur? Obdurabo, inquit, cor Pharaonis. Sententiam protulit quam se facturum promiserat, non quam iam fecisse monstrabat. Obdurabo, inquit, nõ obduro. Aliud est facere, aliud est quod iam fecisse promittitur, nec tamen impletur, ut metu territi corrigantur. Consumi Hebręos præcepit luto, latere, paleis denegatis, ut tandem afflicti si bellum contingeret Aegyptijs, non ualerent resistere ciuitati. Leuantur ergo machinæ usque ad cœlum, turres eminent, & ap-

A & aptissimè construunt fabricam, non quòd deessent ædificia ciuitati, sed populum perire quærebat, qui diuino fauore pollebat. Augetur populus dum opprimitur, & dum putat minui quotidie crescit. Plus insequitur quasi posset uincere, quos diuina maiestas prædixerat esse uictores. Inter hæc pręcepit uocari obstetrices, imperat ut Hebræarum si nati essent masculi necarētur, & sexus inferior seruaretur. O prodiga furoris audacia. Necdum natis pœna mandatur, et ante principium uitæ periculum concitatur. Cohibe nefarie homo insaniam tuam. Quos necdum uides insequeris. Quid scelestius? nondum natos occidis. Seruet ordinem feritas tua, nascantur antè quos punias. Præstant tamen partum ministræ, noluerunt exercere ad perniciem quod didicerant ad salutem, facilius Hebræas mulieres quàm Aegyptias parere dicentes, nec illis obstetricum ministeria sunt necessaria, quibus Deus prouenit ad animas liberādas. O magnum humanitatis ingeniū, & pium pro salute mendacium. Tantùm timuerunt obstetrices Deum, ut præcepta regis contemnerent, & mulierum sacraria conseruarēt. Sed incredulus Pharao in alterum se nocendi aditum uertit, ut quod occultè antea tentauerat in populis palàm faceret, omnem Hebræam masculinam prolem iussit occidi. Quod ubi ad aures matrum rumor aduexit, pulsatum est planctibus cœlum, & cùm ab ipsis uberibus auulsa proles raperetur ad mortem, succedebat dolor uincens parturienti dolorem. Nulla tamen mater infœlicior fuerat, nisi quæ fœcundior erat: optabant tamen omnes steriles esse quàm fœcundæ parerēt. Quid impie insanis? quid crudeliter sęuis? Licet plurimis insontium mortes acerbas inferas et animas miserorum crudeliter cremes tibi necis augetur & pœnæ non detrahitur meritum.

B Cùm enim passim paruulorum corpuscula deijcerentur in flumine. Moysen manus excępit humana, quem pro totius uindictæ causa quærebant. Nam cum Pharaonis filia uiridanti in ripa tremula posceret fluenti lauacra, inuenit in loculo quem pater non posset nutrire supplicio. Ad quem educandum in nutricem mater adducitur, ad alendum occasio coniunxit affectum, quem regis diuiserat metus. Nouum miraculūm genus fecit misericordis filia parricidæ. Nam dum paruulum seruat ignara, patrem decipit incauta. Dignū malitiæ eius sceleris erat, ut filiæ prouisione periret, qui genitrices indixerat parturire. Competens processit diuina uindicta, ut suis affectibus puniretur, & Moyses pro alijs exuendis exueretur. A fluctibus denique mystica lingua Moyses nomen accępit, & Pharaonis necem quam præparauerat in homine, in flumine maris inuenit. Hîc operante uirga per medios fluctus acsi puluerulentos exhibet gressus, imperio suspensam in altitudine montium erigit undam, ut Dei plebem redderet saluam. Audistis nefariam crudelissimámque uocem durissimi Pharaonis, masculos in amnem proijcite, fœminas uiuificate. Iubet hostis in flumen paruulos proijci, iubet innocentes crudeli morte necari. Non prohibet nasci, dum natos decernit occidi. Quos enim necdum uiuere natura concesserat, eos sententia iam sustinet ad pœnam: O noua & inaudita crudelitas. Antè iudicium celebratur, quā reus ipse damnetur. Antè sententia profertur, quàm obnoxius sententiæ demonstretur. Vtique reorum mos est, ut reatus sui sententiam expectare soleant. Nec enim reus potest antè damnari, quàm eius culpa cœperit manifestari. Hi uerò nec rei

nati

nati nec reatus sui sententiæ merito mancipati. Nascebantur enim non ut uitæ sa C
lutis perciperent fructum, sed ut esset quos crudelitas seculo faceret luctū. Nunc præcipis, quod factum deberes ulcisci. Non natorum pietas, non parentum dolor te flectit, qui inter infantium mortem parentúmque dolorem sæuitiæ tuæ expleri sententiam gaudes. O parentum uota crudelia, lætitia luctibus immutata. Ad facinus profuit, quicquid in eorum fœlicitate processit. Gaudebat lætissimus hostis, inter madentes omnium fletus. Quantæ perierunt dolentium preces, quantæ incassum effusæ sunt lachrymæ, quanti gemitus ululatúsque multorum, cùm parentes manibus natos exponi uiderent, qui simile nihilominus mox facturi fuissent? Suos iam casus in alijs alij cernebant, alij cōtinentes filios suos cùm iam celare non possent exponebant, alij mox æditos exposuerunt, ne quando retinerent tardius, tantò emitterent crudelius. Quanti pro filijs optauerūt mori, quanti sententiam contemnere uoluerunt tyranni? Satiemus, inquiunt, eum, & nostro mœrore eius sæuitiam repleamus. Percutitur Aegyptus primogeniti affectu, ut ex sese cognoscerent quantus dolor sit filiorum qui necauerūt filios Hebræorum. Percutitur, inquam, Aegyptus primogenitorum affectu, oritúrque funestus clamor. Dignitas nullum excusabat, nec alium conditio opprimebat. Non seruus ad obsequium, non dominus ad imperium. Non regē honor excusabat, nec inopem necessitas alienabat. Stabant Hebræi uindicta dominante illæsi, quos non tantùm propria salus lætos reddiderat, sed & hostium plaga lætiores effecerat. Exeunt læti, eunt securi Domino protegente inuicti. Tunc pœnitet Pharao quod uiuat, & euasisse eum tanta eius scelera non sustinebant, ut qui in tantis plagis nullā emendauerat culpam, quæ fuerat competens exquirebat. Iungit currus, exercitum D
præparat, aciem dirigit, nemo relinquitur qui saluari mereatur. Includuntur persequentibus Aegyptijs Hebræi inter mare & hostes, inter undas & gladios. Hinc mare spumat, inde arma corruscant. Hinc aquarum, inde armorum strepitus. Sic operari Deus suis assueuit, ut ubi defecit humanum consilium, illic intercedat diuinum adiutorium. Quibus uisis populus territus formidabat, cùm conspiceret rapidos cursus influere litoribus mare, uoluente æquora flamine collisa laxare, mox uniuersi exclamabant ad ducem Hebræum: Dum Pharaonis dominio carere uolumus, discrimen, inquiunt, inuenimus, & cùm uoluntariè seruire nolumus, ad periculum peruenimus. Exhibes mala quibus adhuc usque promittis, nec te interitus nostri authorem intelligis, dum tantis malis obnoxium non agnoscis. Quibus Moyses sanctissimus ait: Ne formidetis uiri, estote fide armati, credite uerbum quod sentietis futurum. Credite uictoriam uestram iam properare, & gentis furentis interitum. Non consentientibus uentis aquarum uolumina imperfectis cursibus refrenantur, ne hostes uestros antè puniant quàm iubentur. Statim diuino iussu uirgæ ictu rumpitur mare, & diuisis undis campos quos natura non nouerat exhibuit. Hiantibus undis freti, arcana & maris secreta declarat unda. Erigitur in cumulum pelagus, & murorum instar suspensos exhibet fluctus. Fit litus ubi fuerat pelagus, & limite recto uia porrigitur, ubi populus Domini mirabiliter graderetur. His nanque uisis populus Domini propter se cuncta gesta cognouit, & iussu diuino intrepidus introiuit. Ambulabat, inquit,

securus

A securus Domino pugnante inuictus, sequitur Pharaonis exercitus aquarum supplicio periturus. Putabat illic posse se pugnare, ubi solus cum suis fuerat periturus. Sic itaq; Dominus locutus est Moysi: Nunc aduenit Aegypti interitus. Quos enim disperdere uolui, supplicio hoc abolere disposui. Ad pristinum statum redeat maris quod fuerat, ut salutem iustis, interitum operetur iniustis. Confestim iussu diuino impetu facto Aegyptij rapiuntur, & ruina aquarum oppressi fluctu uoluente in litore proijciuntur, antè mortui Aegyptij quàm incolumes peruenirent Hebræi. Hæc uindicta debebatur, ut citius periret, qui consequi denegauit salutem.

Quæst. super Exod. Lib. 2. Cap. LI. Tomo IIII.

Non apponetis amplius uidere eos. Quomodo accipienda sunt hæc uerba cùm uiderint postea Israëlitæ Aegyptios: an quia isti qui tunc uidebant, non eos ulterius uiderint, quia & illi sunt mortui qui consequebantur, & isti omnes quique die mortis suæ? Nam posteri eorum uiderunt posteros illorum. An non eos uidebitis, sicut hodie, intelligendum est, non sicut hodie persequẽtes & inimicos, & tantò post uos agmine uenientes: ut omninò nulla sit quæstio, nec de æterno tempore quod hîc posuit, quia & si uidebunt se utique tempore resurrectionis, non sic utique uidebunt ut hodie. Sequitur.

Quid clamas ad me? Quid est hoc, cùm scriptura non dixerit aliquid de Moysi uocibus, nec eum orantem cõmemorauit, nisi quia intelligi noluit hoc eum egisse uocis silentio ut corde clamaret.

B CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Eiusdẽ lib. quæst. 54.

T*Ransforauit eos terra.* Terra pro aqua non mirum posita est. Tota quippe pars ista extrema uel infima mundi, terræ nomine censetur, secundum id quod sæpe dicitur, Deus qui fecit cœlum & terram: ut in illius psalmi distributione commemoratis cœlestibus: Laudate inquit Dominum de terra: & ea exequitur in laude, quæ etiam ad aquas pertinebant. Sequitur.

Misisti spiritum tuum. Ecce iam quinto cõmemoratur spiritus Dei, ut in hoc numero accipiamus, & quod dictũ est: Digitus Dei est hic. Primò ubi scriptũ est: Spiritus Dei ferebatur super aquas. Secundò ubi dicitur. Non permanebit in istis hominibus spiritus meus quoniã caro sunt. Tertiò ubi Pharao dicit ad Ioseph. Quoniam spiritus Dei est in te. Quartò ubi incantatores Aegyptiorũ dicunt. Digitus Dei est hic. Quintò in hoc cantico. Misisti spiritũ tuũ, & cooperuit eos mare. Meminerîmus autum spiritũ Dei nõ solum ad beneficia, uerumetiam ad uindictam commemorari. Nam quid aliud etiam suprà dixit: Per spiritũ iræ tuæ diuisa est aqua? Iste itaq; spiritus iræ Dei in Aegyptios: nã spiritus iræ eis, in quibus nocuit aquarũ diuisio, ut intrantes possent aquis redeũtibus obrui: filijs uerò Israël quibus profuit quòd aqua diuisa est, non fuit ille spiritus iræ Dei. Vnde significatur propter diuersas operationes & effectus spiritus Dei, dissimiliter appellare: cùm sit unus atq; idem ille duntaxat, qui etiam spiritussanctus in unitate trinitatis accipitur. Proindè non arbitror alium quàm eundem significare ubi dicit Apostolus:

Rom. 8. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum C adoptionis, in quo clamamus, abba pater: quia in eodem spiritu Dei, id est, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conscripta est timor incussus est eis, qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per legem conuincerentur, & lex illis fieret pedagogus, quô perducerentur ad gratiam quæ est in fide Iesu Christi. De hoc autem spiritu adoptionis & gratiæ, id est, de hoc opere spiritus Dei, quo impertitur gratia & regeneratio in uitam æternam, dicitur: Spiritus autem uiuificat, cùm suprà diceretur, litera occidit, id est, lex conscripta, tantummodo iubens sine adiutorio gratiæ. Sequitur.

Venerunt autem in Mesra. Si propter hoc appellatum est nomen loci eius amaritudo, quia non poterant ibi aquam bibere, eò quòd amara est. Mara enim interpretatur amaritudo, quomodo uenerũt in Mesra, nisi quia eo nomine locum scriptura appellauit in quem uenerunt, quo iam appellabatur cùm hæc scribebãtur. Posterius enim utique scripta sunt quàm illa contigerunt. Sequitur.

Et ostendit eis Dominus lignum. Genus ligni erat istam habens uim, an quolibet ligno id facere potuerat Deus, qui tanta mirabilia faciebat? Hoc autem uidetur significare, quod dictum est, ostendit ei, tanquam tale iam lignum esset, quo posset hoc fieri. Nisi fortè locus erat ubi ligna omninò non inueniebãtur. Vt hoc ipsum esset diuini adiutorij, quòd ei Dominus lignum ostendit ubi nullum erat: & per lignum aquas dulces fecit, præfigurãs gloriam & gratiam crucis: sed in tali etiam natura ligni quis nisi creator & demonstrator laudandus est?

CAPVT SEXTVMDECIMVM. D

Eiusdẽ lib. quæst. 58.

E *Cce ego pluam uobis panes.* Tentatio ista probatio est, nõ ad peccatum seductio: nec ideo probatio ut Deus nouerit, sed ut ipse ipsis hominibus ostendat quô humiliores fiant ad petẽdum adiutorium & agnoscendam Dei gratiam. Sequitur.

Exaudiuit Dominus murmurationem uestram. Non enim tantùm se ualere uoluerũt quantùm Deum. Dixerunt enim, Quid sumus nos? Vt illi aduersus illum se scirent murmurasse qui istos miserat, & per istos operabatur. Nec talis est illa sententia, ubi Petrus dicit Ananiæ: Cur ausus es mentiri spiritui sancto? Nõ hominibus mentitus es, sed Deo. Quod simile fuisset si dixisset, non spirituisancto mentitus es, sed Deo. Ita enim loquens negaret Deum esse spiritum sanctum. Nunc uerò cùm dixisset. Ausus es mentiri spirituisancto, cùm ille se putaret hominibus fuisse mentitum, ipsum spiritumsanctum Deum esse mõstrauit, subiungens. Non hominibus mentitus es, sed Deo. Sequitur.

Act. 5.

Ad uesperam edetis carnes. Ecce non pro omni alimento panes nominantur. Nam isto nomine carnes complecterentur, quia & ipsæ alimẽta sunt: nec tamen panes eos modo dicit qui fiunt ex frumento. Ipsos enim propriè panes appellare consueuimus: manna autem panum nomine appellat. Non autem uacat, quod dicit ad uesperam carnes & manè panes se daturum. Tale quippe aliquid etiam in Helia significatum est, cùm ei alimenta coruus afferret. An fortè carnibus ad uesperam & manè panibus, ille significatur, qui traditus est propter delicta nostra, &

A & resurrexit propter iustificationem nostram? Ad uesperã quippe mortuus est infirmitate sepultus est, manè autem apparuit discipulis, quia resurrexerat ex uir tute. Sequitur.

Accipe uas aureum unum. Quæri potest ubi Aaron poneret ante Deũ, quando nec ullum simulachrũ fuit: nec arca testamenti iam fuerat instituta. An fortè ideo de futuro dixit, repones, ut intelligeretur tunc ante Deum posse reponi, quando futura erat arca: an potius ante Deum dictum est quod fit ipsa deuotione offeren di, in quocunque loco poneretur, ibi enim est Deus? Sed illud quod adiungit: Et reposuit Aaron ante testimonium ad reseruandum, priorem magis sensum asserit. Hoc enim modo scriptura dixit per prolepsin, quod postea factũ est cùm esse cœpit tabernaculum testimonij. Sequitur.

Filii autem Israel ederunt Manna. Significauit scriptura per prolepsin, id est, hoc loco cõmemorando quod etiam postea factum est, non edisse filios Israël in eremo nisi manna. Hoc est enim quod ait, usque ad terrã quæ inhabitatur, id est, quæ iã non est eremus, non quia cõtinuò ut uenerunt ad terram habitabilem destiterunt uesci manna, sed quia non antè. Traiecto enim Iordane significatur manna cessâsse, ubi panes terræ manducauerunt: quãdo ergo ingressi sunt habitabilem terram, antequam transierunt Iordanem, uel tantùm manna uesci, uel utroq; cibo potuerũt. Hoc quippe intelligi potest, quando cessâsse manna non dicitur, nisi Iordane traiecto. Cur autem in illa eremi inopia etiam carnes desiderauerunt, quando de Aegypto cum suis ualde multis pecoribus exierunt, magna quæstio est. Nisi fortè dicatur, cùm per eremum pascua tanta non essent, & ex eo minor

B futura uideretur fœcunditas pecorum, pepercisse illos pecoribus, ne omnibus de ficientibus etiam sacrificijs necessaria defuissent: uel si quid aliud dici potest, unde quæstio ista soluatur. Congruentius tamen creditur nõ eos carnes desiderâsse, quas de pecoribus habere poterant: sed eas quæ deerant, ex aquis uidelicet. Ipsas quippe in illa eremo non inueniebant: unde & illis ortygometra data est, id est, aues quas coturnices multi latini interpretati sunt, cùm sit aliud genus auiũ orty gometra, quamuis coturnicibus nõ usquequaquè dissimile. Nouerat enim Deus quid desiderarẽt, & desideriũ eorum quo carnis genere satiaret. Sed quia scriptu ra concupiuisse illos carnes dixerat, nec expresserat cuiusmodi carnes, ideo quæ stio facta est. Mãna ederũt quoadusq; uenirent in partẽ Phœnicis. Iã dixerat quoadusque uenirent ad terrã quæ inhabitatur: Sed quia nõ expresserat propriè quã diceret, repetitione uidetur quandam proprietatem expressisse, dicendo, in partem Phœnicis. Sed tunc illam terram sic credendum est appellatam: modò enim hoc non uocatur nomine. Alia quippe est, quæ Phœnice appellatur regio Tyri & Sidonis, qua illos transisse non legitur: quanquam scriptura fortasse potuerit ter ram Phœnicis appellare, ubi palmarum arbores iam esse cœperãt post eremi uastitatem, quoniam palma Græcè sic appellatur. In initio enim profectionis suæ inuenerant locum, ubi septuaginta palmarum arbores fuerãt, & duodecim fontes: sed postea eos excepit eremi prolixitas, ubi tale aliquid non fuit, quousque uenirẽt ad loca quæ colebãtur. Verum ille sensus est probabilior, ut credamus sic appellatã tũc fuisse terrã. Multarum enim terrarum & locorum, sicut fluminum et

Q urbium,

urbium, nomina certis existentibus causis antiquitate mutata sunt. C

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Ex lib. Serm. de Temp. Serm. 93. Tomo X.

S *Itiuit ibi populus aquam &c.* Omnes, inquit, Apostolus, qui uolunt piè uiuere in Christo persecutionē patiuntur, & ab hostibus impugnātur. Et ideo agens quisq; iter uitæ huius, auxiliante Christo indesinenter debet esse armatus, & stare semper in castris. Si ergo & tu semper uigilare uolueris, ut te cognoscas in domini castris militare, obserua illud quod idē Apostolus dicit: Nemo militās Deo implicat se negocijs secularibus, ut ei placeat cui se probauit. Qui si ita militas ut à rebus secularibus liber sis, & in castris Dei agas semper excubias, ut dicatur de te illud quod paulò superiùs audiuimus, quia per uerbum Domini exeas de deserto Sin, et uenias in Raphidin: Sin, interpretatur tētatio: Raphidin uerò, sanitas iudicij. Qui bene exit de tētatione, & quem tentatio probabilē reddit, ipse uenit ad sanitatem iudicij. Saluus erit & sanitas cum eo erit, qui in tentatione uitæ præsentis nunquam contra Deum murmurans minimè fuerit uulneratus,
Apo. 2. sicut in Apocalypsi legimus: Qui uicerit dabo ei edere de ligno uitę quod est in paradiso. Venit ergo ad sanitatem iudicij, qui bene causam alterius audiens disponit sermones suos in iudicio: & munera super innocentem nō accipit. Quid ergo in consequentibus scriptura commemorat: Sitiuit, inquit, ibi populus aquā, & murmurauit cōtra Moysen. Cùm enim dixisset: Sitiuit populus, quid opus fuit ut ad-
Exo. 7. deret aquas? sic enim habet antiqua translatio. Quare hoc addidit, nisi aquam sitiuit qui debuit sitire iustitiam? Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Et iterum: Sitiuit anima mea ad Deum uiuum. Multe enim sunt sites. Sitiūt iusti, sitiunt & peccatores: Illi iustitiam, illi luxuriam. Iusti sitiunt Deum, peccatores sitiūt aurum. Sitiuit ergo populus aquam, qui debuit sitire iustitiam. Dixit ergo ad Moysen Dominus: Tolle uirgā & percute petram, ut educat populo aquam. Ecce est petra, & habet aquam. Sed hæc petra nisi percussa fuerit, aquas omninò non habet: percussa uerò fontes producit & flumina, sicut in euāgelio legimus: Qui cre- D
Ioan. 7. dit in me flumina de uētre eius fluent aquæ uiuæ. Percussus enim Christus in cruce, noui testamēti fontes eduxit. Necesse enim erat ut ille percuteretur. Nisi enim ille percussus fuisset, & de sacro eius latere sanguis & aqua manasset, uniuersus mundus sitim uerbi Dei patiens interisset. Percussit ergo Moyses uirga bis silicē. Quid est hoc fratres? Nec hoc puto esse sine mysterio. Quid est hoc quòd non semel sed bis uirga percussa est petra? Ideo secunda uice petra percutitur, quia duo ligna in crucis patibulo eriguntur, quia in uno ligno sacras manus expandit, in alio uerò à capite usque ad pedes immaculatum corpus extēdit. Bibit ergo de petra populus, & statim bellum inijt contra Amalech. Videte fratres, quia posteaquam quisque de petra biberit, id est, Christi sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam procedere. Tādiu enim aliquis diabolum contra se pugnantem non sentiet, quādiu opera illius exercere uoluerit. Qui uerò illum reliquerit & de petra bibens Christum sequi elegerit, necesse est ut illum patiatur infestum, cui iusto iudicio uoluit præponere Christum. Quisque ergo Christo coniungitur, non

ad

A ad delitias,non ad uoluptates,sed ad prælium præparetur,quia omnes qui uolunt piè uiuere in Christo,persecutionem patiuntur. Et iterum: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Inierunt ergo bellum filij Israël,& Moyses uocat Iesum,& dicit ad eum: Elige tibi uiros & pugna contra Amalech. Vsq; ad hunc locum beati huius nominis mẽtio,id est, Iesus nusquam facta est. Hîc primùm uocabuli huius splẽdor obfulsit. Moyses uocat Iesum,lex inuocat Christũ. Elige,inquit,tibi uiros potentes. Non poterat Moyses eligere uiros potẽtes: Iesus solus est qui potest uiros potentes eligere. Ipse utique qui dixit Apostolis suis: Nõ uos me elegistis,sed ego elegi uos. Ipse est qui domum fortis intrauit,& uasa eius diripuit. Moyses autem ascẽdit in uerticem collis. Et factum est cùm eleuaret manus Moyses,uincebat Israël. Aduertite fratres, Moyses manus quidem leuat,non tamen extendit. Cui ergo seruabatur ut manus extenderet,nisi domino nostro Iesu Christo,qui extentus in cruce uniuersum orbem complexurus brachia pietatis expandit? Moyses ergo leuauit manus,& licet non expandit,tamen ipsa eleuatione mysterium crucis ostendit. Videte fratres iam tunc per sacramentũ crucis superatas esse aduersarias gentes. Et nos fratres dilectissimi si adiuuãte Domino manus erigimus,diabolum superamus. In manibus,opera debemus accipere. Si ergo talia sunt opera tua,ut illa possis in altum in conspectu Domini leuare,potes etiam & tu in teipso aduersarios tuos extinguere. Quis bene manus leuat,nisi qui per eleemosynam in cœlo iugiter thesaurizat? Quis ergo bene manus leuat, nisi qui assiduè uictum ac uestitum pauperibus subministrat? Quis bene manus leuat? Ille utique qui implet illud Apostoli: Eleuãtes,inquit,puras manus sine ira *1.Tim.2.*

B & disceptatione. Quia ergo quotidie nobis & uobis pugna imminet contra aduersarias potestates,si uolumus uincere,manus nostræ,id est,actus nostri & conuersatio nostra non sit in terris,sed sicut Apostolus dicit: Super terram ambulantes conuersationem habeamus in cœlo. Scriptum est tamẽ,quia sicut uitulus ablingit in campis herbam uiridem,ita populus israël ablinget populũ Amalech super terram. Per quod indicari uidetur,quia populus Dei non tam manu & armis quàm uoce pugnabat & lingua,id est,orationem ad Deum fundebat. Ergo & tu si uis uincere,audi Apostolum dicentem: Orationi insistentes, & uigilantes in ea. *Col.4.* Hæc est Christiani pugna gloriosissima,non in suis uiribus præsumere, sed semper Dei auxilium implorare.

Ex Lib.22.Cont.Faust.Manich. Cap.LXXIIII. Tomo VI.

Prælium Domini cũ Amalech &c. Nec bella per moysen gesta miretur aut horreat, quia & in illis diuina secutus imperia,nõ sæuiẽs,sed obediens fuit: nec Deus cùm iubebat ista,sæuiebat,sed digna dignis retribuebat,dignosq; terrebat. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri,ut dominẽtur in pace uicturi? Hoc reprehendere timidorũ est,non religiosorũ: nocendi cupiditas,ulciscendi crudelitas,impacatus atque implacabilis animus,feritas rebellandi,libido dominãdi,& si qua similia,hæc sunt quæ in bellis iure culpantur,quæ plerunque ita culpantur,ut etiam iure puniantur. Aduersus uiolentiam resistentium, siue Deo,siue aliquo legitimo imperio iubente,gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis,cùm in eo rerum humanarum ordine inueniuntur,ubi eos uel iubere tale ali

 quid,

quid, uel in talibus obedire iuste ordo ipse constringit. Alioquin Ioannes cùm ad C
eum baptizandi milites uenirent, dicentes: Et nos quid faciemus, respōderet eis:
Luc.3. Arma abijcite, militiam istam deserite, neminem percutite, uulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, quum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat uobis stipendium uestrum. Sed quia Manichæi Ioannem apertè blasphemare consueuerunt, ipsum dominum Iesum Christum audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi. Reddite, inquit, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstātur, ut propter bel
Matth.8. la necessario militi stipendium præbeatur. Meritò & illius Centurionis dicentis: Et ego homo sum, sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic uade, & uadit: & alij ueni, & uenit: & seruo meo, fac hoc, & facit, fidem laudauit, nō illius militiæ desertionem imperauit. Sed de iustis quidem iniustisq; bellis nūc disputare longum est, & non necessarium. Interest enim quibus causis, quibusq; authoribus homines gerenda bella suscipiant: ordo tamen ille naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas atq; consilium penes principes sit, exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi. Bellum autem, quod gerēdum Deo authore suscipitur rectè suscipi dubitare fas non est: uel ad terrendam, uel ad obterendam, uel ad subiugandam mortalium superbiam: quando ne illud quidem, quod humana cupiditate geritur, non solùm incorruptibili Deo, sed nec sanctis eius obesse aliquid potest: quibus potius ad exercendam patientiam, & ad humiliandam animam, ferendámque paternā disciplinā etiā prodesse inuenitur. Neq; enim habet in eos quisquā ullam potestatē, nisi cui data fuerit desupèr. Nō est enim potestas nisi à Deo, D
siue iubēte, siue sinente. Cùm ergo uir iustus, si fortè sub rege homine etiā sacrilego militet, rectè possit illo iubente bellare ciuicæ pacis ordinem seruās: cui quod iubetur, uel non esse contra Dei præceptum certum est, uel utrùm sit, certum nō est: ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi: quantò magis in administratione bellorū innocentissimè diuersatur, qui Deo iubēte belligerat, quē malè aliquid iubere non posse nemo qui ei seruit, ignorat. Si autem propterea putant non potuisse Deum bellū
Matth.5. gerendum iubere, quia dominus postea Iesus Christus: Ego, inquit, dico uobis, non resistere aduersus malum, sed si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, præbe illi & aliam, intelligant hanc præparationem non esse in corpore, sed in corde: ibi est enim sanctū cubile uirtutis, quæ in illis quoque antiquis iustis nostris patribus habitauit: sed eam rerum dispensationem ac distributionem, temporum ordo poscebat, ut prius appareret etiam ipsa bona terrena, quibus & humana regna & ex hostibus uictoriæ deputātur: propter quæ maximè ciuitas impiorum diffusa per mūdum, supplicare idolis & dæmonibus solet, non nisi ad unius Dei ueri potestatē atque arbitrium pertinere. Vnde & uetus testamentū secretū regni cœlorum tempore opportuno aperiendum promissionibus terrenis operuit: & quodammodo umbrosius occupauit. Vbi autem uenit plenitudo temporis,

A ris, ut nouum testamentum reuelaretur, quod figuris ueteris uelabatur, euidenti testificatione iam demonstrandum erat, esse aliam uitam, pro qua debet hæc uita contemni: & aliud regnum, pro quo oportet omnium terrenorũ regnorum aduersitatem sapientissimè sustineri. Proinde per quorum confessiones, passiones, & mortes hoc Deo placuit attestari, martyres appellantur, qui latinè testes interpretantur, quorum numerus tantus effloruit, ut si eos Christus qui de cœlo Saulum uocauit, & ex lupo factum ouem, in medio luporum misit, cõgregatos uellet armare atque adiuuare pugnantes, sicut Hebræos patres adiuuit, quæ gentes resisterent, quæ regna non cederent? Sed ut præclarissimum testimonium ueritati perhiberetur, qua iam docendum erat, non propter temporalem in hac uita, sed propter æternam post hanc uitam fœlicitatem Deo esse seruiendum, ea quæ uulgo infœlicitas dicitur, pro illa fœlicitate subeunda fuerat & ferenda. Itaque in plenitudine temporũ filius Dei factus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret factus ex semine Dauid secundum carnem, mittit discipulos uelut oues in medio luporum, & monet ne timeant eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: promittit etiam ipsius corporis renouandam integritatem usque ad capilli reparationem. Petri gladium reuocat in uaginam: aurem inimici præcisam reparat ad pristinam formam, dicit se legionibus angelorum imperare potuisse ad delendos inimicos, nisi calix bibendus esset, quem paterna uoluntas dedisset. Bibit præcedens, propinat sequentibus: uirtutem patientiæ suo reuelat præcepto, suo confirmat exemplo. Propter quod Deus illum suscitauit à mortuis, & donauit ei nomen &c. Regnauerunt hîc ergo pa-
B triarchæ & prophetæ, ut ista regna Deum dare et auferre ostẽderetur. Nũm hîc regnauerunt Apostoli & martyres, ut regnum cœlorum desiderandum potius panderetur? Illi regi bella gesserunt: ut tales quoque uictorias appareret Dei uoluntate præstari: isti non resistendo interfecti sunt, ut potiorem esse docerẽt uictoriam pro fide ueritatis occidi: quanquam & illic propheta nouerat mori pro ueritate, sicut ipse Dominus dicit: A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ. Et *Matth. 23.* id posteaquam cœpit impleri, quod sub figura Salomonis, quod latinè interpretatur pacificus, de domino Christo, ipse est enim pax nostra, in Psalmo prophetatũ est: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi: & Christiani *Psal. 71.* quoque imperatores plenam gerentes fiduciam pietatis in Christo, de inimicis sacrilegis, qui spem suam in sacramentis idolorum dæmonúmque posuerant, gloriosissimam uictoriam perceperunt: cum apertissimis notissimisq; documentis, de quibus nonnulli iam scriptum memoriæ commendarunt, illos fallerent uaticinia dæmoniorum, hos firmarent prædicta sanctorum. Si autem hoc mirum *Eiusdẽ lib.* istis uanis uidetur, quòd aliud tunc Deus præcepit dispensatoribus ueteris testa- *Cap. 77.* menti, ubi noui gratia uelatur, aliud prædicatoribus noui testamenti, ubi ueteris obscuritas reuelabatur: attendant ipsum dominum Christum, mutantem quæ dixerat, & aliud dicentem: Quando misi uos, inquit, sine sacculo & pera & calcia- *Luc. 22.* mentis, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerũt: Nihil. Dicit ergo eis: Sed nũc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, uendat tunicam suam, & emat gladium. Isti certè si ista diuersa in testamentis singulis inuenirent

ueteri & nouo, etiam hoc clamarent, duo sibi testamenta esse contraria. Quid er- C
go nunc respōdebunt, cùm idem ipse dicit antea: Misi uos sine sacculo & pera et
calciamentis, & nihil uobis defuit: nunc autem: Qui habet sacculum, tollat simili-
ter & peram: & qui habet tunicam uendat & emat gladium. Iámne intelligunt
quemadmodum nulla in conscientia præcipientis, sed ratione dispensantis, pro tē-
porū diuersitate, præcepta uel consilia, uel permissa mutentur? Nam si dicunt cer-
ti mysterij gratia hoc de tollendo sacculo & pera, et emendo gladio locutū fuisse,
cur non admittunt certi mysterii gratia, eundem unum Deum, tunc prophetas ge-
rere bella iussisse, nunc Apostolos prohibuisse? Neque enim in eo, quod ex euan-
gelio cōmemorauimus, uerba tantùm Domini fuerunt: sed obtemperantiū quo-
que discipulorū facta secuta sunt. Nam & tunc sine sacculo & pera ierūt, & nihil
eis defuit: sicut eius interrogatio & eorum responsio declarauit. Et nunc dixerūt
ei, cùm de gladio emendo iussisset: Ecce sunt hîc duo gladij: Et ille respōdit: Suffi
cit: Hinc & Petrus armatus inuentus est, cù m aurē persecutoris abscidit, ubi spon
tanea eius coërcetur audacia: quia non ut iussus fuerat ferrum tollere, ita iussus
fuerat & ferire. Latebat certè Domini uoluntas, cur arma portare præcepisset,
quibus eos uti noluisset. Verūtamen ad illum cum ratione præcipere, ad istos au
Eiusdē lib. tem sine tractatione præcepta facere pertinebat. Calumniosa ergo imperitia
cap.78. Moyses reprehenditur quòd bella gesserit, qui minus reprehēdi debuit, si sua spō
te gereret, quàm si Deo iubente non gereret: ipsum uerò Deum, quòd talia iusse
rit, audere reprehendere: uel Deum iustum & bonum talia iubere potuisse, non
credere, hominis est (ut mitius loquar) cogitare non ualentis diuinæ prouidētiæ,
per cuncta summa atque ima tendenti, nec nouum esse quod oritur, nec perire D
quod moritur: sed in suo singula quæque ordine siue naturarum siue meritorū,
uel cedere, uel succedere, uel manere: hominum autem rectam uoluntatem diui-
næ legi coniungi, inordinatam uerò cupiditatem diuinæ legis ordine coërceri: ut
nec bonus aliud quàm præcipitur, uelit: nec malus amplius quàm permittitur
possit: ita sanè, ut nō impunè possit quod iniustè uoluerit: ac per hoc in omnibus,
quæ humana infirmitas horret aut timet, sola in iniquitas iure damnatur: cætera
sunt uel tributa naturarum, uel merita culparum. Fit autem homo iniquus, cùm
propter seipsas diligit res propter aliud assumendas, & propter aliud appetit res
propter seipsas diligendas. Sic enim quantùm in ipso perturbat in se ordinem na
turalem, quem lex æterna cōseruari iubet. Fit autem homo iustus, cùm ob aliud
non appetit rebus uti, nisi propter quod diuinitùs institutæ sunt: ipso autem Deo
frui propter ipsum, seq; & amico in ipso Deo, propter eūdem ipsum Deum. Pro-
pter Deum enim amat amicum, qui Dei amorem amat in amico. Siue autem ini-
quitas, siue iustitia, nisi esset in uoluntate, non esset in potestate. Porrò si in potesta
te non esset, nullum præmium, nulla pœna iusta esset: quod nemo sapit, nisi qui
desipit. Ignorantia uerò & infirmitas, ut uel nesciat homo quid uelle debeat, uel
non omne quod uoluerit possit, ex occulto pœnarum ordine uenit, & illis inscru
tabilibus iudicijs Dei, apud quem non est iniquitas. Proditū est enim nobis pecca-
Rom.4. tū Adā fideli eloquio Dei: & quia in illo omnes moriuntur, & quia per illum pec-
Sap.9. catum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, ueraciter scriptum est.

Et

A Et quia ex hac pœna corpus corrumpitur,& aggrauat animam,& deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem,uerissimum,nobísque notissimum est: & quia de hac iusta pœna non liberat nisi misericors gratia,certum est. Et hinc Apostolus gemebundus exclamat: Infœlix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius?Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum.Sed quæ sit distributio iudicantis & miserentis Dei,cur alius sic,alius autem sic,occultis fit causis,iustis tamen.Non tamen ideo nescimus omnia ista iudicio aut misericordia Dei fieri, licet in abdito positis mensuris & numeris & ponderibus, quibus omnia disponuntur à Deo creatore omnium quæ naturaliter sunt: nec authore, sed tamen ordinatore etiam peccatorum:ut ea quæ peccata non essent,nisi contra naturam essent,sic iudicentur & ordinentur,ne uniuersitatis naturam turbare uel turpare permittantur,meritorum suorum locis & conditionibus deputata.Quæ cùm ita sint,& cùm per hoc secretum iudiciorum Dei motúsque humanarum uoluntatum,eisdem prosperitatibus alij corrumpantur,alij temperanter utantur,& eisdem aduersitatibus,alij deficiant,alij proficiant:cúmque ipsa humana mortalísque uita tentatio sit super terram: quis hominum nouit cui prosit aut osit in pace,regnare uel seruire,uel uacare,uel mori:in bello autem,imperare,uel pugnare,uel uincere,uel occidi?Cùm hoc tamen constet, & cui prodest, non nisi per diuinum prodesse beneficium: & cui obest, non nisi per diuinum obesse iudicium? Quid ergo insilimus in temerarias reprehensiones: atque utinam hominum & non Dei?Seruierint dispensatores ueteris testamenti,ijdemque prænunciatores noui testamenti,peccatores occidendo:seruierint dispensa-

Rom. 7.

Eiusdē lib. cap. 79.

B tores noui testamenti, ijdémque expositores ueteris testamenti, à peccatoribus moriendo:Deo tamen uni utrique seruierunt per diuersa & congrua tempora, docenti bona temporalia & à se petenda,& propter se contemnenda: molestias temporales & à se posse impetrari,& propter se debere tolerari. Quid ergo crudele Moyses aut mandauit aut fecit, cùm commissum sibi populum sanctè zelans,& uni uero Deo subditum cupiens, posteaquam cognouit ad fabricandum & colendum idolum defluxisse, mentémque impudicam prostituisse dæmonibus,in paucos eorum uindicans gladio,quos Deus ipse,quem offenderant,alto & secreto iudicio feriendos uoluisset mox feriri, & in præsenti salubriter terruit,& disciplina in posterum sanxit?Nam eum nulla crudelitate,sed magna dilectione fecisse quod fecit, quis non in uerbis eius agnoscat, orantis pro peccato eorum & dicentis:Si dimittis illis peccatum,dimitte: sin autem, dele me de libro tuo.Comparans ergo unusquisque piè prudens illam cædem & hanc precem,uidet profectò,apertisiméque uidet,quantùm malum sit animæ,per simulacra dæmonum fornicari,quando sic sæuit,qui sic amat.Sic planè & Apostolus non crudeliter,sed amabiliter tradidit hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die domini Iesu. Tradidit & alios ut discerent non blasphemare &c. Coguntur fateri, uirtutem illam patientiæ, quam docet Dominus, dicens: Si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, præbe illi & sinistram, posse esse in præparatione cordis, etiam si non exhibeatur gestu corporis, & expresione uerborum:quandoquidem Apostolus palma percussus, potius Deum

Matt. 5.

rogauit, ut iniurioso homini in futuro seculo parceretur, in præsenti autē illa iniu C
ria non inulta relinqueretur, quam uel præbuit ferienti alteram partem, aut ut ite
rū feriret, admonuit. Tenebat certè interius dilectionis affectum, & exterius re-
quirebat correctionis exemplū. Siue hoc uerum sit, siue confictū, cur nolunt cre
dere tali animo famulum Dei Moysen idoli fabricatores & adoratores gladio pro
strauisse: cùm & in eius uerbis satis appareat, ita huiusmodi peccato eum ueniam
deprecatum, ut nisi impetraret, deleri se uellet de libro Dei &c.

Quæst. super Exod. lib. 2 Cap. LXIIII. Tomo IIII.

Et *uirga in qua percussisset flumen.* Flumē Aaron legitur, non Moyses uirga percussisse. Nā Moyses eadē uirga mare diuisit, nō flumen. Quid sibi ergo uult: Accipe uirgā in qua percussisti flumen? An fortè mare appellauit flumen? Quærendū exemplum locutionis huius, si ita est: an quod Aaron fecit, Moysi potius tributū est, quia per Moysen Deus iubebat, quæ faceret Aaron: & in Moyse authoritas, in illo autē ministerium fuit, quādoquidem & primis suis uerbis Deus hoc illi ait de fratre suo: Erit tibi ad populū, tu illi in his quæ ad Deum. Et ecce ego sto super cacumen collis, & uirga Dei in manu mea, dicit Moyses ad Iesum Naue cùm præciperet pugnare aduersus Amalech. Nunc ergo uirga Dei dicitur, quæ primùm dicta est uirga Aaron, postea uerò uirga Moysi: sicut dicitur spiritus Heliæ qui est spiritus Dei, cuius particeps factus est Helias: sic illa potuit dici. Dicitur etiā Dei iustitia, quæ nostra est, sed donata à Deo: de qua loquens Apostolus, Iudæos arguit di-
Rom. 10. cens: Ignorātes Dei iustitiā, & suam iustitiam uolentes cōstituere, id est, tanquam à se sibi paratam, coutra quales dicit: Quid enim habes, quod non accepisti?

CAPVT DECIMVMOCTAVVM. D

Locut. de Exod. lib. 2. Tomo III.

E T *sumpsit Iethro socer Moysi holocaustomata.* Sumpsit pro eo quod est obtulit. An fortè sensus est non locutio, ut ea sumpsisse intelligatur, quæ
Exo. 17. Moyses obtulisset: quanquam Moyses nō legatur superius sacrificasse, nec Aaron, nec quisquam Hebræorū qui educti sunt de terra Aegypti, sed tātùm superiùs scriptum est, quòd altare constituerit Moyses, & appellauerit illud Dominus meum refugium. Istum autem Iethro legimus sacerdotem fuisse Madian, id est, gentis Madian. Mirum est autem si ad eius aduentum cœpit sacrificare Moyses, & non potius ipse Iethro, qui iam sacerdos erat.

Quæst. super Exod. lib. 2. Cap. LXVI. Tomo IIII.

Cum socero Moysi ante Deum. Quæritur ubi ante Deum? quādo nec tabernaculum fuit, nec arca testamenti: quæ postea sunt instituta. Neque enim & hîc de futuro dictū accipere possumus, sicut dictum est de manna quod positum est in uase aureo. Ergo ante Deum id accipere debemus factum, quod in honorem Dei factū est. Vbi enim non Deus? Sequitur: *Quia uenit ad me populus.* Quæri potest quomodo ista Moyses dixerit, cùm lex Dei adhuc nulla conscripta esset: nisi quia lex Dei sempiterna est, quā cōsulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea inuenerint, uel faciāt, uel iubeant, uel uetēt, secundū quod illa incommutabili ueritate percęperint. Nūquid enim Moyses, quāuis cum illo Deus loqueretur, per singula

A credendum est quòd consulere soleret Deum si quid esset in disceptationibus tantæ multitudinis, quæ illum in hoc iudicandi negotio à mane usque ad uesperam detinebat? Et tamen nisi suæ menti præsidētem Dominū consuleret, legemq; eius æternam sapienter attenderet, quid iustissimum iudicare inter disceptantes posset, non inueniret. In eo quod Iethro consilium dat generi suo Moysi, ne occupatus iudicijs populi & ipse & populus consumerentur, consumptione intolerabili. Prima quæstio est, cur hoc Deus famulum suum, cum quo ipse tanta & talia loquebatur, ab alienigena passus est admoneri. In quo scriptura nos admonet, per quemlibet hominem detur consilium ueritatis, non debere contemni. Videndum est etiam, ne fortè ibi uoluerit Deus ab alienigena admoneri Moysen, ubi & ipsum posset tentare superbia: sedebat enim iudiciaria sublimitate solus, uniuerso populo stante. Nam hunc sensum indicat, cùm ipse Iethro eos eligi iussit ad iudicandas causas populi, qui odissent superbiam. Deinde quàm sit obseruandum quod alibi scriptura dicit: Fili ne in multis sint actus tui: Satis & hîc apparet. Deinde uerba Iethro dantis consilium Moysi considerāda sunt. Dicit enim: Nunc itaq; audi me, & consilium dabo tibi, & erit Deus tecum. Vbi mihi uidetur significari, nimis intentum humanis actionibus animum, Deo quodammodo uacuari, quo fit tantò plenior, quantò in superna atque æterna liberius extenditur. Quod uerò adiungit, & dicit: Esto tu populo in his &c. Cum populo uniuerso hoc agendum esse demonstrat. Non enim ait, uniuscuiusq; uerba referes ad Deum, sed uerba eorum, cùm suprà dixisset: Esto tu populo in his quæ ad Deum sunt. Post hæc admonet, ne singulorum negotia quæ inter se habent deferantur, electis uidelicet

B potentibus uiris Deum colentibus, iustis & qui oderint superbiā, quos constituat super millenos, alios super cētenos, alios super quinquagenos, alios super denos. Sic & ab ipso Moyse remouit graues & periculosas occupationes, nec istos grauauit. Quandoquidem ipsi mille haberent unum super se, & sub illo haberent alios decem, & sub eis alios uiginti, & sub his alios centum, ut uix aliquid ad singulos quosque præpositos perueniret, quod iudicare necesse haberent. Insinuatur hîc etiam humilitatis exemplum, quod Moyses cum quo loquebatur Deus, non fastidiuit, neque contempsit alienigenæ soceri sui consilium, quanquā & ipse Iethro, cùm Israëlita non fuisset, utrùm in uiros Deum uerum colentes, religiosóque sapientes habēdus sit, quemadmodum & Iob cùm ex ipso populo non fuisset, meritò quæritur, imò credibilius habetur: ambiguè quippe posita sunt uerba, uel utrùm sacrificauerit Deo uero in populo eius, quando uidit generum suum, uel utrùm adorauerit eum ipse Moyses: quanquam de adoratione etiam si expressè positū esset, honor uideretur socero redditus, eo modo quo solet hominibus honorificentiæ causa exhiberi à patribus: Sicut de Abraham scriptum est, quòd adorauerit filios Heth. Quos autē dicat γραμματων εἰσαγωγεῖς post Decuriones, non facilè sciri potest: quoniam hoc nomen in nullo usu habemus, uel officiorum uel magisteriorum Nam quidam doctores interpretati sunt, ut intelligantur utique literarum, qui introducant in literas, sicut resonat Græcum uocabulum. Hîc sanè significatur quòd ante legem datam habuerint Hebræi literas, quæ quando cœperint esse, nescio utrùm ualeat indagari. Nonnullis enim uidetur à primis hominibus

bus eas cœpiſſe,& perductas eſſe ad Noë,atque inde ad parentes Abrahæ,& inde ad populum Iſraël,ſed unde hoc probari poſsit ignoro. C

CAPVT DECIMVMNONVM.

Totus autem mons Sinai fumabat. Vide primo Corinthiorum decimoquarto in hæc uerba: Qui ignorat ignorabitur.

CAPVT VICESIMVM.

Ex lib. contra Adimant. Manich. diſcip. Cap. XI. Tomo VI.

Ne adoraueris deos alienos. Illud cùm calumniantur Manichæi, ſatis oſtendunt placere ſibi adorare multos deos. Nec mirum, quandoquidem in ſecta ſua numeroſiſsimam deorum familiam cõmemorant atque cõmendant: quippe qui etiam ad iſta uiſibilia uenerunt, quæ pro iſtius ueritatis luce uenerantur & adorant: & ideo diſplicet eis quod ſcriptũ eſt in Exodo: Ne adoraueritis deos alienos. Addunt etiam illud propter hoc dictum eſſe: Deus ueſter zelans appellatur: zelans enim zelauit, ut tanquam Deum zelantem non amemus, cuius zelo deos alienos adorare non ſinimur. Et ideo dicunt iſta euangelio eſſe contraria, quoniam Dominus
Ioan.17. dicit: Pater iuſtè, mundus te non cognouit, quaſi non ſit dicendus Deus iuſtus, niſi nos deos alienos adorare permittat. Iuſtum enim Deum & zelantem Deum tanquam contraria ſibi eſſe diſſertant, & decipiunt miſeros, non intelligentes totam ſpem ſalutis noſtræ eſſe zelum Dei. Hoc enim nomine illa eius ſignificatur prouidentia, qua nullam à ſe animam fornicari impunè permittit: ſicut Prôpheta dicit:
Pſal.72. Perdes omnes qui fornicantur abs te. Sicut enim ea quæ dicitur ira Dei, non perturbatio mentis eſt, ſed potentia uindicandi: ſic zelum Dei non cruciatum animi, quo maritus aduerſus uxorem uel uxor aduerſus maritum torqueri ſolent, ſed tranquilliſsimam ſynceriſsimámque iuſtitiam, qua nulla anima beata eſſe ſinitur, falſis opinionibus, prauíſque cupiditatibus corrupta, & quodammodo grauidata. Illi enim hæc uerba exhorreſcunt, qui nondum uiderunt ineffabili maieſtati nulla uerba congruere. Sic enim ab iſtiuſmodi uerbis temperandum putant, qua ſi aliquid dignũ Deo putant, cùm iſta non dicũt. Sanctus enim ſpiritus hoc ipſum hominibus intelligentibus inſinuans, quàm ſunt ineffabilia ſumma diuina, his etiã uerbis uti uoluit, quæ apud homines in uitio poni ſolent: ut inde admonerentur etiam illa, quæ cum aliqua dignitate Dei ſe putant homines dicere, indigna eſſe illius maieſtate, cui honorificum potius ſilentium, quàm ulla uox humana competeret. Quæro zelum hominis, & inuenio perturbationem cruciãtem cor. Tamen cùm quæro cauſam, nil aliud inuenio, niſi quòd nõ patitur coniugis adulterium. Maximè enim & propriè inter coniugia zelotypia dici ſolet. Itaq; ſi maritus eſſet per ſeipſum beatus, & omnipotens, & iuſtus, ſine ullo cruciatu, & tota facilitate, & nulla iniquitate peccatum cõiugis uindicaret. Quam tamen eius actionem humano loquendi modo etiam ſi non propriè, tranſlatè tamen & rectè zelum uocarem. Quis enim Tullio calumniatus eſt, qui certè nouerat Latinè loqui, cùm ait Cæſari: Nulla de uirtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior miſericordia eſt. Et tamen ex eo appellatam miſericordiam dicunt, quòd miſerum cor faciat dolentis D

A tis aliena miseria. Nunquid ergo uirtus miserum cor facit? Quid ergo calumniosus Tullius responderet? nisi misericordiæ nomine clementiam se appellare uoluisse? Quoniam rectè solemus loqui, non solùm uerba propria, sed etiam uicina usurpantes. Cuius authoris mentionem facere uolui, quoniam non de re quæstio hîc, sed de uerbo est. Sicut enim nostri authores diuinarum scilicet literarum de rebus maximè cogitauerunt: sic mundanorum authorum prope omnis cura de uerbis est. Sed habeo euangelium & omnes noui testamenti libros, in quibus misericordia Dei frequentissimè commendatur. Si audent ergo isti miseri, etiam inde faciant quæstionem, & negent esse misericordem Deum, ne miserum cor habere intelligatur. Sicut ergo potest esse in Deo misericordia sine cordis miseria: sic etiam sine tabe atque cruciatu animi zelum Dei non dedignemur accipere, & humani conditionem sermonis feramus, ut ad diuinũ perueniamus silentium. Sed si contraria dicunt esse zelantem Deum, & iustum Deum, quid dicturi sunt cùm & in nouo testamẽto inuenio: Zelo Dei uos zelo, uel adhibitum etiam de ueteribus in euangelio testimonium: Zelus domus tuæ comedit me? Rursus in ueteri cùm legũt: Iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatẽ uidit uultus eius, nónne fatebuntur etiam hoc modo imperitis duo testamenta uideri posse contraria, ut in nouo inueniamus zelum Dei, in ueteri iustitiam? Bene autem intelligẽtibus utrumque in utroque magna sancti spiritus unitate & pace concinere. 2. Cor. 11. Psal. 68. Psal. 10.

Deus reddens peccata patrum in filios. Vide Deut. cap. uicesimoquarto in hæc uerba: Morietur fur ille?

Ego sum Deus zelans, retribuens & cætera. Huic loco Manichæi illud de euange-
B lio dicunt esse contrarium quod Dominus dicit: Estote benigni, sicut pater uester cœlestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & illud aliud quod idem Dominus ait: Non solùm septies peccanti fratri dimittendum, sed etiam septuagiessepties. A quibus tamen si quæram, utrùm Deus non puniat inimicos suos, sine dubio turbabuntur. Ipsi enim dicunt Deum, genti tenebrarum ętemam carcerem præparare, quam dicunt esse inimicam Deo. Et parum est, sed eum etiam sua membra simul cum ipsa gente puniturum esse non dubitant dicere. Sed cùm ad capitula ueteris & noui testamenti ueniunt, ut imperitos decipiant, & ea sibi aduersa esse criminentur, fingunt se nimis bonos, sed dicant nobis quibus dicturus est Dominus: Ite in ignem æternum qui præparatus est diabolo & angelis eius: si omnibus parcit, & neminem damnat? Quare intelligendum & illud rectum esse quòd Deus retribuit parentum peccata filijs qui eum oderunt. Ex eo enim quod addidit, qui me oderunt, intelligitur eos puniri peccatis parentum, qui in eadem peruersitate parentum perseuerare uoluerunt. Tales enim non sæuitia, sed potius iustitia Dei, & sua iniquitate puniuntur, sicut Propheta ait: Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate, id est, corripietur homo superueniente sibi iniquitate sua, cùm ab eo recesserit spiritus sanctus. Et alio loco: Hæc cogitauerunt & errarunt, excæcauit enim illos malitia eorũ. Et alio loco: Corniculis peccatorum suorum unusquisque cõstringitur. Quibus testimonijs ueteris testamenti de nouo cõsentit Apostolus dicens: Tradidit illos Matth. 5. & 18. Matth. 25. Sap. 1. Sap. 2. Psal. 5. Rom. 1.

los Deus in concupiscentias cordis eorum. Qua concordia utriusque testamenti C
satis ostenditur non esse sæuum Deum, sed unumquenque in se sæuire peccãdo.
Quòd autem in tertiam & quartam scriptum est generationem uindictam pro-
Deut. 5. cedere, nõ aliud significari arbitror, nisi quòd ab ipso Abraham, qui pater esse in-
cipit populi Iudęorum, quatuor ætates sunt cum ista quę nunc agitur, quas Mat-
thæus euangelista distinguit. Vna est ab Abraham usq; ad Dauid, alia à Dauid usq;
ad transmigrationẽ in Babyloniam, tertia à transmigratione in Babyloniam usq;
ad Domini aduentum. Inde usque ad finem quarta deputatur tantùm, quantùm
senectus seculi cæteris ætatibus longior. Quas ætates pro generationibus positas
credimus, quamuis singulæ pluribus generationibus constent. Et quoniam tertia
incipit à transmigratione Babyloniæ, quando Iudæorum est facta captiuitas: in
quarta uerò, id est, post aduentum Domini nostri, gens Iudęorum à solo proprio
penitus eradicata est, hoc datur intelligi quod dictum est, tertiæ & quartæ gene-
rationis peccata parentum redditurum Deum: his utique legitimè atque debitè,
qui parentũ peccata perseuerantes tenere, quàm Dei iustitiam sequi maluerunt.
Ezech. 18. Nam non pertinere patris peccata ad filium iustè uiuentem, propheta Ezechiel
Matth. 5. apertissimè ostendit. Quod autem in euangelio dicitur: Estote benigni quemad-
modum pater uester cœlestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos,
non est ueteri testamento cõtrarium. Hoc enim facit Deus ut inuitet ad pœniten-
Rom. 8. tiam, sicut dicit Apostolus: Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te inuitat?
Nec tamen ideo credendum est, non puniturum Deum eos, qui, ut dicit idẽ Apo-
stolus, thesaurizãt sibi iram in die iræ, & reuelationis &c. Nanque istã Dei patien-
Sap. 12. tiam & bonitatem etiam Propheta prędicat dicens: Parcis autem omnibus, quo- D
niam tua sunt omnia qui animas amas: & cætera innumerabilia, quibus intelligi-
tur & in bonitate & in sæueritate misericordiam & iustitiam Dei testamentum
Exo. 20. utrũq; prædicare. Si autem mouentur quòd dictum est: Ego sum zelans, mouean
2. *Cor.* 11. tur etiam illo, quod dicit apostolus Paulus: Zelo Dei uos zelo: despõsaui enim uos
uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Sãcta enim scriptura uerbis nostris
loquens, etiam per hęc uerba demonstrat, nihil dignè de Deo posse dici. Cur enim
non etiam uerba ista dicantur de illa maiestate, de qua quicquid dictum fuerit, in-
dignè dicitur: quia omnes opes linguarũ omnium ineffabili sublimitate præcedit?
Nam quoniam zelando solent mariti uxorum pudicitiam custodire, potestatem,
& disciplinam Dei, qua fornicari animam impunè non sinit, zelum Dei scripturæ
uocauerunt. Est autẽ animæ fornicatio, auersio à fœcũditate sapientię, & ad con-
ceptum temporalium illecebrarũ corruptionũq; conuersio. Illud uerò quod di-
mittendum esse dicit fratri, nõ solùm septies, sed & septuagiessepties, Pœnitenti
Ezec. 18. utiq; dicit. Deus autem illis se dicit retribuere peccata, qui eum oderunt, non qui
& 33. ei per pœnitentiam reconciliantur. Nam & apud Prophetã Dominus dicit: Nolo
mortem peccatoris, tantùm ut reuertatur & uiuat. Ex quo facilè appareat, & in
ea patientia quæ inuitat ad pœnitentiam: & in ea indulgentia, quæ ignoscit pœni
tẽtibus: & in ea iusticia, quæ punit eos qui corrigi nolũt, utrunq; testamentũ con
uenire atq; congruere, tanquã ab uno Deo utrunq; conscriptum. Vide præte
rea quid sit Zelare Deũ, tomo quarto, libro de Essentia diuinitatis, ubi inquit, Ze-
lare

A lare dicitur Deus, cùm creaturam suam, quam non uult perire, sępe castigat, corripit atq; flagellat, & flagellãdo ad se reducit. Vel certè zelare Deus dicitur, cùm nullũ peccatum impunitũ uult relinquere. Iustus enim est & ideo omnis iniustitia execrabilis est illi, quã ut dictũ est, impunitã nullo modo relinquere patitur. *Eiusdẽ lib. Cap.6.*

Honora patrem tuum & matrem tuam. Huic loco ubi de honorandis parentibus Deus præcepit, illum euangelij locum Manichæi dicunt esse contrarium, ubi Dominus cuidam dicẽti: Ibo primum & sepeliam patrem meum &c. Quod eodem modo soluitur, quo illud superius ubi de uxore relinquenda dictum est, propter regnum cœlorum, quia & parentes honorare debemus, & eos tamen propter annunciationem regni Dei nulla impietate contemnimus. Nam & si ueteri testamento contrarium est euangelium propter istam sententiam, incipit etiam Apostolo esse cõtrarium, qui & filios monet ut honorẽt parentes, & parentes ut diligant filios. Non solùm autem, sed etiam Dominus uidebitur sibiipsi esse contrarius, quod credere nefas est, quia loco alio dicit homini quærenti uitam æternam: Si uis uenire ad uitam, serua mandata. In quibus etiam illud commemorat: Honora patrem & matrem. Quibus mandatis perfectis etiam ad dilectionem Dei crescitur, in qua est tota perfectio. Nam dilectio proximi, certus gradus est ad dilectionem Dei. Et ideo respondenti quòd omnia mandata illa seruauit, dicit unum ei deesse, si uult esse perfectus, ut uendat omnia quæ habet & det pauperibus, & sequatur eum. Ex quo manifestum est, & honorem parentum in gradu suo esse seruãdum, & eos tamen in diuini amoris comparatione, præsertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni. Nam & in scripturis ueteribus habes positũ: Qui dicit patri aut matri: Nõ noui uos, & qui filios suos nõ agnoscit, ipse autem cognouit testamentum tuum. Ergo si & in nouo testamento commendatur parentum dilectio, & in ueteri commendatur parentum contemptus, ex utroque capite duo sibi testamenta consentiunt. *Luc.9.* *Matth.19* B *Deut.33.*

Item. Vide de zelo, pœnitentia, ira, & misericordia Dei Lib.1. cõtra Aduersa. Legis & prophetarum, in hæc uerba: Non enim sicut hominem, pœnitet Deum, sed sicut Deum, quemadmodum non sicut homo irascitur: nec sicut homo miseretur, nec sicut homo zelat, sed omnia hæc sicut Deus. Pœnitentia Dei nõ est post errorem: Ira Dei non habet perturbati animi ardorem: Misericordia Dei non habet compatientis miserum cor, unde in latina lingua nomen accæpit. Zelus Dei non habet mentis liuorem, sed pœnitentia Dei dicitur, rerũ in eius potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio: Ira dei, est uindicta peccati: Misericordia Dei, est bonitas opitulantis: Zelus Dei, est prouidentia, qua non sinit eos quos subditos habet, impunè amare quod prohibet &c.

Quæst. super Exod. lib.2. Cap. LXXI. Tomo IIII.

Quæritur decem præcepta legis quemadmodum diuidenda sint: utrùm quatuor sint usque ad præceptum de sabbato, quæ ad ipsum Deum pertinent: sex autem reliqua, quorum primum: Honora patrem & matrem, quæ ad hominẽ pertinent: an potius illa tria sint, & ista septem. Qui enim dicunt illa quatuor esse, separant quod dictũ est: Non erunt tibi dij alij præter me: ut aliud pręceptũ sit: Nõ facies tibi idolum & cætera. Vbi figmenta colenda prohibentur. Vnum autem

uolunt

uolunt esse: Non concupisces uxorem proximi tui: & non copisces domum pro C
ximi tui, & omnia usque in finem. Qui uerò illa tria esse dicunt, & ista septem, unum uolunt esse, quicquid de uno colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præ ter illum pro Deo colatur. Hæc autem extrema præcepta in duo diuidūt, ut aliud sit præceptum: Non concupisces uxorem proximi tui, & aliud, non concupisces domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæcunq; illius sunt. Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc scriptura testatur. Mihi autem uidentur congruentius accipi tria illa, & ista septem, quoniam trinitatem uidentur illa quæ ad Deum pertinent insinuare diligentius intuentibus. Et reuerà quod dictum est: Non erunt tibi dij alij præter me, hoc ipsum perfectius explicatur cùm prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porrò uxoris alienæ, & concupiscentia domus alienæ, tantùm in peccando differunt, ut illi quod dictum est, non cōcupisces domum proximi tui, adiuncta sint & alia dicente scriptura, neque agrum eius, neque seruum eius, neque ancillam eius, neque boues eius, neque subiugalem eius, neque omne pecus eius, neque quæcunque proximi tui sunt. Discreuisse autem uidetur cōcupiscentiam uxoris alienæ à concupiscentia cuiuslibet rei alienæ, quando utrunque sic cœpit: Non concupisces uxorem proximi tui. Et: Non cōcupisces domum proximi tui. Et hinc cœpit cætera adiungere. Non autem cùm dixisset: Non concupisces uxorem proximi tui, huic connexuit alia dicens, neque domum eius, neque agrum eius, neque seruum eius, &c. sed omninò apparent hæc esse coniuncta, quæ in uno præcepto uidentur contineri, & discreta ab illo ubi uxor nominata est. Illud autem ubi dictum est: Non erunt tibi dij alij præter me, apparet huius rei diligen D
tiorem executionem esse in his quæ subiecta sunt. Quô enim pertinet: Non facies tibi idolum, neque ullum simulachrum: quæcunque in cœlo sunt sursum, & quæcunque in terra deorsum, & quæcunque in aqua sub terra, non adorabis ea, neque seruies illis: nisi ad id quod dictum est, non erunt tibi dij alij præter me? Sed rursum quæritur quid differat: Nō furtum facies, ab eo quod paulò pòst de non concupiscendis proximi rebus præcipitur. Non quidem omnis qui rem proximi sui concupiscit, furatur: sed quia omnis qui furatur rem proximi concupiscit, poterat in illa generalitate ubi de non concupiscenda re proximi præcipitur, etiam illud quod ad furtum pertinet contineri. Similiter etiam quæritur quid differat quod dictum est: Non mœchaberis ab eo quod paulò pòst dicitur: Non concupisces uxorem proximi tui. In eo quippe quod dictum est, non mœchaberis, poterat & illud intelligi: nisi forsitan in illis duobus præceptis, non mœchandi, & non furandi, ipsa opera notata sunt, in his uerò extremis ipsa concupiscentia: quæ tantùm differunt, ut aliquando mœchetur qui non concupiscit uxorem proximi, cùm alia aliqua causa illi misceatur: aliquando autem concupiscat nec ei misceatur, pœnam timens, & hoc fortasse lex ostendere uoluit, quòd utraque peccata sint. Item quæri solet utrùm mœchiæ nomine etiam fornicatio teneatur. 3
μοιχός Hoc enim Græcum uerbum est, quo iam scriptura utitur pro Latino. Mœchos tamen Græci non nisi adulteros dicunt. Sed utique ista lex non solis uiris in populo, uerumetiam fœminis data est. Neque enim quia dictum est: Non concupisces

uxorem

A uxorem proximi tui:nihil sibi hîc præceptum debet putare fœmina, tanquàm licitè posset concupiscere uirum proximæ suæ. Si ergo hoc ex illo quod uiro dictum est intelligitur,quamuis nõ dictum sit,quòd etiam ad fœminam pertineat: quantò magis ex eo quod dictum est,non mœchaberis, uterque sexus constringitur,cùm & ipsum præceptum potest referri ad utrunque, sicut non occides, non furaberis, & alia quæ similiter non expresso uno sexu utrique uidentur sonare communiter.Tamen ubi unus exprimitur, honoratior utique exprimitur, id est,masculinus,ut ex hoc intelligat etiam fœmina quid sibi præceptum sit. Ac per hoc si fœmina mœchata est habens uirum, concumbendo cum eo qui uir eius non est,etiam si ille non habeat uxorem: etiã uir mœchatus est habens uxorem,concumbendo cum ea quæ uxor eius non est,etiam si illa habeat uirum. Sed utrùm si faciat qui uxorem non habet cum fœmina,quæ uirum non habet, ambo præcepti huius transgresſione teneantur,meritò quæritur.Si enim non tenetur,non est prohibita in decalogo fornicatio, sed sola mœchia,id est adulterium: quamuis omnis mœchia etiam fornicatio esse intelligitur, sicut loquuntur scripturæ.Dominus enim dicit euangelio: Quicunque dimiserit uxorem suam exCæpta causa fornicationis,facit eam mœchari. Hoc utique fornicationem appellauit,si cum alio peccet,quæ uirum habet,quod est mœchia, id est,adulterium. Omnis ergo mœchia etiã fornicatio in scripturis dicitur.Sed utrùm etiam omnis fornicatio mœchia dici posſit, in eisdem scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum:sed si non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, ubi sit in decalogo prohibita illa fornicatio quam faciunt uiri, qui uxores non habent, Matth.5.

B cum fœminis quę maritos non habent,utrùm inueniri posſit,ignoro.Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ:nõ enim rapinã permisit qui furtum prohibuit,sed utiq; à parte totũ intelligi uoluit, quicquid illicitè rerũ proximi aufertur: profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus atque illorum membrorũ non legitimus usus prohibitus debet intelligi. Et quod dictum est: Non occides,non putandum est fieri contra hoc præceptum quando lex occidit,uel occidi aliquem Deus iubet. Ille enim facit qui iubet, quando ministerium negare non licet.In eo etiam quòd dictum est:Falsum testimonium non dices aduersus proximum tuum,quęri solet,utrùm prohibitum sit omne mẽdacium:ne fortè non sit hoc præceptum aduersus eos qui dicunt tunc esse mentiendum,quando istud mendacium prodest alicui, & nihil obest ei cui mentiris. Tale quippe nõ est aduersus proximum tuũ,ut ideo uideatur hoc addidisse scriptura, quę posset breuiter dicere:Falsum testimonium non dices,sicut dixit,nõ occides, non mœchaberis,non furaberis.Sed hinc magna quæstio est, nec à festinantibus cõmodè explicari potest quomodo accipiendum sit:Perdes omnes qui loquũtur mendaciũ: &.Noli uelle mentiri omne mendaciũ,& cætera huiusmodi.Sequitur.

Et omnis populus uidebat uocem &c. Solet quæri quomodo populus uidebat uocem,cum uox non ad uisum sed potius ad auditum pertinere uideatur. Sed sicut dicitur,sicut modo dixi,uideatur de omnibus quæ à me dicta sunt, sicut uidere solet pro generali sensu poni,nõ solùm corporis, uerumetiam animi,unde est illud: Cùm uidisset Iacob,quia sunt escę in Aegypto:unde utiq; absens erat. Quãquam Gen.24.

nonnulli

nonnulli uidere uocem nihil aliud arbitrati ſunt eſſe quàm intelligere, qui uiſus C mentis eſt. Cùm uerò hîc breuiter dicendum eſſet, quòd populus uidebat uocem & lampades & uocem tubæ, ac montem fumantem quæſtio maior oritur, quomodo audiebat lampades & montem fumantem, quod pertinet ad ſenſum uidendi. Niſi quis dicat, nec tam breuiter dicendum fuiſſe: ſed ut totum diceretur, audiebat uocem, & uidebat lampades, & audiebat uocem tubæ, & uidebat mõtem fumantem. Duo quippe genera uocis erãt, & de nubibus, ſicut tonitrua: & tuba, ſi tamen ipſam dixit uocem quæ de nubibus ædebatur: ac per hoc melius in his quæ ad ſenſum audiendi pertinebant generalis ſenſus eſt poſitus, hoc eſt uidendi, cùm breuiter totum uellet ſcriptura complecti, quàm ut in his pertinẽt ad uidendi ſenſum, ſubintelligeretur auditus, quo more loqui ſolemus. Nam uide quid ſonet, ſolemus dicere: audi quid liceat, non ſolemus. Sequitur.

Conſtantes eſtote. Sic illi cohibendi fuerant à peccatis, utique timendo ne pœnas ſenſibiles paterentur, quia nondum poterant amare iuſtitiam: & in hoc erat eis tentatio à Domino qua probabantur, ut apparerent cuiuſmodi eſſent: non ut Deo noti fierent quem non latebat qualeſcunq; eſſent, ſed ut inter ſe ac ſibimet. Multùm tamẽ iſtis terroribus teſtamẽti ueteris differentia cõmẽdatur. Sequitur.

Vbi erat Deus. Id eſt, ubi expreſsiora fiebãt ſigna quibus cognoſceretur Deus. Nam quomodo in nebula erat, cùm cœli cœlorum non ſufficiant, niſi queadmodum nuſquam non eſt qui in loco nullo deeſt. Sequitur.

Non facietis uobis deos argenteos. Repetitur quod in primo præcepto inculcatum eſt, & ex dijs argenteis & aures utique omnia ſimulachra intelliguntur, ſicut

*Pſal.*113. in illo etiam Pſalmo: Idola gentium argentium & aurum. D

Falſum teſtimonium ne dicas. Vide Gen. capite decimooctauo in hæc uerba: Sara riſit poſt oſtium.

Non concupiſces. Vide cap. 7. ad Rom. in hæc uerba: Lex peccatum eſt? Abſit.

De Trinit. lib. 2. Cap. XV. Tomo III.

Et omnis populus uidebat uoces, & lampades &c. Quid hinc dicam, niſi quòd nemo tam uæcors eſt, qui credat fumum, ignem, nubes & nebulam, & ſi qua ſunt huiuſmodi uerbi & ſapientiæ Dei quod eſt Chriſtus, uel ſpiritusſancti eſſe ſubſtantiam? Nam de patre Deo, nec Ariani hoc unquam auſi ſunt dicere. Ergo creatura ſeruiente creatori facta ſunt illa omnia, & humanis ſenſibus pro diſpẽſatione congrua præſentata: niſi fortè, quia dictum eſt: Moyſes autem intrauit in nebulam ubi erat Deus, hoc arbitrabitur carnalis cogitatio, à populo quidem nebulam uiſam, intra nebulam uerò Moyſen oculis carneis uidiſſe filium Dei, quem delirãtes hæretici in ſua ſubſtantia uiſum uolunt. Sanè uiderit eum Moyſes oculis carneis, ſi oculis carneis poteſt uideri, nõ modo ſapientia Dei quod eſt Chriſtus, ſed uel ipſa cuiuslibet hominis & qualiſcunque ſapientis. Aut quia ſcriptum eſt de ſenioribus Iſraël, quia uiderunt locum ubi ſteterat Deus Iſraël, & quia ſub pedibus eius tanquã opus lapidis ſaphiri, & tanquam aſpectus firmamenti cœli, propterea credendum eſt uerbum & ſapientiam Dei per ſuam ſubſtantiam in ſpacio loci terreni ſtetiſſe, quæ pertendit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, & ita eſſe mutabile uerbũ Dei, per quod facta ſunt omnia, ut modo ſe contrahat,

modo

A modo distendat. Mūdet Dominus à talibus cogitationibus corda fidelium suorū: sed per subiectam, ut sæpe diximus, creaturam exhibentur hæc omnia uisibilia & sensibilia, ad significandum inuisibilem atque intelligibilem Deum, nō solùm patrem, sed & filium, & spiritumsanctum, ex quo omnia, per quē omnia, in quo omnia, quamuis inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, sempiterna quoque uirtus eius ac diuinitas. Sed quod attinet ad id quod nunc suscæpimus, nec in monte Sina uideo, quemadmodum appareat per illa omnia quæ mortalium sensibus terribiliter ostendebantur, utrùm Deus trinitas, an pater, an filius, an spiritussanctus propriè loquebatur. Verūtamen si quid hinc sine affirmandi temeritate modestè atque cunctāter coniectare cōceditur, si una ex trinitate persona potest intelligi, cur non spiritumsanctum potius intelligimus, quando & tabulis lapideis lex ipsa quæ ibi data est, digito Dei scripta esse dicitur, quo nomine spiritumsanctum in euangelio significari nouimus. Et quinquaginta dies numerātur ab occisione agni & celebratione paschæ usque ad diē quo hæc fieri cœpta sunt in monte Sina. Sicut post Domini passionem, ab eius resurrectione quinquaginta dies numerantur, ut uenit promissus à filio Dei spiritussanctus. Et in ipso eius aduentu quem in apostolorum actibus legimus, per diuisionem linguarum ignis apparuit, qui & insedit super unumquemque eorum. Act.2. Quod Exodo congruit, ubi scriptum est: Sina autem mons fumabat totus, propterea quòd descēdit in eum Deus in igne. Exod.19. Et aliquantò pòst: Aspectus, inquit, maiestatis Domini, tanquam ignis ardens super uerticem montis coram filijs Israel. Aut si hæc ideo facta sunt, quia nec pater, nec filius illic eo modo præsentari poterant sine spiritusancto, quo ipsam legem scribi oportebat, Deum quidem non per
B substantiam suam quæ inuisibilis & incommutabilis manet, sed per illam speciem creaturæ illic apparuisse cognoscimus. Sed aliquam ex trinitate personam signo quodam proprio, quantùm ad mei capacitatem sensus pertinet, non uidemus.

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

Quæst. super Exod. lib.2. cap.LXXVII. Tomo IIII.

S I emeris seruum Hebræum. Quæ de seruo Hebræo præcipiūtur, ut sex annos seruiat, & dimittatur liber gratis, ne serui Christiani hoc flagitarent à dominis suis, apostolica authoritas iubet seruos dominis suis esse subiectos, ne doctrina & nomen Dei blasphemetur. Illud enim ex hoc satis constat in mysterio præceptum, quia & pertundi subula eius aurem ad postem præcepit Deus, qui libertatem illam recusaret. Sequitur.

Si quis autem uendiderit filiam suam in famulam &c. Obscurissimum locum inusitatæ locutiones fecerunt, ita ut interpretes nostri quemadmodum eum explicarēt penè nō inuenirent. In ipso quoque Græco eloquio multùm obscurum est, quod hîc dicitur. Tamen quid uideatur ut potero aperiam. Si quis autem, inquit, uendiderit filiam suam in famulam, id est, ut sit famula, quam οἰκέτην Græci uocant, nō abibit ita ut recedunt ancillæ, intelligendum est, non sic recedet quomodo recedunt ancillæ Hebrææ post sex annos. Eam quippe oportet etiam in fœminam Hebræam legem datam intelligi, quæ seruatur in maribus. Cur ergo ista non ita rece-

R det,

det,nisi quia in illo famulatu intelligitur humiliata quod ei se Dominus miscuerit. C
Hoc enim in consequentibus utcunque clarescit. Sequitur enim,& dicit: Quòd si non placuerit Domino suo quam non adnominauit eã, id est, non eã fecit uxorem, remunerabit eam: hoc est, quod suprà dixit, non abibunt ita ut recedunt ancillæ: Iustum est quippe eam aliquid accipere pro eo quòd humiliata est, quia nõ ei se ita cõmiscuit ut faceret uxorem, id est, ut adnominaret eam sibi. Hoc autem quod diximus, remunerabit eam, quidã interpretes dixerunt, redimet eã. Quod
Psal. 126. si in Græco dictum esset, ἀπολυτρώσεται scriptum esset, sicut scriptum est: Et ipse redimet Israël. Nam & ἀπολυτρώσεται scriptum est. In hoc autem loco uocabulũ ἀπολυτρώσει legitur, ubi intelligitur quòd accipit magis aliquid quàm pretio datur ut redimatur. Quomodo enim dabit dominus eius ut redimat, quam ipse famulã possidet? Genti autem exteræ nõ est dominus uẽdere illã, quoniã spreuit in ea, id est, nõ quia spreuit in ea, ideo Dominus est uendere illã, id est, non tantùm ei dominabitur, ut etiam exteræ genti eam licitè uendat. Hoc est autẽ spreuit in ea, quod est spreuit eã. Spreuit autem eam, hoc est, humiliauit eã, id est, concumbendo nec uxorẽ faciendo. Dixit autem Græcè ἠθέτησεν, quod nos diximus spreuit, quo uerbo scriptura utitur apud Hieremiã: Sicut spernit mulier eum cui commiscetur. Deinde sequitur & dicit: Quòd si filio adnominauerit eam, secundum iustificationem filiarum faciet ei. Hîc iã aperire incipit, quẽadmodum suprà dixerit, quã non adnominauit. Nã quid est aliud, si filio adnominauerit eã, nisi filio cõiunxerit eã uxorẽ: quãdoquidẽ dicit secundũ iustificationẽ filiarum faciet ei, id est, ut sic tradat tanquã filiã, dotem scilicet apponens ei. Deinde adiũgit: Quòd si aliã accipiet ei, id est, nõ istã deputauerit uxorem filio suo, sed ei aliã accipiat, quæ opus sunt & uestẽ & cõuersationem eius non fraudabit ei: Simili lege quę competunt, D
quoniam non mansit uxor filio eius, quemadmodum ei daret si eã sibi non adnominasset, & tamen concumbendo humiliasset. Quod autem nos diximus, cõuersationem nõ fraudabit, Gręcus habet ὁμιλίαν, id est, locutionẽ, quo nomine intelligitur scriptura honestius appellare concubitum. Quid est autem concubitum nõ
Dan. 13. fraudabit, nisi pro concubitu mercedem dabit? Namque apud Danielem cõtra Susannam falsum testimonium dicentes seniores: Venit, inquiunt, ad eam adolescẽs qui erat in latenti absconditus, et concubuit cum ea. Daniel autem de hoc ipso interrogans ait: Sub qua arbore uidisti eos loquentes, quod illi dixerant, concubuit cũ ea. Deinde alterum arguens atque cõuincens dixit: Semẽ Chanaan & non Iuda, species delectauit te, & concupiscentia euertit cor tuũ: Sic enim faciebatis filiabus Israël, sed illę timẽtes acquiescebant uobis. Græcus autẽ habet ὡμίλουν ὑμῖν, quod posset Latinè uerbum ex uerbo dici, loquebantur uobis, quo significaretur concubitus. Nam ubi dicitur: Sub qua arbore comprehendisti eos, Grecus habet, comprehendistis eos colloquentes inuicem, & illic significatur concubitus. Quod ergo de hac de qua agitur adiungit scriptura & dicit: Si autẽ tria hæc non fecerit ei, exibit gratis, hoc intelligitur: si eã ipse concubitu non humiliauerit, neque filio suo coniunxerit, neque alia filio suo ducta istã eiecerit, abibit gratis, id est, sufficiet ei non teneri in seruitute. Abibit enim, nihil accipiẽs ut seruus Hebræus. Nõ enim licet Domino eius copulari illam uiro nõ hebræo, quam nõ licet exteræ genti tradi.

A di. Si autem seruo hebræo eã copulauerit, hoc utique intelligitur, quòd cum eo gratis exibit nequaquam à marito suo sepatata. Sequitur:

Qui autem nolens, sed Deus tradidit &c. Quæritur hoc quõ dictum sit: Si autem nolens, sed Deus tradidit in manus eius; quasi etsi uolens occiderit, posset occidere, nisi Deus traderet in manus eius. Intelligitur ergo tãtũmodo Deũ fecisse cùm quisque occiditur à nolente, & pro hoc tãtũmodo quia Deus id fecit, dictũ est, sed Deus tradidit in manus eius. Cùm uerò uolens, & ipse occidit, & Deus tradidit in manus eius: hoc ergo interest, quòd illic tãtùm Deus fecit: hîc autẽ & Deus et homo propter uoluntatem facientis, sed non fecit Deus ut homo: Deus enim nõ nisi iustè, homo autem pœna dignus: non quia illum occidit, quem Deus nollet occidi, sed quia per iniquitatem. Non enim ministerium Deo iubenti præbuit: sed suæ malignæ cupiditati seruiuit. In uno igitur eodemq; facto & Deus de occulta æquitate laudatur, & homo de propria iniquitate punitur. Non enim quia Deus proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ideo Iudas excusatus est, qui eundẽ ad mortẽ tradidit Christum. Sequitur. *Et percusserit quis mulierẽ fœtum in utero habentem.* Mihi uidetur significationis alicuius causa dici hæc, magis quàm scripturam circa huiusmodi facta occupatam. Nam si illud attenderet, ne prægnans mulier percussa in abortum compelleretur: non poneret duos litigantes uiros, cùm possit et ab uno hoc admitti, qui cũ ipsa muliere litigauerit, uel etiã non litigauerit, sed alienæ posteritati nocere uolendo id fecerit. Quòd uerò non formatũ puerperiũ noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominẽ deputauit quod tale in utero geritur. Hîc de anima quæstio solet agitari, utrùm quod

B formatũ non est, nec animatum quidem possit intelligi, & ideo nõ sit homicidiũ, quia nec examinatum dici potest, si adhuc animã non habebat. Sequitur enim & dicit. *Si autẽ formatum fuerit, dabit animã pro anima.* Vbi quid aliud intelligitur, nisi & ipse morietur? Nã hoc & in cæteris ex hac occasione iã præcepit: Oculum pro oculo, dentẽ pro dente &c. Quæ lex ideo constituit, ut demõstraret quę uindicta debeatur. Nisi enim per legẽ sciretur quid uindictæ deberetur, unde sciretur quid uenia relaxaret, ut dici posset, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Debitores igitur lege mõstrantur, ut appareat quid dimittatur quãdo ignoscitur. Neq; enim debita dimitteremus, nisi quid nobis deberetur, lege indice disceremus. Si ergo illud informe puerperium iã quidẽ fuerit, sed adhuc quodãmodo informiter animatum, quoniam magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussa temeritate sentẽtiæ, ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima uiua in eo corpore, quod sensu careret, si talis est in carne nondum formata, & ideo nondum sensibus prædita. Quod autem dixit: Et dabit cũ postulatione quod maritus mulieris informi exclusо dandum constituerit, non est in promptu intelligere. Ad animam quippe, quod Græcus habet, pluribus modis intelligitur, & tolerabilius cum postulatione dictum est, quam si aliud diceretur. Fortassis enim postulabit, ut de eo modo eo satisfaciat, etiã si maritus mulieris non expetat. Sequitur: *Si autẽ cornu percusserit taurus.* Ad iustitiam pertinet ut animal hominibus noxium perimatur, & quod de tauro positum est, à parte totum intelligẽdum est: quicquid de pecoribus usui

Matth. 6.

humano subditum infestum est hominibus. Sed si necesse est occidi, nunquid lapi C
dari? Quid interest enim animal quod auferendum est qua morte auferatur? Deinde quod addidit carnibus eius non esse uescendum, quò pertinet, nisi omnia ista significent, aliud quod scriptura maximè solet intueri. Sequitur:

Si autem cornu percusserit Nunquid in solo tauro hæc iustificatio seruāda est, & non de omni pecore in tali casu? Proinde à parte totum in hoc intelligendum est, sed hoc de carnibus occisi pecoris fieri non potest, quæ non uescuntur.

Locut. de Exod. lib. 2. Tomo III.

Et seruiet in æternum. Quod Græcus habet εἰς τὸν αἰῶνα. Ecce quemadmodū scriptura multis locis dicit secūdum hoc uerbum Græcum sempiternum uel ęternum. Vbi non intelligitur æternitas illa, secundum quam nobis æterna promittūtur, uel secundum quam à contrario igne mali cremabūtur: neque enim seruus iste qui uiuere in æternum non posset, posset seruire in æternum: sed intelligitur æternum dictum, cuius temporis finis non est, aut certè aliquid hoc sacramento significatur æternum.

Item, Vide Leuit. 15. in hæc uerba: Erunt uobis in possessione in ęternum.

Ex lib. contra Adim. Manich. discip. Cap. VIII. Tomo VI.

Oculum pro oculo. Huic loco Manichęi, quod in ueteri lege par uindicta permittitur, & dicitur oculum pro oculo, dentem pro dente esse perdendum, sic calumniantur, quasi & ipse Dominus hæc duo sibi ueluti aduersantia atque cōtraria in
Matth. 5. euangelio demonstrauerit. Ipse enim ait: Audistis quia dictum est antiquis: Oculū pro oculo &c. In quibus duabus sententijs reuerà duorum testamentorum differentia demonstratur, sed amborum tamen ab uno Deo constitutorum. Nam quo D
niam primò carnales homines ardebant multò amplius se uindicare, quàm erat illa iniuria, de qua querebantur, constitutus est eis primus lenitatis gradus, ut iniuriæ acceptæ mensuram nullo modo dolor uindicantis excederet. Sic enim & donare aliquando posset iniuriam, qui eam primò nō superare didicisset. Vnde Dominus iam per euangelij gratiam ad summam pacem populum deducens, huic gradui superædificauit alterum: ut qui iam audierat non ampliorem uindictam, quàm quisque læsus esset, reddere, placata mente totū se donare gauderet. Quod
Psal. 7. etiam in illis ueteribus libris Propheta prædicat dicens: Domine deus meus, si feci istud &c. Et alius propheta dicit de huiusmodi uiro patiente iniurias, & lenissimè tolerante: Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs. Ex quo intelligitur & mensuram uindicandi rectè carnalibus constitutam, & omnimodam iniuriæ remissionem, non tantùm in nouo testamento esse præceptam, sed longè antea in ueteri prænunciatam.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

Locut. de Exod. lib. 2. Tomo III.

Si autem pignus acceperis uestem proximi tui. Genus pro specie posuit. Sic enim dictum est, ac si de omni ueste pignus dederit, cùm de illo specialiter se dicere ex consequentibus scriptura testetur, qui non habet nisi eam uestem, unde se nocte cooperiat.

Quæst.

A Quæst.super Exod.lib.2.Cap.LXXXIIII. Tomo IIII.

Si perfodiens inuentus fuerit fur. Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur: si autẽ diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait: Si orietur super eum sol. Poterat quippe discerni quòd ad furandum, non ad occidendum uenisset, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis secularibus (quibus tamen ista est antiquior) inuenitur: impunè occidi nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem si se cum telo defenderit: iam enim plus est quàm fur. Quid est qui periurio conuictus fuerit per Deum, restituet duplo, nisi quia uult Deus aliquando signo dato prodere peierantem? Sequitur:

Deos non maledices. Quæritur quos dixerit Deos, utrùm principes qui iudicant populum, sicut dictũ est de Moyse, quòd datus fuerat Deus Pharaoni, ut per expositionem dictum sit quod sequitur, uelut ostendẽdo quos dixerit deos, ubi ait: Et principem populi non maledices, quod græcus habet, non dices male. An secũdum illud accipiendum, quod Apostolus ait: Nam etsi sunt qui dicuntur dij, siue in cœlo, siue in terra, sicuti sunt dij multi & domini multi: addendo enim sicuti sunt, deos intelligi uoluit, qui dignè etiam dicũtur: ita sanè ut λατρία quæ dicitur Græcè, & interpretatur Latinè seruitus, sed ea quæ ad religionem pertinere intelligitur, non debeatur nisi uni Deo uero, qui nobis est Deus. Illi autem qui dicũtur dij, etiam si qui sunt, qui meritò dicuntur, prohibiti sunt maledici, nõ iussi sunt sacrificijs uel ullis latriæ obsequijs honorari. 1.Cor.8.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

B Quæst. super Exod. Lib.2. Cap.LXXXVIII. Tomo IIII.

N*On eris cũ pluribus in malitia.* Ne se inde quisquam defendat, quia cum pluribus fecit, aut ideo non putet esse peccatum. Sequitur.

Et pauperis non misereberis in iudicio. Nisi addidisset, in iudicio, magna esset quæstio. Sed intelligendum esset etiam si scriptum non esset. Suprà enim dixerat: Non apponeris cum multitudine cõpluribus ut declines iudicium, ac per hoc & pauperis non misereberis, posset intelligi in iudicio. Sed cùm additum est, nulla quæstio est hoc esse præceptum, ne fortè cùm iudicamus, uideamus iustitiã esse pro diuite contra pauperem, & nobis rectè facere uideamur, si contra iustitiam pauperi faueamus causa misericordiæ. Bona est ergo misericordia, sed nõ debet esse contra iudicium. Iudicium sanè illud appellat scriptura, quod iustum est. Ne quis autem propter istam sententiam Deum putaret misericordiam prohibere, quod sequitur oportunissimè sequitur: Si autem obuiaueris boui inimici tui, aut subiugali eius errantibus, reducens reddes ei, ut scias non te prohibitum facere misericordiam. Fac eam erga inimicos tuos cùm potestas est à iudicando libera: non enim cùm reducis errantem bouem inimici tui & reddis, inter aliquos iudex resides. Sequitur.

Sex annis seminabis terrã. Quæri potest quid colligant pauperes, si septimo anno ita parcit terræ, ut nec seminetur quidem? Non enim ad uineam & oliuetũ pertinet quod dictum est: Edent pauperes gentis tuæ, quia de terra nõ seminata nihil possunt sumere ubi segetes nasci nõ possunt. De uinea enim & oliueto postea di-

cit similiter esse faciendum: ac per hoc illud de aruis intelligitur, quæ frumentis C seruiūt. An si accipiendū: Sex annis seminabis terrā tuā, & colliges fructum eius, hoc est, sex annis seminabis & colliges, septimo uerò non colliges: ut intelligatur seminabis, etiā si dictum non est: ut ad sex annos seminare, & colligere pertineat, ad septimum uerò dimittere quod fuerit seminatum. Nam quid inde habebunt pauperes, quorum residuum etiā feris bestijs dedit, eis uidelicet quæ illis frugibus uesci possint, sicut sunt apri & cerui, & si quid huiusmodi? Quod tamen diceretur nisi alicuius significationis gratia. Nam si quod attinet ad præcepta quæ hominibus data sunt, de bobus cura non est Deo: quod non sic intelligitur tanquam non ipse pascat ea, quæ nec seminant, nec metunt, neque congregnat in horreū: sed quia ei curæ non est præcepto monere hominem quomodo boui suo consulat, quantò minus ei cura est de feris bestijs præcipere, quomodo illis ab hominibus consulatur, cùm eas ipse pascat diuitijs naturæ usquequaquè fructiferæ, qui eas etiam per alios sex annos pascit cùm colliguntur quæ seminantur.

Eiusdē lib. quæst. 90. Exo. 25. *Non coques agnum in lacte matris suæ.* Quomodo intelligatur ad uerborū proprietatem nescio utrùm possit reperiri. Si enim alicuius significationis causa prohibitum accipiamus, agnum in lacte coqui, nullus usus est ita coquendi. Si autem in diebus quibus lactatur, quis hoc habuit unquam Iudæorum in obseruatione, ut agnum non coqueret, nisi cùm desisteret sugere? Quid est autem in lacte matris suæ, quasi posset, etiam si hoc intelligeretur sine huius præcepti transgressione coqui, si eo nato mortua matre eius, ab oue alia lactaretur cùm alicuius profectò rei significādæ causa esse præceptū nemo ambigat. Sed etiam illa quæ possunt obseruantia factitari, non sine causa ita præcepta sunt, significant enim aliquid. D Hoc uerò quomodo obseruetur ad proprietatem uerborum, aut non est, aut nō elucet. Intellectum tamen de Christo approbo, quòd hac prophetia prędictus est, non occidendus à Iudæis infans, quando Herodes quærens eum ut occideret nō inuenit, ut coques quod dictum est, pertineat ad ignem passionis, hoc est tribulationem, unde dicitur: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Quia ergo non est tunc infans passus, cùm quærente Herode huiusmodi periculum imminere uideretur, prædictum est his uerbis: Non coques agnum in lacte matris suæ. Illud quoque forsitan non absurdum est, quod alij dicunt, id esse præceptum per prophetam, ne se boni Israelitæ sociarent malis Iudæis, à quibus Christus passus est tanquam agnus in lacte matris suæ, id est, eo tempore quo conceptus est. Dicuntur enim fœminæ ex quo conceperint lac colligre: illo namque mense passum esse Christum, & paschæ obseruatio, & dies ecclesiæ notissimus natiuitatis eius ostendit. Qui enim mense nono natus est octauo Calendas Ianuarias, profectò mense primo conceptus est circa octauum calendas Aprilis, quod tempus etiam passionis eius fuit in lacte matris suę, hoc est, in diebus matris suæ. Sequitur.

Eccle. 27.

Et seruies domino Deo tuo &c. Quamuis istæ promissiones possint & spiritaliter intelligi, tamen cùm secundū temporalē hominū fœlicitatem intelligūtur, ad uetus testamentum pertinent, ubi quanquam præcepta exceptis his quæ in sacramento aliquid significāt, eadē ad bonos mores pertinentia reperiātur, promissiones,

A nes tamen carnales atque terrenæ sunt. Vnde in psalmo LXXII, penè lapsos & effusos gressus suos homo Dei dicit, cùm zelaret in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Ea quippe cernebat abundare impijs, quæ ipse secundum testamentum uetus expectabat à domino Deo, cui hac mercede seruiebant. Et cùm hinc ei subrepere cœpisset sensus impius, quòd Deũ nõ curare existimaret humana, correptum se dicit, dum authoritatem sanctorum non est ausus improbare, & incœpit cognoscere, & ait: Hoc labor est ante me donec introëam in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima. Ibi enim præmia dabuntur ad nouum pertinentia testamentum quæ impij non accipient, & pœnæ tunc futuræ sunt impiorum, quas nullus piorum sensurus est. Sequitur.

Et mittam uespas ante te. Quæritur quid de istis bestijs intelligendum sit. Nam & promittit hoc Deus & liber Sapientiæ dicit impletũ, ubi ait: Et misit antecessores exercitus sui uespas. Non autem legimus factũ, neque Moysi temporibus, neque sub Iesu Naue, neque sub iudicibus, neque sub regibus. Ac per hoc uespæ istę aculei timoris intelligendæ sunt fortasse, quibus agitabãtur memoratæ gentes ut cederent filijs Israël. Deus enim loquitur, in cuius sermone si figuratè aliquid dicatur, quod ad proprietatem non sit impletũ, non impedit historiæ fidem, in qua perspicitur ueritas narrationis: Sicut nec Euãgelistarum narratio secundum proprietatem impeditur, si aliquid à Christo dicitur figuratè. Sequitur. Sap.12.

Si seruieritis diis eorum. Hîc Græcus habet δουλεύσῃς, non λατρεύσῃς. Vnde intelligitur, quia & δουλεία debetur Deo tanquam Domino, λατρεία uerò non nisi Deo tanquam Deo.

B Ex Lib. cont. Adimant. Manich. discip. Cap. XVII. Tomo. VI.

Odero odientes te &c. His uerbis de ueteribus libris ita cõmemoratis, tãquam cõtrarium opponit Adimantus quod in euangelio scriptũ est dicente Domino: Ego autem dico uobis: Diligite inimicos uestros, benefacite his, &c. Quo loco primò illud uidendum est, quòd satis esse debuerit homini uolenti quasi contraria monstrare, quod de occidendis inimicis in ueteri lege scriptum esse cõmonuit. Dominus enim de inimicis diligendis, utique de hominibus pręcepit, quos per nostram patientiam & charitatem ad salutem posse conuerti, & quiuis intelligit, & exemplis sæpissimè demõstratum est. Quid ergo sibi uult quòd adiungenda consequẽtia putauit, ubi scriptum est: Deos eorum ne adoraueritis, neque feceritis opera ipsorũ, sed euersione euertite illos, & delete eorum memoriã: nisi quia & Deos gentium Manichæi cogunt diligere. Et quod in euãgelio Dominus ait: Diligite inimicos uestros, non solùm ad homines, sed ad dæmonia quoq;, uel etiã simulachra pertinere arbitrãtur. Quod si ita est, quis non istã detestatur amentiam? Si autem non hoc arbitrãtur, iste plurimùm errauit, qui superstitiones gẽtium euertendas esse præceptas in ueteri testamento cõmemorare uoluit, cùm in nouo quod scriptum est de inimicis diligendis, tanquam contrarium uellet opponere. Nos autem neque illud quod de hostibus occidendis in ueteribus libris illi populo dictũ est, contrarium esse dicimus huic pręcepto euãgelico, quo nobis ut inimicos nostros diligamus Dominus iubet: quandoquidem illa inimicorum interfectio carnali adhuc populo congruebat, cui lex tanquam pædagogus data erat, sicut Aposto- Luc.6. Gal.3.

lus dicit. Hi uerò qui tunc in illo populo sancti & spiritales homines erāt paucissi C
mi, sicut Moyses, sicut prophetæ, quo animo facerent illam inimicorum interfe-
ctionem, & utrùm eos quos interficiebant diligerent: multùm latet indoctos &
impios, qui diligunt cæcitatem suam, qui quoniam nō sunt idonei uidere ista, mo-
1.Cor.4. le potius authoritatis urgendi sunt. Quid enim est quod dicit Apostolus: Ego qui
dem absens corpore, præsens autē spiritu, &c. Quid enim habet illa interfectio,
quam multùm isti exaggerant et inuidiosè uentilant, nisi interitū carnis? Sed quia
exposuit Apostolus quo animo faceret, satis declarauit in aliquem inimicum uin-
dictam cum charitate posse procedere. Et tamen hîc etiam alio modo fortasse in-
teritus carnis qui fit per pœnitentiam potest intelligi. Ipsi autem legūt scripturas
apocryphas, quas etiam incorruptissimas esse dicunt, ubi scriptum est Apostolū
Thomam maledixisse homini à quo per imprudētiam palma percussus est, igno
rante quis esset, maledictúmque illud continuò uenisse ad effectum. Nam cùm il
le homo, quoniam minister conuiuij erat, ut apportaret aquam exisset ad fontē,
à leone occisus & dilaniatus est. Quod ut manifestaretur, ad aliorum terrorem,
canis manum intulit mensis ubi cōuiuabatur Apostolus: atque ita cùm causa quæ
reretur à uescentibus, eisq; pāderetur, in magnū timorem & magnum honorem
Apostoli eos esse cōuersos: atque hinc euāgelij exordium cōmendandi extitisse.
Si uellet aliquis dentes Manichæorū in ipsos cōuertere, quàm mordaciter ista re-
prehenderet? Sed quia et ibi tacitū non est quo animo factum sit, uidetur dilectio
uindicātis. Sic etenim illa scriptura legitur, quòd deprecatus fuerit Apostolus pro
illo, in quē tēporaliter uindicatū est, ut ei parceretur in futuro iudicio. Si ergo tē-
pore noui testamenti, quo maximè charitas cōmendatur, de pœnis uisibilibus di- D
uinitùs iniectus est carnalib. timor, quātò magis tēpore ueteris testamēti hoc con
gruit? Sed illi populo intelligendū est, quē timor legis tanquā pædagogi cohercе-
bat. Nā hæc est breuissima & apertissima differētia duorū testamentorū, timor et
amor: illud ad ueterē, hoc ad nouū hominē pertinet, utrūq; tamē unius Dei mise-
ricordissima dispēsatione prolatū atq; cōiunctū. Et in ueteri scriptura tacetur ani
mus uindicātiū, quia paucissimi spiritales diuinis reuelationibus quid facerēt, no
uerāt, ut populus cui terror utilis erat, seuerissimo imperio domaretur: et quēad
modū uidebāt dari in manus suas interficiendos inimicos impios cultorésque si-
mulachrorū: sic ipsi formidarēt in manus inimicorū suorū dari, si Dei ueri iussa
cōtemnerēt, & ad cultū idolorū atq; impietates gentiū laberentur. Nā & in ipsos
similiter peccātes nō dissimiliter uindicatū est. Sed omnis hæc tēporalis uindicta
infirmos animos terret, ut enutritos sub disciplina erudiat: et à sempiternis atque
ineffabilibus supplicijs possit auertere: quia plus timent carnales homines, quod
in præsenti Deus uindicat, quàm illud quod futurum minatur, potest ergo esse di
lectio in uindicāte. Quod unusquisque in filio suo probat, cùm eū in mores pessi
mos defluentē, seuerissima cohertione constringit, & tātò magis, quantò magis
eū diligit, atq; hoc modo corrigi posse arbitratur. Nō autē occidūt filios quos dili-
gunt homines quādo eos corrigere uolūt: quia multi hanc uitam pro magno bo-
no habent, & totū quare uolunt educare filios suos in hac uita sperant. Fideles au
tē atque sapientes homines qui credunt esse aliā uitam meliorem: & quanta pos-
sunt

A ſunt ex parte nouerunt: nec ipſi uindicant occidendo, cùm filios ſuos uolunt corrigere, quia in hac uita eos poſſe corrigi credunt. Deus autẽ qui nouit quid unicuique tribuat, uindicat occidendo in quos uoluerit, ſiue per homines, ſiue occulto rerum ordine: non quia eos inquantum homines ſunt, ſed inquantum peccatores ſunt. Nam in ipſis ueteribus libris legimus dictũ Deo: Et nihil odiſti eorum quæ feciſti: ſed omnia, ſiue per pœnas, ſiue per præmia iuſtitia moderante diſponit. Nónne apoſtolus Paulus Chriſtianis fidelibus loquebatur, cùm diceret: Probet autem ſe homo; & ſic de pane illo edat &c. Ecce manifeſtum eſt Deum cum dilectione corrigere, non ſolùm infirmitatibus & ægritudinibus, ſed etiam mortibus temporalibus, eos quos non uult damnare cum mundo. Attendant hæc iſti, & uideant quomodo potuerint & impiæ gentes dari in manus populi, quamuis adhuc carnalis, tamen unum Deum colentis, ut ab eo interficerentur cùm in eo tamẽ populo ſi quieſſent ſpiritales, ſine alicuius odio intelligerẽt diſpenſationem Dei: & quomodo non ſit contrarium quod Dominus nobis in euãgelio præcepit, ut diligamus inimicos noſtros: de quibus tamẽ promittit ipſe uindictam, cùm de illo iudice ſimilitudinem inducit, qui quotidianas interpellationes uiduæ mulieris petentis ut ſe uindicaret, quamuis eſſet iniuſtus, nec Deum timens, nec homines reuerens, tamen ſuſtinere non potuit, & audiuit eam, ne ulterius tædium pateretur. Ex cuius comparatione multò magis eum qui eſt benigniſsimus atque iuſtiſsimus dixit uindicare electos ſuos de inimicis ſuis. Hui iſti audeant obijcere quæſtionem, & dicant ſi poſſunt. Quid eſt quod iuſsiſti, ut inimicos noſtros diligamus, & de illis nos uindicare diſponis? An fortè contra uoluntatem ſuorũ ſan-
B ctorum facturus eſt, eos quos illi diligunt, puniendo atque dãnando? Imò ipſi potius ab iſta calumnioſa cæcitate conuertãtur ad Deum, & in utroque teſtamento intelligant eius uolũtatem, ne in ſiniſtra parte inueniantur inter eos quibus dicturus eſt Dominus: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim & nõ dediſtis mihi mãducare &c. Diſplicet enim iſtis miſeris quòd Deus populo ſuo interficiendos tradidit inimicos, & ipſi panem mendicanti dari prohibent, non inimico, ſed ſupplici. Intelligant potius ſine odio eſſe poſſe uindictam, quã pauci intelligunt: & tamen quamdiu non intelligitur, tamdiu neceſſe eſt, ut lector in libris utriuſque teſtamenti magno labore aut errore iactetur, & putet contrarias ſibi eſſe ſcripturas. Quam uindictam ſine odio nondũ Apoſtoli animo cœperãt, quãdo irati eis à quibus nõ recipiebãtur hoſpitio, quæſierunt de domino utrùm uellet eos petere ignem de cœlo, ſicut Helias fecerat, quo igne homines inhoſpitales cõſumerẽtur. Tunc reſpondit eis dominus dicens eos neſcire cuius ſpiritus filij eſſent, & quòd ipſe liberare ueniſſet, non perdere, quoniam illi animo inimico perdere cupiebant eos, quos uolebant igne conſumi. Poſtea uerò cùm impleti eſſent ſpiritu ſancto, & perfecti facti eſſent, qui iam poſſent etiã inimicos diligere, accæperunt poteſtatẽ uindicandi, quia iam ſine odio poterant uindicare. Qua poteſtate Petrus apoſtolus uſus eſt in eo libro quẽ iſti non accipiunt, quoniam manifeſtè continet paracleti aduentum, id eſt, conſolatoris ſancti ſpiritus, quem lugentibus miſit cùm ab eorum oculis ipſe aſcendiſſet in cœlum. Conſolator enim triſtibus mittitur ſecundũ illam eiuſdem Domini ſententiam: Beati lugentes,

Sap. 11.
1. Cor. 11.
Matth. 25.
Luc. 9.
4. Reg.
Matth. 9.

lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Ipse etiam dicit: Tunc lugebunt filij sponsi, cùm ablatus fuerit ab eis sponsus. In illo ergo libro ubi apertissimè spiritussanctus, quem Dominus consolatorem promiserat, uenisse declaratur, legimus ad sententiam Petri cecidisse homines & mortuos esse uirum & uxorem, qui mentiri ausi erāt spirituisancto: Quod isti magna cęcitate uituperant, cùm in apocryphis pro magno legant, & illud quod de apostolo Thoma cōmemoraui, & ipsius Petri filiam paralyticam factā precibus patris, & hortulani filiā ad precem ipsius Petri esse mortuam: & respondent quòd hoc eis expediebat, ut & illa solueretur paralysi, & illa moreretur: tamen ad preces Apostoli factū esse non negant. Quis autem illis dixit: Non expediebat gentibus impijs interfici, quas traditas esse diuinitùs in manus populi Iudæorum irridentes mirari se fingunt? Cùm autem illa non odio, sed bono animo Apostoli fecerint, unde isti cōuincunt animos uirorum spiritalium qui in illo populo fuerunt, quòd eos oderant, qui per ipsos diuina iustitia de hac uita iubebantur auferri? Compescant temeritatem suam, & non decipiant imperitos, quibus aut non uacat legere, aut nolunt legere, aut peruerso animo legunt, & non attendunt & misericordiam & seueritatem Dei utriusq; testamenti literis commendari. Nam de inimici dilectione, ut nō reddatur malum pro

Psal.7. malo, in ueteribus libris legitur: Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis: Si reddidi retribuētibus mihi mala, decidā meritò ab inimicis meis inanis. Quis hoc diceret nisi qui sciret hoc Deo placere, ut malū pro malo nemo reddat? Sed hoc perfectorum est, ut nō oderint in peccatoribus nisi peccata: ipsos autem homines diligant, & cùm uindicant non uindicent acerbitate sæuitiæ, sed moderatione iustitiæ: ne ipsa relaxatio peccati plus noceat peccatori, quàm pœna uindictæ. Nec tamen hoc fecerunt iusti homines nisi authoritate diuina, ne quis arbitretur passim sibi esse permissum necare quem uelit, aut iudicio persequi, aut pœnis quibuslibet affligere. Aliquando autem apertè ponitur in scripturis ipsa diuina authoritas, aliquando autem occultatur, ut & manifestis lector instruatur, & exerceatur obscuris. Certè inimicum & persecutorem suum, nimis ingratum & nimis infestum: Saul regem accæpit Dauid in potestatē, ut ei faceret quod uel-

1.Reg.42. let, & elegit parcere potius quàm occidere. Nō enim erat iussus occidere, sed neque prohibitus, imò etiam diuinitùs audierat, se impunè facere quicquid uellet inimico: & tamen tantam potestatem ad mansuetudinem contulit. Dicatur mihi quem timuit, cùm interficere noluit? Nec hominem possumus dicere timuisse, quem accæperat in potestatem, nec Deum qui dederat. Vbi ergo nec difficultas fuit occidendi, nec timor, dilectio profecit inimico. Ecce Dauid ille bellator impleuit præceptum Christi, quod accæpimus, ut diligamus inimicos. Atque utinā hoc imitarentur isti qui humanum affectum misericordię, ad nescio quæ crudelia deliramenta torserunt. Dum enim credunt panē plorare, quòd fieri non potest, non eum porrigunt homini quem plorantem uident. Fortassis dicant, sicut solent cęci iactare insana conuitia, meliorē fuisse Dauid qui pepercit inimico, quàm Deum qui dederit ei occidendi potestatem: quasi uerò Deus nesciret cui dederit hanc potestatem. Nouerat utique uoluntatem serui sui, sed ut cęteris etiam hominibus ad imitādum innotescere, tea quę in corde Dauid iam Deo nota erat inimici dilectio, dedit

A dedit in potestatem inimicum, quem nondum uolebat occidi, propter certam rerum dispensationem, quam per illũ impleri oportebat. Ita & Dauid bonitas commendata est, ut haberent homines quod amarent.

Non eiciam illos in uno anno. Vide Iudic. Cap. 3. in hæc uerba: Et hic gentes quas reliquit Dominus.

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

Quæst. super Exod. Lib. 2. Cap. XCV. Tomo IIII.

A *Ascende ad Dominum tu & Aaron &c.* Vsque ad hunc locum scripturæ iustificationes intelliguntur, quæ datæ sunt populo ad obseruandum. Incipiunt autem quantùm ipsa scripturæ uerba indicant, unde hoc nomen iustificationum exortum est, ab illo seruo Hebræo, cui auris ad postem pertunditur. In quibus omnibus iustificationibus cõsiderandum est, quæ inde ad agendam uitã, & morum bonorũ conseruationem duci posint. Multa quippe in eis sacramenta sunt significantia potius aliquid quàm uitam nostram instruentia. Iustificationes sanè latini interpretes eas esse dixerunt, quæ græcè *δικαιώματα* appellant. Notandum est, quòd iterum populus ita respondet: Omnia uerba quæ locutus est Dominus faciemus & audiemus: cùm uideatur ordo postulare, ut diceretur audiemus & faciemus. Sed mirum nisi aliquis sensus hic latet. Nam si audiemus, pro eo positum est, quod est intelligemus, prius oportet uerbis Dei reddere faciendi seruitutem, ut ad intelligentiam earũ rerum quæ ipso præcipiente fiunt, meritò deuotionis, qua non cõtemptæ sed factæ sunt, ipsæ

B perducat. Sed uidendum est utrùm iste populus illi filio similis inueniatur, qui patri iubenti dixit: Ibo in uineam, & nõ ijt. Gentes enim quæ Dominũ penitus contempserunt, postea per unius obedientiam iustificatæ, quæ non sectebantur iustitiam apprehenderunt iustitiam. Notandum ergo quòd Moyses ædificauit altare sub mõte, & duodecim lapides, & in duodecim tribus Israel. Intelligitur enim ex duodecim lapidibus altare ædificatũ significasse ipsum populum esse altare Dei, sicut est templum Dei. Sequitur. Matth. 1.

Et immolauerunt hostiam salutaris Deo. Non dixit hostiam salutarẽ, sed hostiam salutaris, quod Græcus habet *σωτηρίν* uel *σωτηρίας*. unde & in psalmo: Calicem, inquit, salutaris accipiam, non dixit calicem salutarem. Vbi uidendum est, ne fortè ille significetur, de quo dixit Simeon: Quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum. Hunc enim & psalmus cõmmendat, ubi legitur: Bene nuntiate diem ex die salutare eius. Quid est enim aliud si diligentius attendamus, quod ait diem ex die, nisi lumen ex lumine, hoc est, Deum ex Deo, quod est unigenitus filius? Sequitur. Psal. 115. Luc. 2. Psal. 95.

Infudit in craterem. Notandum est nunc primum sacrificasse Moysen euidenter scripturam dicere, ex quo ex Aegypto eductus est populus. Primò enim de Iethro dictum erat socero eius, quamuis cum aliqua ambiguitate, quòd immolauerit Deo. Et aduertendum librum testamenti cum sanguine hostiæ recitari, in quo libro istas iustificationes conscriptas debeamus accipere. Nam decalogum legis in tabulis lapideis fuisse conscriptum postea manifestum est. Sequitur.

Et

Et ascendit Moyses. Constat inter eos qui rectè intelligunt, nullo Deum contineri loco, nec aliquo uelut situ corporis membra ponere, sicuti est nostri corporis situs, sedere, iacere, stare, & si quid huiusmodi est. Hæc enim sunt nisi corporum, Deus autem spiritus est. Quòd autem se ostendit specie corporali, uel signis corporaliter expresis, nō substantia eius apparet qua est ipse quod est, sed assumptio formarum uisibilium eius omnipotentiæ subiacet. Sequitur. C

Et de electis Israel non dissonuit nec unus. Quis dubitet illos quos nominatim expresit, & septuaginta seniores nunc appellatos electos Israël, qui proculdubiò personam gerebant eorum, qui electi sunt in populo Dei. Non enim omnium est fides. Et nouit Dominus qui sunt eius. In magna autem domo sunt alia uasa in honorem, alia in cōtumeliam. Quoniam ergo quos antè præsciuit & prædestinauit: quos autē prædestinauit, illos & uocauit: quos autē uocauit ipsos, & iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit: profectò de electis Israël non dissonuit nec unus. Significatur autem in quaternario numero in Moyse & Aaron & Nadab & Abiud, propter quatuor euāgelistas, & totius orbis, qui in quatuor partes diuiditur, promisionē, & septuaginta de senioribus Israël, numero scilicet septenario decuplato, qui pertinent ad significandū spiritūsanctū. Saphiro autem significatur uita cœlestis, maximè quia dictū est: Sicut aspectus firmamēti. Firmamentum autē cœlū appellari quis nesciat? Et forma lateris in eodē saphiro quadraturā ipsam, uel stabilitatē, uel eiusdē quaternarij numeri sacramentū figurat. Quòd autē manducant & bibunt in loco Dei, suauitatē saturitatēq; præfigurat, uel significat in illo regno æternitatis. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabūtur. Vnde & Dominus dicit uenturos multos, quos utiq; nisi electos, præscitos, prædestinatos, uocatos, iustificatos, glorificatos, & recubituros cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorū? Nam & alio loco ipse hoc promittit fidelibus suis, quòd faciat eos recumbere & transeat & ministret eis. D

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

Ex Lib. cont. Adim. Manich. discip. Cap. X. Tomo VI.

SVmite primitias ab omni homine &c. Commouent etiam hinc Manichæi quæstionem, & huic scripturarū loco illud in euangelio dicunt esse contrarium, quod ait Dominus: Non iurabis, neq; per cœlum &c. Disputāt enim, & magnum aliquid sibi uidentur dicere cùm dicunt: Quomodo ille Deus, cuius cœlum sedes, & terra scabellum pedū eius est, in tabernaculo habitat, quod ex auro, & argēto, & ære, & purpura, & pilis pecorū, pellibúsque constructum est? Adhibētes etiam testem apostolum Paulum, quia dicit Deum lucem habitare inaccesibilem. Quibus nos parem quæstionem referimus, & quod de nouo testamento protulerunt, de ueteri testamento proferimus. Ibi enim inuenitur prius scriptum: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum &c. Ecce habent ubi libri ueteris testamenti prædicant Deum in templis manufactis non habitare, & tamen filius Dei nostri in flagello de restibus facto expulit de tēplo eos, qui boues & columbas uendebant, & numulariorū euertit mensas & ait: Domus patris mei, domus orationis uocabitur, uos autē fecistis illā speluncam latronum. Si ergo aliquis

Matth.5. *1.Timo.6* *Esa.66.*

A aliquis istis duobus ex aduerso capitulis cõstitutis, uelit imperitos decipere, & dicere in ueteri testamento magnificari Deũ, cuius dicitur sedes cœlũ, & terra scabellum pedũ eius, & negatur habitare in domo manufacta: in nouo autẽ testamẽto domus eius dicitur templum cõstructũ ab hominibus, nónne Manichęi uel serò fatebuntur & habitaculum Dei per manus hominum factum, ad aliquã significationem in utroque testamento accipi: & Deum non habitare in locis ab hominibus fabricatis, in utroque testamento prædicari?

Quæst. super Exod. Lib. 2. Cap. CIIII. Tomo IIII.

Et facies in ea cymacia aurea. Cymacia dicit quæ in quadratura extant per quatuor partes, sicut mensæ quadræ fieri solent. Nec quod ait uersatilia, mobilia debemus accipere. Fixa sunt enim, sicut dixi mensas haberi solitas: sed uersatilia dixit, tortilia, quæ Græcè uocantur στρεπτὰ: uel canalibus sicut sunt columnę portiles: aut implicatis duabus uirgulis in modum restis, sicut etiam torques fieri solent. Quod autẽ ait: Et fabricabis illi quatuor annulos aureos, & impones super quatuor latera arcæ, duos annulos in latere uno & duos annulos in latere altero, ad quatuor angulos occurrunt quatuor anguli singuli in singulis, & per angulorum numerum fit, ut quod in duobus lateribus ponitur, etiam in omnibus quatuor ponatur, unus enim angulus duobus lateribus communis est, alioquin non occurrit, ut bini annuli ponantur per quatuor latera, cùm sint quatuor annuli: octo quippe esse debuerunt, si aliter intelligimus, quàm quod dixi fieri numero angulorum. Ad hoc enim annuli in angulis ponuntur, quòd inducantur supportatoria uel gestatoria, quibus arca quatuor hominibus hinc atque inde portetur. Pro Exod. 25.

B pitiatorium ad quid dicat super imponendum super arcam quæri solet: sed cùm aureum fieri iubeat, eiúsque longitudinem & latitudinem tantam exprimat, quanta & ipsius arcæ dicta est, proculdubiò uelut tabulam auream tantæ formæ fieri præcepit, qua tegeretur arca: ita ut in ipso propitiatorio essent duo cherubin, hinc atque inde alterutrum attendentes: ita ut uultus eorum in propitiatorium essent, & pennis suis obumbrarent propitiatorium, quod magnum est sacramentum. Aurum quippe significat sapientiam, arca significat secretum Dei. In arca iussa sunt poni lex, & manna, & uirga Aaron. In lege præcepta sunt: Virga potestatem significat, manna gratiam, quia nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi. Veruntamen quia lex à quouis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est ut propitius sit Deus, & ideo desuper ponitur, quia superexaltat misericordia iudicio. Duo uerò cherubin pennis suis obumbrant propitiatorium, id est, honorant uelando, quoniam mysteria ista ibi sunt: & inuicem se attendunt, quia consonant, duo quippe ibi testamenta figurantur. Et uultus eorum sunt in propitiatorium, quia misericordiam Domini, in qua una spes est, ualde commendant. Denique hinc se promisit locuturum Deus ad Moysen de medio cherubin de sursum propitiatorij. Porrò si creatura rationalis in multitudine scientiæ, quoniam hanc interpretationem habent Cherubin, duobus ipsis animalibus significatur, ideo duo sunt, ut societatem charitatis commendent: ideo pennis suis propitiationem obumbrant, quia Deo non sibi tribuunt pennas suas, id est, Deum honorant uirtudi

bus

bus quibus præstant: & uultus eorum non sunt nisi in propitiatorium, quia C
cuicunque profectui ad multitudinem scientiæ spes non erit, nisi in Dei misericordia. Sequitur.

Erunt annuli in thecis. Hoc intelligendum est, quòd annuli essent, uelut thecæ supportatoriæ, id est, quò suportatoria tanquam in thecas inducatur. Erunt quippe in thecis, ita dictum est tanquam diceretur, erunt pro thecis.

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Eiusdē lib. quæst. 107

Tabernaculum uerò ita fiet. Decem auleorū iubet fieri tabernaculum, cùm sit decalogus legis. Aulea uerò significant latitudinem, propter facilitatem. Charitas quippe plenitudo legis est, & non nisi charitati sunt præcepta facilia, unde ipsa dilatatio commēdatur, cùm dicitur: *Psal. 17.* Dilatasti gressus meos subtus me, & nō sunt infirmata uestigia mea. Sed quoniam ista dilatatio per gratiam fit Dei: charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, nō per nosipsos, sed per spiritumsanctum, qui datus est nobis, ideo hìc mysticè ipse numerus etiam cōmendatur, qui pertinet etiam ad spiritumsanctum per quē lex posit impleri. Dicitur enim auleum longitudinē debere habere in cubitis uigintiocto. Iste autē numerus, quia per septenarium diuidendus est, significauit, cùm dicit latitudinem auleæ in cubitis quatuor. Quater enim septem fiunt uigintiocto: Et est etiam iste numerus perfectus, quia sicut senarius suis partibus constat. Quòd uerò tam sæpe dicit: Cherubin facies ea opere textoris: quid aliud quàm in his omnibus multitudinem scientiæ commendat, quod interpretatur Cherubin? Sequitur. D

Et facies uela capillacia. Quæ capillacia uela sunt, id est, cilicina, undecim dicuntur esse. In peccatis quippe transgresio est. Transgresio uerò undenario numero significatur, quoniam transgreditur denarium, id est, legem, ideo ipsa undecim per septenarium multiplicata, faciunt septuagintaseptem. Vbi significauit Dominus uniuersam remissionem peccatorum dicens: Nō solùm septies, uerumetiam septuagiessepties: quot generationes reperiuntur, cùm Lucas à baptismo Domini enumerans sursum uersus ascendit & peruenit per Adam usque ad Deum. Ad hoc enim fit significatio peccatorum in his uelis, ut per confessionem exprimantur, & per gratiam quæ data est ecclesiæ aboleantur, hoc est, tegantur. Vnde dicitur: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Deinde iubet ea uela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autem rubricatus, cui non occurrat Christus passione cruentatus? Significantur his etiam martyres sancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui. Ipsis deniq; superiaciuntur pelles hyacinthinæ, ut significetur uita æterna uiriditate tanquam uigore perpetuo. Sequitur.

Matth. 18 (margin note beside "nus uniuersam remissionem")

Facies duos anconicos columnæ uni. Hoc est, unum hinc, & unum inde de lateribus columnæ: anconicos autem dicit, quos uulgò uocamus ancones, sicut sunt in columnis cellarum uinariarum, quibus incumbunt ligna quæ cupas ferunt. Ducta est autem similitudo uerbi à cubitis ubi flectuntur manus, quibus incumbunt recumbentes qui græcè ἀγκῶνες uocantur. Sequitur.

Bases

A *Bases columnarum duas uni.* Bases non eas tantùm uidetur dicere scriptura quibus columnæ ab imò fulciuntur, sed etiam superiores quæ capitella nos dicimus. Ideo dicit duas bases columnæ uni in ambas partes eius. Nam quæ sunt ambę partes, nisi inferior & superior? Sequitur.

Et diuidet uobis uelamen. Id est, ut inter sanctum & sanctumsanctorum sit hoc uelamen de quo nunc loquitur, in quatuor columnis extentum. De hac differentia inter sanctum & sanctumsanctorum ad Hebræos epistola loquitur, quia ubi arca testimonij, ibi sanctumsanctorum, hoc est, intùs intra uelum: foris autem mensa & candelabrum, & cætera quæ paulò antè dixit quemadmodum fierent, sancta dicta sunt, & non sanctasanctorum. Et significatur foris uetus testamentum, intus autem & nouum, cùm sit utrunque in lectione ueteris testamenti, & expressum operibus, & significatione figuratum. Ac per hoc in sanctis figura figuræ, quia figura est ueteris testamenti: in sanctis autem sanctorum figura est ipsius ueritatis, quia figura est noui testamenti. Totum quippe uetus testamentum in his rebus & celebrationibus, quæ ita obseruanda præcipiuntur, figura est, &c. Heb.9.

Ex Lib.15. de Ciuit. Dei ad Marcell. Cap. XX. Tomo V.

Facies & saga cilicina undecim. Quoniam ergo lex denario numero prædicatur, unde est memorabilis ille decalogus: profectò numerus undenarius quoniam transgreditur denarium transgresſionem legis, ac per hoc peccatum significat. Hinc est quòd in tabernaculo testimonij, quod erat in itinere populi Dei, ue-
B lut templum ambulatorium, undecim uela cilicina fieri præcepta sunt. In cilicio quippe recordatio est peccatorum, propter hœdos ad sinistrũ futuros: quia confitentes in cilicio prosternimur tanquam dicentes, quod in psalmo scriptum est: Peccatum meum ante me est semper.

CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

Acies & altare. De altari quæritur quomodo tribus cubitis altum esse uoluerit, cùm tanta ferè sit staturæ hominis altitudo. Quomodo ergo ministrabatur altari, cùm gradus habere altare alio loco prohibeat? Ne pudenda, inquit, tua reueles super illud. Sed illud dicebat de altari quod terra uel lapidibus construendum esset, ubi gradus ipsi coædificati ad corpus altaris utique pertinerent, nunc uerò de tabulis fieri altare præcepit, quô si apponeretur ad horam administrationis aliquid, ubi staret minister altaris, & peracto ministerio tolleretur, ad corpus altaris non utique pertineret. Item quæritur quomodo super altare ligneum sacrificium quod inferabatur posset incendi, præsertim quia concauum fieri iubet & craticulam deponi usque ad medium eius, id est, medium concauitatis eius, opere factum reticulato. An quoniam dixit: Et facies cornua in quatuor angulos, ex seipso erunt cornua & teges illa æramento: non ad sola cornua referendum est quod ait, teges illa æramento, sed ad omnia de quibus loquebatur de altari fabricando præcipiens. Eiusdẽ lib. quæst.113. F

CAPVT

Eiusdē lib. quæst. 114

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

C

Vos repleui spiritu intellectus. Αἰσθήσεως quidem Græcus habet, quem latinè sensum, non intellectum dicere solemus. Sed scriptura de sensu interiore, quem intellectum uocamus sic loqui solet, sicut est ad Hebræos: Perfectorum autem solidus est cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent sensus ad discernendum bonum & malum. Ibi enim quod posuit sensus, græcus habet αἰσθήσεις. Quem ergo istum spiritum, nisi spiritumsanctum debemus accipere? Et stolas quas faciet, pectoralem, humeralem, & tunicam talarem, & tunicam cum cornibus. Has appellatas stolas esse & cætera, cùm superiùs unam stolam faciendam proposuisset notandū est. Tunicam uerò cum cornibus, honestius putarunt Latini interpretes dici, quàm si dicerent cum cirris, qui bene dispositi ornamento esse uestibus solent. Aspidiscas in ueste sacerdotali quas dicat, utrùm scutulas, quæ à scuto latinè appellantur, quia & Græci scutum ἀσπίδα appellant. An uerò aspidiscas propter diligentem colligantiam dicit ab aspide serpente, sicut etiam murenulæ appellantur. Spithamus autē lōgitudo, & spithamus latitudo, latini quidā interpretati sunt mēsurā extētæ palmæ à fine pollicis usque ad finem digiti minimi. Item quod dicit: Sumes duos lapides onychinos &c. an intelligendū sit, ut lapides sint de nominibus filiorum Israël secundū natiuitates eorū, id est, secundum ordinē quo nati sunt. Sequitur.

Spithamus

Et facies super rationale &c. Quod Latini rationale interpretati sunt, inopia linguæ fecit. Græcus habet enim λόγιον, non λογικόν. Rationale autem illud solemus appellare quod Græci dicunt λογικόν. Sed quoniam λόγος in Græca lingua ambiguum est, utrùm uerbum significet, an rationem, quia utriusque rei nomen est, ubi putatum est uerbo ductum λόγιον, eloquium nostri interpretati sunt. Nam quod habemus: Eloquia Domini, eloquia casta, Græci habent λόγια. Hîc uerò in ueste sacerdotali, quod ex auro & hyacintho, & purpura, & cocco duplici torto, & bisso duplici torta fieri præceptum est, quadratum duplex quod esse in pectore sacerdotis, & λόγιον uocaretur, incertum utrùm à ratione an à uerbo ductum fuerit: interpretes nostri à ratione dictū putantes, rationale appellarūt. Sequitur. D

Et impones super rationale iudicii. Quid sibi hoc uelit, uel in quali re, uel metallo poneretur super rationale demonstratio & ueritas, quoniam talia dicit fieri in ueste sacerdotis, quæ corporaliter fiunt difficile est inuenire. Fabulantur tamen quidam, lapidē fuisse, cuius color, siue ad aduersa, siue ad prospera mutaretur quando sacerdos intrabat in sancta: & hoc esse quod ait: Et afferet Aaron iudicia filiorum Israel super pectus suum: ostendens uidelicet in illa demonstratione & ueritate, quid de illis iudicauerit Dominus: quanquam posit intelligi demonstrationem & ueritatem, literis impositam super λόγιον. Sequitur.

Et facies tunicam. Id est, ad talos pendentem, & erit peristomium ex ea medium, id est, qua caput eijciatur. Hoc est enim quod Græci dicunt περιστόμιον. Oram habens in circuitu peristomij, opus textoris, contextam, id est, ne ipsa ora extrinsecus assuatur: hoc uidetur dicere, cōmissurā contextā. Vnde etiam addidit, ex ipsa ne rumpatur, id est, ut ex seipsa sit ipsa ora cōtexta cū ueste. Sequitur.

Audietur uox eius intranti. Intrantis & exeuntis uocem de tintinabulis dicit audiri,

A diri, tantúmque ibi pondus obseruationis posuit, ut diceret ne moriatur. Testimonia ergo quædam significari uoluit in ueste sacerdotali, qua utique significatur ecclesia, per hæc tintinabula, ut nota sit conuersatio sacerdotis, sicut Apostolus dicit: Tit. 2. Circa omnes teipsum bonorum operum præbens exemplum: Aut illud: Quæ audisti à me per multos testes, hæc eadem commenda fidelibus & his qui idonei sunt & alios docere. An quid aliud, magnum tamen est, quicquid illud est? Intranti autem & exeunti, pro intrantis & exeuntis, locutio est: uox pro sonitu, nam tintinabulorum magis sonus quàm uox est. Sequitur:

Et facias laminam. Quomodo formetur in lamina sanctitas Domini, non uideo, nisi aliquis literis, quas quidam quatuor esse dicunt hebræas: quod ut Græci appellant τετραγράμματον, nomen Dei ineffabile credunt fuisse uel esse adhucusque. Sed quælibet sint, uel quomodolibet se habeant illæ literæ ut dixi, sanctitatem Domini uel sanctificationē si hoc magis dicendū est, quod græcus habet ἁγίασμα, non nisi in auro literis formari potuisse crediderim. Ibi autem dicit sacerdotem sanctorum auferre peccata, quæcunque sanctificabunt, inquit, filij Israel, omnis datus sanctorum eorum: quod arbitror dictum in eis sacrificijs quæ offerunt pro peccatis suis: ut non sanctorum hominum intelligamus, sed sanctorū ab eo quòd sunt sancta quæ offeruntur pro peccatis. Cùm ergo de lamina dixisset, adiunxit atque ait: Et auferet Aaron peccata eorum &c. Id est, sacerdos auferet quæcunque offerunt pro peccatis suis, quæ dicuntur & sancta, quia iustificantur, & peccata, quia pro peccatis offeruntur: sicut multis locis hoc ipsum euidenter scriptura commemorat. Quod autem adiungit & dicit: Et erit super frontem, &c. In quo B aduertendum, si inueniri potest qui non habeat necessitatem pro suis offerre peccatis præter Christum, qui solus potest omnium auferre peccata: intelligitur frontis ornamentum, fiducia bonæ uitæ, quam qui uerè perfectéque, non significatione, sed ueritate sacerdos habet, solus potest auferre peccata, nec habet necessitatem offerre pro suis. Sequitur:

Et implebis manus. An fortè muneribus quæ offerenda sunt Deo? Sequitur:

Et facies eis femoralia. Cùm uestis tāta cooperiat totum corpus, quid est quod ait: femoralia facies linea &c. quasi apparere posset tanta desuper ueste adhibita? Nisi quia signum esse uoluit in hoc castitatis, uel continentiæ: quæ ideo per indumentum significatur, ut non ex seipso habita, sed data intelligatur. Sequitur:

Et erit illis sacerdotium. Quomodo dicat in sempiternum, de his significatiuis rebus superius sæpe diximus. Nā utiq; mutatum est hoc sacerdotiū, ut ille esset in æternum secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaron, ibi enim & adiuratio, & nulla Dei pœnitudo, qua significetur mutatio. Iurauit enim Dominus, & non pœnitebit eum, tu es, inquit, sacerdos in æternum, secundū &c. De ordine autem Aaron dictum est quidem, in sempiternum, uel propter tempus non præceptum quousque obseruaretur, uel quo res significaret ęternas: nusquam est tamen dictum de sacerdotio Aaron, quia iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Et ideo dictum est in illo sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, non pœnitebit eum, ut significaretur, quia de sacerdotio Aaron pœnituit eum, id est, mutauit illud.

S CAPVT

CAPVT VICESIMVMNONVM. C

Eiusdē lib. quæst. 125 C Onsummabis manus Aaron. An per manus potestatem significauit, ut aliquid etiam ipsi consecrare possent? Potestas autem sanctificatione consummabatur, qua præcepti sunt sanctificari à Moyse. Sequitur.

Et super imponent Aaron & filii eius manus suas. Ecce unde suprà dictum est, cōsummandas esse manus eorum, id est, perficiendam potestatem, ut etiam ipsi sanctificarent, quomodo fit cùm ponunt manus super uitulum immolādum. Quod odor suauitatis sæpe Domino dicitur sacrificium de uictimis pecorum in scripturis sacris, non utique Deus odore fumi delectatur, sed tantùm illud quod hîc significatur spiritaliter, Deū delectat cùm spiritaliter exhibetur, quoniā ipse odor Dei spiritaliter intelligitur. Non enim sicut nos odorem corporeis naribus ducit, sicut ergo ille olfacit, sic ista significant. Sequitur.

Legitimum æternum à filiis &c. More ergo illo æternum dixit, quem sæpe suprà commemorauimus. Sequitur.

Septem diebus uestiet se. Hæc uerba multas quæstiones habent. Nam primùm hîc notandum est quomodo cùm stolam dixerit sancti, postea pluraliter dicit ungere eos in ipsis, tanquam in stolis. Nam & suprà multas stolas eas dixerat, quibus una constaret: quāquam ambiguum sit, utrùm in ipsis ab eo quod sunt ipsa genere neutro, quæcunque sunt quibus illa stola completur, id est, uestis sacerdotalis: quod magis putandum est, eo quòd in consequentibus dicit, septem diebus uestiet se ea sacerdos qui successerit ei: ea scilicet omnia, quæ cōmemorauit cùm uestem sacerdotalem describeret: repetiuit sanè quod suprà dixerat, consummare manus eorum, unde quid mihi uidetur exposui. Quòd uerò ait, septem diebus uestiet se sacerdos nunquid alijs diebus se non uestiet? sed illis septem continuis intelligi uoluit, quibus eius sacerdotium quodammodo dedicatur, atque hebdomadis est in eius inchoatione festiuitas. Successorem autem Aaron eum dicit, qui intrat tabernaculum testimonij deseruire in sanctis, eum scilicet significans, qui non poterat esse nisi unus, non quales erant filij Aaron cum uiuo patre suo, sed qualis successor ipsius Aaron. Quomodo ergo proprium dicit huius unius esse intrare in tabernaculum testimonij, deseruire in sanctis: cùm & illa quę sunt extra uelum, quo uelantur sanctasanctorum, sancta appellentur, & tabernaculum testimonij etiam illud uocetur, ubi sunt sancta, id est, mensa & candelabrū: ubi cùm deseruiant etiam sequentes sacerdotes ad mensam & candelabrum & ipsum altare, quomodo unum dicit successorem Aaron qui intret in tabernaculum testimonij deseruire in sanctis? Si dixisset, deseruire in sanctis sanctorū, nulla esset quæstio. Ad hæc enim ubi est arca testimonij solus unus intrabat summus sacerdos. Quod etiam in epistola ad Hebræos diligentissimè commendatur: nisi fortè eo ipso, quòd unum dicit intrare in tabernaculum testimonij deseruire in sanctis, non uult utique intelligi, nisi in sanctis sanctorum, quia & ipsa utique sancta appellantur. Nec enim omnia, quæ sancta sunt, etiam sanctasanctorum dici possunt: quamuis ecōtrariò, quæ sanctasanctorum sunt, proculdubiò utique sancta sunt. Vnus autem iste qui semel in anno intrabat in sanctasanctorum, quoniā Christum Iesum significabat, apertissimè supradicta ad Hebræos epistola commēdatur.

D

A datur. Quod autem præfiguratum est in sancta sanctorum, ut super arcam quæ legem habebat, esset propitiatorium, ubi Dei misericordia significatur, intelligendum est quàm propitius sit peccatis eorum, qui legem non implent. Hoc mihi uidetur etiam in ipsa ueste sacerdotis significari. Nam & ipsa quid aliud quàm ecclesiæ sacramenta significat, quòd in λόγιῳ, id est, rationali in pectore sacerdotis posito iudicia constituit, in lamina uerò sanctificationem & oblationem peccatorũ: tanquam rationale sit in pectore simile arcæ, in qua lex erat, & lamina illa in frõte similis propitiatorio, quod super arcam erat, & utrobique seruaretur quod scriptum est: Superexaltat misericordiam iudicio. Quid est quòd purificatum & sanctificatum altare septem diebus dicit, quod sanctum sancti erat altare? Non quidem dicit sanctum sanctorum, sicut est illud quod uelo separatur, ubi est arca testimonij. Veruntamen & hoc altare extra uelum positum, per sanctificationem septem dierum dicit potius, quàm per unctionem fieri sanctum sancti. Et Et addit: omnis qui tetigerit altare, sanctificabitur. *Iaco. 2.*

CAPVT TRICESIMVM.

Acitsque ei coronã aureolã. Cùm de annulis loqueretur altaris incensi, quod altare nõ inærari, sed inaurari iussit. Et duos annulos aureos puros facies, inquit, sub tortili corona eius, in duo latera facies in duobus lateribus, quoniã Græcus habet ita, εἰς τὰ δύο κλίτη ἐν τοῖς δυσὶ πλευροῖς. Nã clite latera sunt, & pleuræ latera sunt. Vnde quidam latini sic interpretati sunt, in duas partes facies in duobus lateribus. Non autem ait Græcus μέρη, quod est partes, sed κλίτη quod latera. Nã hoc uerbum est in illo psalmo ubi scriptũ est: Vxor tua sicut uinea fertilis in lateribus domus tuę. Ac per hoc tantùm casus interest, quia prius accusatiuum, pòst uerò ablatiuũ posuit, in duo latera facies, in duobus lateribus. Quis autem sit sensus difficile est assequi, nisi fortè ut solet scriptura amare eclipsim, ut aliquid desit et subaudiatur, etiam hic subaudiatur, erũt: Vt iste sit sensus, in duo latera facies, in duobus lateribus erunt, id est, ad duo latera facies annulos, quoniam in duobus lateribus erunt. Sequitur. *Eiusdẽ lib. quæst. 131* F B *Psal. 127.*

Incendet super illud incensum. Continuationis incensum dicit, quod continuatim fieret, id est, nullo die prætermitteretur. Cùm de altari præciperet incensi, id est, in quo incensum tantùm poneretur, non holocaustum, non sacrificium, non libatio, prædixerat idipsum incensum quotidie poni debere: nunc autem dicit: Et depropitiabit Aaron uel exorabit super cornua eius semel in anno de sanguine purificationis delictorum. Depropitiabit, ab eo quòd est depropitiatio, quæ Græcè dicitur ἐξιλασμὸς. Vnde etiam intelligendum est, hoc quod semel in anno iubet fieri ad propitiandum Deum super cornua altaris incensi, id est, ut de sanguine purificationis delictorum, uictimarum scilicet quæ offeruntur pro delictis semel in anno, tangantur cornua altaris incensi, non pertinere ad illam appositionẽ incensi, quã quotidie fieri iusserat. Illa enim fiebat aromatibus, non sanguine, & quotidie, non semel in anno. Non ergo sumus intellecturi, semel in anno intrare sacerdotẽ solere in sancta sanctorum, sed semel in anno cũ sanguine: & quotidie quidem solere intrare sine sanguine causa incensi imponendi. Cum sanguine

autem semel in anno maximè quia sequitur & dicit: Semel in anno purificabat C illud, sanctumsanctorum est Domino. Non ergò semel in anno ponet illic incensum, quod quotidie fieri iussum est, sed semel in anno purificabit illud, quod cum sanguine fieri debere praeceptum est: & post hoc adiungit, sanctumsanctorum est Domino: ac per hoc sanctumsanctorum nō extra, sed intra uelum erat, etiam illud profectò altare de quo nunc agitur, quod poni contra uelum intrinsecus iussit. Quid est quod ait:

Si *acceperis computationem filiorum* Israel: nisi quia iubet eos aliquando uisitari & computari, id est, numerari? Quod in Dauid propterea uindicatum intelligendum est, quia Deus non iusserat. Aduertendum est etiam & notandum quemadmodum unguento chrismatis omnia iussit ungi, tabernaculum scilicet & ea quae in illo erant, & deinde erunt sanctasanctorum. Omnia scilicet cùm fuerint uncta, erunt sanctasanctorum. Quid igitur distabit iam inter illa interiora, quae uelo teguntur, & caetera, si omnia cùm uncta fuerint erunt sanctasanctorum, diligentius requirendum: haec tamen notanda crediderimus, ubi etiam meminerimus, quòd sicut de illo altari sacrificiorum, quod post unctionem appellari uoluit sanctumsancti, continuò dictum est: Omnis qui tangit illud sanctificabitur: ita de omnibus postea quę de illo unguento uncta, dicta sunt sanctasanctorum, eadem sententia subsecuta est, ut diceretur: Omnis qui tangit ea sanctificabitur. Quod duobus modis intelligi potest, siue tangendo sanctificabitur, siue sanctificabitur ut ei liceat tangere: si tamen non licebat tangere populo tabernaculum, quando offerebat hostias, uel quęcunque ab eis oblata offerebantur Deo. Nam consequenter non solis sacerdotibus, neq; solis Leuitis dicendum admonet, quod ait ad Moysen: Et filijs Israël D loquere dicens: utique filij Israël totus ille populus erat. Iubet autem illis dici, oleum linitio unctionis, sanctum erit hoc uobis in progenies uestras: super carnem hominis non linietur, & secundum compositionem hanc non facietis aliud, quia similiter sanctum est, & sanctificatio erit uobis. Quicunque fecerit similiter, & quicunque dabit de eo exterae nationi, interibit de populo suo. Iubet igitur nō solis sacerdotibus, sed uniuerso populo Israël, ut non faciant tale unguentum in usus humanos. Hoc est enim quod ait: Super carnem hominis non linietur. Prohibet ergo simile fieri in usus suos, & interitum minatur, si quisquam similiter fecerit, id est, unguentum ad usus suos, similiter si simile confecerit, uel cuiquam hinc dederit exterae nationi. Ac per hoc quod ait: Sanctificatio erit uobis, cum hoc populo Israël uniuerso dici iubet, nō uideo quid intelligam: nisi quia licebat eis quando ueniebant cum suis quisque muneribus tangere tabernaculum: & tangendo sanctificabantur propter illud oleum, quo cuncta peruncta sunt, & hinc dictum: Omnis qui tangit sanctificabitur: non tamen sic quemadmodum sacerdotes, qui ut aeterno sacerdotio fungerentur ungebantur ex illo.

Locut. de Exod. lib. 2. Tomo III.

Serò incendet super illud. Serò dixit pro uesperè, & ideo notanda locutio est, ὀψὲ quippe Graecus habet. Serò autem propriè non solet dici, nisi cùm tempus transierit, quo fieri debuit quod serò dicitur factum.

CAPVT

A CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

Quæst.ſuper Exod.lib.2. Cap.CXXXVIII. Tomo IIII.

Cce uocaui ex nomine Beſeleel. Quid eſt quod Beſeleel cùm iuberet adhi-
E beri operibus tabernaculi faciendis, dixit eum ſe repleuiſſe ſpiritu diui-
no, ſapiētiæ & intellectus & ſciētiæ in omni opere &c. Vtrùm ſpiritusſancti muneri etiã iſta opera tribuenda ſunt, quæ pertinere ad opificiũ uidentur: an & hoc ſignificatiuè dictum eſt, ut ea pertineant ad diuinum ſpiritum ſapientiæ & intellectus & ſcientiæ quæ his rebus ſignificantur? Tamen etiam hîc cùm ſpiritu repletus dicatur iſte diuino ſapientiæ & ſcientiæ, nondum legitur ſpiritusſanctus. Quid ſibi uult quòd cùm de ſabbato obſeruando præciperet, ait: Teſtamentum æternum in me & filijs Iſraël, nõ ait: inter me & filios Iſraël. An quia ſabbatum requiem ſignificat, & requies nobis non eſt niſi illo? Nam profectò filios Iſraël uniuerſum populum ſuum dicit, id eſt, ſemen Abraham: & eſt Iſraël ſecundum carnem & ſecundum ſpiritum. Nã ſi Iſraël non eſſet dicendus, niſi ex genere carnis, non diceret Apoſtolus: Videte Iſraël ſecũdum carnem: ubi profectò ſignificat eſſe Iſraël ſecundum ſpiritum, qui in abſcondito Iudæus eſt & circunciſus corde. Sic ergo melius fortaſſe diſtinguitur: Teſtamẽtum æternum in me: ut inde alius ſit ſenſus, & filijs Iſraël ſignum æternũ, id eſt, æternæ rei ſignum, quomodo petra erat Chriſtus, quia petra ſignificabat Chriſtum. Non ergo ita intelligendum eſt teſtamentum æternum in me & in filijs Iſraël, tãquam in Deo & filijs Iſraël ſit hoc teſtamentum æternum: in me, quia in illo promiſſa eſt requies æterna: & filijs Iſraël ſignũ eſt æternum, quia filij Iſraël acceperunt obſeruandũ ſignum, quo requies ſignificatur æterna ueris Iſraëlitis, hoc eſt, filijs promiſsionis & uiſuris Deum facie ad faciem. Sequitur. 1.Cor.10.

B

Duas tabulas teſtimonii. Cùm tã multa locutus ſit Deus, duæ tantùm tabulę dãtur Moyſi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ teſtimonij futuræ in arca. Nimirũ omnia cætera quæ præcepit Deus ex illis decem præceptis quæ duabus tabulis cõſcripta ſunt, pendere intelliguntur, ſi diligenter quærantur & bene intelligãtur: quomodo hæc ipſa rurſus decem præcepta ex duobus illis, dilectione ſcilicet Dei & proximi, in quibus tota lex pendet & prophetæ.

CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM.

Locut.de Exod.lib.2. Tomo III.

Onſurrexit populus in Aaron, & dixerunt ei. Vſitata locutio eſt quia ex
C multis populus cõſtat. Deinde notandum, totũ pro parte poſitum. Apoſtolus enim ſicut reuerà erat, quoſdã eorum dixit hoc feciſſe, nõ totum populum, ubi ait: Neque idolis ſeruiãmus, ſicut quidã illorum. Surge & fac nobis Deos, qui nos præcedãt. Sedenti loquebantur, aut potius locutio eſt notanda, propter quod ſæpe dicitur: Exurge Domine, aut: Surge Deus iudica terram. Et nunc ſine me, & iratus ira, quomodo morte morietur: Amat ita loqui ſcriptura. Cui ſũt aurea demite: Non dicit quid aurea, unde Latini interpretes dixerunt, qui habet aurum demat. Quis ad Dominum ueniat ad me. Fecerunt ſibi deos aureos de uno uitulo, pluralem ergo numerum pro ſingulari poſuit. Inde eſt illud: Hi dij tui 1.Cor.10.

Iſraël qui eduxerunt te de terra Aegypti. Non ſanè locutiones iſtæ reperiuntur C ubi pluralis pro ſingulari ponitur, niſi in eo rerum genere, in quo etiam de pluribus fieri uel intelligi poteſt. Non enim quia unus ille uitulus erat, ideo non & plures fieri poterant, aut ideo non multis idôlis ſimilis fuerat. Hac locutione dictum eſt, latrones inſultaſſe Domino, cùm hoc unum feciſſe ſcriptura teſtatur, ſed non ſolus fuerat latro. Quinetiam cùm iſta locutio fit per nomina propria, qualiter eã in ſcripturis factam nondum compérimus, plures ſic intelliguntur, ſicut Phędras & Medeas quidam dixerunt cùm fuerit una Phædra & una Medea, ſed Phædras & Medeas appellauerunt omnes ſimiles Phædræ & Medeæ. Ita non ſine cauſa nec utcunque ac paſsim ſicut ab imperitis uitioſè fit, ſed certo modo certíſque regulis iſtæ locutiones interponuntur.

Quæſt. ſuper Exod. lib. 2. Cap. CXLI. Tomo IIII.

Surge fac nobis Deos. Quòd iubet Aaron demi ab auribus uxorum atque filiorum, unde illis faceret Deos, non abſurdè intelligitur difficilia præcipere uoluiſſe, ut hoc modo eos ab illa intentione reuocaret. Factum tamen illud ipſum difficile ut eſſet aurum ad faciendum idôlum, propter eos notandum putaui, qui contriſtantur ſi quid tale propter uitam æternam diuinitùs fieri uel æquo animo tolerari iubeatur. Sequitur:

Hi Dii tui Iſrael. Quod eos dixiſſe non legitur, ſed animum eorũ hunc fuiſſe Deus oſtendit. Horum quippe uerborum gerebant in corde ſententiam, quæ Deũ latere non poterat. Sequitur:

Sap. 2. *Et propitiatus eſt Dominus.* Malitiam hîc pœnam intelligi uoluit, ſicuti eſt: Aeſtimata eſt malitia exitus illorum: Secundum hanc dicitur: Bonum & malum à Deo, D non ſecundum malitiam qua homines mali ſunt. Malus enim Deus non eſt, ſed malis ingerit mala, quia iuſtus eſt. Iratus quidem Moyſes uidetur tabulas teſtimonij digito Dei ſcriptas colliſiſſe atque fregiſſe, magno tamen myſterio figurata eſt iteratio teſtamenti noui, quoniam uetus fuerat abolendum & conſtituendum nouum. Notãdum ſanè quanta pro populo ad Deum ſupplicatione laborauerit, qui tam ſæuerus in eos uindicando extitit. Quòd autem in ignem miſſum uitulum fu ſilem contriuit & in aquam ſparſit, quam populo potum dedit, quid nobis uideatur ſignificare, alibi dixi. Sequitur:

Et dederunt mihi, & miſi in ignem. Compendio locutus eſt, non dicens quòd ipſe formauerit ut exiret uitulus fuſilis. An excuſationis cauſa timendo mentitus eſt, tanquam ipſe in ignem periturum aurum proiecerit, atque ipſo non id agẽte forma uituli exierit? Quod ideo non eſt credẽdum hoc eum animo dixiſſe, quia nec latere Moyſen poſſet quid eſſet in uiro, cum quo Deus loquebatur, & fratrem de mendacio non redarguit. Sequitur:

Diſſipauit enim eos Aaron. Notandum eſt quemadmodum illud totum malum quod populus fecit, ipſi Aaron tribuatur, quòd eis conſenſerit ad faciendum quod male petiuerant. Magis enim dictum eſt: Diſſipauit eos Aaron, quoniam ceſsit eis, quàm diſsipauerunt ſe ipſi qui tantùm malum flagitauerunt. Sequitur:

Dele me de libro uitæ. Securus quidem hoc dixit, ut in conſequentibus ratiocinatio

A natio concludatur, id est, ut quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret. Verumtamen aduertendum est quantum malum in illo peccato perspexerit Moyses quod tanta cæde crediderit expiandũ, qui eos sic diligebat, ut pro eis illa uerba Deo funderet. Meritò quæritur, cùm superiùs populum dissipasse dictus sit Aaron, cur in ipsum uindicta nulla processerit: neque cùm Moyses interfici iussit omnem qui leuitis euntibus ad portam & redeũtibus occurrisset armatis, neq; cùm postea factum est quod scriptura dicit: Et percussit Dominus populum propter facturã uituli quẽ fecit Aaron, maximè quia & hîc hoc idem repetendo inculcatum est. Non enim dictum est: Et percussit Dominus populũ propter facturã uituli quẽ fecerunt, sed quẽ fecit Aaron, & tamen nõ est percussus Aaron: quinetiam illud quod de sacerdotio eius ante peccatum eius Deus præcipiebat impletũ est: sed iussit & ipsum & filios ablui, & sic ordinati sunt in sacerdotio. Ita nouit ille cui parcat usq; ad cõmutationem in melius, & cui parcat ad tempus, quamuis eum præscierit in melius nõ mutari: & cui non parcat ut mutetur in melius, & cui nõ parcat ita ut uitæ mutationem eius expectet: & hoc totum ad id redit, quod Apostolus dixit exclamans: Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius & inuestigabiles uiæ eius.

Ex lib. 22. Cont. Faust. Manich. Cap. XCII. Tomo VI.

Fecit ex ipso uitulũ conflatilem. Nunc autẽ quid etiã propheticæ significationis habuerit, requirendũ est, quòd ex eis multos, qui sibi absente ipso idolum fabricauerũt, sine ulla cuiusquã necessitudinis distinctione iussit interimi. Facile est ut intelligatur hominũ illorum interemptionẽ, significare uitiorũ talium insecutionem, B qualibus illi ad eandẽ idolatriã defluxerunt. In talia quippe uitia sæuire nos iubet psalmus, cùm dicit: Irascimini et nolite peccare. In talia uitia sæuire nos iubet Apostolus, cùm dicit: Mortificate mẽbra uestra quæ sunt super terrã: fornicationem, immũdiciã, luxuriã, cõcupiscentiã malã & auaritiã, quæ est idolorũ seruitus. Sed quid sibi uelit, quòd prius fecit, ut ipsum uitulũ igne cõbureret, minutatimq; cõcideret, & in aquã spargeret, & potũ populo daret, maiorẽ intẽtionẽ perscrutandæ significationis inquirit. Si enim tabulas, quas digito Dei, hoc est, operatione spiritussancti scriptas acceperat, ideo fregit, quia indignos eos, quibus ea legeret, iudicauit: si denique ut ab eis ille uitulus penitus aboleretur, incendit eũ, cõtriuit, in aqua sparsit, atq; submersit, ut quid & potũ hoc populo dedit? Quẽ nõ excitet factũ hoc ad inquirendã & intelligendã propheticã significationẽ? Occurrat ergo iã intentis mẽtibus, tanquã diaboli corpus in uitulo, id est, homines in omnibus gẽtibus, quibus ad hæc sacrilegia caput, hoc est, author est diabolus. Aureum propterea, quia uidẽtur idolatriæ ritus, uelutà sapientibus instituti. De quibus dicit Apostolus: Quoniã cognoscẽtes Deũ, nõ sicut Deum glorific. &c. Ex hac quasi sapientia iste uitulus aureus, qualia solebant Aegyptiorũ etiã ipsi primates, & tanquam docti homines adorare figmenta. Hoc ergo uitulo significatum est omne corpus, id est, omnis societas gentilium idolatriæ deditorum. Hanc sacrilegam societatem dominus Christus illo igne comburit, de quo in euangelio dicit: Ignem ueni mittere in terram: ut quoniam non est qui se abscondat à calore eius, dum in eum credunt gentes, igne uirtutis eius diabolica in eis forma soluatur. Totum

Psal. 4.
Col. 3.
Rom. 1.
Luc 12.

deinde corpus illud comminuitur,id est, ab illa malæ conſpirationis conflatione C
diſciſſum,uerbo ueritatis humiliatur:& comminutum in aquam mittitur,ut eos
Iſraëlitæ,id eſt,euangelij prædicatores ex baptiſmo in ſua membra,hoc eſt in cor
pus Dominicum transferant.Quorum Iſraëlitarum Petro, de ipſis gentibus, di-
ctum eſt:Macta & manduca:quare non etiam:Concide & bibe?Ita ille uitulus per
ignem zeli,& aciem uerbi,& aquam baptiſmi ab eis potius quos abſorbere cona-
baur,abſorptus eſt.

Dele me de libro quem ſcripſiſti. Vide Matth.Cap.20.in hæc uerba:Domine mi-
ſerere noſtri fili Dauid.

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

Quæſt.ſuper Exod.lib.2. Cap.CXLIX. Tomo IIII.

Ade & aſcende hinc tu. Deus iratus dicere uidetur, tu & populus tuus
V quem eduxiſti de terra Aegypti. Alioquin dixiſſet, tu & populus meus
quem eduxiſti de terra Aegypti:ſed illi quando idolum popoſcerunt ita
locuti ſunt:Moyſes enim hic homo qui eduxit nos de terra Aegypti, non ſcimus
quid factum ſit ei:liberationem ſuam in hominem conſtituendo defecerant. Hoc
eis modo replicatur cùm dicitur:Tu & populus tuus quẽ eduxiſti de terra Aegy-
pti,quod illis eſt criminis & non Moyſi. Non enim aliud uolebat Moyſes, niſi ut
non in illo,ſed in Domino ſpem ponerent,& Domini miſericordia ſe cum gratia-
rum actione crederent ab illa ſeruitute liberatos: cuius tamen apud Deum tan-
quam fideliſsimi famuli tãtùm erat meritum per illius gratiam,ut ei diceret Deus:
Sine me,&iratus conterã eos.Quod utrùm iubentis ſit cùm ait:Sine me,an quaſi D
petentis ſit,utrumque uidetur abſurdum.Nam & ſi iubebat Deus, inobedienter
famulus non parebat:& Deum hoc à ſeruo uelut pro beneficio petere non dece-
bat,cùm præſertim poſſet eos etiam illo nolente conterere. Ille itaque ibi ſenſus
in promptu eſt,quod his uerbis ſignificat Deus,plurimùm apud ſe prodeſſe illi po
pulo,quia ſic ab illo uiro diligebãtur,quem ſic Dominus diligebat:ut eo modo ad-
moneremur,cùm merita noſtra nos grauaſſent ne diligamur à Deo,releuari nos
apud eum illorum meritis poſſe quos Deus diligit.Nam cùm ab omnipotente dici
tur homini:Sine me & conteram eos,quid aliud dicitur,quàm contererẽ eos, niſi
diligerentur abs te?Ita ergo dictum eſt:Sine me,ac ſi diceretur, noli eos diligere,
& conteram eos,quia ne id faciam dilectio tua in illos intercedit mihi. Obtempe-
randum autem eſſet Domino dicenti,noli eos diligere, ſi hoc iubendo dixiſſet, &
non potius admonendo & exprimendo quid illum ab eorum ſupplicio reuoca-
ret:nec tamen etiam illo intercedente ſine flagello diſciplinæ populum dereliquit.
Neſcio quo enim modo,ut ſic eos diligeret ipſe Moyſes,Deus illos occultius dilige
bat,qui manifeſta uoce terrebat:Vbi dicit Deus ad Moyſen: Vade & aſcende &c.
continuò tanquam ad ipſum Moyſen adhuc loquatur,occulta conuerſione, quæ
Græcè ἀποστροφὴ dicitur,iam ad ipſum populum loquitur dicens:Et ſimul mittam
angelum meum &c.Magna ſacramenta & mira profunditas,tanquam miſericor
diam maiorem poſſet angelus habere quàm Deus,qui populo duræ ceruicis par-
ceret,cui Deus ſi cum illis eſſet ipſe non parceret: & tamen etiam per angelum
ſuum,

A suum, se quodammodo ab eis absente, qui nusquam esse absens potest, implere se dicit quod patribus eorum iurauit, tanquam & hîc ostendens, hoc se ideo facere, quia illis patribus iustis promisit, non quòd isti digni essent. Quid ergo significat, nisi fortè ideo se non esse cum eis, quia dura ceruice sunt: quia non eum propitiũ sed salubrem, nisi humilitas & pietas capit. Esse autem Deum cum duræ ceruicis hominibus, nihil est aliud quàm uindicando adesse atque puniendo. Vnde cùm eo modo malis non adest parcendo, facit quod pertinet ad illud quod dicitur: Auerte faciem tuam à peccatis meis, quia nisi auertit, aduertit. Sicut enim fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Sequitur: Psal. 50.

Si ergo inueni gratiam tuam. Quod habet Græcus γνωςῶς, hoc quidam latini interpretati sunt manifestè, cùm scriptura non dixerit φανερῶς. Potuit ergo fortasse potius dici: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum ut scienter uideam te: quibus uerbis satis ostendit Moyses quòd non ita uidebat Deum in illa tanta familiaritate conspectus ut desiderabat uidere: quoniam illæ omnes uisiones Dei quęcunque mortalium præbebantur aspectibus, & ex quibus fiebat sonus, quo mortalis attingeretur auditus, sic exhibebantur, assumpta sicut Deus uolebat specie qua ualebat, ut non in eis ipsa ullo sensu corporis sentiretur diuina natura, quę inuisibilis ubique tota est, & nullo cõtinetur loco. Et quia in duobus pręceptis, hoc est, dilectionis Dei & proximi tota lex pendet, ideo Moyses in utroque suum desiderium demonstrabat. In dilectione scilicet Dei ubi ait: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè ut uideã te, ut sim inueniens gratiam in cõspectu tuo. In dilectione autem proximi, ubi ait: & ut sciam quia populus tuus est gens hæc. Quid est quod dicit Deus ad Moysen:

B *Quoniam scio te præ omnibus.* Nunquid ergo Deus nouit plus aliqua & aliqua minus? An secundum quod dicitur quibusdam in euangelio: Non noui uos. Secũdum hanc enim scientiam qua Deus dicitur scire quæ illi placent, nescire quæ displicent, non quia ignorat ea, sed quia non approbat. Sicut ars rectè dicitur nescire uitia cùm improbat uitia, præ omnibus Deus Moysen sciebat, quia Deo præ omnibus Moyses placebat. Notandum est, quòd prius ipse Moyses dixerat Deo: Dixisti mihi: Scio te præ omnibus, quod illi Deus posteaquàm hoc ipse dixit legitur dixisse, antè autem non legitur, ut intelligamus non omnia esse scripta, quæ cum illo Deus locutus est: sed diligentius inquirendum est in prioribus scripturę partibus, an uerò ita sit. Cùm autem dixisset Moyses ad Dominum: Ostende mihi gloriam tuam, respondit ei Dominus: Ego transibo ante te &c. Cùm paulò antè dixisset ipse: Antecedam te & requiẽ tibi dabo. Quod Moyses sic uidetur accepisse, antecedam te, tanquam non ei populo qui pręsens in itinere futurus esset, & ideo ait: Si non tuipse simul ueneris nobiscum, ne me educas hinc & cætera. Deus autem neque ei hoc negauit dicens: Et hoc tibi uerbum quod dixisti faciam. Quomodo ergo cùm dixisset ei Moyses: Ostende mihi gloriam, rursus tanquam præcessurus, & nõ cũ eis simul futurus uidetur dicere: Ego trãsibo ante te, nisi quia hoc aliud est? Ille quippe intelligitur loqui & dicere: Transibo ante te, de quo dicit euangelium: Cùm uenisset hora ut transiret Iesus de hoc mundo ad patrem, qui transitus etiam pascha interpretari perhibetur. Hæc itaque magna omninò prophetia est.

Matth. 25.

Eiusdẽ lib. quæst. 153.

Eiusdẽ lib. quæst. 154

est. Ipse enim ante omnes sanctos transijt ad patrem de hoc seculo, parare illis mā- C
siones regni cœlorum, quas dabit eis in resurrectione mortuorum, quoniam tran
siturus ante omnes primogenitus à mortuis factus est. Gratiam uerò suam in eo-
ipso ualde commendat cùm dicit: Et uocabo nomine Domini in conspectu tuo,
tanquam in conspectu populi Israël, cuius Moyses cùm hæc audiret: typum gere-
bat. In conspectu enim gentis ipsius ubique dispersæ uocatur dominus Christus
in omnibus gentibus. Vocabo autem dixit, non uocabor, actiuum uerbum pro
pasiuo ponens genere locutionis inusitato, in quo nimirum magnus sensus latet.
Sic enim fortasse significare uoluit seipsum hoc facere, id est, gratia sua fieri, ut uo-
cetur Dominus in omnibus gentibus. Quod uerò addidit: Et miserebor cui mi-
sertus ero, & misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero: Ibi planè ex-
presius ostendit uocationem, qua nos uocauit in suum regnum & gloriam: non
pro meritis nostris, sed pro misericordia sua. Quoniam enim se gentes introdu-
cturum pollicebatur, dicens: Vocabo nomine Domini in conspectu tuo, commen-
Rom. 15. dauit se hoc misericorditer facere, sicut Apostolus dicit: Dico enim Christum mi-
nistrum fuisse circuncisionis propter ueritatem Dei, ad confirmandas promisio-
nes patrum: gentes autem super misericordia glorificare Deum. Hoc ergo prædi-
ctum est: Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericordiā
præstitero. Quibus uerbis prohibuit hominem uelut de propriarum uirtutū me
ritis gloriari, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim ait: Miserebor tali-
bus uel talibus, sed cui misericors fuero, ut neminem præcedentibus bonis operi-
bus suis misericordiam tantæ uocationis meruisse demonstraret. Etenim Christus
pro impijs mortuus est. Sed utrùm hoc idem repetere uoluerit, cùm addidit, mi- D
sericordiam prestabo, cui misericordiam prestitero, uel sicut alij interpretati sunt:
cui misericors fuero, an aliquid intersit nescio. Quod enim Græca lingua duobus
uerbis dictum est, ἐλεήσω, & οἰκτειρήσω, quod unum atque idem uidetur significa-
re, non potuit latinus diuersis uerbis dicere, sed diuersis modis eandem misericor
diam repetiuit. Si autem diceretur: Miserebor cui misereor: Aut: Miserebor cui mi-
sertus ero, non satis commodè dici uideretur: & tamen fortius ille ipse ibi sensus
est, quòd autem ipsius misericordiæ suæ firmitatem Deus ista repetitione monstra
uit: sicut amen, amen: sicut fiat, fiat: sicut repetitio somni Pharaonis, pluráque simi
lia: aut in utrisque populis, id est, gentibus & Hebræis hoc modo Deus prænuntia
Rom. 11. uit misericordiam se esse facturum. Quod Apostolus ita dicit: Sicut enim uos ali-
quando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam cōsecuti estis in illorum
incredulitate: sic & ipsi nunc, qui non crediderūt in uestra misericordia, ut & ipsi
misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut om
nium misereatur. Deinde post hanc suæ misericordiæ commendationem respon
det ad illud quod ei dictum fuerat: Ostende mihi gloriam tuam, uel quod suprà pe
tiuerat Moyses, dicens: Ostende mihi temetipsum manifestè ut uideam te: Non po
teris, inquit, uidere faciem meam. Non enim uidebit homo faciem meam, & ui-
uet: Ostendens huic uitæ quæ agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis,
Deum sicuti est apparere non posse: id est, sicuti est uideri in illa uita potest, ubi ut
uiuatur, huic uitæ moriendum est. Item interposito articulo dicente scriptura, &
ait

A ait Dominus, sequitur & loquitur: Ecce locus penes me: quis enim locus non penes Deum est? qui nusquam est absens? Sed ecclesiam significat dicendo: Ecce locus penes me, tanquam templum suum commendans. Et stabis: inquit, supra petram: quia supra hanc petram, ait Dominus, ædificabo ecclesiam meam: statim ut transiet gloria mea. Id est, statim ut transiet gloria mea, stabis sup r pe tram, quia post transitum Christi, id est, post passionem & resurrectiouem Christi stetit populus fidelis supra petram. Et ponam te, inquit, in cauerna petræ, munimen firmissimum significat. Alij autem interpretati sunt: In spelunca petræ: sed Græcus habet ὀπὴν, hoc enim foramen uel cauernam rectius interpretamur. Et tegam manu mea super te, donec transeam & auferam manum meam, & tunc uidebis posteriora mea, facies autem mea non uidebitur tibi. Cùm iam dixisset: Stabis super petram, statim ut transiet gloria mea: ubi intelligitur post transitum suum promisisse super petram stabilitatem: Quomodo accipiendum est quod ait: Ponam te in cauernam petræ, & tegam manum meam super te, donec &c. quasi iam illo in petra constituto, tegat manum suam super eum, & deinde transeat, cùm esse in petra non possit, nisi post eius transitum: sed recapitulatio intelligenda est rei prætermissæ, quali solet uti scriptura in multis locis. Postea quippe dixit quod ordine temporis prius est. Qui ordo ita se habet: Tegam manum meam super te, donec transeam, & tunc uidebis posteriora mea, nam facies mea non uidebitur tibi: & stabis super petram statim ut transiet gloria mea, & ponam te in cauerna petræ. Hoc enim factum est in eis, quos tunc significabat persona Moysi, id est Israëlitis: qui in Dominum Iesum, sicut

B actus Apostolorum indicant, postea crediderunt, id est, statim ut transiet eius gloria. Nam posteaquam resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum, misso de cœlo spiritusancto, cùm linguis omnium gentium loquerentur Apostoli, compuncti sunt corde multi ex eis qui crucificerāt Christum: quem si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: cæcitas ex parte Israël facta est: sicut dictum fuerat: Tegam manum meam super te donec transeam: Vnde psalmus dicit: Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua. Diem appellans, quando Christus diuina miracula faciebat: noctem, quando sicut homo moriebatur, quando & illi titubauerunt, qui in die crediderant. Hoc est ergo: Cùm transiero uidebis posteriora mea: Cùm transiero de hoc mundo ad patrem, posterius in me credituri sunt, quorum typum geris. Tunc enim compuncti corde dixerunt: Quid faciemus? Et iussi sunt ab Apostolis agere pœnitentiam, & baptizari in nomine Iesu Christi, ut dimitterentur illis peccata eorum. Quod in psalmo illo sequitur, cùm dictum esset: Die ac nocte grauata est super me manus tua, id est, ut cognoscerem. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sequitur & iungit: Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina, id est, cùm essem corde compunctus. Deinde addidit: Peccatum meum cognoui, & facinus meum non operui: postquam uiderunt quanto scelere Christum crucifixerunt. Et quia receperunt consilium ut agerent pœnitentiam, & in baptismo remissionem acciperent peccatorum. Dixi, inquit, pronuntiabo aduersum me delictum meum Domino, &

Act.2.

Psal.51.

1.Cor.2.

tu

tu remisisti impietatem cordis mei. Hanc autem prophetiam potius fuisse, quam C
locutus est Dominus ad Moysen, satis res ipsa indicat, quando quidem de petra uel cauerna eius, & de manus eius superpositione, de uisione posteriorum eius, nihil postea uisibili opere subsecutum legitur. Mox enim adiungit interposito articulo scriptura: Et dixit Dominus ad Moysem, cùm ipse Dominus utiq; etiam illa quæ suprà sunt loqueretur: atque inde contexit quid deinceps Dominus dicat: Excide tibi duas tabulas lapideas sicut & primas &c.

Vade & ascende hinc tu & populus. Vide Iosue cap. 21. in hæc uerba: Et dedit Dominus Israël omnem terram.

De Trinit. lib. 2. Cap. XVI. Tomo III.

Et locutus est Dominus ad Moysen facie ad faciem. Quid est hoc quòd in omnibus quæ suprà fiebant, Deus uideri per substantiam putabatur? Vnde à miseris creditus est, nō per creaturam, sed per seipsum uisibilis filius Dei: & quòd intrauerat in nebulam Moyses, ad hoc intrasse uidebatur, ut oculis quidem populi ostēderetur caligo nebulosa, ille autem intùs uerba Dei tanquam eius faciem contēplatus audiret. Et quomodo dictum est: Locutus est Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum? Ecce idem dicit: Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifestè. Nouerat utiq; quod corporaliter uidebat, & ueram uisionem Dei spiritaliter requirebat. Locutio quippe illa quæ fiebat in uocibus, sic modificabatur, tanquā esset amici loquētis ad amicū. Sed Deum patrem quis corporeis oculis uidet? Et quod in principio erat uerbū, & uerbū erat apud Deum, & Deus erat uerbum, per quod facta sunt omnia, quis corporeis oculis uidet? Et spiritum sapientiæ quis corporeis aculis uidet? Quid est autem: Ostēde mihi temetipsum manifestè ut uideam te, nisi ostende mihi substantiā tuam? Hoc au- D
tem si non dixisset Moyses utcunq; ferendi essent stulti, qui putant per ea quę suprà dicta uel gesta sunt, substantiā Dei oculis eius fuisse conspicuā. Cùm uerò hîc apertissimè demonstretur, nec desideranti hoc fuisse concessum, quis audeat dicere per similes formas quæ huic quoque uisibiliter apparuerant, nō creaturā Deo seruiētem, sed hoc ipsum quod Deus est cuiusquā oculis apparuisse mortaliū? Et hoc quidē quod postea Dominus dicit ad Moysen: Non poteris uidere faciē meam & uiuere. Non enim uidebit homo faciem meam & uiuet. Et ait Dominus: Ecce locus penes me est, & stabis super petram, statim ut transibit mea maiestas, & ponam te in specula petræ, & tegam manū meam super te donec transeam, & auferam manum meam: & tunc uidebis posteriora mea, nam facies mea non apparebit tibi. Non incongruenter ex persona Domini nostri Iesu Christi præfiguratum solet intelligi: ut posteriora eius accipiatur caro eius, in qua de uirgine natus est, & mortuus & resurrexit: siue propter posterioritatem mortalitatis posteriora dicta sunt, siue quòd eam prope finem seculi, hoc est posterius suscipere dignatus est. Facies autem eius illa Dei forma, in qua non arbitratur rapinam esse æqualis Deo patri, quam nemo utique potest uidere & uiuere: siue quia post hanc uitam in qua peregrinamur à Domino, & ubi corpus quod corrumpitur aggrauat animam, uidebimus facie ad faciem, sicut dicit Apostolus: De hac enim uita in Psalmis dicitur: Veruntamen uniuersa uanitas omnis homo uiuens. Et iterum:

Sap. 17.

Quoniam

A Quoniam non iustificabitur coram te omnis uiuens. In qua uita etiam, secundũ Ioannem, nondum apparuit quod erimus. Scimus autem, inquit, quia cùm appa ruerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Quod utique post hanc uitam intelligi uoluit, cùm mortis debitum soluerîmus, & resurrectionis promissum recęperîmus. Siue quod etiam nunc inquantum Dei sapientiam per quam facta sunt omnia, spiritaliter intelligimus, intantum carnalibus affectibus morimur, ut mortuum nobis hunc mundum deputantes, nos quoque ipsi huic mundo moriamur, & dicamus quod ait Apostolus: Mundus mihi crucifixus est & ego mundo. De hac enim morte iterum dicit: Si autem mortui estis cum Christo, quid adhuc uelut uiuentes de hoc mundo decernitis? Non ergo immeritò nemo potest faciem, id est, ipsam manifestationem sapientiæ Dei uidere & uiuere. Ipsa enim est species, cui contemplandæ suspirat omnis, qui affectat Deum diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Ad quam contemplandam etiam proximum quantùm potest ædificat, qui diligit & proximũ sicut seipsum. In quibus duobus præceptis, tota lex pendet & prophetæ. Quod significatur etiã in ipso Moyse. Nam cùm dixisset propter dilectionem Dei qua præcipuè flagrabat: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè ut sim inueniens gratiam ante te: continuò propter dilectionem etiam proximi subiecit atque ait: Et ut sciã quia populus tuus est gens hæc. Illa est ergo species quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui, tantò ardentiorem, quantò mundiorem: & tantò mundiorem, quantò ad spiritalia resurgentem. Tãtò autem ad spiritalia resurgentem, quantò à carnalibus morientem. Sed dum peregrinamur

Gal.6. *Col.2.*

B à Domino, & per fidem ambulamus non per speciem, posteriora Christi, hoc est, carnem per fidem ipsam uidere debemus: id est, in solido fidei fundamento stantes, quod significat petra, & eam de tali tutissima specula intuentes, in catholica scilicet ecclesia, de qua dictum est: Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Tantò enim certius diligimus, quantò uidere desideramus faciem Christi, quam tantò in posterioribus eius agnoscimus, quãtò nos prior dilexit Christus, Sed ipsa carne, fides resurrectionis eius nos saluos facit atque iustificat. Si enim credideris, inquit, in corde tuo, quia illum Deus suscitauit à mortuis, saluus eris. Et iterum: Qui traditus est, inquit, propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ideóque resurrectio corporis Domini est meritum fidei nostræ. Nam mortuam esse illam carnem in cruce passionis, etiã inimici eius credunt, sed resurrexisse non credunt. Quod firmissimè nos credẽtes, tanquã de petræ soliditate cõtuemur: unde certa spe adoptionẽ expectamus, redẽptionẽ corporis nostri: quia hoc in mẽbris Christi speramus, quę nos ipsi sumus, quòd perfectũ esse in ipso tanquã in capite nostro, fidei sanitate cognoscimus. Inde nõ uult nisi cùm trãsierit uideri posteriora sua, ut in eius resurrectionẽ credatur. Pascha enim Hebræũ uerbũ dicitur, quod transitũ interpretamur. Vnde & Ioãnes euãgelista dicit: Ante diẽ festum paschæ sciens Iesus quia uenit hora eius, ut transeat ex hoc mũdo ad patrem. Hoc autẽ qui credunt, nec tamen in catholica fide, sed in schismate aliquo, aut in hęresi credũt, non de loco qui est penes eũ uident posteriora Domini. Quid enim sibi uult quòd ait Dominus: Ecce locus est penes me, & stabis

Matth.16. *Rom.4.* *Ioan.13.*

stabis super petram? Quis locus terrenus est penes Dominum, nisi hoc est penes eum quòd eũ spiritaliter attingit? Nã quis locus nõ est penes Dominum, qui attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter? Et cuius dictum est, C
Esa.66. cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorũ. Et qui dixit: Quam domum ædificabitis mihi, aut quis locus quietis meæ; nónne manus mea fecit hæc omnia? Sed uidelicet intelligitur locus penes eum in quo statur super petram, ipsa ecclesia catholica: ubi salubriter uidet pascha Domini, id est, transitum Domini, & posteriora eius, id est, corpus eius, qui credit in resurrectione eius: Et stabis, inquit, super petram, statim ut transiet mea maiestas. Reuerà enim statim ut transijt maiestas Domini in clarificatione Domini, qua resurgens ascendit ad patrem, solidati sumus super petram. Et ipse Petrus tunc solidatus est, ut cùm fiducia prædicaret, quem priusquam esset solidatus ter timore negauerat, iam quidem prædestinatione positus in specula petræ, sed adhuc manu Domini sibi superposita ne uideret. Posteriora enim eius uisurus erat, & nondum ille transierat utique à morte ad uitam, nondum resurrectione clarificatus erat. Nam & quod sequitur in Exodo, & dixit: Tegam manum meam super te, donec trãseam, & auferam manum meam, & tunc uidebis posteriora mea. Multi Israëlitæ quorum tunc figura erat Moyses, post resurrectionem Domini, crediderũt in eum, tanquam iam uidentes
Esa.6. posteriora eius, remota manu eius ab oculis suis. Vnde & Esaiæ talẽ prophetiam euangelista commemorat: Incrassa cor populi huius, & aures eorum oppila, & oculos eorum graua. Denique in Psalmo non absurdè intelligitur ex eorum per-
Psal.32. sona dici: Quoniã die ac nocte grauata est super me manus tua. Die fortasse cùm manifesta miracula faceret, nec ab eis agnosceretur. Nocte autem cùm in passione morereretur, quando certius putauerũt sicut quemlibet hominẽ peremptum & extinctum. Sed quoniam cùm transîsset ut eius posteriora uiderentur, prædicante sibi apostolo Petro, quia oportebat Christum pati & resurgere, compuncti sunt dolore pœnitentiæ, ut fieret in baptizatis quod in capite Psalmi dicitur: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Propterea cùm dictum esset, Grauata est super me manus tua, tanquam Domino transeunte, ut iam remoueret manum & uiderentur posteriora eius, sequitur uox dolentis & confitentis, & ex fide resurrectionis Domini peccatorum remißionem accipientis: Cõuersus sum, inquit, in ærumna mea dum infigeretur spina: Peccatũ meum cognoui, & iniustitiam meam non operui. Dixi pronunciabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Neque enim tanto carnis nubilo debemus inuolui, ut putemus faciem quidem Domini esse inuisibilem, dorsum uerò uisibile, quandoquidem in forma serui utrunque uisibiliter apparuit, in forma autem Dei absit ut tale aliquid cogitetur. Absit ut uerbum Dei & sapientia Dei ex una parte habeat faciem, & alia dorsum, sicut corpus humanum, aut omninò ulla specie uel motione, siue loco, siue tempore cõmutetur. Quapropter si in illis uocibus quę fiebant in Exodo, & illis omnibus corporalibus demonstrationibus Dominus Iesus Christus ostendebatur: aut aliâs Christus sicut loci huius consideratio persuadet, aliâs spiritus sanctus, sicut ea quæ suprà diximus admonent: non hoc efficitur ut Deus pater nunquam tali aliqua specie patribus uisus D

A fus sit: Multa enim talia uisa facta sunt illis temporibus, non euidenter nominato & designato in eis, uel patre, uel filio, uel spiritusancto, sed tamē per quasdam ualde probabiles significationes nōnullis indicijs existentibus, ut nimis temerarium sit dicere: Deum patrem nunquam patribus, aut prophetis per aliquas uisibiles formas apparuisse. Hanc enim opinionem illi pepererunt, qui non potuerunt in unitate trinitatis intelligere quod dictum est: Regi autem seculorum immortali, 1.Tim.3. inuisibili soli Deo, & quē nemo hominum uidit, nec uidere potest. Quod de ipsa substantia summa summéq; diuina & incommutabili ubi & pater & filius & spiritussanctus unus & solus Deus, per sanam fidem intelligitur. Visiones autem illę per creaturā cōmutabilē Deo incōmutabili subditā factæ sunt, non propriè sicuti est, sed significatiuè, sicut pro rerū causis & tēporibus oportuit ostēdentes Deum.

Epistola.112. Tomo II.

Ostende mihi teipsum. Quid ergo? ille non erat ipse? Si non esset ipse, non ei diceret: Ostende mihi temetipsum, sed ostende mihi Deum, & tamen si eius naturam substantiámque conspiceret, multominus diceret: Ostende mihi temetipsum. Ipse ergo erat in ea specie qua apparere uoluerat, non autem ipse apparebat in natura propria quam Moyses uidere cupiebat. Ea quippe promittitur sanctis in alia uita. Vnde quod responsum est Moysi, uerum est, quia nemo potest faciem Dei uidere, & uiuere, id est, nemo potest eum in hac uita uidere uiuens sicuti est. Nam multi uiderunt, sed quod uolūtas elegit, nō quod natura formauit. Et illud quod ait sanctus Ioannes, si rectè intelligitur. Dilectissimi filij Dei sumus, & nondū ap- 1.Ioan.3. paruit quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam ui-
B debimus eum sicuti est, non sicut homines uiderunt quando uoluit in specie qua uoluit, non in natura qua in semetipso etiam cum uideretur latuit, sed sicut est, quod ab eo petebatur, cùm ei diceretur: Ostende mihi temetipsum, ab eo qui cum illo facie ad faciem loquebatur. Non quia Dei plenitudinem quisquam nō solùm oculis corporis, sed uel ipsa mente aliquando comprehendit.

Item Vide 2. Corinth.12. in hæc uerba: Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim.

Miserebor cui misertus ero. Vide ad Rom.cap.9.in hæc uerba : Non solùm autem illa, sed & Rebecca &c.

Nemo potest faciem meam uidere. Vide Iudic.cap.13.in hæc uerba: Caue ergo ne bibas uinum.

CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

Quæst.super Exod. Lib.2. Cap. CLVIII. Tomo IIII.

Omen Deus zelator est. Id est, ipsum nomē quod Dominus Deus dicitur, N zelans est, quia Deus zelator est. Quod nō humanæ perturbationis uitio facit Deus, semper atq; omnimodò incōmutabilis atq; tranquillus: sed hoc uerbo indicat nō impunè plebem suam per alienos deos fornicaturā. Dictum est enim uerbum à tropo metaphora, à zelo maritali, quòd castitatem custodit uxoris, quod nobis prodest, nō Deo. Quis enim tali genere fornicationis Deo nocuerit, sed sibi primùm ut pereat? Quod Deus prohibet, terrore grauissimo zelantem

Psal. 72. zelantem se appellans. Cui dicitur in psalmo: Perdidisti omnem qui fornicatur C
abs te, mihi autem adhærere Deo bonum est. Sequitur.

Non uideberis in conspectu meo inanis. Sicut indicat circunstantia de quibus loquitur in cõspectu suo, dicit Dominus in tabernaculo suo, hoc est autem, non ibi uideberis inanis, nunquam intrabis sine aliquo munere. Quod spiritaliter intellectum magnum sacramentum est. Verum hæc dicebantur in umbris significationum. Cùm de sabbato præcepisset, quid est quod addidit: De satione & messe requiesces. Videtur enim dicere, tempore sationis & messis. An fortè ita obseruandam requiem sabbati præcepit, ut nec illa tempora habeant excusationem, quæ agricolis ualde sunt necessaria propter uictum atque uitam? Iussum est ergo ut etiam tempore sationis & messis, quando multùm urget operatio, requiescatur in sabbato: ac sic per hæc tempora, quæ opus plurimum flagitant, significatum est omni tempore sabbato debere cessare. Quod dixit.

Non concupiscet quisquam de terra tua. Hoc uult intelligi, ut securus quisque ascenderet, nec de terra sua sollicitus esset, Deo promittẽte custodiam, quòd nemo inde aliquid concupisceret, propter illum qui ascendit, nec suam inde timeret absentiam. Sequitur.

Non occides super fermentum. An illa hoc loco dicit immolata sua, quæ per pascha occiduntur, & præcepit ne tunc sit in domo fermentum, quoniam dies sunt azymorum? Sequitur.

Non coques agnum. Quemadmodum id intelligi possit ignoro. Magna tamen est de Christo prophetia, & si fieri ad literam possit, quantò magis si non potest? In sermonibus enim Dei non sunt ad proprietatem operum omnia reuocanda, D sicut nec illud de petra & cauerna eius, & manus superpositione. Sed planè de fide narrationis hoc exigendum est, ut quæ dicit facta esse, uerè facta sint: & quæ dicit dicta esse, uerè dicta sint. Quod exigitur etiam à narratoribus euãgelij cùm enim Christum narrent quædam dixisse, quæ in parabolis dixit, tamen hæc eum dixisse non parabolica, sed historica narratio est. Sequitur.

Et scripsit in tabulis. Magna oritur quæstio quomodo illæ tabulæ, quas erat Moyses Deo utique præsciente facturus, nõ hominis opus esse dicuntur, sed Dei: nec ab homine scriptæ, sed scriptæ digito Dei. Posteriores uerò tabulæ tãdiu mansere, ac in tabernaculo ac templo Dei futuræ, iubente quidem Deo, tam ab homine excisæ sunt, quàm ab homine scriptæ. An fortè in illis prioribus gratia Dei significabatur, non hominis opus, qua gratia indigni facti sunt, reuertentes corde in Aegyptum, & facientes idolum, unde illo beneficio priuati sunt, & propterea Moyses tabulas fregit: istis uerò tabulis posterioribus significati sunt quæ de suis
Rom. 10. operibus gloriantur. Vnde dicit Apostolus: Ignorantes Dei iustitiam, & suam uolentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: & ideo tabulę humano opere exculptæ, & humano opere conscriptæ datæ sunt, quæ cum ipsis manerent, ad eos significandos de suis operibus gloriaturos, nõ de digito Dei, hoc est, de spiritu Dei. Certè ergo repetitio legis nouum testamentum significat, illud autem uetus significabat, unde confractũ & abolitũ est: maximè, quoniam cùm secũdo lex datur, nullo terrore datur, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium, & tubarum, unde

tremefactus

A tremefactus populus dixit: Nō loquatur Deus ad nos, ne moriamur: Vnde significatur timor esse in ueteri testamēto, in nouo dilectio. Quomodo igitur hîc soluitur quæstio, quare illæ opus Dei, istæ opus hominis: & illæ conscriptæ digito Dei, istæ scriptæ ab homine? An fortè ideo magis in illis prioribus uetus significatum est testamentum, quia Deus ibi præcepit, sed homo non fecit? Lex enim posita est in ueteri testamento, quæ conuinceret transgressores, quæ subintrauit ut abundaret delictum. Non enim implebatur timore, quæ non impletur nisi charitate. Et ideo dicitur opus Dei, quia Deus legem constituit, Deus conscripsit: nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperauit, & eum potius reum lex fecit. In secundis autem tabulis homo per adiutorium Dei tabulas fecit atque conscripsit, quia noui testamenti charitas legem fecit. Vnde dicit Dominus: Non ueni legem soluere, sed adimplere. Dicit autem Apostolus: Plenitudo legis charitas: Et fides quæ per dilectionem operatur. Factum est itaque homini facile in nouo testamento, quod in uetere difficile fuit, habenti fidem quæ per dilectionem operatur: atque illo digito Dei, hoc est spiritu Dei intùs eam in corde scribente, non foris in lapide. Vnde dicit Apostolus: Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus: quoniam charitas Dei, qua ueraciter impletur præceptum, diffusa est gratia in cordibus nostris per spiritumsanctum, qui datus est nobis. Hoc est ergo, prima data est lex, ubi significatur uetus testamentum, quod est opus tantummodo Dei, & conscriptio digito Dei: Quod Apostolus dicit: Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Lex ergo sancta & bona, Dei opus est: ubi homo nihil agit, quia non obtemperat: sed rea-
B tu potius premitur, lege minante atque damnante: Peccatum enim, inquit, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem. Beatus autem homo est, cùm hoc mandatum sanctum & iustum et bonum facit: hoc etiam opus eius, sed per gratiam Dei.

Matth.5. Rom.13. 2.Cor.3. Rom.7.

Locut. de Exod. lib. 2. Tomo III.

Et deos fusiles ne feceris tibi. Locutio est à parte totum significans. Non enim quia fusiles tantummodo nominauit, fieri sculptiles, ductiles, fictiléque permisit, uel ullum genus simulachrorum, aut qualemcūque factitiorum deorum. Omne adaperiens uuluam masculina, id est, omne adaperiens uuluam mihi erit ex his quæ sunt masculina. Primitiuum subiugalis redimes oue. Et hoc à parte totum est. Neque enim si subiugale non sit iumentum quodlibet, cuius caro tanquam immunda respuitur, ideo non est redimendum, aut alio quàm oue redimendum. Non occides super fermentum sanguinem immolatorum meorum. Locutio est utique, occides sanguinem, pro eo quod est, occidendo effundes. Et non dormiet in mane immolatio solennitatis paschæ. Dormiet dixit, manebit. Nam caro pecudis occisę & coctæ quomodo dormiet? Quod ergo dicitur: Quare obdormis Domine, hoc genere locutiōis dicitur et intelligitur, quare cessas, id est, nō uindicas. Psal.43.

Videbantque filii Israel faciem Moysi &c. Vide. 2. Cor. 3. Quòd si administratio mortis in literis formata &c.

T CAPVT

CAPVT TRICESIMVM QVINTVM.

C

Quæst. super Exod. lib. 2. Cap. CLXVIII. Tomo IIII.

O *Mnis offerens demptionem.* Tanquam diceret: Omnis qui attulit, attulit illud, atque illud inter cætera quæ dicebat, et argentum & æs commemorãs. Demptionem sanè interpretati sunt Latini, quod Græcus habet ἀφαίρεμα. Appellata est autem demptio, eo quòd sibi demeret qui Domino offerret.

CAPVT TRICESIMVM SEXTVM.

Eiusdē lib. quæst. 170

C *Vmque uocasset eos Moyses, & omnem eruditum uirum.* Commerauit autem quosdam, quibus dixit spiritum diuinitùs datum, quòd illa efficere possent, & tamen multi intelliguntur sponte ad eadē opera uenisse, quibus nec imperatum est, nec eorum nomina commemorata sunt à Domino dicta Moysi. Nō ergo illi soli hoc munus diuinitùs habuerunt, qui nominatim commemorantur, sed fortasse præcipuè atque excellentius. Laudandus est autem in his omnibus non attractus ad opus seruiliter animus, sed liberaliter & sponte deuotus. Notandum quòd illi qui sapientes appellantur, effectores operum, sancti etiam moribus tales erant, ut cùm ipsi susciperent omnia quę populus offerebat, existimans necessaria ex quibus illa omnia complerentur, uiderunt plus offerri quàm erat necesse, & dixerunt Moysi, atque ille per præconem ultrà populum offerre prohibuit. Poterant autem, si uellent, multa auferre, sed modestia prohibuit, uel religio terruit. Posteaquam descendit Moyses de monte, opera commendantur tabernaculi construendi, & uestis sacerdotalis, de quibus faciendis antequam aliud præciperet, locutus est ad populum de sabbati obseruatione. Vbi non immeritò mouet, cùm decem uerba legis accepit in tabulis lapideis iterum, quas ipse excidit, ipse conscripsit: quare de sabbato solo, posteaquam descendit, populum admonuit? Si enim propterea decem præcepta legis superfluum fuit, ut populus iterum audierit, cur & hoc nō fuit superfluum, ut de sabbato audiret, cùm & hoc in eisdem decem præceptis legatur? An & hoc simile est uelamento, quo faciem obtexit: quia splendorem uultus eius filii Israël non poterant intueri? Nā ex decem præceptis hoc solùm populo præcepit, quod figuratè ibi dictum est: alia quippe nouem sicut præcepta sunt, etiam in nouo testamento obseruanda minimè dubitamus. Illud autem unum de sabbato usqueadeò figurata diei septimi obseruatione apud Israëlitas uelatum fuit, & in mysterio præceptum fuit, & quodam sacramento figurabatur, ut hodie à nobis non obseruetur, sed solùm quod significabat intueamur. In illa autem requie, ubi opera seruilia iubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. Tunc enim fiunt cum requie opera bona, cùm fides per dilectionem operatur: timor autem tormentum habet, & in tormento quæ requies? Vnde timor non est in charitate, charitas autem diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis: ideo sabbatum requies sancta Domino dicitur, Dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis uelut ex nobis. Alioquin nostra opera sic erunt, ut sint humana, aut cum peccato, aut cum timore,

D

A more, non cum dilectione: & ideo seruilia sine requie. Plenitudo autem sabbati erit in requie sempiterna. Non enim frustrà institutum est & sabbatum sabbatorum. Superius quādo prius locutus est Deus de tabernaculo ungendo, dixit eadem unctione sanctificari illa omnia, & fieri sancta sanctorum. Altare autem holocaustomatum eadem unctione sanctificatum, dixit sanctum sancti: et hoc interesse uidebatur, quòd nihil eorum dixisset sanctum sanctorum, nisi quòd tantùm uelo separabatur à sancto, id est, ubi erat arca testamenti & altare incensi &c.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

N *Vbe operiente omnia.* Notanda res multùm mirabilis, quòd nube descendente & implente tabernaculum, quæ tamen gloria Domini dicitur, non poterat Moyses intrare tabernaculum, qui in monte Sina, quādo legem primitus accepit, intrauit in nubem ubi erat Deus. Proculdubiò ergo aliam personam tunc figurabat, aliam nunc. Et tunc eorum qui participes fiunt intimæ ueritatis Dei: nunc autem Iudæorum, quibus gloria Domini, quæ in tabernaculo est, quod est gratia Christi, tanquam nubes opponitur, non eam intelligentibus: & ideo non intrauit in tabernaculum testimonij. Et hoc credendum est semel factum mox ut constitutum est tabernaculum significationis huius causa uel alicuius alterius. Neque enim semper sic erat nubes super tabernaculum, ut illuc Moyses intrare non posset, quandoquidem non remouebatur, nisi cùm eis hoc signum dabatur disiungendi, hoc est, castra mouendi ex eo loco ubi erant: & accedendi quò nubes duce- B bat per diem, & flamma per noctem. Quę duo uicisim etiam super tabernaculum manebant, ubi castra posuissent, nubes per diem, flamma per noctem &c. Multis topographia tabernaculi hoc in loco describitur. Eiusdē lib. quæst. 173

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN LEVITICVM COMMENTARIA.

CAPVT QVINTVM.

Quæst. super Leuit. lib. 3. Cap. I. Tomo IIII.

S*I non nuntiauerit accipiet peccatum*. Hoc uidetur dicere, peccare hominem, quo audiente iurat aliquis falsum, & scit eum falsum iurare & tacet. Tunc autem scit, si ei rei de qua iuratur testis fuerit, aut uidit, aut conscius fuit, id est, aliquo modo cognouit, aut oculis suis conspexit, aut ipse qui iurat illi indicauit. Ita enim potuit esse conscius, sed inter timorem huius peccati, & timorem proditionis hominum, non parua extitit plerunque tentatio. Possumus enim paratum ad periurium admonendo uel prohibendo à tam graui peccato reuocare. Sed si non audierit, & coram nobis de re quam nouimus falsum iurauerit, utrùm prodendus sit, si proditus etiã in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia nõ expressit cui hoc indicandum sit: utrùm illi cui iuratur, an sacerdoti, uel cuipiã qui non solùm eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest. Videtur, mihi quòd se homo soluat à peccati uinculo, etiã si indicet talibus qui magis possunt prodesse quàm obesse periuro, siue ad corrigendũ eum, siue ad Deũ pro illo placandum, si & ipse confessionis adhibeat medicinam. Post hoc autem peccati genus, quod de periurio alicuius non indicato cõmemorauit, nullũ pro eo sacrificiũ iussit offerri &c. Quid est ergo quòd pro tacito cuiusquã periurio, et pro eo quòd tãgitur morticinũ uel aliquid immũdũ, nullũ sacrificiũ cõmemorauit: pro eo uerò peccato ubi quid falsum quisquã nesciens iurauit, dixit offerri agnã uel caprã? An pro omnibus supradictis hoc sacrificium oportet intelligi? Voluit enim prius omnia enumerare, et sic inferre quo sacrificio possint expiari. D

CAPVT SEXTVM.

Eiusdẽ lib. quæst. 12. I*Gnis ex eodem altari erit*. Id est, ab illo igne in quo arsit holocaustũ usq; in mane. Nõ uult enim ignẽ prorsus extingui, sed cùm usq. in mane arserit holocaustum, ablatis inde reliquijs cõsumptionis, nec sic extingui ignem, sed inde iterum renouari, quo ardeant aliæ quæ imponuntur.

E*t exuret super illud sacerdos ligna manè*. Videndũ est utrùm manè quotidie uoluerit intelligi, ut nullus dies prætermitteretur quo nõ inueniretur holocaustũ et adeps salutaris: an manè ideo, ut quocunq: die imponeretur nõ nisi manè imponeretur. Si enim quotidie intellexerimus, quid si nullus offerret? Si autẽ tanquã de publico uel de suo sacerdotes quotidiana holocausta procurabãt, super ipsa imponebãtur ea quæ iussit à populo oblata pro peccatis super holocausta imponi? et nõ erat necesse offerenti sacrificia pro peccato, etiam holocaustum offerre super quod illud imponeretur, nisi quãdo par turturum offerebatur, aut duo pulli columbini.

A lumbini. Nã ibi omninò definitũ eſt, unũ pro peccato, alterũ in holocauſtũ offer-
ri oportere: et prius, pro peccato, deinde holocauſtũ. Deinde quæri poteſt, utrùm
holocauſtũ quod manè iuſsit imponi, ipſum etiã per totã noctem arderet uſq;
ad alterũ mane: an illud quod ait, tota nocte ardere debere, holocauſtũ fuerit ue
ſpertinũ, & deinde cœperit de lege holocauſti dicere, ut à ueſpertino holocauſto
inciperet: quod mirũ eſt ſi taceret, nec admoneret talia ueſperè offerri oportere.

CAPVT SEPTIMVM.

Quomodo quod eſt pro peccato, ita & id quod pro delicto. Quæritur inter pec- *Eiuſdẽ lib. quæſt. 20.*
catũ & delictum quæ ſit differẽtia, quoniã ſi nulla eſſet, nullo modo di-
ceretur: quomodo quod eſt pro peccato, & quod pro delicto. Quãuis
enim lex eiuſq; ſacrificiũ nihil diſtet, quia lex una eſt eorũ: tamen ipſa duo, quorũ
unum eſt ſacrificium, id eſt, peccatũ & delictũ ſi inter ſe nihil differrẽt, & ſi unius
rei duo nomina eſſent, non curaret ſcriptura tã diligenter cõmendare unum eſſe
utriuſque ſacrificiũ. Fortaſsis ergo peccatũ eſt perpetratio mali, delictũ autẽ de-
ſertio boni: ut quemadmodum in laudabili uita, aliud eſt declinare à malo, aliud fa
cere bonum, quod admonemur dicente ſcriptura: Declina à malo & fac bonum: *Pſal. 36.*
ita in damnabili, aliud ſit declinare à bono, aliud facere mala: & illud delictum, hoc
peccatum ſit. Nã & ipſum uocabulum ſi diſcutiatur quid aliud ſonat delictũ, niſi
derelictũ, & qui delinquit quid derelinquit niſi bonũ? Græci autẽ duo nomina uſi
tata huic peſti impoſuerunt. Nã delictum apud eos παράπτωμα dicitur, et πλημμέ-
λεια. Iſto ipſo quippe loco Leuitici πλημμέλεια eſt. Apoſtolus autẽ ubi dicit: Si præ *Gal. 6.*
B occupatus fuerit homo in aliquo delicto, παραπτώματι Græcus habet: quorum
nominum ſi origo diſcutiatur, in παραπτώματι, tanquã decidere intelligitur qui
delinquit. Vnde cadauer quod latini à cadẽdo dixerunt, Græcè πτῶμα ἢ πτωμὸς
dicitur, ἀπὸ τοῦ πίπτειν, id eſt, ab eo quod eſt cadere. Qui ergo peccando malum fa
cit, prius delinquendo à bono cadit. Et πλημμέλεια ſimile nomen eſt negligentiæ:
nã Græcè negligentia ἀμέλεια dicitur, quia curæ nõ eſt quod negligitur. Sic enim
Græcus dicit, non curo οὐ μέλει μοι. Particula ergo quæ additur πλὴν, ut dicatur
πλημμέλεια præter ſignificat: ut πλημμέλεια quod uocatur neglig ẽtia, uideatur ſo-
nare ſine cura πλὴν μέλειαν præter curam, penè tantũdem eſt. Hinc & quidam no
ſtri πλημμέλειαν non delictum ſed negligentiam interpretari maluerunt. In Lati-
na autem lingua quid aliud negligitur, niſi quod non legitur, id eſt, non eligitur?
Vnde etiam legere à legendo, id eſt, ab eligendo Latini authores appellatum eſſe
dixerũt. His quodãmodo ueſtigijs colligitur, quòd ille delinquit qui bonum de-
relinquit, & relinquendo à bono cadit, quia negligit, id eſt, nõ legit, peccatum ue
rò unde ſit dictum, quod Græcè ἁμαρτία dicitur, in neutra lingua mihi interim
occurrit. Poteſt etiam uideri illud eſſe delictum, quod imprudenter, id eſt ignoran
ter: illud peccatum quod ab ſciente committitur. Huic differentiæ uidentur iſta
teſtimonia conſonare diuina: Delicta quis intelligit? Et illud: Quoniam tu ſciſti *Pſal. 18.*
imprudentiam meam. Continuò quippe ſecutus adiunxit: Et delicta mea à te nõ *Pſal. 68.*
ſunt abſcondita: uelut alio modo repetens eandem ſententiam. Nec ab eadem ra-
tione diſcordat quod paulò antè commemoraui Apoſtoli dictum: Si præoccupa-

ctus fuerit homo in aliquo delicto: hinc enim quòd præoccupatum dicit, imprudẽter lapsum esse significat: peccatum uerò ad scientem pertinere apostolus Iaco- C
Iaco.4. bus tanquam definiens ait: Scienti igitur bonum facere & nõ facienti, peccatum est illi. Sed siue illa, siue ista, siue alia aliqua differentia sit peccati & delicti, nisi aliqua esset, non scriptura ita loqueretur ut diceret: Quomodo quòd pro peccato, ita & quòd pro delicto ex una est eorum. Indifferenter autem plerunque dicuntur, ut & peccatum nomine delicti, & delictũ nomine peccati appelletur. Neque enim cùm dicitur in baptismo fieri remissio peccatorum, mẽtio fit etiam delicto-
Matth.26. rum: & tamen utrunque intelligitur: Sic & Dominus ait, pro multis effundi sanguinem in remissionem peccatorum. Nunquid quoniam non ait, & delictorum, ideo quisquam dicere audebit in sanguine ipsius delictorum non fieri remissionẽ?
Rom.5. Item quòd scriptum est apud Apostolum: Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratiam uerò ex multis delictis in iustificationẽ, quid aliud quàm nomine delictorum etiam peccata comprehensa sunt? In hac quoque ipsa scriptura Leuitici, qua cogimur aliquam inter delictum peccatúmque distantiam uel inuenire uel credere, ita legitur, cùm de his ipsis quæ pro peccatis offerenda iubebantur sacrificijs Deus loqueretur: Si autem omnis, inquit, synagoga filiorum Israël, ignorauerit & latuerit uerbum ab oculis synagogæ, & fecerit unũ ab omnibus mandatis Domini quod non fiet, & deliquerit, & cognitum illis fuerit peccatum quod peccauerunt in eo &c. Sequitur.

Vt sit in omne opus. Omne opus, utiq; illud opus cui tale aliquid necessariũ est. Vnde remansit quæstio, quid fieret de adipe cæterorum animalium, quæ immunda sunt ad uescendum. Sed cùm dicit: omnem animam perire de populo suo qui D ederit adipem eorum pecorum ex quibus Domino offeretur, uidetur definisse illum tantùm adipem de pecoribus mundis prohibitum manducari, ex quibus fit sacrificiũ, quamuis Iudæos audierimus nullum omninò adipem in escam sumere. Sed quid scriptura uoluerit, non quid illi opinati fuerint, requirendum. Deniq; non inueniunt, quid rectè de adipe faciant unde se abstinent, & quomodo eum proijciãt, cùm dictum sit: Omnis adeps Domino si non adipem sacrificiorum tantùm, sed etiam eorum animalium de quibus non sacrificatur, quamuis immundorum hîc uoluit intelligi. Sequitur.

Pectusculum impositionis. Inde autẽ puto pectusculum impositionis dictum, quia imponebatur inde adeps. Cùm ergo uideatur ab Aaron cœpisse summũ sacerdotium, quid putamus fuisse Moysen: si ergo sacerdos non fuit, quomodo per illum omnia illa gerebãtur: si autẽ fuit, quomodo summum sacerdotium, ab eius fratre
Psal.98. cœpisse definimus, quãquam etiam psalmus ille ubi dictum est: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, auferat dubitationem, quòd sacerdos fuerit & Moyses: uestẽ tamen illam sacerdotalem, quæ magnum continet sacramentum, Aaron iubetur accipere et successores eius summi sacerdotis in Exodo antequã omninò aliquid de sanctificandis & quodammodo ordinandis sacerdotibus præcipiatur: quando Moysi ascendente in montem, iubentur non ascẽdere sacerdotes: quos intelligere alios nõ possumus nisi filios Aaron: non quia iam erant, sed quia futuri erant, hoc eos iã tunc scriptura appellauit per anticipationem, sicut sunt pleraque taliũ locutionum.

A tionum. Nam & filius Naue, Iesus appellatus est, cùm longè postea hoc nomen ei scriptura narret impositum. Ambo ergo tunc summi sacerdotes erãt, Moyses & Aaron. An potius Moyses, Aaron uerò sub illo: an & ipse summus propter uestẽ pontificalem, ille uerò propter excellẽtius ministerium. Nã à principio ei dicitur: Ipse ubi quæ ad populum: tu illi quæ ad Deũ. Quæri etiã potest post mortẽ Moysi quis ungebat successorẽ summi sacerdotis, qui succedere nisi defuncto nõ utique poterat. An quia iã unctus erat inter secundos sacerdotes. Idem quippe fuit oleũ & quo summus, & quo secundi ungebantur: uestem tantùm sumebat ille pontifex, qua eius summitas appareret. Et si ita est, utrùm ipse sumebat, an eũ alius induebat, sicut & post eius mortem Moyses filium fratris sui: Si ergo ab alio uestiebatur, nũquid nã poterat à secũdo summus, præsertim quia talis erat uestis, utrũ ab alio indui necesse fuerit? An sic induebatur prius, ut etiã postea? Non enim semel indutus non eã ponebat, aut cùm posuisset, non eã resumebat. Fieri ergo fortasse poterat, ut secundi uestirẽt primum, obsequendo, nõ excellendo. Vnde autẽ apparebat quisnã filiorum summo sacerdoti succedere deberet? Nõ enim primogenitũ, aut maiorem scriptura definiuit, nisi intelligamus aliquo diuino indicio fieri solere: siue per prophetã, siue quolibet alio modo quo consuli Deus solet: quanquam ex cõtentione res peruenisse uideatur, ut postea propterea fuerint plures summi sacerdotes, quia contendentibus excellentioribus, litis finiendæ causa pluribus honor ipse tribuebatur. Sequitur. Exo. 4.

Sedebitis septẽ dies, die & nocte. Nunquid nã credibile est situ corporis uno loco B sedere præceptos per dies septẽ die & nocte, unde se omninò non cõmouerent? Nec tamen hinc tãquam allegoricè aliquid significatum, quod non fieret cogendi sumus accipere, sed potius agnoscere locutionem scripturarum, ubi sessionẽ pro habitatione & cõmoratione posuit. Non enim quia dictum est de Semei quòd sederit in Hierusalem annos tres, ideo putãdum est per totum illud tempus in sella sedisse, & non surrexisse. Hinc & sedes dicuntur, ubi habent commorationẽ quorum sedes sunt, habitatio quippe hoc nomen accepit.

CAPVT DECIMVM.

E T *mortui sunt filij Aaron.* Verùm ut hinc sciretur, quàm minus alijs parcat, si illis nõ parcit: quo sensu dictum est: Si iustus uix saluus erit, peccator & impius ubi parebunt? An potius secundum illud? Cui plus datur, plus exigitur ab eo. Et illud: Seruus qui non cognouit uoluntatẽ Domini sui, et facit digna plagis, uapulabit paucis: seruus autem qui cognouit uoluntatem Domini sui, & facit digna plagis, uapulabit multis. Et illud: Exiguo cùm conceditur misericordia, potẽtes autẽ potentiora tormenta patientur. Sed ubi hoc dixerit Dominus quod eum dixisse Moyses cõmemorauit, in scriptura quæ retrò est non inuenitur. Tale ergo est hoc, quale in Exodo, ubi dicit Domino: Tu dixisti, scio te præ omibus. Quod inuenitur quidẽ Dominus ei dixisse, sed postea. Sed quoniã mendaciter nũquam hoc Moyses diceret, intelligitur idem etiã antè dixisse, quamuis scriptũ nõ fuerit. Ita & hoc. Vnde apparet non omnia scripta esse quæ Deus locutus est eis, per quos nobis sãcta scriptura eius ministrata est, Quid est quòd Aarõ *Eiusdẽ lib. quæst. 31.* *1. Pet. 4.* *Luc. 12.* *Sap. 6.* *Exod. 33.*

& reliquos filios eius mortē illorū duorū lugere prohibens dicit: Caput uestrū ci C
dara nō denudabitis: ubi certè ostēdit cidaras tegmina capitū fuisse, nisi quia illud
faciebāt lugentes, quæ cōsuetudini ornatus essent cōtraria. Sicut enim in nostra
consuetudine, qui caput apertū magis habemus, operitur in luctu: sic quia illi ope
rimēto capitis ornabātur, nudādum erat lugētibus. Quod ideo prohibet, ne luge
rēt eos in quorū pœna sanctificatus est Dominus, id est, cōmēdatus est timor eius.
Nec ideo quia lugendi nō erāt, nō permittit alios lugere illos: sed quia illi lugere
tunc nō debebāt, cùm dies sanctificationis eorū agerentur, nondū cōpletis septē,
quibus eos præcepit de tabernaculo nō abscedere: quanquā possit uideri, qui il-
lo oleo fuerāt sanctificati, hoc dictū esse quòd nunquā quenquam lugere debe-
rent. Ita enim dicit: Fratres autē uestri omnis domus Israël plorabunt incendiū,
quo incēsi sunt à Domino, & ab ostio tabernaculi testimonij non exibitis ne mo-
riamini: oleum enim unctionis quod est à Domino, super uos est. Sequitur.

Vinū & siceră non bibetis. Quando ergo eis bibere licebat, quandoquidem in
tabernaculū eis quotidie necesse erat introire, & accedere ad altare, propter cōti
nuā seruitutē? Quòd si quisquā dicit, nō omni die sacrificia imponi solere, quid di
cet de ingressu in tabernaculū, qui quotidianus erat propter cădelabrū & panes
propositionis super mensam ponendos? Si autē respondetur, tabernaculum testi-
monij nunc quod ait, illud est intelligendū ubi erat arca testimonij, etiā illud ne-
cesse erat intrare summū sacerdotē propter incensum cōtinuationis. Non enim
semel in anno intrabat, sed cū sanguine purificationis semel in anno, propter incē
sum autē quotidie. An intelligendū est Deum præcepisse, ut uinū omninò nō bi-
berent? Cur ergo nō ita præcepit potius ut breuiter diceret: Vinū non bibetis, sed D
addidit, cùm intrabitis in tabernaculū, aut cùm accedetis ad altare? An quia cau-
sa nō bibendi tacenda non erat, maximè quia Deus præscius erat futuros postea
tā multos etiā summos sacerdotes uno tempore, id est, nō per successionem, qui
tabernaculo & sacrificijs & incēso & uniuerso illi ministerio uicibus deseruirēt,
quādo utiq; illi nō bibebant, quorū locus erat deseruiendi, alij autem bibebāt? An
quid aliud hoc loco intelligendum est, quoniā cùm uinum & siceram sacerdotes
bibere prohiberet, secutus ait: Legitimum æternum in progenies uestras? Ambi-
guum est utrùm superiori sensui connectatur, id est, ad uinum nō bibendū perti
neat: an inferiori ubi sequitur: distinguere inter medium sanctorum &c.

CAPVT VNDECIMVM.

Eiusdē lib. quæst. 37.

T omnis cibus qui mãducatur. Non quæcunq; aqua intelligenda est quæ su
E perueniret cibo, facit eum immundum: sed ex illo uase quod factum est
immundum de morticinis immundis, si fortè ipsum uas habuit aquā.

Ex lib. contra Adimant. Manich. discip. Cap. XV. Tomo VI.

Separate à mundo immundum, & nemo manducet carnem &c. Nusquā manifestius,
plenissima dolis & fraudibus anima huius hominis deprehēdi potest, qui tanquā
sibi aduersa atque contraria de utroque testamento capitula obiecit, quàm in hoc
loco ubi commemorauit in Leuitico scriptum esse, ut à nōnullis animalium car
nibus temperetur. Nāq; huic sententiæ illud ex euangelio credidit opponēdum,
ubi

A ubi Dominus dicit: Nihil est ingrediens in hominem coinquinans eum, sed ea quę procedunt ex eo coinquinant. Hoc si imprudens fecit, nihil cæcius: si autē sciens, Matth.15.
nihil sceleratius. Nonne ipse paulò antè posuerat apostoli testimonium dicentis:
Bonum est fratres non manducare carnem, neque bibere uinum, dum cupit de Rom.14.
nouo testamento ueteri aduersari, ubi dictum est: Secundum desiderium animæ Deut.12.
tuæ occíde & manduca omnem carnem? Quomodo ergo nunc placet ei sententia Domini, qua dicit nihil esse ingrediens in hominem quod coinquinet eum, sed ea coinquinare quæ de homine procedunt? Vbi se iste abscōdet ab hac sententia, quô fugiet, dicat mihi, quando immunditiam carnium fugiendam, & à cibis sanctorum separandam, peruersa & superstitiosa imaginatione continentiæ præcepit? Certè enim si uerum est, non coinquinare illa quæ ingrediūtur in hominem, cum magno errore immundas esse dicunt escas Manichæi, cùm homines carne uescuntur. Si autē immundæ sunt tales escæ, quid de isto testimonio facient, quod euangelica & diuina authoritate prolatum est, ubi Dominus dicit, non coinquinari hominem in his quæ ingrediuntur in eum, sed his quæ procedunt de illo? An fortè dicturi sunt, sicut solēt dicere, cùm scripturarum eos urget authoritas: hoc capitulum à corruptoribus scripturarum insertum esse euāgelio? Cur ergo Adimantus hoc capitulo teste utitur, & inde conatur uetus testamentum oppugnare, unde ipse prosternitur? Cùm enim quispiam catholicus Christianus utriusque scripturæ uenator & intellector ei responderit, hæc non esse contraria: quòd illa de quorundam carnibus animalium, quibus non esse uescendum, populo adhuc carnali præceptum est, ad significationem posita sunt humanorum morum: quos
B ecclesia quæ corpus est Domini, in suæ unitatis uinculum stabile & sempiternum recipere non potest, tanquam immundas escas respuens, & in sua uiscera nō conuertens: ut omnia illa præcepta carnali populo imposita futuram disciplinam spiritalis populi prophetarent. Et ideo non ea repugnare sententiæ Domini, qua uerissimè dicit, non coinquinari hominem his quæ per escam ingrediūtur in eum. Illa enim sententia seruis onera imponit: ista uerò liberis iugum excutit seruitutis. Et illa tamen sic dicta est, ut seruorum onera, fidem prænuntient liberorum.
Omnia enim sicut dicit Apostolus in figura contingebant illis: scripta sunt autem 1.Cor.10.
propter nos, in quos finis seculorum obuenit. Si ergo in figuram contingebant quæ patiebantur, in figuram accipiebant qui monebantur. Cùm ergo ista respondero, & hoc modo non esse contraria duo ista capitula de singulis testamentis collata monstrauero, quid iste facturus est, contra quem dicit grauissimum testimonium testis, quem contra aduersarium ipse produxit? Ipse enim commemorauit de euangelio testimonium Domino dicente, non coinquinari hominē his escis quæ ingrediuntur in eum: & ipse à carnibus abstinēdum tanquam ab immundis escis monere & docere non cessat: & tamen non sentit quantam plagam sibi infligeret, & quanto ictu repercussus se ipse sauciaret. Ne quis enim eum interrogaret & diceret: Quomodo ergo prohibetis carnibus uesci, si Dominus dicit, sicut tu ipse commemoras: nihil est ingrediens hominem coinquinās eum, sed ea quæ procedūt de eo coinquinant? uoluit quasi adhibere medicinam sine causa in mortifero uulnere: Sic enim posuit ipsum euangelicum testimonium In euangelio; inquit,

quit,dicit ad turbam Dominus: Audite & intelligite,nihil est ingrediēs hominem coinquinans eum &c. Quòd ergo commemorauit Dominum hoc ad turbam dixisse,nihil aliud ostendit,nisi nō se ignorantia,sed malitia fecisse quod fecit: ut postea diceret auditoribus suis,ad turbam Dominum ista locutum esse, non ad paucos sanctos,quales se ipsi uideri uolunt: ut quoniam suos auditores tanquam adhuc immūdos permittunt carnibus uesci, sibi autem quasi iam mundis cùm sceleratum atque nefarium esse arbitrantur,hoc etiam Dominum sensisse uideatur, quod non paucos sanctos, sed turbas ista docuerit. O hominem pessimum securum de negligentia generis humani ad occultandas deceptiones suas. Non enim credebat aliquem existere qui arriperet euangelium, & cum scientia legeret, & inueniret hominem in ipsis pratis, quibus greges suos dominus pascit, laqueos incautis & minus prouidis abscondentem.Nam de his uerbis commoti discipuli, & non credentes propriè,sed potius figuratè Dominum locutum fuisse, cùm diceret non coinquinari hominem his quæ per cibos ingrediūtur in eum,quoniam Iudæi erant etiam ipsi discipuli,qui fugiendos quarundam carnium cibos à pueritia institutum acceperant,accedentes ad eum dixerunt ei:Scis quia pharisęi au-
Matth.15 dito hoc uerbo scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur.Sinite illos,cæci sunt,& duces cæcorum.Cæcus autem si cæco ducatum præstet,ambo in foueam cadunt. Cùm ergo infidelitatem Iudæorum plantationem appellaret, quam non plantauit pater cœlestis,tamen adhuc Petrus putans se illam parabolam,& propterea reprehensos Iudęos & cęcos dictos,quòd eam intelligere non potuerint, respondens dixit ei:Edissere nobis parabolam istam.Et ille manifestissimè ostendens non esse parabolam,sed propriam locutionem,dixit ad eos: Adhuc & uos sine intellectu estis? Non intelligitis,quia omne quod in os intrat,in uentrē uadit,& in secessum emittitur? &c. Non lotis autem manibus manducare,non coinquinat hominem. De non lotis autem manibus Iudæi mouerant quæstionem, cuius occasione Dominus generaliter de his quæ in os intrant,& in uentrem uadunt, & in secessum emittuntur,hoc est,de alimentis nostris dixit sententiam.Quanquam ergo conuocatis ad se turbis eum dixisse scriptum sit: Non quod intrat in os coinquinat hominē,sed quod procedit ex ore:tamen iste quòd timore hoc addiderit, uerbis suis quibus huiusmodi testimonium commemorauit satis apparet,sicut paulò antè dictum est,ut haberet quod respōderet eis qui sibi quæstionem mouissent:Cur primates Manichæorum nefas sibi esse existimāt carnibus uesci uidelicet, ut illud quod Dominus ait,turbis tantùm,non electis concessisse uideretur. Sed cùm ex consequentibus declaratum sit etiam Petro seorsum interrogāti, audientibúsq; discipulis,quos utiq; ad culmen ecclesiæ producebat, ita respondisse Dominum, ut neque per parabolam se illa dixisse testatus sit,& ad omnes pertinere mōstrauerit,non habent isti unde auferant cibos de faucibus hominum,& eos laqueo superstitionis astringāt.Fortassis aliquis eorum dicat: Edissere ergo quid significet caro porci,& cameli,& milui,& leporis,& corui, & cæterorum, à quibus abstinendum in lege præcipitur:Nolo,quia longum est.Sed fac me nō posse, nunquid propterea nullus potest? Et sunt iam uolumina innumerabilia in quibus ista ex-
posita

A posita sunt. Nobis tamen ad eos refellendos satis est, quòd eas obseruationes umbram esse futurorum, non ego, sed Apostolus dicit, cùm etiam uetat seruiliter ob Col. 2.
seruari, sed tamen aliquid significare declarat, dicēs: Nemo ergo uos iudicet in cibo, aut in potu &c. Illa itaque obseruationibus futura quæ illis significabantur, posteaquam per Dominum Iesum Christum uenerunt, ablatæ sunt seruiles obseruationes, sed earum interpretationes tenentur à liberis. Quicquid enim futuram ecclesiam significauit, prophetia est. Habes autem eundem Apostolum dicen 1. Thess. 5.
tem: Spiritum nolite spernere &c. Legenda est ergo scriptura diuina, & spiritus sancti dispensatio cognoscenda, & intuenda prophetia: & reijcienda carnalis seruitus, & liberalis intelligentia retinenda.

CAPVT DVODECIMVM.

Mmunda erit septem dies. Quæ differentia est inter septem dies illos, Eiusdē lib.
I quibus dicit eam immundam, & trigintatres dies, quibus in sangui- quæst. 40.
ne suo mundo sedebit. Si enim iam immunda non est per trigintatres dies, quare non tangit quod sanctum est? An hoc ad hoc interest, quia in sanguine est, licet mundo: ut hoc distet, quia cùm immunda est, ubicunque etiam sederit immundum facit: cùm uerò iam in sanguine mundo sedet, tantùm quod sanctum est nō ei licet tangere, & in sanctuarium intrare. Hoc est enim quod ait, secundum dies secessionis purgationis suæ, quod dicit alio loco, immunditiam fœminę quæ menstruis purgatur septem dierum esse, quando omne super quod se-
B derit immundum erit. Secessionis autem dicit, quoniam secedebat aliquantum, ne omnia coinquinaret cùm perageret illos dies. Hos dies immunditię eius si fœminam pareret, lex duplicabat, & quatuordecim fiebant, reliquos autem quibus sedebat in sanguine mundo suo, etiam ipsos duplices iussit seruari, id est, sexagintasex, ut omnes essent in partu masculi quadraginta, & fœminæ octoginta &c. Sed quo peccato nunquid peperisse peccatum est? An hîc ostenditur illa propago ex Adam, unde Apostolus dicit, ex uno in condemnationē: & quia per unum Rom. 5.
hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt? Et hîc satis apparet, quemadmodum dictum sit: Ego in ini- Psal. 50.
quitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in utero me aluit. Cur ergo non illud quod natum est purgari dicit scriptura per hoc sacrificium, sed ipsam quæ peperit? An ad ipsam quidem unde illa origo trahebatur relata purgatio est propter sanguinis fontem? Non poterat tamen sine ipsius fœtus purgatione fieri, qui ex ipso sanguine exortus est.

Et sanctuarium non introibit. Quod sanctuarium uult intelligi, cùm legatur in Eiusdē lib.
tabernaculum non nisi sacerdotes solere ingredi, & usque ad uelum interiùs se- quæst. 39.
cundum: ultra uelum autem ipsum ubi erat arca, non nisi unum summum sacerdotem. An & ante tabernaculum, ubi erat altare sacrificiorum, sanctuarium dici potuit? Nam sæpe appellatur locus sanctus etiam ipsum atrium, cùm dicitur: In loco sancto edent ea. Illuc fortasis solebant intrare mulieres, quando offerebant dona sua quæ imponerentur altari.

CAPVT

CAPVT DECIMVMTERTIVM. C

Quæst. super Leuit. lib. 3. Cap. XLVIII. Tomo IIII.

Ir de cuius capite capilli. Quid est quòd cùm de lepra capitis loqueretur, V eam etiam quassationem appellauit, cùm in solo colore fiat, uel cutis uel capillorũ, & quòd humilior aspectus eius à cætera cute appareat, sine dolore tamen & sine ulla uexatione? An hoc quod immundũ est per quassationem uoluit appellare plagam, uelut hac immunditia homo percussus sit? Quid sibi uult, quòd cùm diceret de lepra uestimentorum aliarúmq; rerũ ad usus hominum pertinentiũ ait: Aut in uestimento laneo, aut in uestimento stuppeo, aut stamine, aut in lana, aut in lineis aut in laneis, cùm iam suprà dixisset in uestimẽto laneo, aut uestimento stuppeo? Nã stuppeũ est utiq; lineũ. An illic uestimenta intelligi uoluit, hîc autẽ quodlibet laneũ, & quodlibet lineũ. Non enim uestimenta sunt stramina iumentorum cùm sint lanea, aut uestimenta sunt retia cùm sunt linea. Prius ergo specialiter de uestimentis, deinde generaliter de omnibus rebus laneis & lineis dicere uoluit. Quæritur quid dixerit: In omni operaria pelle, quod nõnulli interpretati sunt, in omni confecta pelle. Sed non ait Gręcus ἐργασμένῳ δέρματι: ait autẽ ἐργασίμῳ. Quod uerbũ etiã in Regnorũ libro positum est, ubi Ionatha loquitur ad Dauid: Esto in agro in die operaria, id est, in die qua fit opus. Ac per hoc etiã hîc pellẽ operariã, in qua fit opus debemus accipere, id est, alicui operario accõmodatã. Sunt enim pelles quæ tantũmodo ad ornamentũ habentur, nõ ad opus.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ex lib. de bono Coniugali Cap. XX. Tomo VI. D

Ir de quo egreditur somniale semen &c. Nec quòd purificari lex hominem, V & post coniugalem cõcubitum iubet, peccatum esse declarat: si non est ille qui secundum ueniam cõceditur, qui etiam nimius impedit orationes. Sed sicut lex ponit multa in sacramentis & umbris futurorum, quædam in semine quasi materialis informitas, quę formata corpus hominis reddituta est, in significatione posita est uitæ informis & ineruditæ: à qua informitate quoniam oportet hominem doctrinæ forma & eruditione mundari, in huius rei signũ illa purificatio præcepta est post seminis emissionem. Neque enim & in somnis peccatum fit, & tamen etiam ibi purificatio præcepta est: aut si & hoc peccatũ quisq; putat, non arbitrans accidere nisi ex aliquo huiusmodi desiderio, quod proculdubiò falsum est: nunquid & solita menstruum peccata sunt fœminarum, à quibus tamen eas eadem legis uetustas præcepit expiari? Non, nisi propter ipsam materialem informitatem, quæ facto cõcæptu tanquam in ædificationem corporis additur: ac per hoc cùm informiter fluit, significari per illam lex uoluit, animum sine disciplinæ forma indecenter fluidum ac dissolutum: quem formari oportere significat, cùm talem fluxum corporis iubet purificari. Postremò nũquid & mori peccatum est, aut mortuum sepelire, non etiam bonum opus humanitatis est? Et tamen purificatio & inde mandata est, quia & mortuum corpus uita deserente, peccatum nõ est, sed peccatũ significat animæ desertæ à iustitia. Bonũ, inquam, sunt nuptiæ, & contra omnes calumnias possunt sana ratione defendi &c.

CAPVT

A CAPVT SEXTVMDECIMVM.

Quæst.super Leuit.lib.3.Cap.LIII. Tomo IIII.

T *exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel.* Quomodo ergo E pro sanctis si ab immunditijs filiorum Israël, & ab iniustitijs eorum de omnibus peccatis eorum? An quia non ait, pro immunditijs filiorum Israël, sed ab immunditijs, hoc intelligendum est: exorabit pro sanctis ab immunditijs filiorum Israël, id est, pro eis qui sancti sunt ab immunditijs filiorum Israël, non consentientes immunditijs eorum: non quia pro ipsis tantùm exorandum erat, sed quia etiam pro ipsis, ne quisquam putaret ita fuisse sanctos ut nihil esset unde pro eis exoraretur, quamuis essent ab immunditijs filiorum Israël & ab iniustitijs eorum alieni? De omnibus peccatis eorum, id est, quæ iniustitiæ ueniebant de omnibus peccatis eorum. Potest & ipse esse sensus: Exorabit pro sanctis ab immunditijs filiorum Israël, id est, ut hoc pro illis exorari intelligatur, ut ab immunditijs filiorum Israël tuti essent. Sed exorabit, non potest accipi, nisi quod alio uerbo dicitur, propitiabit Vnde, & propitiatorium uocatur, quod alij exoratorium interpretati sunt: Græcè autem dicitur ἱλαστήριον. Et quod hoc loco Latinus ait, exorabit pro sanctis: Græcus habet ἐξιλάσεται quod non intelligitur nisi pro peccatis. Vnde scriptum est in psalmo: Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis. Hic ergo aptior sensus est, ut intelligatur sacerdos etiam pro his propitiare Dominum, qui sancti sunt ab immunditijs filiorum Israël, & quia licet ita sancti sint, ut immunditijs filiorum Israël & iniustitijs non consentiant, habent aliquid propter quod eis necessaria sit propitiatio Dei. Sanè in quodam Græco inuenimus, & exorabit sanctum, non pro sanctis: & illudquidem sanctum genere neutro, id est, τὸ ἅγιον. Nam posset intelligi, exorabit sanctũ Deum, & nulla esset quæstio. Quomodo autẽ posset intelligi, exorabit hoc sanctum difficilè est dicere: nisi fortè illud sanctum quicquid est quod Deus est, quia & spiritus sanctus qui utique Deus est neutro genere, Græcè dicitur, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Et fortè hoc est, si tamen ille codex uerior est, qui emendatior uidebatur ἐξιλάσεται τὸ ἅγιον, hoc est, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod Latinè genere neutro dici non potest: quamuis & in tribus alijs codicibus, uno Græco & duobus Latinis, non inuenimus nisi quod suprà diximus, exorabit pro sanctis. Quod potest & sic accipi, ut non pro sanctis hominibus, sed pro his quæ sancta sunt intelligatur, id est, tabernaculo ipso, & quæcunque in eis essent sanctificata Domino: ut hoc sit, exorabit pro sanctis ab immunditijs filiorum Israël, propitiabit Deum pro his, quę sanctificata sunt Domino ab immunditijs filiorum Israël, quia in medio eorum erat tabernaculum. Sic enim sequitur: Nam cùm dixisset, exorabit pro sanctis & ab immunditijs filiorum Israël, & ab iniustitijs eorum, de omnibus peccatis eorũ, continuò subiecit: Et ita faciet tabernaculo testimonij, quod creatum est in eis in medio immunditæ eorum: ut adhuc necessaria uideatur illa propitiatio pro sanctis, id est, pro tabernaculo & omnibus quę in eo sancta dicuntur. Nam & paulò pòst hoc dicit de altari, quòd aspersione sanguinis mundaret illud sacerdos & sanctificaret ab immunditijs filiorum Israël. Sequitur. De duobus hircis uno immolando, & alio in deserto dimittendo, quem ἀποπομπαῖον uocant, solet esse disceptatio: &

Psal.102.

B (margin letter beside "dam Græco inuenimus")

tio: & à quibusdam ille immolandus in bono accipitur, ille autem dimittendus in malo. Non tamen iste sensus ideò confirmandus est, quia homo in cuius manu in eremum hircus dimittitur, cùm rediret, lauare iussus est uestimenta sua & corpus suum aqua, & sic ingredi in castra: tanquam & hoc sit indicium cur in malo sit ille hircus accipiendus, à cuius contagione homo abluendus est. Sic enim dicit abluendum, & eum qui alterius hirci quo in loco accæperit carnes extra castra combusserit: quia de illo, & de uitulo fieri iubet, de quorum immolatorum sanguine fit aspersio, & sunt pro peccatis: ac per hoc non negligẽter istorũ duorum hircorum distinctio in allegorica significatione tractanda est. C

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Eiusdẽ lib. quæst. 56.

Quicunque occiderit uitulum aut ouem &c. Non de his dicit, quæ occiduntur ad usum uescendi uel si quid aliud, sed de sacrificijs. Prohibuit enim priuata sacrificia, ne sibi quisque quodammodo sacerdos esse audeat, sed illuc afferat ubi per sacerdotem offerãtur Deo. Ista enim nec uauis sacrificabant. Nam & hoc in ea consuetudine cauendum præmonuit. Cùm ergo non liceret offerri sacrificia nisi in tabernaculo, cui templum postea successit: unde & rex Israël Hieroboam uaccas facere ausus est, quibus populus sacrificaret, ne huius legis necessitate seducerẽtur ab eo qui sub regno eius erant, dum pergerent Hierusalẽ, ut in templo Dei offerrent sua sacrificia, in quo facto à Domino cõdemnatus est: meritò quæritur quomodo licitè sacrificauerit Helias extra templum Dei, quãdo & ignem de cœlo impetrauit, & prophetas dęmoniorum conuicit. Quod mihi non uidetur alia ratione defendi, quàm illa qua defenditur & Abrahæ factum, quòd filium Deo iussus uoluit immolare. Cùm enim iubet ille, qui legem constituit, aliquid fieri quod in lege prohibuit, iussio illa pro lege habetur, quoniam author est legis: Nõ enim deesse possent miracula alia præter sacrificium quibus superarentur, & conuincerentur prophetę lucorum: sed spiritus Dei qui fuerat in Helia, quicquid de hac re fecit contra legem esse non potest, quia dator est legis. Sequitur. D

Anima omnis carnis sanguis eius est. Nũquid nam si animã pecoris sanguinem dicimus, etiam anima hominis sanguis putanda est? Absit. Quomodo ergo ait: non anima omnis carnis pecoris sanguis eius est, sed anima, inquit, omnis carnis sanguis eius est? In omni utique carne, etiam hominis caro deputatur. An quia & tale aliquid est in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne uiuitur, qui in omnibus uenis & corporis iunctura diffunditur, ipsam uitam corporis uocauit animam, non uitam quę migrat ex corpore, sed quę morte finitur? Qua locutione dicimus istam uitam temporalem esse non æternam, mortalem' non immortalem: cùm sit immortalis animę natura, quæ allata est ab angelis in sinũ Abrahę, & cui dicitur: Hodie mecum eris in paradiso, & quæ in tormentis ardebat inferni. Secũdum istam ergo significationẽ, qua perhibetur anima, etiam hęc temporalis uita, dixit apostolus Paulus: Non enim facio animam meam pretiosiorem quàm me: ubi se ostendere uoluit & mori paratum pro euangelio. Nam secundum significationem, qua anima dicitur illa quæ migrat ex corpore, magis eam pretiosam faciebat, cui tantùm meritum conquirebat. Sunt & aliæ huiusmodi locutiones.

Vita

A Vita itaque ista temporalis maximè sanguine continetur in corpore. Sed quid est quod ait: Dedi uobis eum ad altare Dei, ut exoret pro anima uestra, tanquam anima pro anima exoret. Nunquid sanguis pro sanguine, quasi de nostro sanguine soliciti simus, cùm pro anima nostra uolumus exorari? Absurdum est hoc. Sed multò est absurdius ut sanguis pecoris exoret pro anima hominis quę mori non potest: cùm manifestè scriptura testetur in epistola ad Hæbræos, illum sanguinem uictimarum nihil profuisse ad exorandum Deum pro peccatis hominum, sed significasse aliquid quod prodesset. Impoßibile est enim, inquit, sanguinem hircorum & taurorum auferre peccata. Restat itaque ut quoniam pro anima nostra exorat mediator ille qui omnibus illis sacrificijs quæ pro peccatis offerebantur præfigurabatur, illud appelletur anima, quod significat animam. Solet autem res quæ significat, eius rei nomine quam significat nuncupari, sicut scriptum est: Septem spicę, septem anni sunt. Non enim dixit septem annos significant. Et septem boues septem anni sunt, & multa huiusmodi. Hinc est quod dictum est: Petra erat Christus: Non enim dixit, petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod utique per substantiam non hoc erat: sed per significationem. Sic & sanguis quoniam propter uitalem quandam corpulentiam animam significat, in sacramentis anima dictus est. Verùm si quisquam putat animam pecoris esse sanguinem, non est in ista quæstione laborandum. Tantùm ne anima hominis quæ carnem humanam uiuificat & est rationalis, sanguis putetur, ualde cauendum est, & hic error modis omnibus refutandus. Quærendæ etiam locutiones per id quod continet id quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore, nam si fuerit B effusus abscedit, per ipsum aptius significata sit anima, & eius nomen sanguis acceperit. Sicut ecclesia dicitur locus quo ecclesia congregatur. Nam ecclesia homines sunt, de quibus dicitur: Vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam. Hanc tamen uocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, an ecclesiam Dei contemnitis? Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut ad ecclesiam prodire, aut ad ecclesiam confugere non dicatur, nisi quod ad locum ipsum parietésq; prodierit uel confugerit, quibus ecclesiæ cōgregatio continetur. Scriptum est etiam: Et effundit sanguinem qui fraudat mercedem mercenarij. Mercedem sanguinem dixit, quoniā in ea sustentatur uita, quę nomine sanguinis appellatur. Sed cùm Dominus dicat: Nisi manducaueritis carnem meam & biberitis meū sanguinem non habebitis uitam in uobis: quid sibi uult quòd à sanguine sacrificiorū, quæ pro peccatis offerebantur tantoperè populus prohibetur, si illis sacrificijs unum hoc sacrificium significabatur, in quo uera sit remißio peccatorum: à cuius tamen sacrificij sanguine in alimentum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui uolunt habere uitam? Quærendum igitur quid significet quòd homo prohibetur in lege sanguinem manducare, eumque Deo fundere iubetur. Nam de animæ natura, cur per sanguinem significata sit, quantùm in præsentia satis uisum est diximus.

Gen.41. 1.Cor.11. Eccle.34 Ioan.6.

Ex lib.2.cont.Aduers.leg.& prophe. Cap.VI. Tomo VI.

Anima omnis carnis, sanguis eius est. Sed Moyses, inquit, omnē spem futuræ resurrectionis

rectionis in hominibus extinxit, qui mortalem esse animã pronuntiauit, qui eam C
esse sanguinem dixit. Deinde ratiocinando magnis uiribus conatur ostendere, non esse animam sanguinem, & laborat in re manifesta, non intelligens legem. Sic enim dictum est: Anima omnis carnis sanguis est, quomodo dictum est: Petra erat Christus: Non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur. Non autem frustrà lex animã uoluit significare per sanguinem, rem scilicet inuisibilem per rem uisibilem: nisi quia sanguis per uenas omnes ab ipso corde diffusus, in nostro corpore plus cæteris humoribus principatur: ita ut ubicunque fuerit uulnus inflictum, non humor alius, sed ipse procedat: Ita quoque anima quia omnibus quibus constamus inuisibiliter præualet, illo melius significatur quod omnibus quibus constamus uisibilibus præualet. Illud autem quod Apostolus ait: nam & hoc testimo
1. Cor. 15. nium iste posuit: Caro & sanguis regnum Dei non possidebit, non facit de anima, sed de resurrectione corporis quæstionẽ. Verùm & ista duobus modis soluitur. Aut enim carnis & sanguinis nomine corruptionem carnis & sanguinis nuncupauit, quæ in resurrectione non erit: aut carnem & sanguinem, homines ad omnes illecebras secularium uoluptatum carni & sanguini deditos, qui regnum Dei nõ possidebunt. Totus autem iste locus apostolici sermonis ubi scriptum est: Caro & sanguis regnũ Dei non possidebit, si consideretur diligentius, magis persuadebit corruptionem carnis, sicut nunc est, his eũ uocabulis appellare uoluisse, atque ad exponendum quid diceret adiunxisse: Neq; corruptio incorruptionem possidebit. Quia cùm facta fuerit quæ in resurrectione speratur illa mutatio, non utique remanebit ulla corruptio. Quamuis ergo & post resurrectionem Do
Luc. 24. minus dixerit discipulis suis: Palpate & uidete, quia spiritus carnem & ossa non D
habet sicut me uidetis habere, tamen secundum substantiam caro erit, non secun
Esa. 40. dum corruptionem, quæ nunc carni hoc nomen imponit. Vnde ait Propheta: Omnis caro fœnum. Nunquid enim & Domini quam leuauit in cœlum? Quo ergo modo appellauit propheta carnem ubi ait: Omnis caro fœnum, dicturus utiq; fœnum aruit, eo modo & Apostolus ait: Caro & sanguis regnum Dei non possidebit. Quia non ibi erit corruptio, qua nunc sicut fœnum natura carnis arescit. Non enim illa sententia est: Neque corruptio incorruptionem possidebit, sed hæc repetitio, sententiæ superioris est expositio: ut quod ibi dictũ est, caro & sanguis, hîc intelligamus corruptionem, non substantiam carnis: & quod ibi dictum est, regnum Dei, hîc intelligamus incorruptionem. Atque ita nihil aliud dictum putemus: Caro & sanguis regnum Dei non possidebit, quàm si diceretur: Corruptio incorruptionem nõ possidebit: id est, corruptio carnis & sanguinis in illius regni incorruptionem non erit: propter immutationem scilicet, de qua mox locutus adiunxit: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Ita corruptio quæ carnis & sanguinis nomine significata est, in regni illius incorruptione non erit: quia caro quæ nunc corruptibilis est, tunc mutata incorruptibilis erit. Moyses autem homo Dei si animam credidisset esse mortalem, quod utiq; credidisset, si eam sanguinem non significationis sed proprietatis causa esse dixisset, nõ alio loco diceret: Omnis qui contingerit mortuũ ab omni anima hominis &c. Adhuc utique dixit, etiam post mortem, quia non est purificatus. Vbi præfiguratum lauacrum

regenerationis

A regenerationis intelligit, quod accipit qui baptizatur in Christo, quisquis fideliter audit: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit. Ioh. 5.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Quæst. super Leuit. lib. 3. Cap. LVIII. Tomo IIII.

T*urpitudinem patris tui.* Prohibet cum matre concumbere, ibi est enim turpitudo patris & matris. Nam postea prohibet & nouercæ, ubi dicit: Turpitudinẽ uxoris patris tui non reuelabis, turpitudo enim patris tui est. Vbi exposuit quomodo in matre utriusque sit turpitudo, id est, patris & matris, in nouerca autem tantùm patris. Sequitur:

C *Turpitudinem sororis tuæ ex patre.* Quę domi nata est, intelligitur ex patre: quę fols nata est, intelligitur ex matre, si fortè de priore uiro eam mater susceperat, & cum illa in domum uenerat quando patri eius nupsit. Quoniam monet scriptura ne reuelet turpitudinem sororis suæ, hîc uidetur non prohibuisse, & quasi prætermisisse concubitum cum sorore de utroque parente nata. Non enim dixit, turpitudinem non reuelabis sororis tuæ ex patre & matre, sed ex patre, aut ex matre. Verùm quis non uideat etiam illud esse prohibitum multò maximè. Si enim non licet sororis turpitudinem reuelare ex quolibet parente natæ, quantò magis ex utroque? Quid est autem quòd interposita prohibitione concubitus, etiam cũ suis neptibus, siue de filio, siue de filia. Sequitur & dicit: Turpitudinem filię uxoris patris tui non reuelabis? Si enim hucusque dixisset, intelligeremus etiam cum filia nouercæ prohibitum fuisse concubitum, quam ex priore uiro nouerca pepe-

B risset: nec huius qui prohibetur soror esset, uel ex patre, uel ex matre. Cùm uerò addidit, quæ ex eodem patre soror tua est, non reuelabis turpitudinem eius, manifestat de sorore factam esse istam prohibitionem, cùm fuerit ex patre & ex nouerca. Sequitur:

Turpitudinem fratris patris tui. Id est, patrui tui non reuelabis, hoc est enim, ad uxorem eius non introibis. In uxore quippe patrui, uoluit intelligi turpitudinem patrui, sicut in uxore patris, turpitudinem patris. Sequitur:

Turpitudinem uxoris fratris tui. Quæritur utrùm hoc uiuo fratre, an mortuo sit prohibitum, & non parua quæstio. Si enim dixerîmus de uiui fratris uxore locutam scripturam, uno generali præcepto, quo prohibetur homo ad uxorem accedere alienam, etiam hoc utique continetur. Quid est ergo quòd tam diligenter has personas, quas appellat domesticas, proprijs prohibitionibus distinguit à cæteris. Non enim & quod prohibet de uxore patris, hoc est de nouerca, uiuo patre accipiendum esset, & non potius mortuo: Nam uiuo patre quis non uideat multò maximè prohibitum, si cuiuslibet hominis uxor aliena prohibita est maculari adulterio? De his personis ergo uidetur loqui, quæ possent non habentes uiros in matrimonium conuenire, nisi lege prohiberentur, sicut fertur esse consuetudo Persarum. Sed rursus, si fratre mortuo intellerîmus prohibitum esse ducere fratris uxorem, occurrit illud quod excitandi seminis causa, si ille sine filijs defunctus esset, iubet scriptura esse faciendum: ac per hoc collata ista prohibitione cum illa iussione, ne inuicem aduersentur intelligenda est exceptio, id est, non licere cuipiã

defuncti fratris ducere uxorem, si defunctus posteros dereliquit: aut etiam illud esse prohibitum ne liceret ducere fratris uxorem, etiamsi à fratre uiuo per repudium recessisset. Tunc enim sicut Dominus dicit, ad duritiam Iudæorum Moyses permiserat dari libellum repudij, & per hanc dimisionem potuit putari quòd licitè quisquam sibi uxorem copularet fratris, ubi adulterium non timeret, quoniam repudio discessisset. Sequitur.

Turpitudinem mulieris & filiæ eius. Id est, ne putet quisquã licere sibi ducere filiam uxoris suæ. Simul enim mulieris & filiæ eius non licet reuelare turpitudinem, id est, ambabus misceri, & matri & filiæ. Sequitur.

Filiam filii eius, & filiam filiæ eius non accipies. Etiam neptem uxoris de filio uel de filia duci prohibuit. Super uxorem sororem eius non accipies in zelum. Hîc nõ prohibuit superducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis: sed sororẽ sorori noluit superduci, quod uidetur fecisse Iacob: siue quia nõdum fuerat lege prohibitum: siue quia supposita alterius fraude deceptus est, & illa magis de placito ueniebat quam posterius accepit, sed iniustum erat priorem dimitti, ne faceret eam mœchari. Hoc autem quod ait in zelum, utrùm ideo positum est, ne sit zelus inter sorores, qui inter illas quæ sorores non essent contemnendus fuit: an ideo potius ne propter hoc fiat, id est, ne hoc animo fiat ut in zelũ sororis soror superducatur. Sequitur.

Et ad mulierem in segregatione immunditiæ eius. Id est, ad menstruatã mulierẽ nõ accedes: Segregabatur enim secundũ legem propter immũditiã. Hoc cùm superiùs satis sufficienter prohibuisset, quid sibi uult quòd etiam hîc hoc eisdem præceptis uoluit adiungere? An fortè ne in superioribus quod dictũ est figuratè accipiendũ putaretur, etiã hîc positũ est, ubi talia prohibita sunt, quæ etiam tempore noui testamẽti, remota umbrarũ ueterũ obseruatione, sine dubio custodiẽda sũt? Quod uidetur etiam per prophetã Ezechielem significasse, qui inter illa peccata quæ nõ figuratè sed manifestè iniquitatis sunt, etiam hoc cõmemorat, ad mulierem menstruatam si quis accedat, & inter iustitiæ merita si non accedat. Qua in re non natura damnatur, sed concipiendæ prolis noxium prohibetur. Sequitur.

Et ad uxorem proximi tui. Ecce ubi rursus prohibet adulterium, quod cum aliena uxore committitur, quod etiam in decalogo prohibetur. Vnde apparet illa ita prohibita, ut etiam mortuis uiris suis, non ducant uxores quarum prohibet turpitudinem reuelare.

Et à semine tuo non dabis seruire principi. Hîc nõ uideo quid intelligatur, nisi principi qui pro Deo colitur. Non enim ait δουλεύειν, sed λατρεύειν in Græco, quod Latinus non solet interpretari, nisi ut dicat seruire. Plurimùm autem distat. Nam seruire hominibus quo serui seruiunt, quod non est λατρεύειν sed δουλεύειν, scriptura non prohibet: seruire autem secundum id quod est λατρεύειν non iubetur hominibus nisi uni uero Deo, sicut scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Non solum autem hoc uerbo quod ait λατρεύειν, satis significat quem principem dicat, id est, cui cultus tãquam Deo exhibeatur, uerumetiam eo quod adiungit: Et non prophanabis nomen sanctum, siue Dei, cui populo datur illo modo seruire principi: siue nomen sanctum ipsius populi Israël, propter quod dicitur:

A tur: Sancti estote quoniam ego sanctus sum. Opportunissimè etiam hîc adiũgit: Ego Dominus, hoc utique admonens, quia illi soli debetur λατρία, id est, seruitus, qua seruitur Deo. Sequitur.

Et exhorrebit terra eos. Non ideo dictum putandum est, quòd habeat terra sensum, quo ista sentiat & exhorreat, sed nomine terræ homines significat qui sunt super terram. Proinde cùm hæc mala faciunt homines, inquinãt terram, quia inquinantur homines qui hæc imitantur: & exhorret terra, quia exhorrent homines, qui nec faciunt nec imitantur.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Quæst. super Leuit. lib. 3. Cap. LXVIII. Tomo IIII.

Eque mentiemini. Mirum si nõ eo præcepto cõtinetur quod ibi positũ est:
N Neque falsum testimoniũ dices aduersus proximũ tuũ: quoniã neque calũnia sine mẽdacio fieri potest, quod falsi testimonij generalitate concluditur. Sed utrùm hæc aliqua cõpensatione admittẽda sint, magna quæstio est, sicut de mendacio pene omnibus uidetur, quòd ubi nemo læditur, pro salute mẽtiendũ est. Vtrùm ergò ita & de furto: an furtum fieri potest, ubi nullus læditur? Quinimmo fieri potest etiã quando ei cui fit cõsulitur, tanquam si quisquam hominum uolẽti se occidere, gladium furetur. Nam calumnia nescio utrùm cuiquã ad eius utilitatem fieri possit: nisi fortè quod ad maius gaudium fiebat, quo postea fruerentur, quod Ioseph de cypho calumniabatur fratribus suis, quibus etiã explorationis falsum crimen intenderat. Quanquam si definitionibus ita determina
B re tentemus, fortasse furtum non est, nisi quãdo alieno occultè ablato proximus læditur: & calumnia non est, nisi quando falsi criminis obiectione proximus læditur: mendaciũ autem non possumus dicere tunc tantũmodo esse, quando proximus læditur, cùm enim falsum ab sciente dicitur proculdubiò mendaciũ est: siue illo quisquã, siue nemo lædatur. Proinde magna quæstio de mendacio, utrùm possit aliquando iustũ esse mendaciũ, facilè solueretur fortasse, si sola præcepta intueremur, non exẽpla: Namquid isto absolutius: Non mentiemini? Sic enim dictum est, quomodo: Non facies tibi idolum, quod factum non potest aliquando iustum esse: & quomodo dictum est: Non mœchaberis: Quis autem dicat aliquã do mœchiam iustam esse posse? Et: Non furaberis, secundum definitionem illam furti, iustum esse furtum nunquam potest. Et: Nõ occides. Quoniam cùm homo iustè occiditur, lex eum occidit, non tu: nunquid ita dici potest cùm homo iustè mentitur, lex mentitur? Sed exempla faciunt difficillimam quæstionem. Mentitæ sunt obstetrices Aegyptiæ, & bona illis Deus retribuit. Mẽtita est Raab pro exploratoribus terræ, & ideo liberata est. An ex quo dictum est in lege: Non mentiemini: ex illo intelligendum est, nec in tali causa licere mẽdacium, in quali causa legitur Raab esse mentita? Sed magis credibile est, quia iniustum erat mendacium, ideo prohibitum: non quia prohibitũ, ideo factum iniustum. Fortassis ergo, sicut de obstetricibus diximus, non hoc in eis remuneratũ quòd mẽtitæ sunt, sed quòd infantes Hebræos liberauerunt, ut propter hanc misericordiam illud peccatum ueniale sit factum, non tamen existimetur non fuisse peccatum. Sic etiã de Raab

defuncti fratris ducere uxorem, si defunctus posteros dereliquit: aut etiam illud C
esse prohibitum ne liceret ducere fratris uxorem, etiamsi à fratre uiuo per repu
dium recessisset. Tunc enim sicut Dominus dicit, ad duritiam Iudæorum Moyses
permiserat dari libellum repudij, & per hanc dimissionem potuit putari quòd li-
citè quisquam sibi uxorem copularet fratris, ubi adulterium non timeret, quo-
niam repudio discessisset. Sequitur.

Turpitudinem mulieris & filiæ eius. Id est, ne putet quisquã licere sibi ducere filiam uxoris suæ. Simul enim mulieris & filiæ eius non licet reuelare turpitudinem, id est, ambabus misceri, & matri & filiæ. Sequitur.

Filiam filii eius, & filiam filiæ eius non accipies. Etiam neptem uxoris de filio uel de filia duci prohibuit. Super uxorem sororem eius non accipies in zelum. Hîc nõ prohibuit superducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagatio-nis: sed sororẽ sorori noluit superduci, quod uidetur fecisse Iacob: siue quia nõ-dum fuerat lege prohibitum: siue quia supposita alterius fraude deceptus est, & illa magis de placito ueniebat quam posterius accepit, sed iniustum erat priorem dimitti, ne faceret eam mœchari. Hoc autem quod ait in zelum, utrùm ideo posi tum est, ne sit zelus inter sorores, qui inter illas quæ sorores non essent contem-nendus fuit: an ideo potius ne propter hoc fiat, id est, ne hoc animo fiat ut in zelũ sororis soror superducatur. Sequitur.

Et ad mulierem in segregatione immunditiæ eius. Id est, ad menstruatã mulierẽ nõ acce-des: Segregabatur enim secundũ legem propter immũditiã. Hoc cùm superiùs satis sufficienter prohibuisset, quid sibi uult quòd etiam hîc hoc eisdem præceptis uoluit adiungere? An fortè ne in superioribus quod dictũ est figuratè accipiendũ D
putaretur, etiã hîc positũ est, ubi talia prohibita sunt, quæ etiam tempore noui te-stamẽti, remota umbrarũ ueterũ obseruatione, sine dubio custodiẽda sũt? Quod uidetur etiam per prophetã Ezechielem significasse, qui inter illa peccata quæ nõ figuratè sed manifestè iniquitatis sunt, etiam hoc cõmemorat, ad mulierem men struatam si quis accedat, & inter iustitiæ merita si non accedat. Qua in re non na tura damnatur, sed concipiendæ prolis noxium prohibetur. Sequitur.

Et ad uxorem proximi tui. Ecce ubi rursus prohibet adulterium, quod cum alie na uxore committitur, quod etiam in decalogo prohibetur. Vnde apparet illa ita prohibita, ut etiam mortuis uiris suis, non ducant uxores quarum prohibet tur-pitudinem reuelare.

Et à semine tuo non dabis seruire principi. Hîc nõ uideo quid intelligatur, nisi prin cipi qui pro Deo colitur. Non enim ait δουλεύειν, sed λατρεύειν in Græco, quod Lati-nus non solet interpretari, nisi ut dicat seruire. Plurimùm autem distat. Nam ser-uire hominibus quo serui seruiunt, quod non est λατρεύειν sed δουλεύειν, scriptura non prohibet: seruire autem secundum id quod est λατρεύειν non iubetur homini bus nisi uni uero Deo, sicut scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Non solum autem hoc uerbo quod ait λατρεύειν, satis significat quem principem dicat, id est, cui cultus tãquam Deo exhibeatur, uerumetiam eo quod adiungit: Et non prophanabis nomen sanctum, siue Dei, cui populo datur illo mo do seruire principi: siue nomen sanctum ipsius populi Israël, propter quod dici-tur:

A tur: Sancti estote quoniam ego sanctus sum. Opportunissimè etiam hîc adiūgit: Ego Dominus, hoc utique admonens, quia illi soli debetur λατρεία, id est, seruitus, qua seruitur Deo. Sequitur.

Et exhorrebit terra eos. Non ideo dictum putandum est, quòd habeat terra sensum, quo ista sentiat & exhorreat, sed nomine terræ homines significat qui sunt super terram. Proinde cùm hæc mala faciunt homines, inquināt terram, quia inquinantur homines qui hæc imitantur: & exhorret terra, quia exhorrent homines, qui nec faciunt nec imitantur.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Quæst. super Leuit. lib. 3. Cap. LXVIII. Tomo IIII.

N *Eque mentiemini.* Mirum si nō eo præcepto cōtinetur quod ibi positū est: Neque falsum testimoniū dices aduersus proximū tuū: quoniā neque calūnia sine mēdacio fieri potest, quod falsi testimonij generalitate concluditur. Sed utrùm hæc aliqua cōpensatione admittēda sint, magna quæstio est, sicut de mendacio pene omnibus uidetur, quòd ubi nemo læditur, pro salute mētiendū est. Vtrùm ergò ita & de furto: an furtum fieri potest, ubi nullus læditur? Quinimmo fieri potest etiā quando ei cui fit cōsulitur, tanquam si quisquam hominum uolēti se occidere, gladium furetur. Nam calumnia nescio utrùm cuiquā ad eius utilitatem fieri possit: nisi fortè quod ad maius gaudium fiebat, quo postea fruerentur, quod Ioseph de cypho calumniabatur fratribus suis, quibus etiā explorationis falsum crimen intenderat. Quanquam si definitionibus ita determinare
B tentemus, fortasse furtum non est, nisi quādo alieno occultè ablato proximus læditur: & calumnia non est, nisi quando falsi criminis obiectione proximus læditur: mendaciū autem non possumus dicere tunc tantūmodo esse, quando proximus læditur, cùm enim falsum ab sciente dicitur proculdubiò mendaciū est: siue illo quisquā, siue nemo lædatur. Proinde magna quæstio de mendacio, utrùm possit aliquando iustū esse mendaciū, facilè solueretur fortasse, si sola præcepta intueremur, non exēpla: Namquid isto absolutius: Non mentiemini? Sic enim dictum est, quomodo: Non facies tibi idôlum, quod factum non potest aliquando iustum esse: & quomodo dictum est: Non mœchaberis: Quis autem dicat aliquādo mœchiam iustam esse posse? Et: Non furaberis, secundum definitionem illam furti, iustum esse furtum nunquam potest. Et: Nō occides. Quoniam cùm homo iustè occiditur, lex eum occidit, non tu: nunquid ita dici potest cùm homo iustè mentitur, lex mentitur? Sed exempla faciunt difficillimam quæstionem. Mentitæ sunt obstetrices Aegyptiæ, & bona illis Deus retribuit. Mētita est Raab pro exploratoribus terræ, & ideo liberata est. An ex quo dictum est in lege: Non mentiemini: ex illo intelligendum est, nec in tali causa licere mēdacium, in quali causa legitur Raab esse mentita? Sed magis credibile est, quia iniustum erat mendacium, ideo prohibitum: non quia prohibitū, ideo factum iniustum. Fortassis ergo, sicut de obstetricibus diximus, non hoc in eis remuneratū quòd mētitæ sunt, sed quòd infantes Hebræos liberauerunt, ut propter hanc misericordiam illud peccatum ueniale sit factum, non tamen existimetur non fuisse peccatum. Sic etiā de Raab

intelligendum est, remuneratam in illa liberatione exploratorum, ut propter eandem liberationem uenia sit data mendacio. Vbi autem uenia datur, manifestum est esse peccatum. Sed illud cauendum est, ne ita quisque existimet etiam de cæteris peccatis, si propter liberationes hominum fiant, ita ueniam posse concedi. Multa enim mala intolerabilia & nimium detestanda, istum sequuntur errorē. Sequitur: C

Non nocebis proximo. Si quid sit nocere & non nocere pateret hominibus, hoc generale præceptum ad innocentiam retinendam fortasse sufficeret. Omnia enim quæ prohibentur committi in proximum, ad hoc unum referenda sunt, quod dictum est: Non nocebis proximo. Nam quod sequitur: Non rapies, nisi ad hoc referatur, ne rapiendo noceatur, aliquando euenit ut non rapiendo quisque noceat. Nam gladius insanienti rapiendus est: & si non fecerit quis ut oportuerit, magis nocuerit. Sequitur:

Et incisiones super animam. Super animam dixit, super funus mortui: de anima quippe dolor est quæ recessit. Ad hunc autem dolorem pertinet luctus, in quo luctu nonnullę gentes habent consuetudinem secare seu incidere corpora sua. Hoc autem fieri à Iudæis Deus prohibet.

Ex lib. 19. contra Faust. Manich. Cap. XXIIII. Tomo VI.

Rom. 1. *Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum.* An & apostolus Paulus non di

Matth. 5. xit homines quosdam Deo odibiles? Et utique in hac admonitione ipse Dominus ad hoc nos hortatur, ut imitemur Deū: Vt sitis, inquit, filij patris uestri &c. Quærendum itaque est, quomodo intelligatur, exemplo Dei, cui dixit quosdam odibiles Paulus, odio habendos inimicos, & rursus exemplo Dei, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, diligēdos inimicos, sic D apparebit, Dominum male intelligentibus, id quod dictum est, oderis inimicū tuū, inferre uoluisse, quod omninò non norant, ut diligerent inimicos suos. Vtrunque autem quomodo seruandum sit, longum est disputare. Sed ad istos interim, quibus generaliter displicet, si quis oderit inimicum suum, est nobis sermo, qui eorū frontem premat, cùm eos interrogamus, utrùm diligat Deus eorum gentem tenebrarum: aut si propterea nunc inimici diligendi sunt, quòd habeant partem boni, cur non ob hoc eos & odisse debemus, quòd habeant partem mali? Ea quippe regula & hoc soluitur, docetúrque non esse contrarium, quod in antiqua scriptura

Deut. 23. dictum est: Oderis inimicum tuum: & in euāgelio: Diligite inimicos uestros, quòd

Matth. 5. unusquisque iniquus homo, inquantum iniquus est, odio habendus est: inquantū autem homo est, diligēdus est: ut illud quod in eo rectè odimus, arguamus, id est, uitiū, quô possit illud quod in eo rectè diligimus, id est, humana natura ipsa emendato uitio liberari. Hæc, inquam, regula est, qua & oderímus inimicum propter id, quod in eo malum est, id est, iniquitatē: & diligemus inimicū propter id, quod in eo bonum est, id est, socialem, rationalémque creaturam: nisi quòd nos non eū per naturam uel suam uel alienam, sed per propriam uoluntatem malum esse cōuincimus. Illi autem per naturam gentis tenebrarum putant esse hominem malū, quam secundum ipsos Deus totus timuit, antequam in parte uinceretur, & in parte ab ea sic uictus est, ut nec totus liberaretur. Audito igitur, & nō intellecto, quod antiquis dictum erat: Oderis inimicum tuū, ferebantur homines in hominis odiū;

cùm

A cùm deberent non odisse nisi uitium. Hos corrigit Dominus dicendo: Diligite inimicos uestros, ut qui iã dixerat: Non ueni soluere legem, sed adimplere, ideoq; de odio inimici, quod scriptũ est in lege, non soluerat, præcipiendo utique ut diligamus inimicos, cogeret nos intelligere, quonam modo possemus unũ eundémque hominem & odisse propter culpam, & diligere propter naturam &c.

CAPVT VICESIMVM.

Quæst. super Leuit. lib. 3. Cap. LXXII. Tomo IIII.

H *Omo quicunque adulterauerit uxorem uiri*. Hîc aliquid distare uoluit inter quẽlibet uirũ & proximũ, quamuis multis locis proximum pro omni homine ponat. Sed quæ est ista locutio, ut cùm iam dixisset de uiro, hoc idem repetierit de proximo, cùm sit consequens, ut multò magis ab uxore proximi abstinendum sit, si ab uxore cuiuslibet uiri abstinendum est? Nam si prius de proximo dixisset, ne putaret uxorem licere adulterare non proximi, addendum fuisset de quolibet uiro. Nunc uerò si quod minus est, non licet: quantò minus licet quod maius malum est? Nam si non licet adulterare uxorem cuiuslibet uiri, quantò magis proximi? An fortè ista repetitio tanquam exponit quid prius dictum sit, ut ideo intelligat homo quantùm malum sit adulterare uxorem uiri, quia si hoc fecerit, uxorem proximi adulterat? Proximus est enim omnis homo homini. Sequitur.

Et mulier quæ accesserit omne pecus. Quæritur quomodo sit reũ pecus, cùm sit irrationale, nec ullo modo legis capax. An quemadmodum transferuntur uerba

B modo locutionis quæ Græcè appellatur metaphora, ab animali ad inanimale: sicut dicitur improbus æstus, uel iratum mare, ita & hîc translatum est à rationali ad irrationale? Nam pecora inde credendum est iussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam. Sequitur.

Et uiderit turpitudinem eius. Quid ait in hoc loco, uiderit, nisi concumbendo cõgnouerit: sicut in lege dicitur: Cognouit uxorem suã, pro eo quod est, mixtus est ei. Et quid ait, peccatum suum accipient, cùm de pœna eorũ loqueretur, nisi quia & ipsam pœnam peccati, peccatum uoluit appellare? Sequitur.

Quicunque dormierit cum cognata sua. Quæritur quo usque sit intelligenda ista cognatio, cùm ex longo gradu liceat utique accipere uxorem, sempérque licuerit. Sed intelligendum est ex his gradibus, quos prohibuit non licere, & secundum ipsos dictum: Quicunque dormierit cum cognata sua, ubi & aliqua non commemorata intelligenda dimisit: sicut sororem de utroque parente, sicut uxorem fratris matris, id est, auunculi. Nã de uxore patrui, primùm prohibuit: quãuis hæc non cognatio, sed affinitas perhibetur. Sed quid est: Sine filijs morientur, cùm filij ex huiusmodi coniunctionibus, & antè nati sint, hodiéque nascantur? An hoc intelligendum est lege Dei constitutum, ut quicunque ex eis nati fuerint, non deputentur filij, id est, nullo parentibus iure succedant? Et non execrabiles facietis animas & in pecoribus, & in uolucribus, & in omnibus serpentibus terræ, quæ ego segregaui uobis in immunditiam. Videtur hîc significare non hæc natura immunda esse, sed aliquo sacramenti signo quãdoquidem dicit, quæ ego

ſegregaui uobis in immunditiam: tanquam immunda eis non eſſent, ſi eis ſegregata non eſſent. C

Locut. de Leuit. lib. 3. Tomo III.

Et ſegregabitis uoſmetipſos inter medium. Segregabitis uoſmetipſos dixit, inter medium mundorum & immundorum, quoniam ſegregantur munda ab immũdis, uel à mundis immunda, noua eſt omninò locutio. Aliud eſt enim, ſegregabis inter medium pecorum mundorum, & inter medium pecorum immundorum, ſicuti ſæpiſsimè loqui ſolet. Aliud eſt quod modo ait: Segregabitis uoſmetipſos, tanquam ab alterutrum ſegregantes ſeipſos ſegregent ab utriſque, tanquam iudicando inter utraque.

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

Quæſt. ſuper Leuit. lib. 3. Cap. LXXVIII. Tomo IIII.

Mulierem fornicariam & prophanam. Superiùs, non accipient dixerat: nũc autem, quoniam ſanctus eſt, non quoniam ſancti ſunt: de pluribus qui uno ſunt tempore ſacerdotibus, loquebatur, ſed de uno quoq; eorum dixit, quoniam ſanctus eſt, locutione qua ſolet uti ſcriptura. Nam unum illum ſummum poſtea commemorat, qui intrabat ſancta ſanctorum. Nam & pluraliter concluſit, dicens: Et ſanctificabis eum, dona domini Dei ueſtri iſte offerret, ſanctus eſt: quoniam ſanctus & ego Dominus qui ſanctifico eos. Quantùm autem pertinet ad dona, quoniam dixit: Dona domini Dei ueſtri ipſe offeret: non ſolùm ſummus ille offerebat, ſed etiam ſecundi ſacerdotes. Ac per hoc quod ait: Mulierẽ fornicariam & prophanam, & eiectam à uiro ſuo non accipiet, hoc & ſecundi ſacerdotes prohibiti ſunt, nam & de ſummo poſtea dicit, qui etiam non niſi uirginem accipere iuſſus eſt. Sequitur D

Et ſacerdos magnus coram fratribus ſuis. Id eſt, qui inter fratres ſuos magnus eſt, ille ſcilicet unus magnus ſacerdos, cui fuſum eſt ſuper caput ex oleo Chriſto. Ipſum oleum appellat ſcriptura Chriſtum. Sequitur.

Caput non reteget cidari Intelligitur ea quæ ſuprà dixit in luctu facere eum prohibitum, id eſt, caput nudare cidari, & ueſtimenta ſcindere. Veſtimenta enim ſcindere lugentium erat antiquorum: ſicut de Iob ſcriptum eſt, cùm ei filij eius ruina nuntiarentur oppreſsi. Nudare autem caput cidari propterea lugentis eſſe potuit, quia detractio eſt ornamẽti. Quod uerò ait: Super omnem animam mortuam non introibit, quomodo dicat animam mortuam corpus mortuum difficile eſt intelligere: & tamen ſcripturarum eſt uſitata locutio, quæ nobis inuſitatiſsima eſt. Nomen ergo rectricis ſuæ etiam corpus accæpit anima deſtitutum, quoniam reddendum illi eſt in reſurrectione: ſicut ædificium quod appellatur eccleſia, etiam cùm inde eccleſia exiret, qui homines ſunt, nihilominus eccleſia dicitur. Sed cùm corpus nõ accipiat animę nomen in homine uiuẽte, quomodo tũc uocetur anima, cùm caruerit anima mirũ eſt. Porrò ſi animã mortuam intellexerimus à corpore ſeparatam: ut ipſam ſeparationem mortẽ dixiſſe uideatur, id eſt, ut anima mortua ſit dirępta à corpore, non natura ſua perdita. Non enim & cùm dicimur mortui peccato, natura dicimur interiſſe, ſed quòd iam peccato non utimur:

A mur: ut sic intelligatur anima mortua, id est, corpore mortua, quod uti eo desierit, cùm in sua natura uiuat: quomodo potest quisquã intrare super animã mortuã, quod sacerdos iste prohibetur, cùm quisquis intrat, super mortuum corpus intret, non super animam quæ discessit à corpore. An ipsam uitã temporalem animæ uocabulo appellauit: quæ utique mortua est in defuncto corpore, anima illa æmigrãte, quæ mori non potest? Nõ quòd ipsa uita anima fuerit, sed quod per animæ præsentiam, qua subsistebat, nomen eius acceperit: sicut distinximus, cùm de sanguine loqueremur, quid dictũ sit: Anima omnis carnis, sanguis eius. Est enim & ipse sanguis mortuus in corpore mortui: non enim cùm abscedẽte anima abscessit. Vetuit ergo scriptura summum sacerdotem etiã super patris uel matris funus intrare, quod secundum non prohibuit. Sequitur.

Et de sanctis non exibit. Eo proculdubiò tempore, quo suorum funera celebrãtur, sicut eis septem diebus, quibus sanctificabatur, de sanctis est exire prohibitus, non autem semper. Sanè si uxores ducere, uel filios gignere nõ uetabantur summi tunc sacerdotes, magna oritur quæstio: cùm lex etiã coniugali concubitu immundũ hominem dicat usque ad uesperã, etiam cùm abluerit corpus suũ aqua, & iubeatur summus sacerdos propter incensum continuationis bis in die quotidie intrare intra uelum, ubi erat altare incensi, nec quemquam immũdum ad sancta fas est accedere: Quomodo id quotidie summus sacerdos implebat, si filios procreabat? Nam si ægritudo illi accidisset, quis loco eius fungeretur, si quis inquirat: responderi potest, quod gratia Dei non ægrotabat. Nũquid sic etiam de filio-

B rum procreatione responderi potest? unde fit consequens, ut aut continens esset, 2.Reg.55.
aut diebus aliquibus intermitteretur incensum: aut si illud intermitti non posset, quod non nisi per summum sacerdotem necesse esset imponi, non fieret immundus coitu coniugali, merito præcipuæ sanctificationis suæ. Aut si etiam ad ipsum pertinet, quod de omnibus filijs Aaron in consequentibus dicit, ut nullus eorum accedat ad sancta, si cui aliquid acciderit immunditiæ pro peccato, illud restat accipere, quòd nonnullis diebus non imponebatur incensum. Sequitur. Quòd autẽ super funus patris sui summus sacerdos prohibetur intrare, quæri potest quomodo iã esse poterat summus sacerdos, nondũ mortuo patre suo, cùm eos patribus succedere iubeat. Ideo necesse erat nõdũ sepulto summo sacerdote, cõtinuò substitui sacerdotẽ propter continuationis incensum, quod per summũ sacerdotẽ quotidie oportebat imponi: quanquã et illa quęstio de ægritudine summi sacerdotis manet, si moriturũ necesse erat diebus aliquibus ægrotare: nisi fortè et hoc ita soluatur, ut dicatur, nõ solere summos sacerdotes, nisi subitò mori nõ præcedenti ægritudine, sicut de ipso Aaron scriptura testatur. Sequitur. Aduertendũ est, quotiens dicit: Ego Dominus qui sanctifico eũ, loqui de sacerdote, cùm hoc etiam Moysi dixerit: Et sanctificabis eũ. Quomodo ergo & Moyses sanctificat & Dominus? Nõ enim Moyses pro Domino, sed Moyses uisibilibus sacramẽtis per ministeriũ suũ: Dominus autem inuisibili gratia per spiritũ sanctum, ubi est totus fructus etiã uisibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ, uisibilia sacramenta quid prosunt? Meritò autẽ quæritur, utrùm etiã ista inuisibilis sanctificatio sine uisibilibus sacramẽtis, quibus uisibiliter homo sanctificatur, pari

ter nihil prosit: quod utique absurdum est. Tolerabilius enim quisque dixerit sine illis istam non esse, quam si fuerit non prodesse, cùm in ista sit omnis utilitas illorum: sed etiam hoc, quòd sine illis ista esse non posit, quomodo rectè dicatur, intuendum est. Nihil quippe profuit Simoni Mago uisibilis baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit: sed quibus ista inuisibilis, quoniam adfuit profuit, etiam uisibilia sacramenta percæperant, similiter baptizati. Nec tamen Moyses, qui uisibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificijs uel oleo sanctificatus ostenditur, inuisibiliter uerò sanctificatum negare quis audeat, cuius tãta gratia præeminebat? Hoc & de Ioanne Baptista dici potest: prius enim baptizator, quàm baptizatus apparuit. Vnde eum sanctificatum nequaquam negare possumus: id tamen in eo factum uisibiliter non inuenimus, antequam ad ministerium baptizandi ueniret. Hoc & de latrone illo, cui secum crucifixo Dominus ait: Hodie mecum eris in paradiso. Neque enim sine sanctificatione inuisibili tanta fœlicitate donatus est. Proinde colligitur inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse, atque profuisse sine uisibilibus sacramentis, quæ pro temporum diuersitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, & alia modò sint: uisibilem uerò sanctificationem, quæ fieret per uisibilia sacramenta, sine ista inuisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramentum uisibile contemnendum est: nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quòd Cornelius, & qui cùm eo erant, cùm iam inuisibiliter infuso sancto spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen: nec superflua iudicata est uisibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

Quæst. super Leuit. lib. 3. Cap. LXXXV. Tomo IIII.

Ic Aaron & filiis eius. Ablata est omnis dubitatio, neminem sacerdotum uel summorum uel secundorum debuisse accedere ad sancta, si immunditia eius in ipso esset. Erat ergo consequens continentia sacerdotis, ne propter filiorum procreationem aliquibus diebus non imponeretur continuationis incensum, quod à solis summis sacerdotibus bis in die solebat imponi manè & uesperè: quandoquidem post coitum coniugalem etiam lotus corpore immundus erat usque ad uesperam, à quo id necesse erat imponi. Quod autem ait: Quæ sanctificant filij Israël, intelligendum est, offerendo sacerdotibus offerendum per eos Domino. Et notandum sanctificationis genus, quod fit uoto & deuotione offerentis. Sed utrùm sicut isto modo sanctificantur ea, quæ offeruntur ab hominibus, ita & ipsi homines eodem modo seipsos sanctificare dicantur, cùm in aliqua re seipsos uouent, obseruandum est in scripturis.

Locut. de Leuit. lib. 3. Tomo III.

Et sanctificabor in medio filiorum Israel. Quod est sanctus habebor. Neq; enim Dominus etiã præter filios Israël non est sanctus. Eo sensu dictum est & in oratione Dominica: Sanctificetur nomen tuum, id est, sanctum habeatur ab hominibus. *Matth. 6.*

CAPVT

A CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

Locut.de Leuit. lib.3. Tomo III.

Omo homo si maledixerit Deum. Ecce ubi satis apparet locutionis esse, H cùm dicitur homo homo,tanquam dicat, homo ille aut ille, hoc est quicunque homo.Non sicut quidam putauerunt,homo homo ita dici,tanquam laudabiliter nuncupetur: ac si diceretur homo, sed homo,id est,non qualiscunque uelut similis pecori, sed qui uerè sit homo: quem sensum non esse uerum, sedlocutionis hoc esse scripturarum apertè hîc ostenditur,cùm in eo dicitur qui culpatur,non qui laudatur.

Quæst.super Leuit. lib.3. Cap.LXXXVII. Tomo IIII.

Quasi aliud sit maledicere Deum suum,aliud nominare nomen Domini: atq; illud illi sit peccatum,hoc autem peccatum nefas,ut etiam morte sit dignum.Quãuis hoc loco ita intelligendum sit,quod dictum est,nomen Domini, ut cùm maledicto fiat, id est, maledicendo nominet. Quid ergo distat inter illud peccatum, & hoc tanti sceleris crimen? An fortè hoc ipsum repetendo monstrauit, non leue illud esse peccatum,sed tantùm scelus,quod morte puniendum sit? Sed quia per distinctionem hoc intulit,non dicens,nominans enim,sed nominans autem, subobscurum factum est.Et ideo si hoc rectè intelligitur,notandum est etiam locutionis genus.Sequitur:

Et homo qui percusserit omnem animam. Non ait: Quicunque percusserit hominem,& mortuus fuerit,sed animam hominis:cùm potius corpus hominis à percussore feriatur:sicut & Dominus dicit:Nolite timere eos qui corpus occidũt.Eo Matth.10.
B more ergo quo solet scriptura,appellat animam uitam ipsam corporis,quę fit per animam:& hinc uoluit ostendere homicidam,quòd hominis animam percutiat, id est,percutiendo uita hominem priuet.Cur ergo addidit:Et mortuus fuerit,si iã hoc ipso ostendit homicidium,quòd animam hominis percùsserit, id est, uita homo à percutiente priuatus sit? An exponere uoluit quomodo accipiendũ sit,quod dixerat,hominis animam percussam,& sic ait:& mortuus fuerit, tanquam diceret,id est,mortuus fuerit?Hoc est enim,animam hominis fuisse percussam.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

Quæst.super Leuit.lib.3. Cap.LXXXIX. Tomo IIII.

Erunt sublata terræ sancta tibi. Satis apparuit nec Dominũ agri pro- E hibitum uesci eis,quæ non adhibita cultura illo anno sponte nascantur,sed fructus redigere prohibitum. Sic ergo permissus est aliquid inde in escam sumere,quomodo transiens:ut hoc solùm caperet quod statim uescendo consumeret,non quod in usus reponeret.Sequitur: Et terra non uenũdabitur in prophanationem, id est,ne quis auderet terram quam accæpit à Deo, uendere prophanis,qui ea utuntur ad impietatem,cultúmque Deorum alienorũ atque falsorum.Illud autem subobscurum est,non uenundabitur terra in confirmationem.Quod puto non intelligendum,nisi ne ita uenditio confirmetur, ut eã non recipiat uenditor tempore remissionis sicut præceptum est.Sequitur:

Et per omnem terram possessionis. Sensus ergo hic est: Non uenundabitur terra in

in prophanationem, id est, illis qui ea utantur in iniuriam creatoris: aut in confirmationem, id est, ut eam emptor perpetuò possideat, nec certò secundũ Dei præceptum interuallo annorum restituat uenditori Mea est enim, inquit, terra, unde secundum meum præceptum ea uti debebitis. Atque ut ostẽderet suam esse, non ipsorum, quid ipsi in ea essent, consequenter adiunxit, dicẽs: Propter quod proselyti & incolæ uos estis ante me: hoc est quamuis proselyti, id est, aduenæ sint uobis, qui ex alienigenis adiunguntur genti uestræ, ut incolæ, non in terra propria manentes, tamen etiam uos omnes ante me aduenæ estis & incolæ, hoc Deus dicit, siue Israelitis, quod aliarũ gẽtium terram quas expulit eis dederit: siue omni homini qui ante Deum semper, manet & sicut scriptum est: Cœlũ & terram implet utique præsentia sua. Omnis homo aduena est nascendo, & incola uiuendo: quoniam compellitur migrare moriendo. Adiungit. C

Mercedem dabitis. Illud, ni fallor, uult intelligi, quod inde reddebant quodammodo per cessationes septimorum quorumcunque annorum, & quinquagesimi anni, quem uocat remissionis: ut ipsa uacatio terrę uelut merces habitationis, aut redemptio esset ab illo cuius est: id est, ab eius creatore Deo.

Locut. de Leuit. lib. 3. Tomo III.

Exod. 22. *Erunt uobis in possessione in æternum.* Cùm utique æterni moriendo esse non possent, uel domini uel serui. Aeternum ergo dixit, ubi non est temporis præstitutus modus quousque seruiant, sicut constitutus est eis, quos in remissione dimitti iubet libertati suæ.

Erunt uobis in possessione in æternũ. Vide Exo. 21. in hęc uerba: Et seruiet in ęternũ. D

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Quæst. super Leuit. lib. 3. Cap. XCIII. Tomo IIII.

E T *non abominabitur anima mea uos.* Animam suam Deus uoluntatẽ suam dicit. Non enim est animal habens corpus & animam: neque substantia einsmodi est, cuiusmodi creatura eius quę anima dicitur, quam fecit. Fecit enim sicut per se iam ipse testatur, dicens: Et omnem flatũ ego feci. Quod eum de anima hominis dicere, consequentia manifestant. Sicut ergo cùm dicit oculos suos, & labia sua &c. uocabulo membrorum corporalium, non utiq; accipimus eum forma corporis esse definitum, sed illa omnia membrorum nomina non intelligimus, nisi effectus operationum atque uirtutum. Ita & cùm dicit: Anima mea, uoluntatẽ eius debemus accipere. Perfectè quippe simplex illa natura, quæ Deus dicitur, non cõstat ex corpore & spiritu: nec ipso spiritu mutabilis est, sicut anima: sed spiritus est Deus, & semper & idem ipse, apud quem non est commutatio. Hinc autem acceperunt Apollinaristæ occasionem, qui dicunt animam non habuisse mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, sed tantùm uerbum & carnem fuisse, cùm diceret: Tristis est anima mea usque ad mortem: sed ipso eius actu, qui nobis per euangelicam declaratur historiam, sic apparent humanæ animæ officia, ut hinc dubitare dementis sit. Sequitur.

Esa. 57.

Matth. 26

Et consumet uos perambulans gladius. Quomodo ergo consumet eos gladius, si erunt in terra inimicorũ suorũ? An in ipsa terra consumet, quoniam strage mortuorum

A tuorum facta non erunt ibi? An consumet uos, sic ait, ac si diceret, interficiet uos, ut ad istam consumptionē illi pertineant, qui gladio cadant, non omnes: quandoquidem paulò pòst dicit: Et eis qui residui sunt ex uobis, superducā formidinem in cor eorū? An secundum hyperbolem dictū est: Consumet uos, secūdum quem loquendi modum de abundantia eorum dictum est: Et sicut arena maris? Secundum istum modū etiam dicitur, quod deinde sequitur: Et persequetur eos sonus folij uolantes, id est, quia nimius in eis timor erit, ut & læuissima quæq; formidēt.

CAPUT VICESIMUMSEPTIMUM.

Ex lib. cont. Adimant. Manich. discip. Cap. XX. Tomo VI.

Abo pluuias tempore suo, & producet terra &c. Huic loco de nouo testamen
D to dicunt esse contrarium, illud uidelicet quod Dominus ait: Nolite portare aurum neque argentum &c. Matth.10
Quid mirum si euangelistis hæc donauerat? Nunquid in hoc ministerium populus Iudaicus uocabatur? Quæ tamen omnia spiritaliter perscrutanda sunt, ne ipse Dominus hominibus impijs contra sua præcepta fecisse uideatur, qui etiam loculos habebat, quibus ad necessarium uictum pecunia portabatur. Nisi fortè dicturi sunt in zonis habere pecuniam, peccatum esse, in loculis autem, non esse peccatū. Non autem ista iussa, sed permissa esse apostolis ex hoc intelligitur, quòd apostolus Paulus manibus suis operatus Act.18.
uictum quærebat, nō abusus ea potestate sicut ipse loquitur, quā Dominus euangelistis dedit. Quod enim permittitur à Domino, etiam facere non licet: quod au- 1.Cor.10.
tem iubetur, nisi fiat, peccatum est. Addunt etiam de illo diuite cui dixerat: Stulte, hac nocte animam tuam expetam, quæ autem præparasti cuius erunt? Et di- Luc.12.
E cunt non minus huic capitulo legis esse contrarium, cùm in isto inanitas irrisa sit uanæ lætitiæ, qui incerta illa pro certis habuit, populo autem Israël certā faciebat illam pollicitationem omnipotentia pollicentis. Vnde apostolus Paulus scribens ad Timotheum, diuitibus seculi huius quos nouerat in ecclesiæ membris habere 1.Tim.6.
suum locum, ita loquitur: Diuitibus huius seculi præcipe, nō superbè sapere &c. Quis hoc non intelligat non esse culpabile habere ista, sed amare & spem in eis ponere, & ea præferre, aut etiam conferre ueritati, iustitiæ, sapientiæ, fidei, bonæ conscientiæ, charitati Dei & proximi, quibus omnibus anima pia diues est in secretis suis coram oculis Dei? Sed ut diligatur Deus, qui diligentibus se ista cuncta & inuisibilia & æterna largitur, id est, seipsum his omnibus plenum donat dilectoribus suis. Vt ergo ipse diligatur, illo etiam tempore quo carnalis anima, carnis uidelicet affectibus implicata, nisi temporalia desiderare nō nouit, persuadendum illi est, quòd etiam ista Deus dat homini: quia & uerum est & utilissimè creditur hoc populo Israël factū esse per illas pollicitationes, quas imperitissimè miseri derident, ut etiā in ipsis infimis rebus quomodo possent Deum diligere assuescerent, quamuis pius ibi operetur timor. Quæ tamen omnia temporalia figuræ sunt donorum æternorū, & illa de inimicis uictoria præsignat uictoriam de diabolo & angelis eius. Et quod isti adiecerunt quasi contrarium ueteri testamento quod Apostolus loquitur, Deum non pugna & dissentione, sed pace delectari: 1.Cor.14.
sciant talem Deum prædicari in scripturis illis, cui pacem suam nemo possit auferre: non qualem ipsi prædicant &c.

D. AVRELII

D. AVRELII AVGVSTINI HIP- C
PONENSIS EPISCOPI, IN NVMER. COMMENTARIA.
CAPVT QVARTVM.

Quæst. super Num. lib. 4. Cap. VII. Tomo IIII.

E T *panes qui semper super eam erunt*. Non utique isti semper super eam erunt, sed similes eorum: qui illi auferebantur, & recentes quotidie ponebantur, dum tamen sine panibus mensa non relinqueretur. Ideo dixit: Qui semper super eam erunt: hoc est, quia semper panes, non quia illi semper. Sequitur.

Ab omnibus peccatis humanis. Hîc ea peccata intelligenda sunt, quorum in his rebus perpetratio est quæ pecunia restitui possunt. Non enim aliter diceret quomodo restituenda sunt, nisi damna pecuniaria fuissent. Iubet enim restitui caput & quintas, id est, totum illud quicquid est, & quintam eius partem, excepto ariete, qui fuerat offerendus in sacrificium ad expiandum delictum. Iubet autem illud quod restituitur sacerdotis esse, id est, ipsum caput & quintam, si non est proximus ei in quem commissum est. Vbi utique intelligitur tunc Domino reddendum quod sit sacerdotis, si homo iste non superfit qui damnũ passus est: nec proximus eius, quem puto hæredem intelligi uoluisse. Sed de ipso homine nihil dixit scriptura. Veruntamen cùm dicit: Si non ei fuerit proximus, sub hac breuitate insinuat, tunc quæri proximum eius si ipse non fuerit. Si autem nec proximus D erit, Domino restituetur, ne impunitum remaneat quod admissum est. Quod tamen non cedat in sacrificiũ, sed sit sacerdotis. Sic sanè uerba scripturæ distinguenda sunt. Si autem non fuerit homini proximus, ita ut reddat illi delictũ ad ipsum. Locutionis est enim quòd addidit ad ipsum: aut fortè ad ipsum dixit, quod ad ipsum pertineat, id est, ipse possideat. Deinde sequitur: Delictum quod redditur Domino sacerdotis erit. Delictum autem dicit, cùm redditur ea res, quæ per delictum ablata est. Sequitur.

Quæri autem potest quomodo in Exodo dicitur: Si quis furatus fuerit uitulum aut ouem, restituere debere quinque uitulos uel quatuor oues, si occiderit, aut uendiderit. Si autem quod abstulerit saluum apud eum reperitur, duplũ esse restituendum: cùm hîc restitui iubeat caput & quintam, quod longè est etiam à duplo, quantò magis à quadruplo uel quinquies tanto. Nisi fortè, quia hîc ait: Vir aut mulier quicunque fecerit ab omnibus peccatis humanis, peccata ignorantię, uoluit intelligi humana peccata. Fieri enim potest, ut parum attendendo per negligentiam trajiciat homo rem alienam in rem suam. Quod ideo peccatum est, quia si diligenter attenderetur, non admitteretur. Et hæc uoluit capite & quinta restitui, non sicut furta mulctari. Nam si furta & fraudes hîc intellexerîmus, quæ non per ignorantiam negligentię, sed furandi uel fraudandi animo committuntur, & ideo dicta humana, quia in homines fiunt, ille nisi fallor erit exitus quęstionis huius, ut ideo qui fecit non reddat uel duplum, quia nõ reprehenditur uel conuincitur,

A coniungitur, sed ignorantibus à quo factum sit, uel utrùm factum sit, ipse annuntiat delictum suum. Cùm enim dixisset scriptura, uir aut mulier quicunque fecerit ab omnibus peccatis humanis, & despiciens despexerit & deliquerit, id est, contemnendo ista commiserit, adiunxit & ait: Anima illa annuntiabit peccatũ quod peccauit, & restituet delictũ caput & quintas eius: forte ergo propterea tantùm, quia ipse annuntiauit, & ideo non eo damno plectendus fuit, quo furem comprehensum uel conuictum plecti oporteret.

CAPVT VNDECIMVM.

ET *auferam de spiritu qui est in te.* Putari enim potest de spiritu ipsius hominis dictum, quo humana natura completur corpore adiuncto, quæ constat ex corpore & spiritu, quem etiam animam dicunt. De quo & Apostolus dicit: Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic enim & quæ Dei sunt, nemo scit nisi spiritus Dei. Et quod adiungit ac dicit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Ostendit utique alium esse spiritum Dei, cuius particeps fit spiritus hominis per gratiam Dei: quamuis posset etiam sicut alij interpretati sunt, intelligi spiritus Dei in eo quòd dicitur, de spiritu tuo qui est in te: ut dictum sit, tuo, quia fit etiam noster, qui Dei est, cùm accipimus eum: sicut de Ioanne dictum est: In spiritu & uirtute Heliæ. Non enim anima Heliæ in eum fuerat reuoluta. Quid si quidam hæretica peruersitate opinãtur, quid dicturi sunt in eo quod scriptum est: Spiritus Heliæ requieuit super Helisæum, cùm iam ille utique haberet animam suam: nisi quia dictum est, de spiritu Dei, ut etiam per illum operaretur, qualia per Heliam operabatur: non ab illo recedens, ut iustum posset implere: aut dispertitus minus esset in illo, ut posset ex aliqua parte et in isto esse? Deus est enim qui posset esse in omnibus tantus, in quibus per illam gratiam esse uoluerit. Nũc autem cùm ita scriptum sit: Et auferam de spiritu qui est super te, nec dictum sit, de spiritu tuo, facilior est absolutio quæstionis: quia intelligimus nihil aliud Deum significare uoluisse, nisi ex eodem spiritu gratiæ illos quoque habituros adiutorium, ex quo habebat Moyses: ut & isti haberent quãtùm Deus uellet, non ut ideo Moyses minus haberet. Sequitur.

1.Cor.2.

Luc.1.

4.Reg.2.

B

Sexcenta millia sunt peditum. Quæri solet utrùm hoc Moyses diffidendo dixerit: an quærendo. Sed si putauerimus eum diffidendo dixisse, nascetur quæstio cur hoc ei non exprobauerit Dominus, sicut exprobauit quòd ad petram, unde aqua profluxit, uidetur de potestate Domini dubitasse. Si autem dixerimus hoc eum dixisse quærendo modum, quo fieret ipsa Domini responsio, ubi ad eum dixit: Nunquid manus Domini non sufficiet, quasi redarguentis uidetur, quòd iste illa non credidisset. Sed melius arbitror intelligi, Dominum ita respondisse, tanquam modum futuri facti, quem ille requirebat, dicere noluerit, sed potius opere ipso suam potentiam demonstrare. Poterat enim & Mariæ dicenti: Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco, à calumniantibus obijci, quòd minus crediderit, cùm illa modum quæsierit, non de uirtute Dei dubitauerit. Quod autẽ respõsum est illi: Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit

bit te, poterat & sic responderi quomodo hic: Nunquid spiritui sancto impossibile est, qui superueniet in te? ac si idem ipse sensus conseruaretur. Porrò autem talia quædam dicens Zacharias, incredulitatis arguitur, & uocis oppressa pœna plectitur. Quare? nisi quia Deus non de uerbis, sed de cordibus iudicat. Alioquin & ad illam petram, unde aqua profluxit, poterant excusari uerba Moysi, nisi in eum clara esset diuina sententia, quòd diffidendo talia dixerit: Nam ita se ea uerba habent: Audite me increduli: Nunquid de petra ista educimus uobis aquam? Deinde sequitur: Et eleuata Moyses manu &c. Vtique & hoc congregauit populum, & ad hoc illam uirgam in qua tanta miracula fecerat sumpsit, eaque petram percussit, atque inde solitæ uirtutis est consecutus effectus. Verba ergo illa quibus ait: Nunquid ex hac petra educimus uobis aquam? possent sic accipi, tanquam diceretur: Nempe ex hac petra secundum uestram incredulitatem aqua educi non potest. Vt denique percutiendo ostenderetur, fieri diuinitùs potuisse, quod illi infidelitate nō crediderunt, maximè quia dixerat: Audite me increduli: ita quidem intelligi possent hæc uerba nisi Deus, qui cordis inspector est, quo animo dicta fuerint indicaret. Sequitur enim scriptura & dicit: Et dixit Dominus ad Moysen & Aaron: Quoniam non credidistis sanctificare me in conspectu filiorum Israël, propter hoc non inducetis uos synagogam hanc in terram quam dedi eis. Ac per hoc intelligitur illa uerba ita dixisse Moysen, tanquam ad incertum percusserit, ut si non sequeretur effectus, hoc prædixisse putaretur, cùm ait: Nunquid ex hac petra educimus uobis aquam: quod in animo eius lateret omninò, nisi Dei sententia proderetur. Econtrariò itaq; isto loco debemus intelligere uerba Moysi de promissis carnibus, quærentis potius quomodo fieret, quàm diffidentis fuisse, quando sententia Domini non secuta est quæ uindicaret, sed potius quæ doceret. D

De Trinit. lib. 5. Cap. XIIII. Tomo III.

Tollam de spiritu tuo & dabo eis. Hoc est dabo illis de spiritu sancto quem iam dedi tibi.

CAPVT DVODECIMVM.

Quæst. super Nume. Lib. 4. Cap. XX. Tomo IIII.

P*ropter uxorem eius Aethiopissam.* De uxore Moysi Aethiopissa quæri solet, utrùm ipsa erat filia Iethro, an alteram duxerit uel superduxerit. Sed ipsam fuisse credibile est. De Madianitis quippe erat, qui
2. Par. 14. reperiuntur in Paralipomenon Aethiopes dici, quando contra eos pugnauit Iosaphat. Nam in his locis dicitur eos persecutus populus Israël, ubi Madianitæ habitant, qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos Aethiopes nemo ferè appellat, sicut solent locorum & gentium nomina plerunque uetustate mutari.

Os ad os loquar ad illum. Vide 2. Cor. 12. in hæc uerba: Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim.

A CAPVT TERTIVMDECIMVM.

Quæst.super Num,lib.4.Cap.XXI. Tomo IIII.

T *ascendetis in montem.* Exposuisse intelligitur,secundum quid dixe-
B rit,si potes est an infirmus,hoc est,si pauci sunt, an multi.Nam quo-
modo possent de monte prospicientes sentire humanarum uirium
fortitudinem?Potest & alius sensus esse multò congruentior ueritati, quòd ait:
Ascendetis in montem,in ipsam terram, dixit,quam explorare uolebant. Non
enim possent facilè exploratores intelligi, ubi tanquam peregrinantes omnia
perquirebant.Nam si de montis uertice eos putauerîmus conspexisse terram &
explorasse:quomodo possent exquirere omnia, quæ Moyses exquirenda præ-
cepit?Quomodo intrare ciuitates, quas eos scriptura dicit intrasse? Quomodo
de illa ualle botrum tollere, propter quem & loco nomen est inditum, ut uallis
botri diceretur?In ipso ergo monte explorabatur terra, quia ipse erat à quo ex-
ploraretur: & ibi erat quidam depresśior locus, de qua ualle botrus ablatus est.
Sequitur.

Et protulerunt pauorem terræ. Pauorem terræ dixit, non quod paueat eadem
terra,sed quem ex ea terra conceperant.

Ex lib.Sermon.de Temp. Serm.100. Tomo X.

Pergentésque usque ad torrentem botri &c. Modo cum diuina lectio legeretur,au-
diuimus quòd tempore illo quo misśi sunt duodecim exploratores ad cōsideran
dam terrā repromisśionis, duo ex illis uuā miræ magnitudinis in phalanga detu-
lerunt ad filios Israël.Duo isti fratres dilectisśimi,multis modis intelligi possunt.
B Nam & duo testamenta non incongruè significasse creduntur: & duo præcepta
quibus diligitur Deus & proximus. Possunt etiā in historia & allegoria intelligi.
Quòd autem duorum testamentorum typum habuerint, hinc euidenter agno-
scimus,quia quomodo in medio duorum illorum uua exhibita legitur,ita in me-
dio duûm testamentorum Christus Dominus euidenter agnoscitur:secundum il-
lud quod scriptum est: In medio duûm animalium cognosceris, id est, in medio Abac.3.
noui uel ueteris testamenti.Quod autem dixit: in medio, non sic intelligendum
est,quòd Christus inter nouum & uetus testamentum sic fuerit medius, ut nec in
nouo nec in ueteri contineretur. Non ita est fratres charisśimi. Sed quod ait: In
medio duûm animalium cognosceris,hoc sentiendum est, quod sit in medio uete
ris testamenti,& in medio noui:id est,intus in interiori & spiritali intellectu,non
in litera,quæ non solùm Iudæos sed etiam hæreticos omnes consueuit occidere,
sed in spiritu qui omnes Christianos spiritaliter intelligentes uiuificat.Hoc est er-
go in medio duûm animalium cognosceris,in interiori sensu noui siue ueteris te-
stamenti.Exhibita est ergo uua à duobus. Isti autem duo qui uuam de terra re-
promisśionis afferre meruerunt, sicut iam diximus: possunt intelligi etiam duo
præcepta dilectionis,id est,diliges Deum & diliges proximum.Denique conside- Matth.22.
rate fratres, quia sicut illi duo pendentem uuam attulerunt, ita & de istis duo-
bus, id est, dilectione Dei & proximi dicitur: In his duobus præceptis tota
lex pendet & prophetæ. Sicut enim uua illa Christum Deum figurauit, ita &
terra repromisśionis in qua natus est, sanctæ Mariæ uidetur imaginem prætu-
lisse:

Psal.84. liſſe. In ipſa enim impletum eſt: Veritas de terra orta eſt. Quomodo autem beata Maria non fuit terra repromiſsionis, quæ per prophetā multò ante promiſſa eſt? Nam per beatum Eſaiam Dominus eam ante multa annorum ſpatia repromiſit. C
Eſa.7. Sic enim ait: Ecce uirgo in utero cōcipiet & pariet filium. Exhibita eſt enim uua de terra repromiſsionis. Ipſa eſt enim de qua legimus: Suxerunt mel de petra, &
Deut.32. oleum de firma petra. Et de ipſa ſcriptum eſt: Petra autem erat Chriſtus. Et illud:
1.Cor.10. Cùm adipe renium, & ſanguine uuæ. Et iterum: Lauabit in uino ſtolam ſuam, &
Gen.49. amictum ſuum in ſanguine uuę. Hęc, inquam, uua in ligno ſuſpenſa duorum defertur obſequio, quæ nobis utique ſicut iam dictum eſt, duûm teſtamentorum repreſentantur oraculis, quæ in ligno crucis pependit, cuius uinum in pretium noſtrum paſsionis expreſsione profluxit. Sed operepretium eſt arcana ſacramentorum aperiri effectibus rerum. Hanc uuam duo deferunt inſerto uecte pendentem. Poſſunt iſti duo etiam Chriſtianum uel Iudaicum populum figurare. Iſti ergo ſunt duo, id eſt, ſynagogæ uel eccleſiæ populi. Et quia prior fuit Iudæorum populus præcedit Iudæus, ſequitur Chriſtianus. Salutem ſuam hîc ante cōſpectum ſuum gerit, ille poſt dorſum. Hic obſequium præfert, ille contemptum. Ideò &
Pſal.68. de Iudæis propheta teſtatur: Obſcurentur oculi eorum ne uideant, & dorſum illorum ſemper incurua. Incedunt duo ſub ſacra faſce ordine ſuo. Hic ſemper uidet, ille ſemper relinquit. Iudæus autem proximum ſe æſtimat, ſed abſentat: Chriſtianus ergo pręſenti munere fruitur, Iudęus ſolo onere pręgrauatur. Quia Chriſtus ſicut credenti ſalus, ita onus eſt non credenti. Iudæis enim ille ſpecialiter annunciatus, de quibus dictum eſt: In ſua uenit, & ſui eum non receperunt. Factus eſt eis lapis offenſionis, & petra ſcandali: & quem Iſraël non cognouit, gentium D
fides recæpit. Et ideo pòſt ſequitur iſte, ſed ſpem ſuam ſub oculis habens antecedit & proficit: ille prior graditur, ſed deſerit & recedit. Portat quidem Chriſtum in lege Iudæus, ſed à gratia quam in myſterijs portat auerſus eſt, quia quem prædicatione ſuſcæpit electus, corde perdit incredulus, & quem unus aſpernatur in lege, alter miratur in corpore. Vnde amborum Dominus & redemptor noſter ab hoc adorante geſtatur, ab illo ſe auerſante ſuſpenditur. Ac ſic impletum eſt in Iudæis: Poſuerunt ad me dorſa, & non facies ſuas. Et quia Chriſtum Dominum quem prior populus Iudæorum & poſt dorſum reliquit & crucifixit, nos poſtea
1.Cor.6. uenientes adorare & portare meruimus: ſecundum illud quod Apoſtolus ait: Glorificate & portate Deum in corpore ueſtro: quantùm poſſumus cum ipſius adiutorio laboremus, ne à ceruicibus noſtris tam ſanctam ſarcinam malis operibus deponamus. Sarcina enim Chriſti, leuare conſueuit, non premere. Sic & ipſe
Matth.11. in euangelio dixit: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Si enim iugum Chriſti ſubdita & humili ceruice ſuſcipimus, magis nos portát quàm à nobis portetur. Sicut enim iugum ſeculi ſemper premit, ita iugum Chriſti leuare cōſueuit. Et quia omnis homo aut Chriſtum portando erigitur, aut iugum ſeculi ſuſtinendo ad inferiora deprimitur, attendat unuſquiſque conſcientiam ſuam: & ſi ſe ſanctis cogitationibus & bonis operibus iugum Chriſti portare cognouerit, gaudeat & Deo gratias agat, & cum grandi ſollicitudine uel timore perſeuerare contendat. Qui uerò luxurioſis cogitationibus & malis operibus duriſsimo mūdi huius

iugo

A iugo se nimium grauari cognoscit, orationibus, ieiunijs uel eleemosynis proijciat iugum diaboli, ut mereatur excipere iugum Christi, & de omnibus malis actibus suis cum propheta fideliter dicat: Dirumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Tunc enim de illa spiritali uua de qua nobis uinum lætitiæ prælum crucis expressit, cum secura conscientia bibere poterimus, si nos nec luxuria sordidauerit, nec iracundia combusserit, nec inflauerit superbia, nec auaritia obscurauerit, nec inuidia uipereo ueneno percusserit. Omnia enim ista de corde suo debet expellere, qui ad altare desiderat uel optat accedere. Et quia spiritalis uindemia, id est, paschalis solennitas imminet, in qua festiuitate botrus ille de quo superiùs diximus per iniuriam uel pondera crucis expressus est, de tanta ac tali uua accepturi calicem salutaris et uinum lætitiæ bibituri, exceptoria cordis uel pectoris nostri cum grandi nitore ac diligẽtia ieiunijs, uigilijs, orationibus, eleemosynis, & præcipuè castitatis nitore mundemus. *Psal. 2.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Non uidebunt terram pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit, intuebitur eam. Scire & intelligere debemus fratres dilectissimi, quia senior populus Iudæorum, qui propter incredulitatem in deserto mortuus est, significauit priorem populum Iudæorum: paruuli uerò eorum, id est, iunior populus figurauit populum gẽtium. Sicut enim seniore populo mortuo, iunior terram repromissionis accepit, ita reprobato Iudæorum populo, iunior populus Christianorum gratiam diuinæ benedictionis obtinuit. Tamen fratres charissimi, non transitoriè uel negligenter, sed cum ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis milibus duo tantùm terram repromissionis ingressi sunt. Hoc ergo audiant, qui ita Dominum misericordem esse uolunt, ut iustum esse non credant. Si enim diligenter attendimus fratres charissimi, & erga illa sexcenta milia quæ in eremo mortua fuerant Deus noster misericors fuit, & circa illos duos qui terrã repromissionis intrauerũt iustus apparuit. Quomodo non fuit misericors, qui eos per quadraginta annos reseruauit & expectauit ad pœnitentiam, & non solùm conuerti noluerunt, sed etiam frequenti rebellione contra Dominum murmurantes, ad peccatorum suorum cumulum grauiorem semper sarcinam addiderunt? Quomodo non est misericors, qui nos tãto tempore expectat ut corrigamur? Nunquid tam prolixa misericordia potest Deo auferre iustitiam? Quantò enim diutius expectat, tantò grauius uindicat. Quãdo enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali à Domino sustinemus, patientia est non negligentia. Nõ ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reseruauit. Ergo & in illis qui in eremo mortui sunt misericors fuit, quos tanta longanimitate sustinuit: & in illis duobus promissa compleuit, quos fidei merito in terram repromissionis induxit. Sed dicit aliquis quòd etiam si egissent pœnitentiam, terrã repromissionis intrare non potuissent, quia Deus diffinitam illis dederat sententiam dicens: Non intrabitis terram pro qua iuraui patribus uestris, sed in solitudine iacebunt cadauera uestra. Non ita est fratres charissimi. Atque utinam tam citò peccator homo resurgat ad pœnitentiam, quàm citò Deus etiam diffinitam *Eiusdẽ lib. Serm. 102.*

uult mutare sententiam. Audi ipsum Dominum per prophetam spem maxi- C
Hiere.26. mam humano generi promittentem: Repente, inquit, loquar ad gentem, ut pro peccatis suis faciam eis malum, & si pro iniquitatibus suis egerit pœnitentiam, & ego pœnitentiam agam super malo, quod cogitaui ut facerem eis, & non faciam. Videte fratres, quanta sit circa nos pietas Dei nostri, & agnoscite utrùm uelit negare misericordiam, qui de conuersione nostra suam dixerat mutare sententiam. Conuertamur ergo fratres charissimi, nec emendationem nostram ad extremum uitæ nostræ tempus differre uelimus, sed audiamus prophetam
Eccl.5. dicentem: Nolite tardè conuerti ad Dominum, nec differatis de die in diem, quia nescitis quæ superuentura pariat dies. O homo quare differs de die in diem, fortè hodie habiturus ultimum diem? Semper ergo fratres charissimi, cum ingenti timore atque tremore ad memoriam reuocemus, quòd tanta sit apud Dominum nostrum iustitia, ut sicut iam suprà dictum est, de sexcentis milibus duo tantùm terram promissionis intrauerint. Hæc si humili & contrito corde assiduè cogitare uolumus, salubrem nobis metum incutientes, medicamenta nobis de alienis uulneribus facimus, & aliorum mors proficit ad nostram salutem. Iterum atque iterum rogo uos fratres, & admoneo ut istam seueritatem & iustum iudicium Dei quo senior ille populus pro peccato murmurationis in desertò consumptus est, cum grandi semper metu & sollicitudine cogitemus, & sic amemus Dei misericordiam, ut tamen iustitiam timeamus. Parcit modò et tacet, sed nõ semper tacebit. Modò enim pro ineffabili pietate sua nõ solùm nos admonet, sed etiam rogat ut nos à peccatis mortiferis reuocemus. Audiamus illum dum rogat, ne nos postea non audiat ille dum iudicat. Audiamus eũ per pro D
Eccl.30. phetam dicentem: Fili, inquit, miserere animæ placens Deo. Quid ad hæc respondebit humana fragilitas? Deus te rogat ut tui miserearis, & non uis. Causam tuam apud te agit, & à te non potest impetrare. Et quomodo te audit ille in die iudicij supplicantem, cùm tu eum pro teipso nolueris audire rogantem? Quis enim non expauescat & metuat fratres charissimi, quòd pro quadraginta dierum spacio annis quadraginta populus Iudæorum pœnã recipere meruit in eremo? Si enim pro unius diei culpa unius anni spacium recompensandum est pœna, nos qui tãta quotidie peccata committimus, si eleemosynarum uel pœnitentiæ non subuenerint medicamenta, timeo ne nobis non inferantur temporalia, sed æterna supplicia. Et quia calidis uulneribus solent medicamenta celerius subuenire, quotienscunque peccauerimus non expectemus mortifera securitate uulnera ipsa putrescere, nec iterum uulnera uulneribus augeamus, sed continuò ad spiritalem medicum recurrentes, salutem recipere festinemus. Et ideo quomodo quando in corpore uulnus accipimus, si statim medicamenta requirimus, citò sanitatem recipere poterîmus, ita si moram fecerit, necesse est ut tardius ad sanitatem plaga ipsa redeat, aut aliqua fœda cicatrix in corpore nostro remaneat Si hæc in corpore facimus, quanto magis in animæ uulneribus adhibere debemus, ubi ad imaginem & similitudinem Dei facti sumus? Si tantam curam impendimus corpori quod uelimus nolimus in puluerem redigendum est, quantam sollicitudinem & curam erga
Eph.5. salutem animæ debemus apponere? ut sicut dicit Apostolus: Sine macula uel

ruga

A ruga mereamur ante tribunal æterni iudicis apparere? Ne fortè si multis peccatorum uulneribus lacerati, & uitiorum pannis sordentibus inuoluti, ad illud nuptiale conuiuium uenerimus, dicatur nobis illud quod ipse sponsus cœlestis in euangelio dixit: Amice quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? Matth. 22.
Auertat à nobis Deus illud quod sequitur: Cùm enim hæc peccator ille audiens obmutesceret, dixit patrifamiliâs: Ligate illi manus & pedes, & proijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Ecce qualem sententiam accepturi sunt qui maiorem de corpore quàm de anima sollicitudinem gerunt, & plus cogitant quáliter caro sua paruissimo tempore uiuat in oculis hominum, quàm quomodo anima sua ornata bonis operibus ad beatitudinem uel similitudinem perueniat angelorum.

Quæst. super Num. lib. 4. Cap. XXIII. Tomo IIII.

Quoniam cibus nobis sunt. Intelligi uoluerunt, consumemus eos. Quòd uerò adiunxerunt, abscessit enim tempus ab eis, Dominus autem in eis: satis diligenter non dixerunt abscessit Dominus ab eis, impij quippe antiquitus fuerunt: sed quoniam & impijs occulta dispensatione diuinæ prouidentiæ datur tempus florendi atque regnandi, abscessit, inquiunt, tempus ab eis, Dominus autem in nobis: non dixerunt, abscessit tempus ab eis, & nostrum successit, Dominus autem in nobis, non tempus. Illi enim tempus habuerunt, isti Dominum Deum temporum creatorem & ordinatorem, & quorumque ut ei placet distributorem.

B CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Quæst. super Num. lib. 4. Cap. XXIIII. Tomo IIII.

Quod si per ignorantiam præterieritis &c. Quòd præcipitur quomodo expientur peccata quæ non sponte committuntur, meritò quæritur quæ sint ipsa peccata nolentium? utrùm quæ a nescientibus committuntur: an etiam possit rectè dici peccatum esse nolentis, quod facere compellitur: nam & hoc contra uoluntatem facere dici solet. Sed utique uult propter quod facit cùm uult uiuere, si scilicet quisquam nisi fecerit mortem minetur. Vult ergo facere, quia uult uiuere: & ideo non per seipsum appetendo ut falsum iuret, sed ut falsum iurādo uiuat. Quod si ita est, nescio utrùm possint dici ista peccata nolentium, qualia hîc dicuntur expianda. Nam si diligenter consideratur, fortè ipsum peccare nemo uelit, sed propter aliud fit quod uult qui peccat. Omnes quippe homines qui scientes faciunt quod nō licet, uellent licere. Vsque adeò ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud quod ex eo cōsequitur. Hæc ita se habent, non sunt peccata nolentium, nisi nescientium, quæ discernuntur à peccatis uolentium. Sequitur.

Et anima quæcunque peccauerit in manu superbiæ. Quæ sint peccata quæ fiūt in manu superbię, id est, superbiā cōmittūtur, scriptura ipsa in cōsequētibus satis exposuit, ubi ait: quoniā uerbū Domini cōtempsit. Aliud est ergo præcepta cōtemnere: aliud magnipendere quidē, sed aut ignarū contrà facere, aut uictū. Quæ duo fortasse pertineāt ad illa peccata, quæ à nolētibus fiūt; de quib. superiùs quēadmodū

Deo propitiato expiarentur admonuit:ac deinde subiecit peccata superbiæ, cùm C
quisque superbiendo, id est, præceptum contemnendo perperam facit. Quod genus peccati non dixit ullo genere sacrificij purgari oportere, tanquam insanabile iudicans, illa duntaxat curatione, quæ per sacrificia gerebatur, qualia facienda in hac scriptura præcipiuntur. Quæ si per ipsa attendantur, nullo pacto possunt mederi. Si autem res ipsæ quarum hæc sacramenta sunt inquirantur in eis inueniri
Pro.18. poterit purgatio peccatorũ. Quod ergo scriptum est: Peccator cùm uenerit in profundũ malorum contẽnit: iste significatus est, quem scriptura hoc loco dicit: in manu superbiæ delinquere. Hoc igitur sine pœna eius qui cõmittit non potest aboleri, atq; ideo nõ potest non punitum esse: & cùm pœnitẽdo sanatur, ipsa afflictio pœnitentis pœna peccati est, quãuis medicinalis & salubris. Meritò quippe magnum iudicatur peccatum cùm superbia præceptum cõtemnit: sed ecôtrariò ut sanari posiit, cor cõtritum & humiliatum Deus non spernit. Veruntamen quia sine pœna non fit, ideo talia hîc dicta sunt: Deum, inquit, hîc exacerbat, quia Deus superbis resistit. Et exterminabitur anima illa de populo suo, quoniam talis omninò in numero eorũ qui ad Deũ pertinent nõ est: quoniã uerbũ Domini cõtempsit, & mandata eius disperdidit, contritione conteretur anima illa. Quare autẽ contritione conteretur, consequenter adiungit dicens: Peccatum eius in illo: ac per hoc si tali peccato debitam contritionem ipse sibi adhibeat, pœnitẽdo, cor cõtritum ut dictum est, Deus non spernet: quamuis in Græco non dictum sit hoc loco, contritione conteretur, sed ex contritione exteretur anima illa. Quod ita accipi potest quasi omnimodò terendo extinguatur, ac si non sit.

Locut. de Numer. lib. 4. Tomo III. D

Et anima quæcumque fecerit in manu superbiæ. Manũ ponit pro opere siue potestate.

Ex lib. Cont. Adimant. Manich. discip. Cap. XXII. Tomo VI.

Inuenerunt uirum quẽdam qui colligebat ligna. De homine quẽ lapidari Deus iussit, qui sabbato inuentus est ligna colligere, Dominus in euãgelio ubi hominis manũ aridã sanauit die sabbati, diuinũ opus fecit, non humanũ: nec ab otio recessit qui iussit & factũ est. Et ideo nõ est simile hoc factũ ligna colligenti, quod facere cùm inuentus esset homo die sabbati, iussu Dei lapidatus est. De seruili autem obseruatione sabbati, & de uindicta temporalis mortis, iã multa dicta sunt. Sicut enim tẽpore charitatis bonitas, sic tempore timoris seueritas Dei maximè cõmendatur. Et cùm adhuc non oporteret ante aduentum Domini nudare populo legitimarũ sacramenta figurarũ, non inuitabantur significata intelligere, sed iussa cogebãtur implere: nondũ enim Deo inhęrebãt per spiritũ, sed per carnẽ legi seruiebãt. Miror autẽ quod isti plãgũt lapidatũ hominẽ Dei præcepto, quia cõtra iussa legis ligna collegit, & nõ plãgunt arefactã ficulneã uerbo Christi, quæ contra nullum præceptum fecerat, cùm talem animã arboris esse credãt qualem hominis.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Quæst. super Num. lib. 4. Cap. XXVI. Tomo IIII.

O *Culos hominum illorũ abscidisses*. Quorũ hominũ oculos dixerũt? Vtrùm populi Israël, tanquã dicentes: Si ista præstitisses, oculos hominũ illorũ

abscidisses,

A abſcidiſſes,id eſt,ita te diligerent,ut oculos ſuos eruerent et darent tibi. Quod indicium magnæ dilectionis,& Apoſtolus dicit: Quoniam ſi fieri poſſet oculos ueſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi. Et deinde plenam cõtumaciam addidernnt: Nõ aſcendimus,id eſt,non ueniemus,quia uocauerat eos. An potius oculos hominũ illorum dicit hoſtium,qui nimis acres & terribiles fuerant nuntiati: tanquam dicerent,& ſi hoc feciſſes,non tibi obtemperaremus, niſi quòd modus uerbi alius pro alio poſitus eſt,ut non dicerent,non aſcenderemus,ſed non aſcendimus quodam genere locutionis? Sequitur. Gal.4.

Abſcedite uos de medio ſynagogæ iſtius. Notãdum eſt tunc iubere Dominum ſeparationem fieri corporalem,cùm iam uindicta imminet malis. Sic Noë cum domo ſua ſeparatur à cæteris diluuio perituris. Sic Loth cum ſuis ſeparatur à Sodomis igne cœlitùs conſumendis. Sic ipſe populus ab Aegyptijs marinis fluctibus obruendis. Sic iſti nunc à ſynagoga Chore Abiron & Dathan,qui ſe primitus per ſeditionem abrumpere uoluerunt: cum quibus tamen ſancti antea uiuentes & conuerſantes,& cum cæteris quos reprobat Deus ſecundum uerba,quæ in eos increpans dicit,contaminari tamen ab eis minimè potuerunt,nec ſeparari iuſſi ſunt,quando uindictam Dominus,ſiue differebat,ſiue talem adhibebat,qua innocentes periclitari lædíue non poſſent,ſicut ſerpentum morſibus, ſicut ſtrage mortium qua Deus,quem uolebat,ſicut uolebat alio percutiebat intacto: non ſicut aqua diluuij,aut ignea pluuia,aut aqua maris,aut hiatu terrę,quę permixtos poterat pariter abſumere: non quia & ibi Deus ſuos conſeruare non poſſet, ſed quia opus erat tentatione miraculi,ubi ſeparatio fieri poterat, ut uel
B aqua uel ignis,uel hiatus terræ quos inueniſſet auferret. Sic & in fine à zizanijs ſeparabuntur frumenta,& malos cremantibus flammis, iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Sequitur.

Viuentes ad inferos. Notandum ſecundum locum terrenum dictos eſſe inferos,hoc eſt in inferioribus terræ partibus. Variè quippe in ſcripturis & ſub intellectu multiplici,ſicut rerum de quibus agitur ſenſus exigit,nomen ponitur inferorum,& maximè in mortuis hoc accipi ſolet. Sed quoniam iſtos uiuentes dictũ eſt ad inferos deſcendiſſe,& ipſa narratione quid factum fuerit ſatis apparet,manifeſtum eſt,ut dixi,inferiores partes terræ inferorum uocabulo nuncupatas,in comparatione huius ſuperioris terræ in cuius facie uiuitur: ſicut in comparatione cœli ſuperioris ubi ſanctorum demoratio eſt angelorum,peccantes angelos in huius aëris detruſos caliginem,ſcriptura dicit tanquam carceribus inferi puniendos reſeruari. Si enim Deus,inquit,angelis peccantibus non pepercit,ſed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in iudicio puniendos reſeruari,cùm Apoſtolus Paulus principem poteſtatis diabolum dicat: qui operatur in filijs diffidentiæ. Sequitur. 2.Pet.2. Ephe.2.

Tollite thuribula ærea. Hoc loco cur non ad Moyſen & Aaron ſicut in ſuperioribus Dominus locutus ſit,ſed ad Moyſen & Eleazarum filium Aaron,hæc mihi cauſa interim occurrit: Quoniam quæſtio erat de progenie ſacerdotum,id eſt,de quo genere eſſe deberent: unde illi ex alio genere,quia ſibi uſurpare ſacerdotium auſi ſunt,tam horrẽdo & mirabili ſupplicio perierunt: nõ ad Aaron,quia iã ſum-

mus sacerdos erat, sed ad Eleazarum uoluit loqui Deus qui ei succedere debebat, C
& secundo iam sacerdotio fungebatur, ut eo modo seriem generis commendaret quæ in successionibus sacerdotum esse deberet. Vnde etiam in consequentibus dicit: Et accæpit Eleazar &c. Hoc ergo modo uoluit per Eleazarum Deus non sacerdotium quod iam erat in Aaron, sed successionis sacerdotalis progeniem commendare &c. Sed notãdum nouo modo dicta sanctificata pœna eorum, à quibus hoc peccatum fuerat perpetratum: quia per eos exemplum datum est cęteris quò timerent. Circumpositionem autem altari, cur eis fieri uoluit, addidit dicens: quoniam oblata sunt ante Dominum, & sanctificata facta sunt in signum filijs Israël: non ergo in eis reprobari uoluit, quòd à talibus oblata sunt, sed hoc potius attendi ante quem oblata sint, id est, quia ante Dominum, ut plus in eis ualeret nomen Domini, ante quem oblata sunt, quàm pessimum meritum eorum, à quibus oblata sunt.

Ex lib. Sermon de Temp. Serm. 98. Tomo X.

P*roducátque ea in lamınas & affigat altari &c.* Modo fratres dilectissimi, cùm diuina lectio legeretur, audiuimus dixisse Dominum ad Moysen, ut thuribula in quibus superbi illi ac rebelles incensum obtulerant conflaret & producta in laminas altari affigeret, ut essent in testimonium rebellium & superborum. Thuribula, inquit Dominus, quę sanctificata sunt in mortibus peccatorum; facito ea laminas ductiles & circunda ex eis altare, quia oblata sunt corã Domino & sanctificata sunt. Hoc ergo per hanc figuram uidetur ostendi, quòd thuribula ista quę scriptura nominat ærea, imaginem teneant scripturæ diuinæ: cui scripturæ hæretici ignẽ alienum imponentes, sensum uidelicet per errorem & intelligentiam alienam à Deo D
& ueritati contrariam introducentes, incensum Domino non suaue sed execrabile offerunt. Ista ergo thuribula ærea, id est, hæreticorum uoces, si adhibeamus ad altare Dei, ubi diuinus ignis est, ubi uera fidei prædicatio, melius ipsa ueritas ex falsorum comparatione fulgebit. Si enim uerbi gratia dicam, ponam dicta Arianorũ uel Manichæorum, aut alterius cuiuslibet hæreticorum, & ex sermonibus ueritatis ac scripturarum diuinarum testimonijs uelut diuini altaris igne cõfutem, nónne euidentior eorum ex ipsa comparatione apparebit impietas? Nam si doctrina ecclesiastica simplex esset & nullis extrinsecus hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara & tam examinata uideri fides nostra. Sed idcirco doctrinam catholicam contradicentium obsidet impugnatio, ut fides nostra non ocio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc deni-
1. Cor. 11. que & Apostolus dicebat: Oportet autem & hæreses esse, ut probati quique manifesti fiant inter uos. Hoc est dicere: Oportet hæreticorum thuribulis altare circundari: ut certa & manifesta omnibus fiat fidelium atque infidelium differentia. Cùm enim fides catholica uelut aurum cœperit fulgere, & prædicatio eius ut argentum igne probatum intuentibus resplenduerit, tunc maiore cum turpitudine & dedecore hæreticorum uoces obscuri æramenti utilitate sordebunt. Hęc autem diximus de thuribulis eorum qui condemnati sunt, quæ altari iubentur affigi, quòd ex comparatione impiorum isti clariores appareant: simul ut & posteris daretur exemplum, ne quis præsumptione superbi spiritus non sibi à Deo datum

munus

A munus pontificatus inuaderet: sed ut illi credatur, quem nō ambitio humana, nō fauor corruptus asciuerit, nec munerum oblatio prophana surrogauerit, sed meritorum cōscientia & Dei uolūtas assumpserit. Quod ergo pertulerūt superbi illi Leuitæ, qui Domino nō iubente sibi sacerdotium uendicabant, hoc patiuntur, quicunque se aut ad episcopatus, aut presbyteratus, uel diaconatus officiū uel muneribus aut adulationibus impudēter conātur ingerere. Quomodo cōbusti sunt illi in corpore, sic isti exurētur in corde. Hortatur ergo Moyses pontificē magnū ut offerat incensum in castris, & exoret pro populo. Iā enim, inquit, uastari populus cœpit. In spiritu uidebat Moyses quæ gerebātur. Abijt ergo Aaron ut offerret incensum pro populo, & stetit inter uiuos & mortuos, & mitigatus est furor Dei. Si intellexisti historiæ ordinē, & oculis, ut ita dicam, cernere potuisti stantem pontificem medium inter uiuos & mortuos, ascende nunc ad uerbi huius celsiora fastigia, & uide quomodo uerus pōtifex Iesus Christus assumpto thuribulo carnis humanæ, & superposito igne altaris, anima sine dubio illa magnifica cum qua natus est in carne, adiecto etiā incenso qui est spiritus immaculatus, medius inter uiuos & mortuos stetit, & mortē nō permisit ultrà grassari, sed sicut Apostolus dixit: destruxit eum qui habebat mortis imperiū, id est, diabolū, ut qui in ipsum pōtificem Christum credit, iā nō moriatur sed uiuat in æternū. Hoc fuit ergo mysterium, quod postea futurū iā tunc angelus ille qui populū uastabat expauit. Agnoscebat enim figurā thuribuli & ignis & incensi, & qualis offerenda esset Deo hostia ab eo qui medius mortuorum uiuorumq; constituendus erat præuidebat: & illos tunc imago præfigurata saluauit, ad nos autem salutis ueritas ipsa peruenit. Heb.2.

B Neque enim indumenta pontificis purpura ac lana byssóque contexta erubuisset angelus ille uastator, sed ista quæ futura erant indumenta Domini & saluatoris nostri singularis & magni pontificis intellexit, & his cessit, quibus utique uniuersa creatura inferior erat. Puto autē quòd non solùm primo aduentu Domini & saluatoris nostri forma ipsa cōpleta sit, sed eadē fortasse seruabitur & in secundo. Veniet iterum filius hominis, & cùm uenerit sine dubio inueniet quosdam mortuos, quosdam uiuentes. Hoc loco non incongruè mortui intelliguntur illi, qui nimietate scelerum in peccatis suis mortui comprobantur, uiuētes autem illi qui in operibus uitę permanserint. Veruntamen utrolibet modo stabit etiam in futuro magnus hic pontifex & saluator noster medius uiuorum & mortuorum &c.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

A *Ccipe ab eis uirgas singulas per cognationes suas &c.* Omnis princeps tribus populi habet uirgā. Non enim potest quis regere populum, nisi habeat uirgam. Vnde & Paulus Apostolus quia princeps erat populi, idcirco dicebat: Quid uultis? In uirga ueniam ad uos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Omnes ergo principes tribuum habeant necesse est uirgas suas, sed unus solus, sicut scriptura dicit, uerus pontifex, cuius ille Aaron sacerdos præferebat figuram. Huius ergo uirga germinauit. Sicut enim uirga Aaron germinauit in populo Iudæorum, ita crux Christi floruit in populo gētium. Verùm quoniam ut sæpe ostendimus, uerus pontifex Christus est, ipse solus est cuius uirga *Eiusdē lib. Serm. 99.*

crucis non solùm germinauit, sed & floruit, & omnes credentium populorum C
fructus exhibuit. Quis autem iste est fructus quem attulit? Amygdalas, inquit.
Amygdalæ fratres, nuces sunt: Qui fructus primo quidem indumento amarus est, sequenti munitur ac tegitur, tertio sumentem pascit ac nutrit. Talis ergo est in ecclesia Christi doctrina legis ac prophetarum: Prima literæ facies satis amara est, quæ quidem circuncisionem carnis præcipit, quæ de sacrificijs mandat, & cætera quæ per occidentem literam designantur. Hæc omnia tanquam amaram nucis corticem proijce. Secundo in loco ad munimenta tecta peruenies, in quo uel moralis doctrina uel ratio continentiæ designatur. Quæ necessaria quidem sunt ad custodiam eorum quæ seruantur intrinsecus, frangenda tamen quandoque & sine dubio dissoluenda sunt: Vt si uerbi causa dimicamus, abstinentia ciborum & castigatio corporis donec sumus in corpore isto corruptibili & passibili sine dubio necessaria est: cùm autem superueniente morte confractum fuerit & resolutum, & resurrectionis tempore incorruptibile ex corruptibili redditum, atque ex animali spiritale, non iam labore afflictionis, nec abstinentiæ castigatione, sed qualitate sui, nulla iam corpori corruptela dominabitur. Sic ergo & nunc durior testa nucis uelut necessaria abstinentiæ ratio uidetur, & postmodum non quærenda. Tertio autem loco, reconditum uelut in nuce inuenies secretum mysteriorum sapientiæ & scientiæ Dei sensum, quo nutriantur & pascantur animæ sanctæ, non solùm in præsenti uita, sed etiam in futura. Ipse enim est pontificalis fructus, de quo promittitur his qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Hoc igitur modo in omnibus scripturis triplex huius sacramenti ratio percurrit. Sic & sapientia monet, ut describamus eam no- D
bis in corde tripliciter, ad respõdendum, inquit, uerbum ueritatis his qui propo-
Pro.22. suerunt nobis. Nam quia sacramentum sacerdotale est uirga nucis, idcirco arbitror etiam Hieremiam qui erat unus ex sacerdotibus ex Anathot uidisse uirgam nuceam, & prophetasse de ea illa quæ scripta sunt, uel de uirga nucea, uel de lebete siue olla succensa, quasi ostenderit per hæc in uirga nucea esse uitam, & in lebete succensa esse mortem: Vita enim & mors ponitur ante faciem nostram,
Hier.21. & uita quidem Christus in sacramento nucis, mors autem diabolus in figura lebetis succensæ. Si ergo peccaueris, portionem tuam pones cum olla succensa. Si autem iustè egeris, efficietur portio tua in uirgam nuceam cum magno pontifi-
Cant.6. ce. Sed & in Canticis canticorum sponsa dicitur descendisse in hortum nucis, ubi etiam pariter cum nucibus sacerdotalium quodammodo pomorum copiã perferri bitur inuenisse. Diligenter attendite fratres, quia unum promisit Deus futurum in uirga, sed plura dedit. Verum est fratres. Cõsuetudinis suæ rem fecit Dominus noster. Semper enim maiora tribuit quàm promittit. Et erit, inquit, homo quem cũque elegero, uirga eius germinãs: hoc est solùm quod promisit Deus, ut uirga eius quẽ eligeret, germinet. Vbi uerò ad rẽ uenitur, ut quod promissum est ostẽdatur impletum, non unum illud quod promissum fuerat effectum dicitur, sed uide quãta addantur. Ait enim scriptura: Ecce germinauit uirga Aarõ in domo Leui. Hoc est unum illud sine dubio quod fuerat repromissum. Sed adduntur alia, & dicitur: Et produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces. Cùm ergo

A ergo de solo germine fuisset repromissum, uide quanta largitur Deus, ut non solùm germen produxerit, sed & frondes: & non solùm frondes, sed & flores: & non solùm flores, sed & fructus. Quid igitur est quòd ex his colligi & contemplari posit uideamus. Primum omnium resurrectionis ex mortuis sacramentum in his euidēter agnoscimus. Virga enim arida germinat, cùm corpus extinctum cœperit reuiuiscere. Quæ sunt autem quatuor ista, quæ resurgenti corpori præstabuntur? Vt seminatum in corruptionem, surgat in incorruptione. Et seminatum in infirmitatem, surgat in uirtute. Seminatum in ignominiam, surgat in gloria. Et seminatum corpus animale, resurgat corpus spiritale. Ista sunt quatuor, quæ uirga arida corporis nostri in resurrectione germinabit. Sed redeamus ad ea quæ de uirga dicere cœperamus. Possumus adhuc sic intelligere eorum quæ uirga germinauerat differentias. Omnis qui in Christo credit, primò moritur, & post hoc renascitur. Et est etiam in figura quòd uirga arida postmodum germinat. Est ergo primum germen, prima hominis in Christo confesio: Secūdò frondescit, ubi renatus donum gratiæ Dei sanctificationémque susceperit. Inde affert flores, ubi proficere cœperit, & morum suauitate decorari, ac fragrantiam misericordiæ & benignitatis effundere. Ad ultimum quoque affert etiam fructus iustitiæ, quibus nō solùm ipse uiuat, sed & alijs uitam præbeat. Cùm autem ad perfectum uenerit, & protulerit ex se uerbum fidei, uerbum scientiæ Dei, & per doctrinam suam alios lucrifecerit, hoc est, attulisse fructus quibus alij nutriantur. Sic ergo singuli quique credentium de uirga Aaron quæ Christus est germinantur. Quorum quatuor istæ differentiæ in alijs scripturæ locis uelut ætates quatuor

B designātur, quas Ioannes apostolus in epistola sua distinctione mystica comprehendit. Ait enim: Scripsi uobis pueri, scripsi uobis adolescentes, scripsi uobis iuuenes, scripsi uobis patres: In quibus utique non corporales ætates, sed spiritalium profectuum differentias ponit. Sic etiam in hoc sacerdotalis uirgæ germen obseruabimus designari. Habentur ergo omnia hæc non tam in uirga Aaron, quàm in ea uirga quæ exijt de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit, supra quem requiescit spiritus Dei. In quo nec hoc ipsum uidetur ociosum, quòd exire dicitur uirga, & flos ascendere. Quamuis enim unus sit Christus, singulis tamen diuersus efficitur, prout indiget is qui operatur. Qui ergo segnior est & negligentior, pro disciplina Christus ei efficitur uirga, & in uirga non ascendere dicitur sed exire. Exeundum namq; est ei qui inutilis & ignauus est, de eo statu in quo non rectè consistit, transeundum ad alium statum tanquam uirgę compulsione, id est, sæueritate doctrinæ rigidioris admonitu. Qui uerò iustus est, quia iustus sicut palma floret, in hoc ascendere dicitur Christus. Sic ergo qui uerberibus indiget, exit ad eum uirga: Qui autem proficit ad iustitiam, ascendit ei in florem. Ascendit autem quousque afferat fructus spiritus, qui sunt charitas, pax, patientia &c. 1. Ioan. 2.

De Trinit. lib. 3. Cap. V. Tomo III.

Inueni germinasse uirgam Aaron. Verùm cùm floruit uirga sacerdotis Aaron. Collocuta est quodammodo cum dubitante humanitate diuinitas.

CAPVT

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Quæst.super Numer.lib.4. Cap.XXXI. Tomo IIII.

Ccipietis peccata sanctorum. Hæc sunt peccata quæ appellantur sacrificia
A pro peccatis. Proinde peccata sanctorum dictũ est, non quæ sancti committunt, sed ab eo quod sunt sanctasanctorũ, quia in sanctis offerũtur. Et peccata dicuntur sacrificia pro peccatis: ideo appellata sunt peccata sanctorũ. Et peccata sacerdotij uestri, id est, eadẽ ipsa quæ offerũtur pro peccatis. Sequitur.

Primogenita omnia. Hîc primogenita, non fœtus primitiuos pecorũ dicit: nam ipsa Græcè πρωτότοκα nominantur, hæc autem πρωτογενήματα. Sed Latinè duabus his rebus, duo nomina reperta non sunt. Et ideo ista πρωτογενήματα quidam primitias interpretati sunt. Sed primitiæ ἀπαρχαὶ dicuntur, & aliud sunt. Hæc igitur tria ita discernuntur, quia πρωτότοκα sunt primitiui animalium fœtus, etiam hominum: πρωτογενήματα uerò primi fructus de terra sumpti, uel de arbore, uel de uite. Primitiæ autem de fructibus quidem, sed iam redactis ab agro: sicut de massa, de lacu, de dolio, de cupa, quæ primitus sumebantur.

Locut.de Numer. lib.4. Cap.XXXII. Tomo III.

Et ego accepi fratres uestros leuitas de medio filiorum Israel dationem datam Domino: Hæc locutio in latinum necessitate ita translata est: Nam Græcus habet δόμα δεδομένον, quod si quisquã latinè uelit exprimere, dicturus est, datum datum, quia
Phil.4. & δόμα datum est, secundum quod dicit Apostolus: Non quia quæro datum, sed
Gen.4. requiro fructum. Quod in Græco δόμα scriptũ est. Et in Genesi: Dedit Abraham
Matth. data filijs suis, Græcus habet δόματα. Et in euangelio: Nostis bona data dare filijs D
uestris, δόματα est in Græco. Et δεδομένον datum est, non nomen sed participium. Ac per hoc, datum datum dici posset tanquã datum quod datur, nisi ambiguitas uitanda esset. Hanc ambiguitatem quidam nostri uitare conantes interpretes, donum datum dixerunt. Sed donum Grecè δῶρον dicitur, non δόμα. Vnde hoc loco non rectè diceretur quia nõ sibi hoc donatũ à filijs Israël dicit Deus, sed pro primogenitis sibi debitis redditum. Vnde & quæ redduntur & quæ donantur, data dici possunt. Et ideo omne donum etiam datum est, non omne datum etiam donum est, quia non omne quod datur continuò etiam donatur.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Quæst.super Num.lib.4. Cap.XXXIII. Tomo IIII.

T adducant ad te uaccam rufam. De iuuenca rufa, cuius cinerẽ ad aquam
V aspersionis, eorúmque mundationem qui mortuum tetigerint, proficere lex mandauit, nec tangere permittimur. Euidentissimum enim signum in ea noui testamenti præfigurabatur, nec satis dignè festinantius dicere de tanto sacramento ualemus. Primò enim quòd ita cœpit de hac re loqui scriptura, quem non moueat, & intentissimam mentem faciat in altitudine sacramenti? Et locutus est, inquit, Dominus ad Moysen & Aaron dicens: Ista distinctio legis quæcunque constituit Dominus: proculdubiò non est distinctio nisi inter aliqua duo uel plura: nam distinctionem singularitas non requirit. Nec distinctionem cuiuslibet

A cuiuslibet rei cômemorauit,sed addidit legis,nec cuiu scunq; legis:aßiduè quippe in scriptura dicitur de unaquaq; re,de qua legitimè præcipitur.Hîc uerò cùm dixisset:Hæc est distinctio legis,secutus adiũxit:Quæcunq; cõstituit Dominus,prę cipiendo utiq;,non creãdo.Nã etiam nõnulli interpretes:Quæcunq; pręcepit Dominus,trãstulerunt.Si ergo hęc est distinctio legis,quæcunq: præcepit Dominus, proculdubio magna est ista distinctio. Et rectè intelligitur duo testamenta distinguere.Eadem quippe sunt in ueteri & nouo:ibi obumbrata,hîc reuelata:ibi præfigurata,hîc manifestata.Nam non solùm sacramẽta diuersa sunt,uerumetiã promissa ibi uidentur temporalia proponi,quibus spiritale præmium occultè significetur:hîc autem manifestißimè spiritalia promittuntur & æterna. Temporalium autem bonorum atq: carnalium,& spiritalium atq; æternorum, quæ clarior certiorq; distinctio est,quàm paßio domini nostri Iesu Christi:in cuius morte satis cõstitit,non istam terrenam trãsitoriamq; fœlicitatẽ à domino Deo pro magno munere sperandam & optandam?Quandoquidem in unigenito filio suo, quem tanta illa perpeti uoluit,longè aliud à se peti expectariq; oportere apertißima distinctione declarauit.Hanc ergo paßionem domini nostri Iesu Christi,uelut distinctio ne duorum testamentorum,hoc quod de iuuencæ rufæ mactatione narratur, satis congruè præfigurat.Locutus est enim Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Loquere filijs Israël.Potest etiam ita distingui:Et locutus est Dominus ad Moysen & Aaron dicẽs:Ista distinctio legis quæcunq; cõstituit Dominus dicens,non quæcunq; constituit Dominus creans,sicut cœlum & terrã,& omnia quæ in eis sunt: sed quæcunq; constituit Dominus dicens:in duobus uidelicet testamentis, ut deinde

B sequatur: Loquere filijs Israël,& accipiant à te iuuencam rufam sine uitio. Iuuenca rufa carnem Christi significat.Sexus fœmineus est, propter infirmitatẽ carnis.Rufa est propter ipsam cruentam paßionem. Quod autem ait, accipiant à te, in ipso Moyse figuram legis ostendit:quoniam secundum legem sibi uisi sunt occidere Christum,quia soluebat secundum ipsos sabbatum,& sicut putabant obseruationes legitimas prophanabat.Quòd ergo sine uitio dicitur hæc iuuenca, mirũ non est.Hanc enim carnem etiam cæteræ hostiæ figurabant, ubi similiter sine uitio pecora immolari iubentur.Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati. Veruntamen hîc ubi euidentius legis distinctionem Deus uoluit commendare,parum fuit dicere sine uitio,nisi diceretur,quæ non in se habet uitium.Quod si repetendi causa dictum est,fortasse nõ frustra est,quòd eam rem ipsa repetitio firmius commendauit.Quanquam & illud non abhorret à uero, ut ideo additum intelligatur,quæ non habet in se uitium,cùm iam dictum esset, iuuencam sine uitio,quia in se non habuit uitium caro Christi,in alijs autem habuit qui mẽbra sunt eius.Quæ enim caro in hac uita sine peccato,nisi illa sola,quę non habet in se uitium?Et non est superpositum super eam iugum. Non enim subiugata est iniquitati,cui subiugatos inueniens liberauit, & eorum uincula dirupit, ut ei dicatur: Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Super illius *Psal.115.* quippe carnem non est positum iugum,qui potestatem habuit ponendi animam suam & iterum sumendi eam. Et dabis eam,inquit, ad Eleazarum sacerdotem. Cur non ad Aaron, nisi fortè ita præfiguratum est, non ad tempus, quod tunc erat,

erat, sed ad posteros huius sacerdotij passionem Domini, peruenturam? C

Et eiicient eam extra castra. Sic & eiectus est Dominus passurus extra ciuitatem. Quòd autem ait, in locum mundum, ita significatum est, quia non habuit causam malam. Et occident eam in conspectu eius, sicut occisa est caro Christi in conspectu eorum qui futuri erant in nouo testamento Domini sacerdotes. Et accipiet Eleazar sanguinem eius & asperget contra faciem tabernaculi testimonij in sanguine eius septies. Hæc testificatio est Christum secũdum scripturas fudisse sanguinem in remissionem peccatorum. Ideo contra faciem tabernaculi testimonij, quia non aliter declaratum est, quàm fuerat diuino testimonio prænunciatum. Et ideo septies, quia ipse numerus ad mundationem pertinet spiritalem. Et cremabunt eam in conspectu eius. Puto quia concrematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura est quippe ignis ut in superna moueatur, & in eum conuertitur quod crematur. Nam & ipsum cremare de græco in latinum ductum uerbum est, à suspensione. Quòd uerò additum est, in conspectu eius, id est, in conspectu sacerdotis: hoc mihi insinuatum uidetur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. Iam quod sequitur. Et pellis eius & carnes & sanguis eius cum stercore eius comburetur, id ipsum expositũ est quomodo concremabitur: & significatum est, quòd non solùm substantia mortalitatis corporis Christi, quæ commemoratione pellis & carnium & sanguinis intimata est: uerumetiam contumelia & abiectio plebis, quam nomine stercoris significatam puto, conuerteretur in gloriam, quam combustionis flamma significat. Et accipiet sacerdos lignum cedrinum & hysopum & coccinũ & immittet in medium combustionis iuuencæ. Lignum cedrinum spes est, quæ debet in supernis firmiter habitare. Hysopus fides, quæ cùm sit hærba humilis radicibus hæret in petra: coccinum charitas, quod feruorem spiritus igneo calore testatur. Hæc tria debemus mittere in resurrectionem Christi, tanquam in medium combustionis illius, ut D

Col. 3. cum illo sit abscondita uita nostra, sicut dicit Apostolus: Et uita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Et lauabit uestimẽta sua sacerdos, & lauabit corpus suum aqua, & postea introibit in castra, & immundus erit sacerdos usque ad uesperam. Lauatio uestimentorum, & corporis quid est, nisi mundatio exteriorum & interiorum? Et hęc sacerdos. Deinde sequitur. Et qui combureet eam, lauabit uestimenta sua & lauabit corpus suum aqua, & immundus erit usq; ad uesperam. In eo qui comburit, eos figuratos arbitror, qui Christi carnem sepelierunt, resurrectioni eam ueluti conflagrationi mandantes. Et congregabit homo mundus cinerem iuuencæ, & ponet extra castra in locum mũdum. Quid dicimus cinerem iuuencæ, reliquias uidelicet illius interfectionis & combustionis, nisi famam quæ

Psal. 36. consecuta est passionem resurrectionémque Christi? Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Nam & cinis erat, quia uelut mortuus ab infidelibus condemnabatur: & tamen mundabat, quia & resurrexisse à fidelibus credebatur. Et quia hæc fama apud eos maximè claruit, qui in cęteris gentibus erant, & non erant de consortio Iudæorum: ideo dictum esse existimo: & congregabit homo mundus cinerẽ iuuencæ: mundus utique ab interfectione Christi, quę Iudęos fecerat reos. Et reponet in locum mũdum, id est, honorabiliter tractabit. Tamen extra castra: quia

A quia extra celebrationem Iudaicæ consuetudinis honor euangelicus claruit. Et erit synagogæ filiorum Israël in conseruationẽ. Aqua aspersionis, purificatio est. Postea declarat plenius quemadmodum ex isto cinere fiebat aqua aspersionis, unde mundabantur à contactu mortuorum, quod utique significatur ab iniquitate moribundæ uel morticinæ uitæ. Sed mirum est quod sequitur: Et qui congregat, inquit, cinerem iuuencæ, lauabit uestimenta sua, & immundus erit usque ad uesperam. Quomodo erit ex hoc immundus, qui mundus accesserat: nisi quia & hi qui sibi uidentur mundi, in fide Christiana se agnoscũt, quia omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinem ipsius. Hunc tamen uestimenta sua lauare dixit, non etiam corpus suum. Credo quòd illius cineris congregatione & repositione in loco mundo, si hæc spiritaliter intelligantur, iam intrinsecus uult intelligi fuisse mundatum: sicut Cornelius audiens & credens quod prędicauerat Petrus, ita mundatus est, ut ante uisibilem baptismum cum suis qui aderant acciperet donum spiritussancti. Veruntamen nec uisibile sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam extrinsecus lauaret quodammodo uestimenta sua. Et erit, inquit, filijs Israël, & proselytis qui apponuntur, legitimum æternum. Quid aliud ostenditur, nisi baptismum Christi, quem significat aqua aspersionis, & Iudæis & gentibus profuturum, id est, filijs Israël & proselytis, tanquam naturalibus ramis, & inserto pinguedini radicis oleastro? Quem autem non faciat intentum quòd post ablutionem de singulis quibusque dicitur: & immundus erit usque ad uesperam? Neque hîc tantùm, sed in omnibus, aut penè in omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Vbi nescio utrùm aliquid aliud possit intelligi:

B nisi quòd omnis homo post remissionem plenissimam peccatorum permanendo in hac uita cõtrahit aliquid unde fit immundus, usque ad eiusdem uitæ finem, ubi ei dies iste quodãmodo clauditur, quod significat uespera. Deinde incipit scriptura dicere, & exequitur quemadmodum immũdi facti homines aqua illa aspersionis purificentur: Qui tetigerit, inquit, mortuũ, omnis anima hominis immunda erit septem diebus, hîc purificabitur die tertio & die septimo, & mundus erit. Et hîc nihil aliud intelligendum uideo, nisi cõtactum mortui, esse hominis iniquitatem. Septem uerò dierum immunditiam propter animã & corpus dictam puto, animam in ternario, corpus in quaternario. Quod quare ita sit, longum est disputare. Secundum hoc arbitror dictum per prophetam: In tribus & quatuor impietatibus non aduersabor. Adiungit autem dicens: Si autem non purificatus fuerit die tertio & die septimo, nõ erit mundus. Omnis qui tetigerit ab omni anima hominis & mortuus fuerit, & non fuerit purificatus, id est, antè mortuus fuerit tacto mortuo quàm fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit: exterminabitur anima illa ex Israël. Notandum est quòd difficilimè reperitur in his libris aliquid euidentius, de uita animæ post mortem fuisse conscriptum. Die tertio & in die septimo: & purificabitur die septimo, & lauabit uestimenta sua, & lauabit aqua & immũdus erit usque ad uesperam. Alia est aqua aspersionis, & alia utique illa qua lauit uestimenta sua. Et lauabitur aqua, quam puto spiritalem intelligendam per significationem, non per proprietatẽ. Nam sine dubio uisibilis erat, sicut illæ omnes umbræ futurorum. Proinde qui sacramẽto baptismi rectè abluitur,

Amos. 1.

tur, quod illa aspersionis aqua figurabatur, mundatur spiritaliter, id est, inuisibiliter in carne & in anima, ut sit mundus & corpore & spiritu. Quòd uerò hysopo dixit aqua aspersionis aspergi: quia hærbã suprà diximus fidẽ significari: quid aliud occurrit, nisi quod scriptum est: Fide mundans corda eorum: Non enim
Act.15. prodest baptismus, si desit fides. A uiro autem mundo dixit hoc fieri, ubi significantur ministri portantes personas Domini sui, qui uerè mundus est. Nam & de his ministris in consequentibus dicit, & qui circum asperget aquam aspersionis, lauabit uestimenta sua, id est, obseruabit & corpus. Et qui tetigerit aquam aspersionis immundus erit usque ad uesperam. Et omne quodcunq; tetigerit immundus, immundum erit. Et anima quæ tetigerit, immunda erit usque ad uesperam.

Omnis qui contigerit mortuum &c. Vide Leuit. Cap. 17. In hæc uerba: Anima omnis carnis sanguis est.

Quæst. super Num. Lib. 4. Cap. XXXIIII. Tomo IIII.

Omnis qui tetigerit super faciem campi uulneratum. Quæri potest quid sit dictum uulneratum, aut mortuum, si enim aliud uoluit intelligi uulneratum, aliud mortuum: cauendum est ne putetur immundus esse etiam qui tetigerit uulneratum uiuum, quod utique absurdũ est. Sed quia possent & mortui esse uulnerati, ipsos mortuos intelligitur discreuisse, ut & uulneratum mortuum intelligamus, id est, uulnere peremptum, & mortuum sine uulnere.

Qui intrauerit super animam mortuam. Vide. 1. Cor. 15. in hæc uerba: Sicut in Adam omnes moriuntur.

CAPVT VICESIMVM. D

Quæst. super Num. Lib. 4. Cap. XXXV. Tomo IIII.

Excutiens uirga bis silicem. Quòd de petra aqua educta est, apostolus
1.Cor.10. Paulus quid esset exposuit, ubi ait: Et omnes eũdem potũ spiritalem biberunt. Bibebãt autem de spiritali sequenti eos petra: Petra autem erat Christus. Significata est ergo de Christo profluens gratia spiritalis, qua interior sitis irrigaretur. Sed quòd uirga petra percutitur, crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram, gratia manauit, & quòd bis percutitur euidentius significat crucẽ. Duo quippe ligna sunt crux. Quòd de aqua illa quę de petra profluit dictum est: Hæc aqua contradictionis, quia maledixerant filij Israël ante Dominum & sanctificatus est in ipsis: prius maledixerunt quãdo locuti sunt contra beneficium Domini, quòd educti erant de Aegypto: & postea sanctificatus est in ipsis, cùm illo miraculo profluentis aquę eius sanctitas declarata est. An fortè duo genera hominum demonstrauit, & contradicentium gratiæ Christi, & percipientium gratiam Christi: ut illis sit aqua contradictionis, istis sanctificationis. Nam de ipso Domino in euangelio legitur: Et in signum cui contradicetur.

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 101. Tomo X.

QVamobrẽ immisit Dominus in populũ ignitos serpentes &c. In lectione quæ nobis recitata est fratres charissimi, audiuimus quòd eo tempore, quo

A quo propter superbiam Iudæorum, & murmurationem eorum contra donum à serpentibus regulis, id est, basiliscis in deserto populus uastabatur, præceperit Dominus Moysi ut serpentem æneum faceret, eumque in ligno suspenderet, quem percussi respicientes ab interitu sanarentur. Serpens iste fratres dilectissimi, licet hoc satis mirum esse uideatur, tamen figurauit incarnationem Domini. Durum fortè alicui uideri poterat ista significatio, nisi hoc ipse Dominus in euangelio suo dixisset. Sic enim ait: sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Suspensus est ergo tunc serpens æneus in conto, quia Christus suspendendus erat in ligno. Tunc enim quicunque fuisset à serpente percussus, serpentem æneum respiciebat & sanabatur: nunc uerò humanum genus, quod à spiritali serpente diabolo percussum fuerat, Christum credendo respicit & sanatur. Quicunque percussus serpentem illum æneum non uidisset, moriebatur. Ita est fratres, nisi quisque in Christum crediderit crucifixum, diaboli ueneno premitur. Tunc enim unusquisque respiciebat serpentem mortuum, ut posset euadere uiuum. Nunc uerò qui uult diaboli uitare uenenum, Christum respiciat crucifixum. Et quia mors a morsu nomen accæpit, & generi humano morsus antiqui serpentis acciderat, & mors nisi à morte superari non poterat: ideo mortem Christus sustinuit, ut iniusta mors iustam uinceret mortem, & liberaret reos iustè, dum pro eis occidebatur iniustè. Quicquid enim diabolus in Adam exercuerat, quasi iustè uidebatur egisse in homine, qui se unius arboris delectatione uendiderat. In Adam ergo quasi in proprio seruo iure sibi domino dominium uēdicauit: in passione autem Christi, in quo peccati maculam nō inuenit, iniustè mala omnia perpetrauit. Sic & ipse Dominus in euangelio dixit: Ecce uenit princeps huius mundi & in me nihil inuenit. Quid est nihil inuenit? Nullum omninò peccatum. Et in psalmis: Quæ non rapui, inquit, tunc exoluebam. Quod ergo iustè debebat Adam, Christus iniustè mortem suscipiendo persoluit. Ille expandit manum ad pomorum dulcedinem, iste ad crucis amaritudinem. Ille arborem necis, iste salutis ostendit. Ille se contra Deum erexit & cécidit, Christus se humiliauit ut omnes erigeret. Adam mortem uniuersis intulit, & Christus uitam omnibus reparauit. Respiciebat ergo unusquisque ad serpentem æneum, & à uenenatis serpentibus sanabatur. Serpens æneus in ligno positus uenena uiuorum serpentium superauit, & Christus in cruce suspensus & mortuus antiqua diaboli uenena restrinxit, & omnes qui ab eo percussi fuerant liberauit. Quare tamen serpens ille non de auro, non de argento, sed de æramento fuerit factus uideamus. Hoc mihi uidetur quòd duas significationes habere possit. Vnam propter diuturnitatem, quia uasa ænea durare diutius solent. Aliā propter crucis claritatem, nam inter omnia metalla uasa ærea maiorem tinnitum reddere & longius sonare solent. Doctrina non in una tantùm gente Iudæorum innotescere, sed per uniuersum mundum claro salutiferæ prædicationis sono poterat peruenire: ideo serpens ille æneus efficitur, ut doctrina Christi, in uniuerso mundo clarius prædicetur, secundum illud quod de Apostolis scriptum est: In omnem terrā exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Et tamen fratres etiā secundum medicorū carnalium disciplinam, quibus de morte serpētis cōtra uiuorum

Margin: B (at "nit, iniustè"); Ioan.14. ; Psal.68. ; Psal.19.

rum

rum serpentium uenena salubria præparantur antidota, non est incongruum ut C
mortuum debeat serpentem intendere, qui à uiuorum serpentium uenenis desiderat liberari. Hæc ergo omnia ideo diximus, ut quoscunque serpentis, id est, diaboli & angelorum eius uenena percusserint, ad Christũ qui in similitudine illius æ̨nei in ligno suspensus est, fideliter aspiciant, ut cum beato Paulo apostolo dicere
Gal.6. possint: Mihi autẽ absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Et quia de beatæ crucis mysterio diutius loqui & dulce est & salubre, reliquas eius significationes breuiter si iubetis charitatis uestræ auribus intimamus. Quid enim dulcius, quid suauius uel cogitari uel dici potest, quàm sanctę crucis mysterium, per quam non solùm ab inferis reuocari, sed etiam in cœlos eleuari meruimus. Quia sine ulla dubitatione ubi caput nostrum Christum ascendisse credimus, membra illius secutura esse confidimus. Ligni crucis etiam umbræ uel figuræ, in ueteri quoq; testamento plurimùm ualuerunt. Nullum Moyses signum sine ligni sacramento peregit. Vt enim signa & prodigia in Aegypto faceret uirgam accæpit à Domino, & ad signa quęque diuinitus audiebat, & dicebatur ei: Eleua uirgam tuam. Non utique Deus uirgæ auxilio indigebat, sed erigebatur ut scire possimus quantùm esset illud futuri ligni mysterium, cuius fuerat umbra figuratum uirgæ illius sacramentum. Fortè si rubrum mare diuidẽdum est, iubetur Moyses eleuare uirgam, & mare cognoscens uenturi ligni figuram, mox iter populo pandit insuetum. Si ad aquam Merrhæ amaram uenitur, nisi lignum in se suscæperit non dulcescit. Quæ res erat indicio, amaritudinem gentium per lignum crucis in usum dulcedinis quandoque esse uertendam. Si autem non habet aquam populus unde bibat, petra ligno percutitur & dat per gratiam quod non habuerat per naturam. Si Amalech sęuus hostis D
occurrit, Iesus filius Naue uirgam tenere manu iubetur, & Moyses brachia sua in modum crucis extendere, ac sic per figuram crucis uincitur insuperabilis inimicus. Sed nec Helisæus ligni huius mystici uirtutem penitus ignorauit, qui securim de manubrio in gurgitem lapsum misso in flumine ligno de profundo euocauit, significans utique dura corda & ferreas hominum ceruices de profundo emersas errore, ligno crucis esse in posterum subiugandas. O crux cuius tantus ac talis decerpitur fructus. Fructus autem crucis, gloriæ est resurrectio. Hic fructus ligni huius, uerè plantatus est secus decursus aquarum. Semper enim cruci baptisma iungitur. Dedit hoc lignum fructum in tempore suo, dedit fructum interim Domini resurrectione, dabit & cùm apparuerit de cœlis ille qui uisus est super terram, cùm præcedente ipso crucis signo iam fulgido uenerit de supernis: tunc resurgent corpora sepultorum, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc in suis cubilibus lætabuntur, qui nunc de sui regis ac Domini cruce non confunduntur, sed potius gloriantur.

Quæst. super Num. Lib. 4. Cap. XL. Tomo IIII.

Et uouit Israel uotum Domino. Id est, si mihi eum tradendo subieceris, anathemabo illum & ciuitates eius. Hîc uidendum est quomodo dicatur anathemabo, quod uouetur, & tamen pro maledicto ponitur, sicut & de isto populo dicitur: Vnde illud est: Si quis uobis euãgelizauerit pręter quàm quod accæpistis, anáthema sit.

A ma sit. Hinc uulgo dictum est, ut deuotatio dicatur. Nam deuotare se quenquam nemo ferè dicit, nisi maledicens. Sequitur.

Et anathemauit eum. Hinc dictũ est anáthema, quòd detestabile aliquid & abominabile uideatur. Vt enim nihil inde uictor in usus suos auferret, sed totum in pœnam luendam uoueret, hoc erat anathemare, quod uulgo dicitur deuotare. Origo autẽ huius uerbi est in græca lingua ab his rebus quæ uotæ, & persolutæ, hoc est promissæ & redditæ sursum ponebantur in templis, ἀπὸ τοῦ ἄνω τίθεσθαι, hoc est, sursum ponere uel figendo, uel suspendendo. Sequitur.

Trans Arnon in Hermon. Est enim Arnon limes inter Moab & inter Amorręũ. Propterea dicitur in libro: Bellum Domini Moab inflammauit & torrentes Arnon, & torrentes constituit inhabitare. Et in quo libro hoc scriptum sit, non commemorauit, neq; ullus est in his quos diuinæ scripturæ canonicos appellamus. De talibus occasiones reperiũt qui libros apocryphos incautorum auribus & curiosorum conantur inserere, ad persuadendas fabulosas impietates. Sed hîc dictum est scriptum in libro, non dictum est in cuius prophetæ, uel patriarchæ sancto libro. Neque negandum est fuisse iam libros siue Chaldæorum, unde egressus est Abraham, siue Aegyptiorum, ubi didicerat Moyses omnem illorum sapientiam, siue cuiusque gentis alterius. In quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum: qui tamen non ideo sit assumendus in eas scripturas, quibus diuina cõmẽdatur authoritas: sicut nec propheta ille Cretensis, cuius mentionem facit Apostolus, nec Græcorum scriptores uel philosophi uel poëtę, quos idem ipse Apostolus

B magnum sanè aliquid et ueraciter promptum apud Athenienses loquens dixisse Act. 17.

cõfirmat. In illo enim uiuimus, & mouemur & sumus. Licet enim diuinæ authoritati unde uoluerit quod uerum inuenerit testimonium sumere, sed non ideo omnia quæ ibi scripta sunt accipienda cõfirmat. Cur autem hoc isto cõmemoratũ sit loco, nõ euidenter apparet, nisi fortè ut fines illic inter duas gentes constituerẽtur, bello actum est, quod bellũ eiusdem loci homines propter magnitudinẽ, bellum Domini esse dixerũt, ut scriberetur in aliquo eorũ libro, bellũ Domini Moab inflãmauit: quòd uel arserit eodem bello ista ciuitas, aut ad pugnandum inflãmata sit, hoc est excitata, uel si quid aliud in obscuritate loci huius latet. Sequitur.

Et dominati sunt terræ. Hic certè Israël possedit ciuitates Amorrhæorum quas bello superauit, quia non eas anathemauit. Nam si eas anathemasset, posidere illi non liceret, nec inde ad usus suos aliquid prædæ usurparet. Notandum est sanè quemadmodum iusta bella gerebantur. Innoxius enim transitus negabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat. Sed iam ut Deus sua promissa compleret, adiuuit hic Israëlitas quibus Amorręorum terrã dari oportebat. Nã Edom cùm similiter eis transitum denegaret, non pugnauerunt cum ipsa gente Israëlitæ, id est, filij Iacob cum filijs Esau duorum germanorum atq; geminorũ, quia teram illam Israëlitis non promiserat, sed declinauerunt ab eis. Sequitur.

Propterea dicent ænigmatistæ. Qui sint ænigmatistæ ideo non apparet, quia nõ sunt in consuetudine literaturæ nostræ: neque in ipsis diuinis scripturis ferè alio loco reperitur hoc nomen. Sed quia uidentur quasi canticum dicere quo cecinerũt bellum inter Amorræos & Moabitas gestum, in quo Seon rex Amorræorum

Moabitas superauit,nõ incredibiliter putantur isti ænigmatistæ,sic tunc appellati, C
quos poëtas nos appellamus,eo quòd poëtarũ sit consuetudo atque licentia miscere carminibus suis ænigmata fabularum,quibus aliquid significare intelligantur, Non enim aliter essent ænigmata,nisi illic esset tropica locutio, qua discussa perueniretur ad intellectum qui in ænigmate latitarat.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

Ex Lib. Serm. de Temp. Serm. 103. Tomo X.

R*ofectique castrametati sunt in campestribus* Moab,*ubi trãs* Iordanem Hiericho *sita est &c.* Lectio quæ nobis hodie recitata est fratres charissimi,dicit, quòd profecti filij Israël collocauerunt castra ad occidentẽ Moab iuxta Iordanem contra Hiericho,& uidit Balach filius Sephor,& reliqua omnia de Balaam et asino scribit historia plena negotijs.Interior uerò intellectus multum negotiosior esse potest,uel ipsas tantùm historiæ explanari facit sententias,Deo tamen donante breuiter quæ possumus enarramus.Hic Balaam famosissimus erat in arte magica,& in carminibus noxijs præpotens.Nõ enim habebat potestatem uel à se uerba ad benedicendum,sed habebat ad maledicendum. Dęmones enim ad maledicendum inuitantur,non ad benedicendũ:& ideo quasi expertus in talibus,opinioni erat omnibus qui erant in oriente.Nisi enim experimenta plurima præcessissent,quòd frequẽter maledictis hostem uertisset armatum, non utique præsumpsisset rex hoc posse fieri sermonibus,quod ferro & acie uix posset impleri. Certus ergo Balach de hoc & frequenter expertus,omissis omnibus instrumentis & auxilijs bellicis,mittit ad eum legatos,dicens: Veni nunc maledic popu D
lũ hunc,quia fortior hic est quàm nos,si fortè possimus aliquos percutere ex eis, & eijcere eos de terra. Et addidit:Scio,inquit, quòd quos benedixeris benedicti erunt,et quos maledixeris maledicti erunt.Ego non credo,quia sciret quòd,quibus benedixerit benedicti sint,sed uidetur mihi adulandi gratia hæc dicere,ut artem eius efferens & extollens,& promptiorem reddat ad facinus.Sed tamen ueniunt ad Balaam legati. Venerunt enim,inquit,seniores Moab & seniores Madiã, & diuinacula in manibus eorum.Igitur Balaam diuinaculis acceptis,cùm solerẽt dęmones ad se uenire,fugatis quidem uidit adesse Dominũ. Vẽnit ergo ipse Dominus ad Balaam,non quòd dignus esset ad quem uenisset Deus,sed ut fugarentur illi qui ad maledicendum & ad malefaciendum adesse consueuerunt. Et dixit Deus ad Balaam: Non eas cum eis,neque maledicas populũ:Est enim benedictus. Deus ire Balaam atque inuocare dæmones ad maledicendum prohibet,si tamen à cupiditate cessasset.Sed quia persistit in desiderio pecuniæ,indulgens Deus arbitrij uoluntatem rursus ire permisit.Ascendit ergo asinam Balaam,occurrit ei angelus qui excubabat pro Israël,de quo scriptum est dicente Domino ad Moysen:
Exo.38. Angelus meus ibit tecum.Pertendens autem ire comprimitur in uia,conteritur ab asina.Sed magus dæmones uidit,asina tamen angelum uidet,non quòd digna esset uidere angelum,sicut nec loqui digna erat,sed ut confutaretur Balaam, ut ait scriptura in quodam loco:Mutum animal uoce humana respondens argueret
2.Pet.2. prophetæ dementiam.Hæc asina,id est,ecclesia prius portabat Balaam,nunc autem

A tem Christum, ex quo soluta est à discipulis, & à quibus innexa erat uinculis relaxata, ut filius Dei sederet super eam, & cum ipsa ingrederetur sanctam ciuitatem Hierusalem: sicut scriptum est: Noli timere filia Sion, ecce rex tuus uenit tibi mitis, & sedet super subiugalem, id est, asinã. Asinam credentes sine dubio ex Iudæis dicit: Et pullum nouellum eos profectò qui sunt ex gentibus credentes in Christum. Balaam hîc qui interpretatur populus uanus, uidetur mihi habere personam scribarum & pharisæorum iudaici populi. Balach uerò qui exclusi, uel deuoratio interpretatur, & ipse habere personam intelligendus est unius alicuius mundi huius contrariæ potestatis, quæ excludere & deuorare cupiat Israël. Primùm ergo omnium de ipso Balaam requiramus, cur in scripturis nunc uituperabilis est, nunc laudabilis ponitur. Nam uituperabilis est cùm ædificat aras & uictimas imponit dæmonijs & apparatu magico poscit diuina consulta: Culpabilis est, cùm consilium pessimum dat ut populus decipiatur per mulieres Madianitas, & cultum idolorum. Rursus laudabilis est, cùm uerbum Domini ponitur in ore eius, cùm spiritus Dei fit super eum, cùm de Christo prophetat, cùm Iudæis & Gentibus de aduentu Christi mysteria futura pronuntiat, cùm pro maledictionibus benedictionem populo largitur, & nomen Israël super uisibilem gloriam mysticis excolit eloquijs. Matth. 21. Ioan. 12.

Quæst. super Num. Lib. 4. Cap. XLXI. Tomo IIII.

Et possedit omnes ciuitates eorum. Satis hîc ostenditur non omnes Moabitas uenisse in conditionem Seon regis Amorræorum, quando eos bello superauit. Siquidem remansit gens Moabitarum usque ad illud tempus ubi regnaret Balach rex B Moab. Quòd uerò Moab dixit senioribus Madian, id est, Moabitæ senioribus Madianitarum. Nunc adiunget synagoga hęc omnes qui in circuitu nostro sunt, non una gens erat, sed uicini ad uicinos dixerunt quòd pariter cauendum esset. Nam Moab filius fuit Loth ex una filiarum, Madian uerò filius Abrahæ de Cethura. Non itaque una gens erat, sed duæ uicinæ atque conterminæ. Quid est quod scriptum est: Et diuinationes in manibus eorum, cùm de his diceretur, quos miserat Balach ad conducendum Balaam ut malediceret Israël? Nunquid nam ipsi diuinabant, an aliqua ferebant unde faceret Balaam quô posset diuinare, tanquam aliqua quæ in sacrificijs incenderentur, aut quoquomodo impenderentur, & ideo dictæ sunt diuinationes, quia per hæc illa poterat diuinare? an quid aliud? Obscurè enim dictum est. Notandum sanè quòd uênit Deus ad Balaam, & dixit ei: Quid homines qui penes te &c. Nec dictum est utrùm in somnis hoc factum sit, quamuis per noctem factum satis eluceat, cùm post hæc dicit scriptura: Et exurgens Balaam manè. Potest enim mouere, quomodo cum homine pessimo Dominus locutus sit, quod etiam si in somnis factum esse constaret, non ideo nulla quæstio remaneret propter ipsam indignitatem. Sic & Dominus Iesus Christus ait de diuite illo, qui destruere ueteres apothecas & ampliores nouas disponebat implere, dixit ad illum Dominus: Stulte, hac nocte anima tua auferetur à te, quæ parasti cuius erũt? Ne quisquam glorietur quòd ei loquitur Deus eo modo quo talibus loquendum esse nouit: quãdo potest hoc & reprobis fieri, quia & cum per angelum loquitur ipse loquitur. Quòd ait Balaam iterum ad se mis- Luc. 12.

ſis honoratioribus nuntijs. Si dederit mihi Balach plenam domum ſuam argen- C
to & auro,non potero præuaricare uerbum Domini,nec facere illud puſillum uel magnum in mente mea,nullum habet omninò peccatum,ſed quod ſequitur nō eſt ſine graui peccato. Iam enim conſtans eſſe debuit ſemel audito,quod ei dixerat Dominus: Non ibis cum eis,neque maledices populum,eſt enim benedictus, nec eis ullam ſpem dare, quòd poſſet Dominus tanquam ipſe Balaam muneribus & honoribus flexus aduerſum populum ſuum,quem benedictum eſſe dixerat ſuam mutare ſententiam. Sed ibi ſe uictum cupiditate monſtrauit, ubi loqui ſibi Dominum de hac re iterum uoluit,de qua eius iam cognouerat uoluntatem. Quid enim opus erat quæ ſequuntur adiungere: Et nunc ſuſtinete ibi & uos nocte hac,& ſciam quid adijciet Dominus loqui ad me. Proinde Dominus uidens eius cupiditatem captam deuictámque muneribus, permiſit eum ire,ut per iumentum quo uehebatur eius auaritiam coërceret. Hoc ipſo confundens illam dementiam,quòd prohibitionem Domini per angelum factam tranſgredi aſina non auderet,quam ille cupiditate tranſgredi conaretur,quamuis eandem cupiditatem timore ſupprimeret. Vênit enim Deus ad Balaam nocte,& ait illi: Si uocare te uenerint homines,exurgens ſequere eos, ſed uerbum quodcunque locutus fuero ad te,hoc facies. Et exurgens Balaam manè ſtrauit aſinam ſuam,et abijt cum principibus Moab. Cur poſt iſtam permiſsionem Domini iterum non conſuluit,& poſt illam prohibitionem iterum conſulendum putauit,niſi quia eius maligna cupiditas apparebat,quamuis timore Domini premeretur? Denique ſcriptura ſequitur: Et iratus eſt animatione Deus, quia ibat ipſe: & inſurrexit angelus
Dei,ut non permitteret eum in uia,& cætera quæ ſequuntur donec aſina loque- D
retur. Nihil hîc ſanè mirabilius uidetur,quàm,quòd loquente aſina territus non eſt,ſed inſuper ei,uelut talibus monſtris aſſuetus,ita perſeueranter reſpondit. Poſtea illi & angelus loquebatur, arguens & improbans eius uiam. Quo uiſo eum exterritus adorauit. Deinde ire permiſſus eſt dicere,ut iam per ipſum prophetia clariſsima proferretur: Nam omninò permiſſus non eſt dicere quod uolebat,ſed quod uirtute ſpiritus cogebatur. Et ipſe quidem reprobus mãſit. Nam poſterior de illo ſancta ſcriptura ita locuta eſt,ut quidam reprehenſibiles & reprobi uiam eius ſecuti dicerentur: Secuti,inquit,uiam Balaam filij Beor qui mercedem iniquitatis dilexit. De angelo qui locutus eſt Balaam in uia,quo uiſo aſina eius progredi non auſa eſt,ſcriptura ita loquitur: Et iratus eſt animatione Deus, quia ibat ipſe & inſurrexit angelus Dei differre eum in uia. Vbi primò notandum eſt quemadmodum iratus eſt Deus, & inſurrexit angelus Dei: nec interpoſuit iratum Deum miſiſſe angelum,ſed tanquam per angelum iratum Deum ſignificauit,quoniam ueritas & iuſtitia Dei iraſci angelum fecit. Nam inſurrexit quod dictum eſt,utique commotionem intelligendum eſt. Deinde quòd ait: Differre eum in uia,quod Græcè poſitum eſt διαβάλλειν, hoc eſt,quod in conſequentibus dicit ipſe angelus: Et ecce ego exij in dilationem tuam,ubi Græcus habet διαβολήν. Vbi fortaſsis accuſatio congruentius intelligitur, ut hîc quod dictum eſt
Diabolus. differre,eum in uia,accuſare accipiatur. Vnde creditur etiam Diabolus appellatus,tanquam accuſator Latinè dicendus ſit: non quia nemo poſsit etiam bene rectéque

A ctéque accusare, sed quoniam diabolus amat accusare, utique inuidentiæ stimulis agitatus, quale illi in Apocalypsi testimonium perhibetur. Positum est autem hoc uerbum & in comœdia, unde Latinum esse non dubium est sub eadem significatione, uel certè uicina. ubi de patre irato dicitur filio: Rationem sperat inuenisse se qua differat te. Solet autem hîc intelligi, differat, uelut hac atque illac ferat tempestate uerborum, quasi discerpat & dissipet, quod utique ille accusando uidebatur esse facturus. Sed & si differre eum in uia intellexerimus, quia distulit angelus eius festinationem remorando, ut ei quod opus erat & demonstraret & diceret, nõ absurda est huius uerbi etiam sub ista significatione positio. Et cùm uidisset asina angelum Dei resistentem in uia, & euaginatum gladium in manu eius, declinauit asina de uia, & ibat in campum. Campus iste adhuc extra macerias uinearum fuit. Et percussit asinam in uirga ut corrigeret eam in uia. Et stetit angelus Dei in sulcis uinearum, maceria hinc & maceria hinc. Meritò quæritur si hinc atque inde maceriæ in medio ponebant uiam, sicut fieri solet: quomodo ibi stans angelus, dicitur stetisse in sulcis uinearum. Neque enim in uia inter macerias potuerunt sulci esse uinearum. Sed ordo uerborum est, ut corrigeret eam in uia, maceria hinc & maceria hinc. In hac ergo uia corrigere uoluit asinam Balaam, ut inter macerias ambularet. Interpositum est autem, et stetit angelus Dei in sulcis uinearum, in una scilicet uinearum quæ in medio ponebant uiam. Et cùm uidisset asina angelum Dei compressit se ad parietem, id est, ad maceriam illius utique uineæ in qua non erat angelus, quoniam ab alia parte erat in sulcis uinearum. Et compressit pedem Balaam ad parietem, & adiecit

Terentius in Andria.

B adhuc cædere eam: & apposuit angelus Dei, & adijciens substitit in loco angusto, iam non in sulcis uinearum, sed inter ipsas macerias: id est, in uia in qua non fuit declinare in dexteram neque sinistram. Et cùm uidisset asina angelum Dei, cóncidit sub Balaam. Cæsa enim in retrò non ibat, & in parietem non se premebat, quoniam non ab altera parte terrebatur, sed in media uia in angusto angelus erat. Restat ergo ut subsisteret. Et iratus est Balaam, & percutiebat asinam uirga. Et aperuit Deus os asinæ, & ait ad Balaam: Quid feci tibi, quia percussisti me tertio hoc? Et ait Balaam asinæ: Quia illusisti mihi, & si habuissem gladium in manu mea, iam transfixissem te. Nimirum iste tanta cupiditate ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreretur, & responderet quasi ad hominẽ loquens: cùm Deus utique non asinæ animam in naturam rationalem uertisset: sed quod illi placuerat ex illa sonare fecisset ad illius uesaniam cohibendam. Illud fortasse præfigurans, quia stulta mundi electurus erat Deus, ut confunderet sapientes, pro illo spiritali & uero Israël, hoc est, promissionis filijs. Et factus est spiritus Domini super illum, id est, super Balaam. Non factus est spiritus Dei, tanquam factura sit spiritus Dei, sed factus est super illum, id est, factum est, ut super illum esset: quomodo: Qui post me uenit, ante me factus est, id est, factum est ut ante me esset, ut præponeretur mihi, quia prior me, inquit, erat Sicut Dominus factus est adiutor meus. Non enim Dominus factura est, sed factum est ut me adiuuaret. Et: Factus est Dominus refugium pauperum, id est, factum est ut ad eum refugerent pauperes. Et: Facta est super me manus Domini, id est, factum est, ut super *Psal.117.* *Psal.6.*

me esset:& multa talia in scripturis reperiuntur. C

Strata asina profectus. Vide infrà in Luc.Cap.1.in hæc uerba:Exultauit in gaudio infans in utero meo.

Item. Vide.1.Cor.4 in hæc uerba:Quis enim te discernit?

Item. Vide.1.Reg.Cap.10.in hæc uerba:Et insiluit in illum spiritus Domini.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

Quæst.super Num.lib.4.Cap.52.Lib.IIII. Tomo IIII.

A *Ccipe duces populi.* Iratus est Deus fornicationibus Israël,& carnalibus & spiritualibus:nam & filiabus Moab se impudicè miscuerant,& idôlis fuerant cōsecrati:hoc ad Moysen dixit ut ostentaret Domino duces populi cōtra solem.In quo uerbo intelligitur eos iussos esse crucifigi,ut hoc fit,ostēta eos Domino contra solem,id est,palàm in conspectu lucis huius:Nam Græcus ait παραδειγμάτισον,quod dici possit exemplā,quia παράδειγμα exemplū dicitur. Nam præter septuaginta interpretes,Aquila perhibetur dixisse,confige,uel potius sursum confige,quod est ἀνάπηξον.Symmachus autē uerbo euidētiore,suspēde.Mirum est sanè,quòd scriptura narrare destiterit,utrū̀m hoc fuerit ex præcepto Domini impletum:quod contēni potuisse non uideo:aut si contemptū est,impunè contemni.Si autē factum est & tacitum,cur ex eo quòd Phinees filius Eleazar transfixit adulteros,placatū fuisse Dominum,scriptura testatur, plagámque cessasse,quasi crucifixis ducibus sicut prçceperat Dominus,adhuc indignatio perseuerans alio modo placanda uideretur:cùm proculdubio falsum esse nō posset quod prænuntiauerat,& promiserat Dominus dicens:Accipe duces populi &c. D Quid itaque opus erat ut adhuc Phinees ad placādum Deum,sic in adulteros uindicaret,eíque testimonium scriptura perhiberet,quòd eo modo placauerit Dominum.Nisi fortè intelligamus cùm illud de ducibus populi Moyses quod præceperat Dominus implere disponeret,eum uoluisse etiam secundum legem talia puni re flagitia,& sacrilegam audaciam,ut iuberet unumquéque interficere proximū suum dijs alienis nefariè consecratum,atque inter cætera etiam illud Phinees faceret,ac sic ira Domini iam placata,non opus fuisse duces populi crucifigi.Hæc sanè seueritas illi tempori congrua,quantùm malū sit fornicationis & idololatriæ, prudentium fidei salutis euidenter ostendit.

CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

Quæst.super Num.Lib.4. Cap.LIII.Tomo IIII.

P *Ater noster mortuus est in deserto.* Eam causam mortis Moysi dicit Dominus,quam etiam fratris eius. Ambobus enim etiam hoc antè prædixerat,quod ideo nō intraret cum populo Dei in terram promissionis, quia nō eum sanctificauerūt coram populo ad aquā contradictionis,id est,quia dubitauerunt de dono eius,quod posset aqua de petra profluere : sicut exposuimus in eo scripturæ loco.Huius autē rei mysterium datur intelligi,quia nec sacerdotiū,quod prius institutum est,cuius personā gerebat Aaron,nec ipsa lex cuius personā gerebat Moyses,introducunt populū Dei in terram hæreditatis æternæ, sed

A sed Iesus in quo typus erat domini Iesu Christi, id est, gratia per fidem. Et Aaron quidem antè defunctus est, quàm Israël in aliquā partem terræ promissionis intraret: Moyse autem adhuc uiuente capta est terra Amorræorum atque possessa, sed Iordanē cum eis non est trāsire permissus. Ex aliqua enim parte lex obseruatur in fide Christiana, ibi enim sunt etiam præcepta quæ hodieq; obseruare iubemur Christiani. Sacerdotiū uerò illud & sacrificia nullam partem tenent hodie fidei Christianæ, nisi quòd in umbris futurorum acta atque trāsacta sunt. Cùm uerò ambobus fratribus, id est, Aaron & Moysi dicitur, ut apponantur ad populum suum, manifestum est nō esse illos in ira Dei, quæ separat à pace sanctæ societatis æternæ. Vnde manifestatur, non solùm officia, sed etiam mortes eorū signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei. Sequitur.

Accipe ad teipsum filium Iesum Naue. Notandum est quòd cùm iam haberet spiritum in seipso Iesus Naue, sicut scriptura testatur: ubi quid aliud quàm spiritū sanctum debemus accipere? Non enim de spiritu hominis hoc diceret, quē nullus erat qui nō habebat, iussus est tamen Moyses ei manus imponere, ne quisquā homo quālibet præpollens gratia sacramentū cōsecrationis audeat recusare. Quid est quòd cùm Deus præciperet Moysi de Iesu Naue, ait inter cætera: Et dabis de gloria tua super eū. Nā græca locutione τῆς δόξης habet, quod tantūdem ualet ac si diceret, de gloria, id est, ἀπὸ τῆς δόξης. Latini autem nōnulli interpretati sunt, dabis gloriā tuam, non de gloria tua. Sed siue illud esset ut gloriam tuam diceret, nō ideo eam non habiturus erat Moyses: nec quia dixit de gloria, ideo minutum est quod habebat. Sic enim accipiendū est, ac si diceret, facies eum socium gloriæ tuæ:
B non autem huiusmodi res quasi particulariter diuisæ minuuntur, sed totæ sunt omnibus, totæ singulis qui earum habent societatem.

CAPVT TRICESIMVM.

Quæst. super Num. Lib.4. Cap.LVI. Tomo IIII.

V*ouerit uotum Domino.* Non hoc ad omnem iurationem pertinet, sed ad eam ubi quisque de anima sua uouerit alicuius utique rei abstinentiam, qua ei licebat uti per legem, sed per uotum sibi ipse efficit non licere. Sequitur. Quoniamquidem de muliere, quæ adhuc in iuuētute sua in domo patris, loquitur, meritò hîc quæritur etiam de uoto uirginitatis: mulieres quippe etiam uirgines in scriptura appellari solere notissimum est: & uidetur etiā Apostolus de patre loqui, cùm dicit: Seruet uirginem suā, & dat nuptum uirginem suā, & cætera hoc modo: ubi nōnulli intellexerunt, uirginem suā, uirginitatem suā, nulla tamen hoc simili scripturarū locutione demonstrant, cùm sit inusitatissima. Quòd autem ait aduersus animā suā: nec sic accipiendū est, quasi animæ noceat talibus uotis: sed aduersus animā dicitur, aduersus animalē delectationem, sicut etiā de ieiunio præcipiens superiùs ait: Et affligetis animas uestras. Quod autem ait: Et Dominus emundabit eā, quia abiuit pater eius: Emundabit dixit, à uoti non impleti crimine absoluta est: sicut in multis locis dicitur, & emundabit eū sacerdos, id est, mundum habebit, mundum iudicabit: sicuti est & illud: Mundatione non mundabis reum, id est, non dices mundum qui immundus est. Sequitur. 1. Cor. 7.

Si *autem abnuens abnuerit uir eius.* Fœminam sub patre antequam nubat, & sub uiro nuptam uoluit lex uouere ita aliquid Deo aduersus animam suam, id est, in aliquarum rerum licitarum atque cōcessarum abstinentia, ut in eisdem uotis fœminea non prævaleat authoritas, sed uirilis. Ita & si adhuc innuptæ iam concesserat pater uota persoluere, si antequam persoluerit nupserit, et uiro eius hoc cognitum non placuerit, non persoluat & sit omninò sine peccato, quia mūdauit eam sicut dicit, id est, mundam iudicauit: neque hoc contra Deum fieri putandum est, cùm ipse Deus hoc præceperit, hoc uoluerit. Sequitur autem de uiduis, uel à uiro abiectis, id est, non sub potestate uiri constitutis, aut patris, & earum uota ad persoluendum libera esse dicit hoc modo: Et uotū inquit, uiduæ expulsæq; quæcunque uouerit aduersus animam suam manebunt ei. Deinde dicit de nupta, si in domo uiri sui iam constituta aliquid tale uouerit. De illa enim prius dixerat quæ in domo patris uouerat, & antequam redderet nupserat. De hac ergo quæ in domo mariti uouit ita loquitur: Si autem in domo uiri eius uotum eius &c. Manifestum est ita uoluisse legē, fœminam esse sub uiro, ut nulla uota eius quæ abstinentiæ causa uouerit reddantur ab ea, nisi author uir fuerit permittēdo. Nam cùm ad peccatum eiusdem uiri pertinere uoluerit, si prius permiserit & postea prohibuerit, etiam hîc tamen nō dixit ut faciat mulier quod uouerat, quia permissa prius à uiro fuerat: uiri dixit esse peccatum, qui abnuit quod prius concesserat: non tamen mulieri, uel ex hoc, permissum dedit, ut cùm prius ei uir concesserat, postea si prohibuerit contemnatur. Vtrùm autem ista etiam ad uota & à concubitu continentiæ uel abstinentiæ pertineant, meritò quæritur, ne fortè ea tantùm intelligē- D

Matth. 6. da sint aduersus animā uoueri, quæ sunt in cibis & potionibus. Quod uidetur & illud significare ubi Dominus ait: Nónne anima plus est quàm esca? Et cùm de ieiunio præcipitur, ita præcipitur: Affligetis animas uestras. Nescio autem utrùm alibi legi possit, aduersus animam dici uotū quod de abstinentia concubitus fuerit: maximè quia cùm hîc lex authoritatem uiro tribuebat, non mulieri quæ uiro subdita est, ut tunc persoluēda sint uota mulieris si uir approbauerit, si autem renuerit non debeantur. Apostolus tamen cùm de concubitu coniugatarum loqueretur, non ibi maiorem authoritatem uiro quàm fœminæ dedit: sed uxori, inquit,

1. Cor. 7. uir debitum reddat, & similiter et uxor uiro. Vxor non habet potestatem corporis sui, sed uir: similiter autem & uir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Quando ergo in hac re parem utriusque esse uoluit potestatem, puto quòd nobis intelligendū insinuet, istam de concūbendo uel non concūbendo regulā nō pertinere ad ea uota, ubi non habent parem uir & mulier potestatem, sed uiri maior est, ac propè eius solius est. Non enim ait lex uirum non debere reddere uota sua si uxor prohibuerit, sed uxorem si uir prohibuerit. Vnde non mihi uidetur in huiusmodi uotis & definitionibus atque obligationibus quæ aduersus animam fiunt, etiam ista debere accipi, quæ inter se uir & uxor de concumbendo, uel de abstinentia concumbendi placita habuerint. Deinde quia & istæ iustificationes dicuntur, & meminimus in illis iustificationibus quæ in Exodo sub hoc nomine aliæ commemorantur, multa præcipi quę accipi ad proprietatem non possint nec in nouo testamento obseruentur, sicut de aure serui pertundenda, & si quid

eiusmodi

A eiusmodi est:non absurdè etiam hîc aliquid figuratè dictum intelligitur: ut quoniam sunt multæ abstinentiæ ceremoniarum irrationabiles, & aliquando etiam inimicæ ueritati,hoc fortasse hîc intelligi uoluerit, tunc ratas esse cùm rationabiles fuerint, hoc est cùm eas approbauerit ratio, quæ ad uicem uiri debet regere omnem animalem motionẽ,quæ fit nõ tantùm in appetendo,uerumetiam in abstinendo,ut si mente & ratione decernitur,tunc fiat: si autem improbatur consilio rationis,non fiat.Quòd si ratio quod prius rectè faciendum esse decreuit pòst improbet,fit peccatum consilij, sic tamen ut nõ nisi rationi motio illa consentiat.

CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

Quæst.super Num. Lib.4. Cap.LX. Tomo IIII.

Isit eos Moyses mille ex tribu. Vtrùm uirtutem eorum uult intelligi,prin
M cipes eorum, an uirtutem à Domino eis datam, uel per ipsum Moysen impetram: an potius uirtutem eorum, quia dedit ea quibus uirtus eorum substentaretur. Potest uideri quæstio: quomodo quando Israëlitæ Madianitas debellauerunt,interfectum dicat scriptura Balaam, qui fuerat cõductus ad maledicendum populum Israël, cùm superiùs quãdo benedicere coactus est, ita eandem actionem scriptura concluserit,cùm ait: Et surgens Balaam abijt reuertens in locum suum,Balac abijt ad semetipsum.Si ergo redierat ad locũ suum Balaam,quomodo hîc interfectus est,cùm de tam longinquo,id est,de Mesopotamia uenerit? An fortè reuersus est ad Balac: & hoc scriptura non dixit? Quan-
B quam etiam posit in locum suum redijsse intelligi, quòd ab ipso loco ubi sacrificia faciebat in eum locum reuersus est,unde illuc exierat, id est,ubi tanquam peregrinus habebat hospitium.Non enim dictum est in domum suã, aut in patriam suam,sed in locum suum. Habet autem & quisque peregrinus locum suũ ubi ad tempus habitat.De ipso autem Balac qui eum conduxerat, non dictum est ad locum suum,sed ad semetipsum,id est,ubi dominans habitabat.Posset ergo dici, ad locum suum,& dominans & peregrinus. Ad semetipsum autem nõ uideo quomodo posit dici peregrinus,cùm ad hospitium suum uenisset.Sequitur.

*Et prædam egerunt mulieres Madian.*Cùm iam dixisset mulieres,supellectilem,& pecora,& omnia quæ posidebant,quid deinde addit,& uirtutem eorum deprædati sunt?Nimirum enim hæc intelligenda est uirtus, de qua & supra dictum est misisse millenos ex singulis tribubus cum uirtute eorum. An fortè cibus quo sustentabantur,uirtus eorum appellata fuit:quo subministrato uires suppetunt, & quo subtracto uires deficiunt? Vnde per Prophetam Deus cùm minaretur, ait: Auferam uirtutem eorum panis,& uirtutem aquæ.Et moyses ergo cum annona miserat illos millenos:quod dictum est,cum uirtute eorum: & isti Madianitis uictis,etiam hoc eorum inter cætera fuerant deprædati.Sequitur.

Vt quid uiuificastis omne fœmininum. Hoc enim fecerunt filij Israël, secundum uerbum Balaam ut recedere facerent & despicere uerbũ Domini propter phogor.Hoc consilium malignum,ut ad illecebram fœminæ supponerẽtur, per quas non solùm corporaliter, sed etiam spiritaliter in adorando idôlo fornicarentur, quãdo dederit Balaam scriptura nõ dixit,& tamen apparet factum esse,cùm hîc commemoratur.

commemoratur. Sic ergo potuit & redire ipſe Balaam, qui iam ierat in locum ſuum, ut modo locum eius intelligamus peregrinationis hoſpitium, quamuis hoc ſcriptura tacuerit. C

CAPVT TRICESIMVMQVINTVM.

Quæſt. ſuper Num. lib. 4. Cap. LXIIII. Tomo IIII.

T erunt ciuitates uobis refugia. Quid eſt hoc? cùm de his loquatur qui nolentes occiderint, & alibi dicat, tunc unumquemque in tali cauſa confugientium exire liberum de ciuitate quò confugerat, cùm ſacerdos maximus fuerit defunctus? Quomodo ergo hîc dicit, & non morietur is qui occîdit quoaduſque ſtet in conſpectu ſynagogæ in iudicium: niſi quia ideo iudicatur, ut tunc ei liceat eſſe in ciuitate refugij, ſi manifeſtum factum fuerit in iudicio, quòd nolens occiderit. Quid eſt quod ait. E

Qui uindicat ſanguinem. Sic enim ſonat malè intelligentibus; quaſi paſsim & ſine iudicio datum fuerit ultori mortis propinqui ſui, ius occidendi eius interfectorum. Sed hoc intelligi uoluit, quia ſecundum id quod ſuprà dictum eſt, qui occiderit confugiat ad unam de ciuitatibus refugiorum, quouſque ſtet in iudicium, ne antè inuentus à propinquo occidatur, quia & ſi nolens occîdit, præter illas ciuitates inuentus occiditur. Cùm uerò ad iudicium ſteterit in aliqua earum ciuitatum, & iudicatus fuerit homicida in aliqua earum in qua fugere conceditur, & eſſe ibi non ſinitur: tum iam demum iudicatum ubicunque compertum propinquo licet occidere. Neque enim opus eſt eum ad iudicium deduci, cùm iam fuerit iudicatus homicida, & propterea de iſtis ciuitatibus pulſus ſit. D

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN DEVTERONOMIVM COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Quæst. super Deut. Lib. 5. Cap. I. Tomo IIII.

N *Eque paueatis neque timeatis.* Satis ostenditur ita esse adiutorem Deum ut etiam homines agant aliquid.

CAPVT SECVNDVM.

Quæst. super Deut. Lib. 5. Cap. II. Tomo IIII.

Quoniam indurauerat Dominus *Deus noster spiritum.* Hæc dicens Moyses, dum populum alloquitur tale aliquid commemorat, quale dicebatur in Exodo: Ego indurauì cor Pharaonis. Et quod in psalmis legitur: Conuertit cor eorum ut odissent populum eius. Nec tacetur hîc causa indurationis huius, cùm dicitur ut traderetur in manus tuas sicut in hac die, id est, ut uinceretur à te: quod non fieret, nisi resisteret: non autem resisteret, nisi corde obdurato. Cuius rei iustitiam si quæsierimus, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Iniquitas autem non est apud Deum. Sanè notandum est confortatum cor posse dici etiam in malo. *Psal.* 104.

B

CAPVT QVARTVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. IIII. Tomo IIII.

N E *faciatis uobisipsis sculptilem similitudinem.* Quid intersit inter similitudinem & imaginem quæri solet. Sed hîc non uideo quid interesse uoluerit, nisi aut duobus istis uocabulis unam rem significauerit, aut similitudinem dixerit, si uerbi gratia fiat statua, uel simulachrum habens effigiem humanam, non tamen alicuius hominis exprimantur liniamenta, sicut pictores uel statuarij faciunt intuentes eos quos pingunt uel fingunt. Hanc enim imaginem dici nemo dubitauerit, secundum quam distinctionem omnis imago etiam similitudo est, non omnis similitudo etiam imago est. Vnde si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest, alterius cuiuslibet in altero non imago. Si autem patri filius similis sit, etiam imago rectè dicitur, ut sit pater prototypus, unde illa imago expressa uideatur: quarum aliæ sunt eiusdem substantiæ, sicut filius, aliæ nō eiusdem, sicut pictura. Vnde illud quod in Genesi scriptum est: Fecit Deus hominem ad imaginem Dei: manifestum est ita dictum, ut non eiusdem substantiæ sit imago quæ facta est. Si enim eiusdem esset, non facta, sed genita diceretur. Sed quòd non addidit, & similitudinem, cùm superiùs dictum esset: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quibusdam uisum est similitudinem aliquid amplius esse, quam imaginem, quod homini reformando per Christi gratiam postea seruaretur. Miror autem si non propterea postea imaginem solam uoluit commemorare, quia ubi imago, continuò & similitudo est. *Gen.* 1.

Vnde

Vnde & hîc Moyses similitudinem & imaginem fieri uetat, secundum eam fortasse rationem quam diximus: In decalogo autem generaliter dicitur, nullam fieri debere similitudinem, nec imago commemoratur. Cùm enim nulla similitudo sit, proculdubiò nec imago sit: quoniam si imago, utique & similitudo. Non autem si sit similitudo, continuò sit & imago: tamen si nulla similitudo, sequitur ut nulla imago. Denique ubi prohibuit similitudinem & imaginem, homines intelligi uoluit: ubi & similitudo fieri potest, non huius aut illius, sed cuiuslibet hominis: & imago, id est, huius propriè, uel illius hominis. Cùm uerò de pecoribus diceretur, atque irrationabilibus animantibus, solam similitudinem dixit. Quis enim reperiri potest, qui sibi unum constituat canem, uel quid eiusmodi, quem intuens eius imaginem pinguat, aut fingat? Quod de hominibus usitatissimum est. Sequitur. C

Similitudinem omnis piscis. An & aquam propter tractabilem corpulentiam terram intelligi uoluit, & secundum hoc in eo quod scriptum est: Fecit Deus cœlum & terram, & aquas debemus accipere? Assiduè quippe scriptura his duabus partibus commemoratis uniuersum mundum uult intelligi, secundum illud: Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram, & innumerabilia eiusmodi. An ideo dictum est sub terra, quòd terra nisi superior aquis esset, habitari utique ab hominibus & animalia terrena habere non posset. Sequitur.

Et omnem ornatum cœli. Non ita dictum est: tanquam Deus præceperit ea coli à gentibus, à solo autem populo suo non coli: sed aut ita dictum est, quod Deus præscierit gentes culturam exhibituras his cœlestibus, & tamen hoc præsciens creauerit eas: eum uerò populum suum futurū esse præsciuerit qui ista non coleret. Aut distribuit, dictum est, ut intelligatur usus, qui commendatur in Genesi: Vt sint in signis & in temporibus, & in diebus, & in annis, quem usum in eis communem habet populus Dei cum omnibus gentibus, non autem cultum quem habent aliæ gentes. Sequitur. D

Interrogate dies priores. Videtur significare totum orbem terrarum. Sed cur à summo cœli usque ad summum cœli dicat, non à summo terræ usque ad summum terræ, non est facilè dignoscere. Talis enim quædam locutio est & in euangelio cùm dicit Dominus, quòd congregabuntur electi eius à summis cœlorum usque ad terminos eorum. Nisi fortè hoc nec in hominibus, nec in angelis auditum esse uult intelligi, quod in hoc populo factum singulariter commendat, hoc enim sequitur: Si factum est secundum uerbum magnum hoc, si auditum est tale quid, si audiuit gens uocem Dei uiuentis, loquentis é medio ignis, quemadmodum audisti tu & uidisti. Quod si ita est, ut nec in hominibus, nec in angelis hoc dicat auditum: quid est ergo illud in euangelio: A summis cœlorum usque ad terminos eorum, cùm sine dubio Dominus hoc ait: cùm de nouissima electorum suorum congregatione loqueretur.

Locut. de Deuter. lib. 5. Cap. V. Tomo III.

Et eduxit uos de fornace ferrea. Fornacē ferreā durā tribulationē intelligi uoluit.

Ex lib. cont. Adimant. Manich. discip. Cap. XIII. Tomo VI.

Videte ne obliuiscamini testamentum Dei uestri &c. Hæc uerba de scripturis hoc modo

A modo ille Adimantus proposuit. Eius enim calumnias refutandas refellendásque suscæpimus. Sed iam superius de zelo Dei cùm calumniaretur puto satis esse responsum. Meminerimus tamen non solùm ibi, sed etiam hîc, sic eum de zelo Dei criminatum scripturas, ut adiungeret etiam quod de simulachris non colendis in illis libris præcipitur à domino Deo nostro: quasi nõ ob aliud reprehendat zelum Dei, nisi quòd illo ipso zelo à cultu simulachrorum prohibemur. Vult ergo uideri fauere se simulachris. Quod propterea faciũt ut miserrimę & uesanę suę sectæ etiam paganorum concilient beneuolẽtiam. Huic autem legis capitulo illud euangelicum opponit, ubi quidam accessit ad Dominum & ait illi: Magister bone quid faciens uitam æternam possidebo? Cui respondit Iesus: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi unus Deus. Vt ex hoc uidelicet contraria ista esse arbitremur, quia in lege dicitur: Deus ignis edax, & Deus zelans, in euangelio autem: Nemo bonus nisi unus Deus. Et de zelo quidem ita responsum est, non sic esse ista uerba in scripturis posita, ut aliquam Dei perturbationem cruciatúmue significent, sed quia nihil dignum de Deo dici potest. Propterea usque ad ista peruentum est, quæ cùm homines indigna esse putauerint, cogantur discere, etiam illa quæ conuenienter de ineffabili diuina excellentia se dicere existimant, indigna esse maiestate Dei: cuius sapientia cùm descensura esset usq; ad corpus humanum, prius usque ad humana uerba descendit. Ecce dixi: descendit, quod uerbum si discutere cœpero, propriè me dixisse non uideo: non enim potest descendere, nisi quod etiam de loco in locum moueri potest. Nam qui descendit, locum superiorem deserere, & inferiorem petere uidetur. Dei autem sapientia cùm tota ubique pręstò Luc. 18.

B sit, nullo pacto migrare de loco in locum potest. De qua Ioannes in euangelio dicit, tanquam Dominici pectoris particeps, ait enim: In hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Et tamen etiam ipse adiungit & dicit: In sua propria uenit, & sui eum non recæperunt. Quomodo hîc erat, & quomodo uênit, nisi quia illa sublimitas ineffabilis, ut hominibus cõgruat, humanis sonis significãda est: ut autem deos homines faciat, diuino est intelligenda silentio? Potest ergo reddi ratio, quare ita dictum sit, non tamen potest aliquid de Deo dignè dici, quòd ideo iam indignum est, quia potuit dici. Tolle de zelo errorem & dolorem, quid remanebit aliud, nisi uoluntas custodiens castitatem & corruptionẽ uindicans coniugalem? Quo igitur uerbo, nisi zelo Dei melius posset insinuari? Quo uocamur ad coniugium Dei, & non uult nos turpi amore corrumpi, & punit impudicitiam nostram, & diligit castitatem. Non enim frustra etiam uulgò dici solet: Qui non zelat, non amat. Ad hoc etiam pertinet quod dictum est, edax ignis: de quo disputare non debeo, sed potius ipsos interrogare, quem ignem dixerit Dominus se uenisse mittere in hunc mundum. Hoc enim dictum est in euangelio, quod illi accusare non possunt, non ut Christum honorarent, sed ut decipiant Christianos. Quod cùm eis commemoratum fuerit, quemadmodum Dominus dixerit. Ignem uêni mittere in terram, miseri dicunt: Sed illud aliud est: Quibus respondemus: Et hoc aliud est: Noli metuere. Nam ipse Christus loquitur etiam in ueteri testamento, cùm dicit: Ego sum ignis edax, qui loquitur in euangelio, quod ignem uenerit in hunc mundum mittere, id est, uerbum Ioan. 1. Luc. 12.

Dei

Dei quod est ipse. Nam ueteres utiq; scripturas exposuit post resurrectionem di- C
scipulis, incipiens à Moyse & prophetis omnibus, quando ipsi discipuli ignem se
Luc.24. accæpisse confessi sunt dicentes: Nónne cor nostrum ardens erat in uia cùm ape
riret nobis scripturas? Ipse est ignis edax: consumit enim ueterem uitam diuinus
amor, & innouat hominem, ut ex eo quòd Deus est ignis edax, faciatut eum nos
amemus: ex eo autem quòd Deus zelans est, ipse nos amet. Nolite ergo timere
ignem, qui est Deus: sed timete ignem, quem parauit hæreticis Deus. Quòd enim
Adimantus elegit de euangelio locum, quem huic legis capitulo tanquam contra-
rium apud imperitos obijceret, ubi ait Dominus: Nemo bonus nisi unus Deus:
quoties inuenitur bonitas Dei in ueteri testamento, quis numerare sufficiat?
Psal.117. Vnum tamen ponam, quod quotidie in ecclesia cantatur: Confitemini Domino
quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Certè & hoc zelanti Deo
(sicut Manichæi existimant) uidetur esse contrarium, & tamen in libris ueteris te-
Marc.10. stamenti cantatur. Item rex ille, qui cùm filio suo nuptias faceret, inuenit inter di-
scumbentes hominem non habētem uestem nuptialem: & eum primò amici no-
mine appellans, manibus & pedibus colligatis mitti iussit in tenebras exteriores,
Matth.22. molestè intelligentibus non uidetur bonus. Et si ipsum quisquā capitulum euan-
gelij proponeret, & sicut facit Adimantus de ueteri testamento, ita euangelium
calumniosè accusaret, laudans potius ueteris testamenti libros, ubi scriptum est:
Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius: &
reprehendens in nouo, quòd uocatus conuiua in tantum supplicium propter ue
stem mittitur: & hoc fraudulenta peruersitate assiduè faceret, ut omnia loca leni-
tatis de ueteri testamento colligeret. &c. D

Ex lib. 15. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. VIII. Tomo V.

Et *ædificauit ciuitatem, uocauitque &c.* Nunc autem defendenda uidetur mihi hi-
storia, ne sit scriptura incredibilis, quæ dicit, ædificatam ab uno homine ciuitatem,
eo tempore, quo nō plusquam uiri quatuor, uel potius tres, posteaquam fratrem
frater occidit, fuisse uidētur in terra, id est, primus homo pater omnium, & ipse
Cain & eius filius Enoch: ex cuius nomine ipsa ciuitas nuncupata est. Sed hoc
quos mouet, parum considerant non omnes homines, qui tunc esse potuerunt,
scriptorem sacræ huius historiæ, necesse habuisse nominare: sed eos solos quos
operis suscæpti ratio postulabat. Propositū quippe scriptoris illius fuit, per quem
spiritussanctus id agebat, per successiones certarum generationum ex uno homi
ne propagatarum peruenire ad Abraham: ac deinde ex eius semine ad populum
Dei: in quo distincto à cęteris gentibus præfigurarētur & prænuntiarētur omnia,
quę de ciuitate, cuius æternum erit regnum, & de rege eius, eodémque conditore
Christo in spiritu præuidebantur esse futura: ita ut nec de altera societate homi-
num taceretur, quā terrenam dicimus ciuitatem quantùm ei cōmemorādæ satis
esset, ut ciuitas Dei etiam suæ aduersariæ comparatione clarescat. Cùm igitur scri
ptura diuina ubi & numerū annorum, quos illi homines uixerunt cōmemorat,
ita cōcludat, ut dicat de illo de quo loquebatur, & genuit filios & filias, & fuerunt
omnes dies illius uel illius quos uixit anni tot, & mortuus est: nunquid quia eosdē
filios & filias non nominat, ideo intelligere non debemus per tam multos annos,
quibus

A quibus tunc in seculi huius prima ætate uiuebant nasci potuisse plurimos homines, quorũ cœtibus condi possent etiã plurimæ ciuitates? Sed pertinuit ad Deum, quo ista inspirante cõscripta sunt, has duas societates suis diuersis generationibus primitus digerere atq; distinguere, ut seorsum hominũ, hoc est secũdum hominẽ uiuentium, seorsum autẽ filiorũ Dei, id est, hominũ secundũ Deum uiuentiũ generationes cõtexerentur usq; ad diluuiũ, ubi ambarũ societatũ discretio cõcretióq; narrãtur: discretio quidẽ quòd ambarũ separatim generationes cõmemorantur unius fratricidæ Cain: alterius autem qui uocabatur Seth. Natus quippe fuerat & ipse de Adã, pro illo quẽ frater occidit. Concretio autẽ, quia bonis in deterius declinantibus tales uniuersi facti fuerant, ut diluuio delerentur, excæpto uno iusto cui nomen erat Noë, & eius coniuge & tribus filijs totidẽq; nuribus, qui homines octo ex illa omniũ uastatione mortalium per arcam euadere meruerunt. Quod igitur scriptũ est: Et cognouit Cain uxorẽ suam, & concipiens peperit Enoch, & erat ædificans ciuitatem in nomine filij sui Enoch, non est quidem consequens ut istum primum filium genuisse credatur. Neque enim hoc ex eo putandũ est, quia dictus est cognouisse uxorem suam, quasi tunc se illi primitus cõcumbendo miscuisset. Nam & de ipso patre omnium Adam nõ tunc solùm hoc dictũ est, quando conceptus est Cain, quẽ primogenitum uidetur habuisse, uerũ etiam posterius eadem scriptura: Cognouit, inquit, Adam uxorẽ suam, & concæpit, & peperit filium, & nominauit nomen illius Seth. Vnde intelligitur ita solere illã scripturam loqui, quãuis non semper, cùm in ea legitur factos hominum fuisse concæptus, non tamen solùm cùm primùm sibi sexus uterque misceretur. Nec illud necessa

B rio est argumento ut primogenitum patri existimemus Enoch, quòd eius nomine illa ciuitas nuncupata est. Non enim ab re est, ut propter aliquam causam cùm & alios haberet, diligeret eum pater cæteris amplius. Neq; enim & Iudas primogenitus fuit, à quo & Iudæa cognominata est, & Iudæi. Sed etiamsi conditori ciuitatis illius iste filius primus est natus, non ideo putandum est tunc à patre conditæ ciuitati nomen eius impositum, quando natus est, quia nec constitui tunc ab uno poterat ciuitas: Quæ nihil est aliud, quàm hominum multitudo aliquo societatis uinculo colligata: sed cùm illius hominis familia tanta numerositate cresceret, ut haberet iam populi quantitatem, tunc potuit utique fier, uit ei constitueret, & nomen primogeniti sui constitutæ imponeret ciuitati. Tam longa quippe uita illorum hominum fuit, ut illic memoratorum, quorum & anni taciti non sunt, qui minimùm uixit ante diluuium ad septingentos quinquagintatres perueniret. Nam plures nongentos annos etiam transierunt, quamuis nemo ad mille peruenerit. Quis itaque dubitauerit per unius hominis ætatem tantùm multiplicari potuisse genus humanum, ut esset unde constitueretur non una sed plurimę ciuitates? Quod ex hoc conijci facillimè potest, quia ex uno Abraham non multò amplius quadringentis annis, numerositas Hebrææ gentis tanta procreata est, ut in exitu eiusdem populi ex Aegypto, sexcenta milia hominum fuisse referantur bellicæ iuuentutis, ut omittamus gentem Idumæorum non pertinentem ad populum Israël, quam genuit frater eius Esau nepos Abrahæ, & alias gentes natas ex semine ipsius Abrahæ, non per Saram coniugem procreatas.

CAPVT

CAPVT QVINTVM. C

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. IX. Tomo IIII.

On patribus uestris disposuit Dominus. An quia illi qui non ingrediuntur
N in terram promissionis (mortui sunt enim omnes) nō pertinent ad hoc testamentum, quorum tunc recognitio facta est, cùm à uiginti annis ætatis & suprà numeretur usq; ad quinquaginta annos habiles ad bellum? Quomodo ergo illis locutus est Dominus qui hodie uiuunt? An quia ex uiginti annis & infrà potuerunt multi tunc esse, qui hoc bene meminissent, alieni ab illa pœna, quam Dominus constituit illis, qui tunc numerati sunt nō intrare in terram promissionis: & hos utiq; appellat, qui quamuis uiginti annorū & suprà non essent quādo Deus in monte loquebatur, ut numerari tunc possent, potuerunt tamen esse annorum decem & nouem & infrà usque ad puerilem ætatem, qui possent illa quæ facta & dicta sunt & uidere & audire & memoria retinere. Sed quid est quod ait: Facie ad faciem locutus est Dominus ad uos, quos paulò antè maximè admonere curauit, quòd nullam similitudinem uiderint, sed solam uocem de medio ignis audierint? An propter rerum euidētiam, & quodammodo præsentiam manifestatæ diuinitatis, de qua dubitare nemo posset, his uerbis usus est? Quod si ita est, quid prohibet de ipso Moyse hoc intelligi, eo quòd de illo dictū est quòd facie ad faciem locutus sit cum eo Dominus, ut nec ipse aliquid oculis uiderit præter ignem? An aliquid amplius uidisse intelligitur, quia scriptum est eum intrasse in nebulam, uel nimbum, ubi erat Deus? Sed & si aliquid amplius uidit quàm illi, non eum tamen mortalibus oculis uidisse Dei substantiam ex illis eius uerbis intelligi potest, quibus ait Deo: Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum ut scienter uideam te. Neque enim arbitrandum est hunc populum, cui Moyses loquebatur, sic tunc uidisse Deum facie ad faciem quando in monte loquebatur è medio ignis, quemadmodum Apostolus dixit in fine nos eum esse uisuros, ubi ait: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quid autem hoc & quantùm esset consequenter aperuit dicens: Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Quod etiam ipsum cautè accipiendum est, ne tantam putetur habiturus homo cognitionem Dei quantam nunc habet hominis Deus, sed pro suo modo ita perfectam, ut ei nihil adhuc expectetur addendum: ut quem perfectè nunc Deus nouit hominem, sed tamen sicut Deus hominem, ita tunc perfectè nouerit homo Deum, sed tamen sicut homo Deum. Neque enim quia dictum est: Estote perfecti sicut pater uester cœlestis perfectus est, ideo æqualitatem patris quam uerbum habet unigenitum, sperare debemus, quamuis non defuerint qui & hoc futurum putauerint, nisi fortè quid dicant parum intelligimus. Sequitur. D

1. Cor. 13.

Matth. 5.

Et ego stabam inter Deum. Tanquam in loco esset Dominus, hoc est in monte unde illi uoces audiebant. Quod sic accipiendum est, ut non ex hoc suspicemur Dei substantiam in ullo aliquo esse corporali loco, qui est ubique totus, nec per locorum interualla propinquat aut recedit: sed demonstrationes eius in ea creatura, quæ non est quod ipse, non aliter humanis sensibus exhibentur. Vnde Dominus uolens auferre ab huiusmodi suspitionibus mentem nostram, quibus putatur

A tur Deus loco aliquo contineri: Veniet, inquit, hora quando neq; in mõte hoc &c. Ioan.4.
Medium ergo se dixit Moyses non inter Dei substantiam & populum interuallo aliquo loci: sed quia per eum placuit populo audire cætera Dei uerba posteaquam uehementer est territus, audita de medio ignis uoce Dei dicentis decalogum legis. Sed meritò quæritur quomodo accipiantur hæc uerba Deuteronomij dicẽte Moyse: Et ego stabam inter Deum & uos in tempore illo annuntiare uobis uerba Domini, quoniam timuistis à facie ignis, & non accendistis in montẽ dicens: Ego sum dominus Deus tuus &c. Quæ iam uerba Dei sunt quæ decalogus continet. Quid ergo uult quod addidit dicens: Si enim putauerimus hyperbaton, ut ordo uerborum sit: Et ego stabam inter Deum & uos in tempore illo annuntiare uobis uerba Domini, dicens: Ego sum dominus Deus tuus, non erit uerum. Non enim hæc uerba per Moysen populus, sed de medio ignis audiuit. Quod cùm sustinere non posset audito decalogo; postulauit ut per Moysen cætera audiret. Restat ergo ut quod positum est, dicens: pro eo positum intelligamus, ac si esset, cùm diceret, ut iste sit sensus: Et ego stabam inter Deum &c. ut subaudiatur, cùm diceret utiq; Dominus. Cùm enim hæc uerba diceret Dominus, quæ consequenter ex decalogo cuncta commemorat: tunc timuit populus à facie ignis, & non ascendit in montem, & rogauit ut per Moysen potius uerba Domini audiret. Quæ uerba Moyses cõmemorat in Deuteronomio dicta sibi à populo, cùm audire iam nollent uocẽ Dei, sed per eum peterent sibi dici quæ dicebat Deus: id est, ecce ostendit dominus Deus noster nobis gloriam suam, & uocem eius audiuimus è medio ignis &c. Non eadem prorsus leguntur in Exodo, ubi primùm narrata sunt quæ modò repetũ-
B tur. Vnde intelligamus, quod aliquotiens iam commemoraui, non esse in mendacio deputandum, si alijs quibuslibet uerbis eadem uoluntas manifestatur, propter euangelistarum etiam uerba, quæ ab imperitis & calumniosis tanquam repugnãtia reprehenduntur. Neque enim magnum erat Moysi attendere quæ in Exodo scripserat, & eisdem omninò uerbis illa repetere, nisi pertineret ad sanctos doctores nostros hoc ipsum insinuare discẽtibus, ut nihil aliud in uerbis loquentiũ quærant nisi uoluntatẽ, propter quam enuntiandam uerba instituta sunt. Sequitur:

Qui dabit esse sic cor eorum in eis. An hîc iam uult intelligi, gratia sua concedi hoc beneficium ut sit in hominibus iustitia Dei ex fide, non quasi propria uelut ex lege. Hoc enim per prophetam significat dicens: Auferam eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. Quod propter sensum dictum est, quem caro habet & lapis non habet, uerbo utique translato. Hoc ipsum & alibi dicit: Ecce dies ueniunt dicit Dominus &c. Hîc enim discernit nouum testamentum à ueteri, quod in ueteri data est lex in tabulis lapideis, in nouo autem in cordibus, quod fit per gratiam. Vnde & Apostolus dicit: Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Et alio loco: Idoneos nos, inquit, fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Ezech.36. 2.Cor.3.

Ex lib. Cont. Adimant. Manich. discip. Cap. XVI. Tomo VI.

Obserua & sanctifica diem quem præcepit tibi Dominus. &c. Et iterum in Genesi scriptum est, quemadmodum Abrahæ de circuncisione loquitur: Testamentum meum custodi, inquit, tu & semen tuum &c. Hæc omnia uerba ueteris testamenti Gen.17.

ut eis de nouo testamento aduersetur, proponit Adimantus, & contraria esse affir C
Matth.23. mat ea quæ Dominus dicit in euangelio de proselyto: Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui circumitis mare & terrã ut faciatis unum proselytum, & cùm feceritis, erit filius gehẽnæ, multò plùs quàm estis uos. Quasi uerò propterea Dominus proselytum dicit filium gehennæ, quia circunciditur & sabbatum obseruat, & non potius quia Iudæorum prauam conuersationem cogitur imitari, non qua obseruant præcepta legis, sed qua faciunt contra legem. Quod alio loco de his apertissimè dicit, ubi ait: Quòd reiiciũt mãdatum Dei, ut suam constitutionẽ
Matth.15. confirment: quia cùm lex præceperit honorari patrem & matrem, instituerunt ipsi quomodo exhonorentur parentes. Et item cùm eis dicit: Væ uobis scribæ & pharisæi qui habetis clauem regni cœlorum, nec ipsi intratis, nec alios permittitis intrare. Vel cùm alio loco præceperit audientibus, ut dictis pharisęorum & scribarum obtemperarent, facta uerò eorum nõ imitarentur: Ait enim: super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite, sed quæ faciunt, facere nolite, dicunt
Matth.25. enim & non faciunt. Quo loco & authoritatẽ legis quæ per Moysen data est, confirmat Dominus, & tamen cauendos & fugiẽdos esse mores eorum, qui legi quã acceperant nõ obtemperabant, apertissimè ostendit. Istis autem peruersitatibus suis faciebant, ut cùm aliquis gentilis ad legem eorum transisset, id est, factus esset proselytus, haberet mores eorum & fieret filius gehennæ, multò plùs quàm ipsi essent. Dabant enim magnã operam ut Iudæus fieret aliquis ex gentibus, & Iudæum factum cogebant suos mores pessimos imitari. Neque illud quod de Apostolo tanquã contrarium cõmemorat potuit aduertere Adimantus Manichæus, omninò non esse contrarium, quia totus eius oculus nõ ad inquisitionem, sed ad D reprehensionem scripturæ intentus erat. Cõmemorat enim dicentem Apostolũ:
1.Cor.7. Circuncisus aliquis uocatus est, non adducat præputium &c. Quid enim manifestius quàm hoc Apostolũ præcipere, ut unusquisque sicut uocatus erat sic maneret? Aduenientibus enim rebus quarum erant umbræ illæ obseruationes, id actũ est, ut ostẽderetur in ipsis umbris non esse spem ponendã, sed in ipsis rebus quas illæ umbræ significabãt esse uenturas, id est, Christum & ecclesiam. Et propterea illa iam omnia inania erant: nec tamen ea tanquam noxia remouenda, sed tanquã superflua contemnenda Apostolus pręcipit, ut si quis Iudæus Christo credidisset, propter offensionem suorum nõ prohiberetur in ipsis superfluis remanere, nec tamen in eis salutem suam constitutam putaret: non enim signa illa, sed ea quę his significantur in salutem introducunt. Ideoque præputium nihil est, & circuncisio
Gal.5. nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Et quod alio loco ait: Vtinam & abscindantur, qui uos conturbant, non quia circuncisio cõtraria est euãgelio dicit Apostolus: sicut Manichæi putant, sed illud est euangelio contrarium, ut quisque rem deferens, quæ per illam umbram figuratur, ipsius umbræ sequatur inanitatem. Quod uolebant qui gentibus in Christum credentibus iugum circuncisionis imponebant, quasi ad salutem necessarium, cùm iam non esset umbra in corpore figuranda, sed res ipsa in corde gestanda. Et quod dicit, dies obseruatis, & sabbata, & solẽnitates, timeo ne frustra laborauerim in uobis, non sic scriptum est ut Adimantus ponit. Non enim nominat ibi sabbatum Apostolus, dicit enim: Dies obseruatis

A natis & annos & tempora, timeo uos, ne frustra laborauerim in uobis. Sed putet esse de sabbato dictum, nunquid & nos non dicimus ista non esse obseruanda, sed illa potius quæ his significantur? Illi enim ea seruiliter obseruabant, non intelligentes ad quarum rerum significationem & prænuntiationem pertinerent. Hoc in eis culpat Apostolus, & in omnibus qui seruiunt creaturæ potius quàm creatori. Nam nos quoque & dominicum diem & pascha solẽniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierum festiuitates. Sed quia intelligimus quò pertineant, non tempora obseruamus, sed quæ illis significantur temporibus. Manichæi autem sic ea reprehendunt, quasi nullos dies & tempora obseruent. Sed cùm de his interrogantur secundum opinionem sectæ suæ, omnia conantur exponere, ut non ipsa tempora, sed res, quarum illa signa sunt obseruare uideantur. Quas quidem res fabulosas esse atque falsissimas alijs locis ostenditur. Nunc ad hoc dictum est, ut ore suo cogantur fateri, posse talia rationabiliter celebrari: & ideo circumsionem carnis & rectè impositam seruis, & rectè à liberis intellectam esse manifestum est. Repudiamus ergo eam carnalem cum Apostolo, & approbamus eam spiritalem cum Apostolo, & sabbati quietem non obseruamus in tempore, sed signum temporale intelligimus, & ad æternam quietem quæ illo signo significatur aciem mentis intendimus. Repudiamus itaque temporum obseruationem cum Apostolo, & temporalium signorum intelligentiam tenemus cum Apostolo, duorúmque testamentorum differentiam sic probamus, ut in illo sint onera seruorum, in isto gloria liberorum. In illo cognosca
C tur præfiguratio possessionis nostræ, in isto teneatur ipsa possessio. Interpreta-
B tur Apostolus sabbatum ad Hebræos cùm dicit: Remanet igitur sabbatismus populo Dei. Interpretatur etiam circuncisionem cùm dicit de Abraham: Et signum accæpit circuncisionis signaculum iustitiæ fidei. Apostolicam itaque interpretationem spiritaliter teneo: carnalem seruitutis obseruationem libertate cõtemno, utriusque testamenti authorem Deum uenerans, qui & ueteri homini fugienti tanquam Dominus apposuit, quod timeret, & nouo redeunti tanquam pater aperuit quod amaret. Rom. 4.

CAPVT SEXTVM.

De Trinit. lib. 5. Cap. XI. Tomo III.

A *Vdi israel dominus Deus tuus Deus unus est.* Nõ utiq; excepto filio, aut excepto spiritusancto oportet intelligi, quem unũ dominũ Deũ nostrum rectè dicimus, etiã patrem nostrũ per gratiã suam nos regenerantem. Trinitas autem filius nullo modo dici potest. Spiritus uerò sanctus secundum quod scriptum est: Quoniam Deus spiritus est, potest quidem uniuersaliter dici quia & pater spiritus, & filius spiritus, & pater sanctus, & filius sanctus, Itaque pater & filius & spiritussanctus, quoniam unus Deus, & utique Deus sanctus, & Deus spiritus est, potest appellari trinitas & spiritussanctus. Ioan. 4.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XII. Tomo IIII.

Et in nomine eius iurabis, Non ita præceptum accipiendum est quasi iurare iusserit, sed in alterius alicuius Dei nomine iurare prohibuit. Melius autem fit si se- Matth. 5.

cundum euangelium non iuraueris, non quia mala est uera iuratio, sed ne in periurium incidatur facilitate iurandi. Qui enim iurat, non solùm uerum, sed etiam falsum iurare potest. Qui autem omninò non iurat, à periurio longè ambulat. C

CAPVT SEPTIMVM.

Ex epistola.154. Tomo II.

N*On concupisces argentum uel aurum illorum.* Iosue.6. dicitur: ut aurum & argentum in domum Domini inferreretur &c. Satis apparet aut ipsos priuatos usus in talibus esse prohibitos, aut ne sic inde aliquid inferatur in domum ut honoretur. Tunc enim est abominatio & execratio, non cum talibus sacrilegijs honor apertissima destructione subuertitur.

Non accipies uxorem filio tuo à filiabus alienigenarum. Vide.1.Cor.7. in hæc uerba: His autem qui sunt in coniugio.

Et erit cùm induxerit te Dominus. Vide Iosue Cap.21. in hæc uerba: Et dedit Dominus Israël omnem terram.

CAPVT OCTAVVM.

Quæst. super Deut. Lib.5. Cap.XIII. Tomo IIII.

V*T affligeret te & tentaret te.* Hîc apertius dictum, quod alibi genere locutionis obscurum est, ubi legitur: Tentat uos dominus Deus uester, ut sciat si diligitis eum, Intelligitur enim positum esse, ut sciat, pro eo quod est, ut scire faciat, quomodo dilucidè dictum, ut tentaret te & cognita faceret quæ in corde tuo sunt. Non enim ait: ut cognosceret: quod quidem si dixisset, intelligẽdum erat, cognita faceret. D

Fortitudo mea & potentia manus meæ &c. Vide ad Rom. cap.9. in hæc uerba: Nunquid iniquitas apud Deum? Absit.

CAPVT NONVM.

Quæst. super Deut. Lib.5. Cap.XIIII. Tomo IIII.

N*On propter iustitias tuas dominus Deus tuus.* Certè isti sunt qui propterea nõ metuerunt perire in deserto, quia nesciERUNT dexteram aut sinistram. Ecce iam dura ceruice appellantur. Vnde uidendum est illud in sacramẽto esse dictum, non quòd istorum merita commẽdata sint. Nam ne quis existimet subitò istos uituperabiles factos qui meritò fuissent antè laudati, paulò pòst eis dicitur: Memor eris ne obliuiscaris quanta exacerbasti dominum Deum tuum in deserto, ex qua die existis de terra Aegypti, donec uenisti in locum hũc incredulus, perseuerastiq; ad Dominum. Quòd si quidam eorum tales erant, quidam uerò fideles & boni, etiam sic non utiq; illis datur terra promissionis, qui nesciunt dexteram aut sinistram, ut hoc sic intelligamus quasi non offenderint Deum. Nam & patres eorum qui mortui sunt, nec in eandem terram intrare permissi sunt tales inueniuntur fuisse, ut in eis essent quidam etiam boni. Propter quod Apostolus nõ omnes, sed quosdam eorum dicit offendisse, in quibus eorum peccata commemorat. Similes quippe istos parentibus suis, ita euidentius docet & ipsa scriptura Deuteronomij,

A teronomij, quod consequenter adiungit dicens: Et in Oreb exacerbasti Dominũ. Vbi certè illi exacerbauerunt, qui propter eadem mala merita sua non sunt in terram promissionis inducti.

CAPVT DECIMVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XV. Tomo IIII.

Xcide tibi duas tabulas lapideas. Non immeritò quæritur quomodo hæc
E in Deuteronomio dicatur Moyse recolente ac repetente quæ gesta sunt: cùm in Exodo, ubi primùm hæc dicta & facta narrantur ita sit scriptũ: Et dixit Dominus ad Moysen: Scribe tibi uerba hæc: etenim in uerbis his posui testamentum tibi & Israël. Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem nõ mãducauit, et aquã non bibit, & scripsit in tabulis uerba testamenti decem uerba. Cùm ergo in Exodo ipse Moyses in tabulis decem legis uerba scripsisse narretur, quomodo hîc in Deuteronomio Deus in tabulis eadem uerba scripsisse recolitur. Denique illud quod in Exodo cùm transeunter tractaremus, & quid nobis in ea differentia uisum fuerit literis mãdaremus, cur priores tabulæ quæ contritæ sunt, digito Dei scriptæ referantur: secundas autem tam diu in arca tabernaculóque mansuras, ipse Moyses scripsisse dicatur: ita per hanc differentiam duo testamenta significata esse diximus: ut in ueteri testamento lex commendaretur tanquam opus Dei, ubi homo nihil fecerit, eo quòd lex timore non posset impleri: quoniam cùm uerè fit opus legis,
B charitate fit, non timore, quæ charitas gratia est testamenti noui. Ideo in secundis tabulis homo legitur scripsisse uerba Dei, quia homo potest facere opus legis per charitatem iustitiæ, quod non potest per timorem pœnæ. Nunc ergo cùm legitur in Deuteronomio de secundis tabulis ita dictum: Et excidi duas tabulas lapideas sicut priores, & ascendi in montem, & duæ tabulæ in manibus meis, & scripsit in tabulis secundum scripturam priorem decem uerba. Non enim ait: & scripsi, sed scripsit, hoc est, Deus scripsit: sicut paulò antè dixerat uerba Dei sibi dicta. Excide tibi duas tabulas lapideas, quemadmodum priores, & ascende ad me in montem, & facies tibi arcam ligneam, & scribam in tabulis uerba quæ erant in tabulis prioribus: discutienda nascitur quæstio, quòd utrasque tabulas, id est, & priores & secundas Deus hîc legitur scripsisse, non homo. Sed si in ipso quoque Exodo uerba Dei legantur, ubi iubet easdem tabulas secundas excidi à Moyse, nihil aliud inuenitur, quàm ipsum Deum se easdem promisisse scripturum. Nam ita scriptum est: Et dixit Dominus ad Moysen: Excide tibi duas tabulas lapideas, sicut & priores, & ascende ad me in montem, & scribam in tabulis uerba, quæ erant in tabulis prioribus quas tu contriuisti. Excepto itaque libro Deuteronomij, quæstionem istam etiam solus liber Exodi continet, quomodo dixerit Deus: Et scribam in tabulis uerba, quæ erant in tabulis prioribus: cùm paulò pòst legatur: Scribe tibi uerba hæc, etenim in uerbis his posui testamentum tibi & Israël. Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: panem non manducauit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis uer

ba testamenti, decem uerba. Si enim superiùs quod dictum est: Scribe tibi uerba G
hæc, etenim in uerbis his posui testamentum tibi & Israël: ad superiora pertinet, quæ Deus ita præcipiebat, ut non in duabus lapideis tabulis scriberentur, sed in libro legis ubi multa conscripta sunt: certè illud quod sequitur: Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus & quadraginta noctibus panem non manducauit & aquam non bibit, & scripsit in tabulis uerba testamenti, decē uerba: satis manifestat eundem Moysen in tabulis hæc decem uerba scripsisse, non Deum. Nisi fortè uiolēter quidem, sed certa necessitate compellimur, ubi dictum est, & scripsit in tabulis uerba testamenti, decem uerba, non Moysen subaudire, sed Dominum. Suprà enim positum est: Et erat ibi Moyses in conspectu Domini: ut à Domino, in cuius conspectu erat Moyses quadraginta diebus & quadraginta noctibus panem non manducans, & aquam non bibens, scripta intelligantur hæc decem uerba in tabulis, sicut antè promiserat. Quod si ita est, nō quidem illa differentia duorum testamentorum, quæ nobis uisa est, in his uerbis commendari potest, quando & priores & secundas tabulas scripsit, non homo, sed Deus. Veruntamen illa certè distantia non habet dubitationem, quòd priores tabulas, & Deus fecit, & Deus scripsit. Non enim tunc dictum est ad Moysen: Excide tibi duas tabulas, sed ita potius legitur: Et conuersus Moyses descendit de monte, & duæ tabulæ testimonij in manibus eius: tabulæ lapideæ scriptura ex utraque parte hinc atque hinc erant scriptæ: & tabulæ opus Dei erant, & scriptura scriptura Dei est sculpta in tabulis. Iam enim superiùs dixerat easdem tabulas scriptas digito Dei, sic loquens: Et dedit Moysi statim ut cessauit loqui ad eum in monte Sina
duas tabulas testimonij, tabulas lapideas scriptas digito Dei. Ibi ergo & tabulæ D
opus Dei erant, & scriptura earum digito Dei facta. Secundas autem tabulas ipse Moyses iubetur excidere, ut ipsæ certo opere humano intelligantur excisæ, quāuis eas Deus ipse scripserit, sicut promisit cùm iuberet excidi. Porrò autem si diligentius attendamus, ideo utrunque dictum est in secundis tabulis, quia & Deus fecit per gratiam suam opus legis in homine, & homo per fidem suam suscipiēs gratiam Dei, pertinens ad testamentum nouum coöperator est adiuuantis Dei. Ideo autem in primis solùm opus Dei cōmemoratur, quia lex spiritalis est & lex sancta, & mandatum sanctum & bonum & iustum. Ideo uerò nullum opus hominis ibi commemoratur, quia infideles non contemperantur adiutorio gratiæ, sed ignorantes Dei iustitiam & suam uolentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Vnde illis lex ad condemnationem ualet, quod significat contritio tabularum. Profectò non cogimur uiolento intellectu subaudire quòd Deus scripserit, ubi scriptura dicit: Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus & quadraginta noctibus: panem non manducauit & aquam &c. Vbi ualde sonat scripsisse Moysen. Sed ideo superiùs Deus se promisit scripturum, & in Deuteronomio non solùm ita promisisse, uerumetiam ipse scripsisse enarratur, ut significetur quod ait Apostolus: Deus enim est qui operatur in uobis, & uelle & operari pro bona uoluntate, hoc est, in eis qui ex fide gratiam suscipiunt, & non suam iustitiam uolunt statuere, sed iustitiæ Dei subiecti sunt ut ipsi sint in Christo

Phil. 2.

iustitia

A iustitia Dei. Nam & illic Apostolus utrunque dicit, & Deum operari, & ipsos. Nam si non operabantur, quomodo eis dicebat, cum timore & tremore uestram ipsorum salutem operamini? Operatur ergo ille, cooperamur nos. Non enim aufert, sed adiuuat bonae uoluntatis arbitrium. Sequitur.

Distinxit Dominus tribuum Leui. Nisi per hanc tribum significaretur uniuersum regale sacerdotiũ, quod ad nouum pertinet testamẽtum, nullo modo ausus esset dicere homo, qui ex eadem tribu non erat: Pars mea Dominus. *Psal.72.*

CAPVT VNDECIMVM.

Quaest. super Deut. lib. 5. Cap. XVII. Tomo IIII.

S *Cribetis ea super limina domorum.* Quid hoc est, cùm secundum proprietem nemo fecisse Israëlitarũ cõmemoretur, uel legatur, quia nec quisquam potest, nisi fortè diuidat ea per multas partes domus suae? An hyperbolica commendatio est, sicut multa dicuntur.

CAPVT DVODECIMVM.

Ex lib. Cont. Adimant. Manich. discip. Cap. XIIII. Tomo VI.

S *Ecundum desiderium animae tuae occide & manduca &c.* His uerbis legis Adimantus contrarium esse arbitratur quod in euangelio Dominus ait: Ne grauentur corda uestra cruditate & uinolentia, & curis secularibus. Et quod ait Apostolus: Bonum est non manducare carnem, neque bibere uinum. Et iterum: Non potestis mensae Domini communicare, & mensae daemo- *Luc.21.* *Rom.14.* *1.Cor.10.*
B niorum. Nos autem omnia haec, siue quae in ueteri, siue quae in nouo testamento scripta sunt, & suis causis exigentibus posita dicimus, & sibi aduersa nõ esse mõstramus. Quanquã & ipse in his uerbis quae posuit de ueteri testamento animaduertere potuit, non ad immoderatam uoracitatem pertinere quod dictum est: Secundum desiderium animae tuae occide & manduca omnem carnem: quando sequitur, iuxta uoluptatem quam tibi dedit Dominus: immoderatam enim uoluptatem non dedit tibi Dominus, sed quanta sustentationi naturae salutique sufficiat. Quisquis autem sequitur immoderatam uoracitatem, suum uitiũ sequitur, non eam uoluptatem quam dedit Dominus: & ideo non est contrarium quod in euãgelio positum est: Non grauentur corda uestra cruditate & uinolentia et curis secularibus. Cùm enim quisquam nõ replet nisi eam uoluptatem, quam Dominus dedit, id est, modestã atque naturalẽ, nõ grauatur cor eius cruditate & uinolentia & curis secularibus. De carne autẽ nõ manducãda, & non bibẽdo uino, quod ait Apostolus: nõ quia illa immũda arbitratus est, hoc praecepit sicut isti existimãt, et errãtes in errorẽ praecipitant, quibus talia persuaserũt: sed cùm ipse posuerit causam, cur hoc dixerit, nõ est nobis haec interpretãda uel exponẽda sententia. Sufficit enim ipsum de Apostoli epistola totũ locũ huic sermoni cõtexere, ut & causa manifestius appareat, cur hoc Apostolus dixerit, & istorum fraus, qui particulas quasdã de scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, nõ cõnectentes quae suprà & infrà scripta sunt, ex quibus uoluntas, & intentio scriptorum possit intelligi. Sic ergo Apostolus ait: Infirmũ autem in fide recipite &c. Vsq; ad illũ locum.

Rom.14. Omne quod non est ex fide peccatum est. Nunquid eget cuiusquam interpretatio C
ne, ut intelligatur cur hoc Apostolus dixerit: & quanta isti malitia de scripturis
certa quæque discerpunt, quibus circunueniant imperitos? Nam & munda esse
omnia dixit Apostolus secundũ fidẽ: & ei esse immũda, qui putat immũda: et tunc
esse ab eis temperandum, cùm per offensionem accipiuntur, id est, cùm aliquis
infirmus putat sibi ab omnibus carnibus temperandum, ne incidat in carnem immolatitiam: & ideo eum qui manducat, potest arbitrari in honorem idolorum
id facere: & ex eo grauiter offendi, cùm ipsa immolatitia caro, si ex fide à nesciẽ
1.Cor.10. te accipiatur, neminem maculet. Vnde alio loco idem Apostolus interrogare
uetat, cùm quid de macello emitur, uel ab aliquo infideli quisquam uocatus, in
mensa sibi adhiberi carnes uidet, quas isti immundas arbitrantur, non propter
Rom.14. immolationem, sed quia carnes sunt, cùm Apostolus clamet omnia munda esse,
& omnem creaturam Dei bonam esse, & omnia sanctificari per uerbum & orationem: & tamen temperandum ab eis, si quis fortè infirmus offenditur. Et quodam
1.Tim.4. loco apertissimè istos significauit, cùm dicit: In nouissimis temporibus
quosdam futuros prohibentes nubere, abstinentes à cibis quos Deus creauit.
Hos enim propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, ut aut
concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant: sed quia ipsas
carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant. Nos autem
Titum.1. teneamus Apostolicam disciplinam dicentem, quòd omnia munda sint mundis,
seruata moderatione euangelica, ut non grauentur corda nostra cruditate & ui-
1.Cor.10. nolentia & curis secularibus. Nam idem illud quod Apostolus ait: Non potestis
mensæ Domini communicare, & mensæ dæmoniorum: non uideo cur apponendum huic loco legis, & quasi contrarium Manichæi esse crediderunt. Non enim D
Deut.12. de immolationibus lex loquitur, cùm in Deuteronomio dicitur: Secundum desiderium animæ tuæ occide, & manduca omnem carnem, iuxta uoluptatem
quam dedit tibi Dominus: sed de cibis, qui pertinent ad hominis alimentum.
Sed quoniam Manichæi etiam, cùm ad hominis cœnam quæque animalia præparantur, immolationem esse dicunt, secundum suum intellectum ista contraria esse
putauerunt. Propterea & illum commemorauerunt locum, ubi Apostolus ait:
Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo: cùm Apostolus apertissimè de uictimis loqueretur, quæ in templo offeruntur dæmonibus: non de
1.Cor.10. escis quas sibi homines præparant. Sic enim dicit: Quid ergo dico, quia idôlis
immolatum est aliquid, aut idôlum est aliquid? Sed quia quæ immolant dæmonijs, & non Deo immolant. Nolo uos socios dæmoniorum fieri &c. Hæc attendant Manichæi, & uideant quomodo dictum sit in Deuteronomio: Secundum
desiderium animæ tuæ &c. Quòd enim de quibusdam carnibus non manducandis Iudæis præceptum est, & immundæ sunt dictæ, ad significationem ualet hominum
Deut.25. immundorum, qui per figuras in ueteribus scripturis sunt designati. Sicut enim bos ille, cui trituranti uetat os alligari, Euangelistam significat (sicut Apo
1.Cor.9. stolus apertissimè exponit) sic & illa quæ prohibita sunt, quasdam hominum immunditias significant, quæ in societatem corporis Christi, id est, in ecclesiam stabilem & sempiternam non recipiuntur. Nam quòd ad cibos attinet, omninò nihil

A hil immundum esse, sed malum esse homini qui per offensionem manducat manifestissimè apparet.

Secundum desiderium animæ tuæ occide. Vide Leuit. cap. 11. in hæc uerba: Separate à mundo immundum.

Ex lib. contra Adimant. Manich discip. Cap. XII. Tomo VI.

Quod anima sit carnis sanguis. Huic sententiæ ueteris legis Manichæi ex euangelio illud opponunt quod Dominus dicit: Non esse timendos eos qui occidunt corpus, animæ autem nocere non possunt, & disputant dicentes: Si sanguis anima est, quo modo homines potestatem in eam non habent, cùm de sanguine multa faciant, siue excipientes & canibus uolucribúsque in escam proponentes, siue effundentes, aut cœno lutóque miscentes? Hæc enim & alia innumerabilia sine difficultate homines de sanguine possunt facere. Ideo isti quærunt insultantes: Quomodo si sanguis est anima, non posit hominis interfector nocere animæ, cùm tantam in eius sanguinem habeat potestatem? Addunt etiam quod ait apostolus Paulus: Quia caro & sanguis regnum Dei non posidebunt. Et dicunt, si sanguis est anima, sicut Moyses dicit, nulla inuenietur anima posse regnum Dei adipisci. Cui calumniæ primò ita respondendum est, ut ipsi cogantur ostendere ubi scriptum sit in libris ueteris legis, quòd anima humana sanguis sit. Nusquam enim hoc inuenient in illa scriptura, quam lacerare miseri quandiu conantur, nullo modo permittuntur intelligere. Quòd si de anima humana nihil tale ibi dictum est, quid ad nos pertinet si anima pecoris aut lædi ab interfectore potest, aut posidere regnum Dei non potest? Sed quia de animis pecorum nimis sunt isti solliciti,

Matth. 10.

1. Cor. 15.

B cùm enim sint hominum animæ rationales, reuolui tamen eas in pecora existimant, clausa sibi esse arbitrantur regna cœlorum, si pecorum animis clausa esse consentiant. Quid, quòd etiam insultare ausus est populo Israël Adimantus unus ex discipulis Manichæi, quem magnum doctorem illius sectæ fuisse commemorant? Insultare ergo ausus est populo Iudæorum, quòd secundum eorum intellectum quo existimant sanguinem esse animam, parentum ipsorum animę, partim à serpentibus deuoratæ, partim igne consumptæ, partim in desertis atque asperrimis montium locis arefactæ sunt. Quod si uerum esse quisquam concederet, sine scelere tamen eorum quibus iste insultare uoluit, factum esse conuinceret. Non enim parentum suorum animas, quibus illa omnia secundum horum intellectum accidisse idem dixit, ipsi aliqua ex parte lęserunt: quapropter luctum inde possunt habere, non reatum. Quid autem ipse Adimantus faciet secundum opinionem suam: qua credidit etiã rationales, id est, hominũ animas in beluina corpora posse contrudi? Quid ergo faciet de tanto scelere: siquando tardum iumentum plagis aut concitatum freno fatigauit: in quo fortè patris eius anima fuerit, ut non dicã quòd etiam occidere parentes suos inter pediculos et pulices potuerit, à quorum isti interfectione non temperant? Quid enim eis prodest quòd aliquando negant usq; ad illa minutissima animantia reuolui animas humanas posse? Hæc enim negant, ne tam multarum interfectionum rei teneantur aut cogantur parcere pediculis & pulicibus, & cimicibus, & tantas ab eis molestias sine ulla cædis eorum licentia sustinere. Nam uehementer urgẽtur, cur in uulpeculam reuolui anima humana

mana posit,& non posit in mustelam,cùm catulus uulpeculæ fortasse etiam mi C
nor sit,quàm magna mustela. Deinde si in mustelam potest,cur in murē non potest?Et si in istum potest, cur in stellionē non potest?Et si in eū potest,cur in locustam nō potest?Deinde in apem,deinde in muscā,deinde in cymicē atq; inde usq; in pulicem,& si quid est aliud multò minutius,peruenire:Vbi enim terminū constituant,non inueniunt:atq; ita per istā nugatoriam credulitatem cōscientiæ illorum innumerabilibus homicidiorū sceleribus obruuntur. Nam ex eo quòd scriptum est: Sanguinē pecoris animam eius esse, præter id quod suprà dixi,non ad me pertinere, quid agatur de pecoris anima, possum etiam interpretari præce-
Matth.26 ptum illud in signo esse positū. Non enim Dominus dubitauit dicere: Hoc est cor
1.Cor.15. pus meū,cùm signū daret corporis sui. Quod autem ait Apostolus: Caro & san-
Gen.6. guis regnū Dei non possidebunt,etiam in lege dictum est: Nō permanebit in istis spiritus meus,quoniam caro sunt. Et toties in ueteribus libris iustorū animis præmium futurū promittitur. Sed tamen Apostolus uolens insinuare quale corpus iustorū per immutationem in resurrectione futurum sit,quia non nubent, neq; uxores ducēt,sed erunt sicut angeli in cœlis. Hanc ergo immutationem futuram corporum sanctorū uolens insinuare,dixit Apostolus: Dico enim uobis fratres, quia caro & sanguis regnū Dei non possidebunt. Quod non una separata, & ad fraudem cōmemorata sentētiā,sed toto ipso epistolæ loco pertractato, uel potius lecto(non enim res obscura)inueniri potest. Sic enim dicit Apostolus: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem,& mortale hoc induere immortalitatem, quod eum de corpore dicere,de superioribus manifestè inuenitur,cùm ait: Non omnis caro eadem caro &c. Certè iam clarum est quare Apostolus hoc dixerit. D
Quid ergo iste tam turpi fraude non cōmemorat,nisi hoc ultimū, & tacet illa superiora,quibus hoc quod malè interpretatur,bene posit intelligi? Nā quoniam Domini nostri corpus post resurrectionē sic leuatum est in cœlū,ut pro ipsa cœlesti habitatione,cœlestē acceperit mutationem, & hoc sperare in die ultimo iussi sumus,ideo dixit Apostolus: Qualis terrenus,tales,& terreni,id est,mortales: & qualis cœlestis,tales & cœlestes,id est,immortales,non solùm animis, sed etiā corporibus. Vnde & suprà dixerat,aliam esse cœlestium corporū gloriam, & aliam terrestrium. Quòd autē spiritale dixit corpus in resurrectione futurū, non propterea putandū est,quòd non corpus,sed spiritus erit, sed spiritale corpus omnimodo spiritui subditum dicit sine aliqua corruptione uel morte. Non enim quia quod modo habemus corpus animale appellat, ideo putandum est non illud esse corpus sed animam. Ergo quemadmodū corpus animale nunc dicitur, quia subditum est animę,spiritale autem nondū dici potest,quia nondū spiritui plenè subiectum est, quandiu corrumpi potest: sic & tunc spiritale uocabitur, cui spiritui atq; æternitati nulla corruptione resistere poterit. Aut si adhuc parū uidetur esse monstratum,quòd sententiam istam propter immutationē quæ futura est Apo-
1.Cor.15. stolus dixerit cùm ait: Caro & sanguis regnū Dei hæreditate possidere non possunt,neque corruptio incorruptionem hæreditate possidebit,attēdite quid continuò subijciat & adiungat: Ecce mysterium uobis dico: Omnes quidem resurgemus,nō tamen omnes immutabimur,in atomo,in ictu oculi, in nouissima tuba,
Canet

A Canet enim tuba, & mortui surgent incorrupti, & nos immutabimur. Deinde contexit & dicit etiam illud quod paulò antè cõmemoraui, ut ostendat qualis sit futura ipsa immutatio. Statim quippe dicit: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hinc ergo apparet quia caro & sanguis regnũ Dei non possidebunt, quia cùm induerit incorruptionem & immortalitatẽ, iam non caro & sanguis erit, sed in corpus cœleste mutabitur. Quod quidem ex occasione tractauimus, quia huic quoq; sententiæ multùm insidiari solent negantes corporũ resurrectionem. Nam ista quæstio non de corpore, sed de anima proposita est, quam putãt sic accipi in lege ut sanguis esse existimetur, quando nos nullo modo sic intelligimus. Sed quãuis de pecorum animis non curemus, cum quibus non habemus rationis aliquã societatem: tamen illud quod lex dixit, fundẽdum esse sanguinem, nec in escam assumendũ, quia sanguis est anima, esse positum dicimus, sicut alia multa, & penè omnia scripturarũ illarum sacramenta signis & figuris plena sunt futuræ prædicationis, quæ iam per Dominum nostrũ Iesum Christum declarata est. Sic est enim sanguis anima, quomodo petra erat Christus, sicut dicit Apostolus: Bibebant enim de spiritali sequente eos petra. Petra autem erat Christus. Notum est autem filios Israël petra percussa bibisse aquam in eremo. de quibus Apostolus cùm hæc diceret, nec tamen ait petra significabat Christum, sed ait petra erat Christus. Quæ rursus ne carnaliter acciperetur, spiritalem illam uocat, id est, eam spiritaliter intelligi docet.

1. Cor. 10.
Exod. 17.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

B Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XIX. Tomo IIII.

SI *autem surrexerit in te propheta* Vbi sanè intelligi uoluit etiam illa, quæ à diuinantibus non secundũ Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda sic, ut fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur, quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse quòd ista contingunt, sed quasi quæreretur, cur ea permittat, causam tẽtationis exposuit ad cognoscendam eorum dilectionem, utrùm eam habeant erga Deum suum: cognoscendam uerò ab ipsis potius quàm ab illo qui scit omnia antequam fiant.

Ex lib. 1. de Gen. contra Manich. Cap. XXII.

Tentat uos dominus Deus uester, ut sciat si diligatis eum. Non enim ut sciat ipse, quem nihil latet: sed ut scire nos faciat, quãtùm in eius dilectione profecerimus, tentari nos permittit.

Itẽ. Vide ad Rom. c. 8. in hęc uerba: Quid enim oremus sicut oportet, nescimus.
Item. Vide Gen. cap. 22. in hæc uerba: Et tentauit Deus Abraham.
Item. Vide Matth. cap. 10. in hæc uerba: Neque uirgam.
Item. Vide Matth. cap. 6. in hæc uerba: Et ne nos inferas in tentationem.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XX. Tomo IIII.

P*Ost tres annos produces omnem decimam &c.* Ex ista decima non dixit, ut ipse manducet cum suis. Ac per hoc Leuitis, & aduenis, & pupillis, & uiduis,

uiduis, eam iussit impendi. Sed obscurè positum est, quia non est distincta ista deci C
ma ab illa, quam uoluit cum Leuitis in eo loco manducari, quem Dominus elegisset tempore suo. Sed in ea interpretatione quæ est ex Hebræo, apertius hoc distinctum reperimus. Ait enim: Anno tertio separabis aliam decimã ex omnibus quæ nascetur tibi eo tempore, & repones inter ianuas tuas, ueniétque Leuites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus, & pupillus, & uidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur, ut benedicat tibi dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quę feceris. Primò hoc ipsum planius est quod ait: anno tertio, intelligitur enim uno anno interposito. In septuaginta autem, quoniam post tres annos dixit: incertum est utrùm eos medios esse uoluerit, ut quinto quoque anno fieret. Deinde cùm ait: Et separabis aliam decimam, satis ostendit extra esse illam quam uoluit eum ipsum qui offert manducare cum suis & Leuitis in eo loco, quem Dominus elegisset. Et hãc enim & aliam decimam intra ianuas suas eum ponere præcepit, non ad eum locũ eum deferre, ubi Dominus se uoluit inuocari. Et ueniet, inquit, Leuites qui non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, & pupillus, & uidua qui intra portas tuas sunt, & comedent. Hinc certè manifestè uerum est non istã decimam Deum fieri uoluisse cõmunem ei qui offert, & his quibus impendenda est, sed illis solis erogari eam iussit, qui aliud non haberent, in quibus præcipuè Leuitem posuit. Post septem annos facies remissionem. Hîc certè manifestatur quomodo & superiùs dixerit, post tres annos. Non enim & hos septem annos medios esse uoluit. Vnoquoque anno eam fieri præcepit, tanquam sabbatissimum annorum. D

CAPVT QVINTVMDECIMVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XXI. Tomo IIII.

Ttende tibi ipsi ne fiat uerbum occultum. Magnificè occultum uerbum hoc
A dixit, quoniam nemo audet hoc dicere, qui potuerit cogitare, ideo non esse mutuum dandum indigenti, quoniam appropinquat annus remissionis, cùm Deus propter misericordiam utrunque pręceperit, & cõmodari cùm quisque indiget, & remitti anno remissionis. Quomodo ergo misericorditer remissurus est illo anno, quo remittẽdum est, si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse quo dandum est? Sequitur.

F*rater tuus Hebræus.* Hos emptos non anno remissionis remitti uoluit quẽ septimũ queq; obseruari oportebat ab omnibus, sed ãno septimo emptionis eius quotocũq; anno illorũ septimus iste ãnus occurreret. Sequitur: Omnẽ primogenitũ. Quærendũ utrùm quę Græcè dicũtur πρωτότοκα, nec Latinè dici nisi primogenita potuerũt, in his tantùm intelligẽda sint quæ nascuntur ex matribus: ipsa enim propriè pariũtur potius quàm gignuntur. Parere quippe est τίκτειν, quod est ex fœmina, unde πρωτότοκον dicitur. Gignere aũt est γεννᾶν, unde propriè Latinè primogenitus dicitur. Ex fœminis autẽ dabãtur primitiua, id est, quę prima pariebãtur, nõ quę prima gignebãtur à uiris, si fortè ex uiduis quæ iam pepererãt generentur. Non enim aliter essent, quæ aperient uuluã, quod propriũ uoluit esse lex eorũ, quæ primò nata domino Deo debebantur. Si ergo est in his uerbis certa distinctio,

A stinctio, nō frustra Dominus nō dicitur à patre μονότοκος, sed μονογενὴς, id est, unigenitus, quod est unicus: à mortuis autem primogenitus quidem Latinè dicitur: quia non potuit latinum uerbum ita componi secundum loquendi consuetudinem, Græcè autem πρωτότοκος dicitur, non πρωτογενὴς, tanquam pater genuerit æqualem sibi, creatura uerò pepererit. Nam et quod dicitur primogenitus omnis creaturæ, quod ibi πρωτότοκος Græcè legitur, potest ita intelligi secundum nouā creaturam, de qua dicit apostolus: Si qua igitur in Christo noua creatura: ex qua 2. Cor. 5. ille primitiuus est, quia primitus ita resurrexit, ut iam non moriatur, nec ei mors ultrà dominetur, quod nouæ creaturæ quæ in illo est, futurū promittitur in fine. Sed ista distinctio non temerè affirmanda, sed in scripturis diligentius perscrutanda est. Mouet enim queadmodum dici potuit in Prouerb. Primogenite tibi dico fili, id est, ex cuius persona dictum intelligatur. Si enim ex Dei patris persona ad Christū dicitur, cui sentētiæ utrùm sequētia cōsonēt uix est asserere, eundē dicit primogenitū quē unigenitū, quia etiā nos filij Dei sumus. Vnigenitū uerò, quoniā solus ille de substātia patris, & patri æqualis atq; coęternus est. Mirū est autē, utrùm inter parere et gignere euidētissimis documētis sacra scriptura distinguat.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XIIII. Tomo IIII.

E T *immolabis pascha domino Deo tuo.* Quid sibi uult hoc quòd addidit boues, cùm immolationē paschæ de oue tantūmodo commendauerit, quā B iussit accipi ex ouibus & hœdis, uel ex capris? Quod mysticè accipitur Act. 17. propter Christum, cuius ut ex iustis & peccatoribus est origo carnalis. Non enim ait, ex ouibus aut capris, licet propriè non possent intelligi oues ex capris: sed ne fortè Iudæi dicerent subaudiendum caprum si dictum esset, aut ex capris: dictū est ex ouibus & capris. Quid ergo hîc sibi uolūt boues? An propter alia sacrificia quæ ipsis diebus azymorum sunt immolanda? Quærendum quomodo præceperit obseruari quod ait.

Septem septimanas integras. Si enim ab uniuerso populo lex hæc pētecoste iussa est obseruari, nūquid omnes uno die credendū est falcē iussos mittere in messem. Si autem sibi quisque obseruat istam quinquagesimā dinumerans ab illo die, quo falcem mittit: non una est uniuerso populo, illa uerò una est, quæ computatur ab immolatione paschæ usque in diem datæ legis in Sina.

Locut. de Deut. lib. 5. Tomo III.

Et non dormiet de carnibus. Pro eo quod est non remanebit ea nocte.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XXVI. Tomo IIII.

S I *autem intraueris in terram.* Quæri potest cur displicuerit populus Deo quādo regē desiderauit, cùm hîc inueniatur esse permissus. Sed magis hîc intelligendum est meritò non fuisse secundum uolūtatem Dei, quia hoc fieri non præcepit, sed desiderantibus permisit. Veruntamen præcepit, ne fieret alienus, sed frater, id est, ex eodem populo indigena, non alienigena. Quod au

tem

tem ait: Non poteris, intelligendum est, non debebis. Sequitur. C

Non multiplicabit sibi uxores. Vnde quæritur, utrùm Dauid contra hoc præceptum non fecerit. Non enim unã habuit uxorem. Nam de Salomone manifestum est, quòd transgressus fuerit hoc præceptũ, & in fœminis, & in auro & in argento. Sed hinc potius intelligitur permissum fuisse regibus, ut plures haberẽt quàm unã, multiplicari enim prohibiti sunt. Quæ prohibitio non haberet transgressionem, si paucæ fuerint, sicut Dauid fuerunt: non autẽ multæ, sicut Salomoni. Quãuis cùm addidit, ut non discedat cor eius: hoc magis uidetur præcepisse, ne multiplicando perueniat ad alienas fœminas, per quas factũ est in Salomone ut discederet cor eius à Deo. Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, ut etiam si ex Hebræis solis eas multiplicasset, contra hoc præceptũ fecisse meritò argui posset.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XXVIII. Tomo IIII.

S I *autem superuenerit Leuites ex una ciuitatum.* Quam dicat uenditionem, obscurũ est. Nisi fortè quia decimationes & primogenita præcepit uendi ab eis, qui in longinquo habitarent, ne multa cogerentur portare ad locum inuocationis Domini, uel pecora ducere, ut illic ab eis denuo emerẽtur ex eodem pretio. Et iusserat habere ibi partem Leuitam, qui maneret in ea ciuitate, unde illi decimationes & primogenita debebantur. Et ideo dixit secundum familiam hoc deberi Leuitæ, quoniam ex successione qua succeditur parentibus hoc circa eum seruari oportet, quod parentibus exhibitum est. Quoniam portentorum inspectores prohibet esse in populo Dei: quærendum est quomodo ista portenta quæ inspici prohibẽtur, discernãtur ab ijs quæ diuinitus ita dantur, ut quid significent dici debeat: sicut omnia miracula quæ in scripturis reperiuntur significantia quod pertineat ad regulã fidei. Sicut dicimus quid significauerit uellus in area cõpluta siccũ, uel in sicca area cõplutum: aut uirga Aaron quæ floruit & nuces attulit, & cętera huiusmodi. Sicut autẽ discernũtur diuinationes, quas consequẽter prohibet à prædictionibus uel annuntiationibus prophetarũ, sic illę inspectiones prodigiorum à significationibus diuinorũ miraculorũ discernendæ sunt. D

Ex lib. 16. contra Faust. Manich. Cap. XV. Tomo VI.

Suscitabo eis prophetam de fratribus &c. Nec illud nego de Christo esse prædictum, quod tu tanquam facilè refellendum elegisti, ubi Deus loquitur ad Moysen, dicens: Suscitabo illis prophetam de fratribus ipsorum similem tibi. Nec me tua lauta & lepida antitheta, quibus luteum sermonẽ quasi colorare ac pingere uoluisti, ullo modo ab hac fidei ueritate deterrent. Comparãs enim Christum atque Moysen, & cupiens demõstrare dissimiles, ut ob hoc non de Christo uideatur intelligendum esse, quod scriptum est: Suscitabo illis prophetam similem tibi: opposuisti tibimet ex aduerso multa contraria, quòd ille homo, hic Deus: ille peccator, hic sanctus: ille ex coitu natus, hic secundum nos ex uirgine, secundum uos uerò nec ex uirgine: ille offenso Deo occiditur in monte, hic patri perplacens, patitur propria uoluntate: quasi uerò cùm simile aliquid dicitur, ex omni parte atque ex omni modo simile intelligatur, quia non ea tantùm, quæ unius eiusdémque natu

ræ sunt,

A ræ sunt, dicuntur inter se esse similia: sicut gemini homines, uel filij parentibus, uel omnes homines omnibus hominibus, inquantum homines sunt, similes utiq; sunt: quod & in cæteris animalibus intueri facillimũ est, uel arboribus, uelut olea oleæ, laurus lauro similis dicitur: uerumetiam natura ræ dispares sunt & dicuntur multa similia, ut oliua oleaster, & far tritico. De rebus adhuc proximis & attingentibus loquor: nã quid tam longè distãs à filio Dei, per quem facta sunt omnia, quàm pecus & lapis: & tamen in euangelio legitur: Ecce agnus Dei. Et in apostolo: Petra autem erat Christus, quæ nullo modo quisquam rectè diceret, si eorum aliquam similitudinem nullo modo ille susciperet. Quid ergo mirum, si non est dedignatus Christus fieri similis ipsi Moysi, qui similis factus est oui, quam in eius prænuntiatione per ipsum Moysen præcepit Deus mãducari à populo suo, eiusq; sanguinem ad tutelam salutis adhiberi, & pascha appellari, quod nunc in Christo esse completum, nemo dissimulare permittitur? Quapropter de scripturis agnosco dissimilem, de scripturis mecum agnosce & tu similem: non inde dissimilem unde similem, sed alia causa aliud, alia illud, dum tamen utrumque demonstrem? Dissimilis homini Christus, quia Deus, scriptum est enim de illo: Qui est super omnia benedictus in secula. Et similis homini Christus, quia homo: quia de illo itidem scriptum est: Mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus. Dissimilis peccatori Christus, quia semper sanctus: & similis peccatori Christus, quia Deus filiũ suum misit in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. Homini ex coitu nato dissimilis Christus inquantum ex uirgine natus est: sed homini nato similis Christus, inquantũ & ipse ex fœmina natus est, cui dictũ

Ioan.1.
1.Cor.10.
Rom.9.
1.Tim.2.

B est: Quod nascetur ex te sanctũ, uocabitur filius Dei. Homini propter peccatum suũ mortuo dissimilis Christus, inquantũ sine peccato & propria potestate mortuus est: sed rursus homini mortuo similis Christus, inquantũ & ipse uera morte corporis mortuus est. Nec ideo Moysi famulo Dei derogaueris, quia eum peccatorem fuisse, & offenso Deo suo in monte occisum esse dixisti. Nouerat enim & ipse in Domino gloriari, ut ab eo saluus fieret, à quo & ille qui dicit, Christus Iesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum. Arguitur enim Moyses diuina uoce, quòd eius fides ad aquam de petra eliciendam aliquantulum titubauerit, quòd ei cum peccato Petri potest esse cõmune, qui in medijs fluctibus simili fidei defectu dubitauit. Verùm absit ut credamus hinc eũ esse alienatum ab æterna societate sanctorũ, qui cũ sancto Helia, sicut euangelium loquitur, meruit clarificato in monte Domino assistere. Nam & in ueteribus legis libris, etiã post ipsum peccatũ, quantùm sit apud Deum meritũ eius, apparet. Sed quid causæ fuerit, ut de peccato eius tali morte uindicãdo Deus loqueretur? Quoniam pollicitus sum ea ipsa demonstrare ad prænuntiandũ Christũ pertinere, quę tu reprehẽdẽda delegeris: faciã sicut possum, Domino adiuuãte, ut hoc etiã quod in Moysi morte reprehendisti, prophetiã fuisse de Christo rectè intelligẽtibus doceã. Sicut enim mos est diuinorũ in scripturis sanctis mysteriorũ, ut idẽ homo aliã atq; aliã pro re aliqua significanda personã gerat: tunc Moyses populi Iudęorum sub lege positi personã gerebat, eumq; in prophetica prænuntiatione figurabat. Sicut ergo Moyses petrã uirga percutiens, de Dei uirtute dubitauit: ita ille populus,

Luc.1.
Eiusdẽ lib. cap.16.
1.Tit.1.
Eiusdẽ lib. cap.17.

pulus, qui sub lege per Moysen data tenebatur, Christum ligno crucis affigens, C
eum uirtutem Dei esse non credidit. Sed sicut percussa petra manauit aqua sitien
tibus, sic plaga Dominicæ passionis effecta est uita credentibus. Habemus enim de
hac re præclarissimam & fidelissimam uocem apostoli, cùm inde loqueretur, di-
centis: Petra autem erat Christus. Hanc ergo carnalem de Christi diuinitate despe
rationem in ipsius Christi altitudine Deus mori iubet, cùm mortem carnis Moysi
in monte imperat fieri. Sicut enim petra Christus, ita & mons. Christus petra hu-
milis fortitudo, mons eminens magnitudo: quia sicut Apostolus ait: Petra erat
Christus, ita ipse Dominus. Non potest ciuitas abscondi super montem constitu-
Matth. 5. ta, se scilicet montem, fideles autem suos in sui nominis gloria fundatos asserens
ciuitatem. Prudentia carnis uiuit, cùm tanquam petra percussa Christi humilitas
in cruce contemnitur. Christus enim crucifixus, Iudæis scandalum est, gentibus
autem stultitia. Et prudentia carnis moritur, cùm tanquã montis eminentia Chri
stus excelsus agnoscitur. Ipsis enim uocatis Iudæis & Græcis, Christus Dei uirtus
& Dei sapientia est. Ascendit itaq; Moyses in montem, ut carne mortua uiuo spi-
ritu reciperetur: quò Faustus non ascenderat, ut carnales calumnias mente mor-
tua loqueretur. Nónne ipsam petram Petrus per prudentiam carnis percuti ex-
Matth. 16 horruit, cùm Domino passionem suam prænuntianti ait: Absit Domine, non fiet
istud, propitius esto tibi. Neque enim pepercit huic peccato Dominus, cùm ei
retulerit: Redi retrò satanas, scandalum mihi es: non enim sapis quæ Dei sunt, sed
quę sunt hominum. Aut ubi mortua est ista carnalis diffidentia, nisi in Christi glo
rificatione, tanquam in montis altitudine? Nam utique uiuebat, cùm timidè nega-
ret: & utiq; mortua erat, cùm liberè prædicaret. Hæc uiuebat in Saulo, cùm scan- D
dalum crucis detestans, uastabat Christianam fidem: & ubi nisi in illo monte mor
Gal. 2. tua erat, cùm iam Paulus diceret: Viuo autẽ iam non ego, uiuit uerò in me Chri-
Eiusdẽ lib. stus. Quid habes igitur hæretica uanitas, unde putes posse conuincere, non de
Cap. 18. Christo esse prædictum: Suscitabo illis prophetam de fratibus ipsorum similem
tibi, quando ne hinc quidem potes, quòd dissimilem ostendis? Alijs enim causis
nos similem ostendimus. An quia propheta dictus est, qui & homo esse dignatus
est, & tam multa futura prædixit: nisi fortè aliud est propheta, quàm homo, ultra
Matth. 13. humanas coniecturas futura prænuntians. Vnde & ipse de seipso ait: Nõ est pro-
pheta sine honore, nisi in patria sua. Sed de te uidero, qui coniunctum paulò antè
confessus es, cùm dixisti, quòd te ad credendum euangelio professio tua fecit ob-
noxium. Iudæus ipse procedat in medium, qui ceruicem à iugo Christi malè libe-
ram tollit: & ideo sibi adhuc fas putat dicere: Mentitus est Christus uester, nihil de
Eiusdẽ lib. illo scripsit Moyses. Dicat mihi quem prophetam promiserit Deus, cùm ait
cap. 19. Moysi: Suscitabo illis prophetam &c. Multi enim prophetæ postea fuerunt, sed
utique unũ quendam intelligi uoluit. Hîc ei credo, facillimè occurreret successor
ille Moysi, qui populum ex Aegypto liberatum, in terram promissionis induxit.
Quem cogitans, me adhuc fortasse ridebit quærentem de quo dictum sit: Suscita
bo illis prophetam similem tibi, cùm legam quis in eodem munere populi illius
regendi atque ducendi Moysi defuncto successerit, qui cùm me uelut imperitum
riserit, talis enim & à Fausto describitur, non desinam hominem adhuc etiam
compellere,

A compellere,& à securo risu ad curam respondendi reuocare,quærēdo atque flagitando:cur eidem ipsi futuro suo successori,in cuius comparationem improbatus est,ut nō ipse introduceret populum in terram promissionis:ne uidelicet lex per Moysen non ad saluandum,sed ad conuincendum peccatorem data,in regnū cœlorum introducere putaretur,sed gratia & ueritas per Iesum Christū facta: quæram ergo à Iudæo,cur eidem ipsi futuro suo successori Moyses nomen mutauerit. Vocabatur enim Osee,& appellauit eū Iesum.Cur deniq; tunc appellauerit, quando ex conualle Pharan præmisit ad eandem terram,quò erat populus ipso duce uenturus? Dicit enim uerus ipse Iesus:Et si iero , & præparauero uobis locum,iterum ueniam,& assumam uos ad me.Quæram etiam,utrùm non huic figuræ attestetur Propheta dicens:Deus ab Africo ueniet,& sanctus de Pharan,tāquam diceret:Eius nominis ueniet deus sanctus,cuius nominis erat ille,qui uenit ab Africo de Pharan,id est,Iesus.Huc accedit,quòd idem ipsum Dei uerbū intelligitur loqui,ubi promittit eundē ipsum Moysi successorem , per quē populus in terrā promissionis mitteretur,nomine angeli eū appellans:sicut etiā homines aliquid nuntiātes,in scriptura diuina solent appellari,& ita dicit:Ecce ego mitto angelū meū ante faciem tuā,ut seruet te in uia,ut inducat te in terrā,quam iuraui tibi,attende tibi,& obaudi eū,ne nō credas illi:nihil enim subtrahet tibi,nomē enim meū est in eo.Quid est hoc?Perscrutetur scripturas illas,nō iam Manichæus,sed ipse etiā Iudæus,& uideat utrùm de aliquo angelo Deus dixerit:Nomen meū est in illo,nisi de hoc,quē introductorē in promissionis terrā pollicetur?Deinde quærat in hominibus quis Moysi successor introduxerit populū , & inueniet Iesum,

Ioan.14. *Abac.3.* *Exod.23.*

B nō hoc ab initio uitæ suæ,sed nomine mutato appellatū.Qui ergo dixit ; Nomen meū est in illo Iesu,ipse est uerus Iesus,rector & ductor populi in hęreditatem uitæ æternæ,secundū testamentū nouum,cuius figura erat testamentum uetus,ita quantùm attinet ad propheticum apparatum,nec geri,nec dici aliquid possit insignius:quandoquidem res perducta est usque ad nominis expresionem.

CAPVT VICESIMVM.

Quæst.super Deut.lib.5. Cap.XXX. Tomo IIII.

D *Ebellabit uobiscum inimicos uestros.* Ecce quemadmodum & in spiritalibus conflictibus sperādum & petendum est Dei adiutorium,nō ut nos nihil faciamus,sed ut adiuti cooperemur.Sic enim ait , debellabit uobiscum,ut & ipsos acturos quod agendum esset ostenderet.Sequitur.

Quis est homo qui ædificauit domum. Possunt mouere ista,quasi meliore conditione moriantur in bello,qui iam dedicauerunt ædificia sua,iamq; epulati sunt de nouellis,iamq; duxerunt spōsas suas,quàm hi qui nōdum. Sed quoniā his rebus tenetur humanus affectus,& magni hæc æstimātur ab hominibus : intelligendū est ad hoc,ista dici in bellū procedentibus,ut quisquis animo his tenetur,appareat cùm reuertitur,ne propter hoc minus fortiter agat,dum timet ne antè moriatur quàm domū dedicauerit,aut de nouella sua biberit,aut spōsam suā duxerit. Nam utiq; quantùm ad fœminā pertinet,melius alteri nubet intacta quàm uidua.Sed hæc ut dixi instituta sunt propter uirorum animos explorandos.Sequitur.

Vasa uiri. Id est, uasa bellica, id est arma. C

Si *accesseris ad ciuitatem expugnare eam.* Vide Iosue cap. 21. in hæc uerba: Et dedit Dominus Israël omnem terram.

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XXXIII. Tomo IIII.

ET *detulerit nomen malignum & dixerit &c.* Satis hinc apparet, quẽadmodum subditas fœminas uiris, & penè famulas lex esse uoluerit uxores: quòd dicens aduersus uxorem uir testimonium unde lapidaretur illa, si hoc uerum esse demonstraretur, ipse tamen non uicissim lapidaretur si hoc falsum esse constiterit: sed tantummodo castigatur & damnificatur eíque perpetuò iubetur adhærere, qua carere uoluerat. In alijs autem causis, eum qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quod si probaretur, iussit occidi: eadémque pœna plecti iubet, qua fuerat, si uerum esset, iste plectendus.

Ex lib. 14. cont. Faust. Manich. Cap. II. Tomo VI.

Maledictus omnis qui in ligno pependerit. Pius homo Faustus dolet Christũ esse maledictum à Moyse, & ob hoc odit Moysen, quia diligit Christum. Interim antequã aperiam, in quàm magno sacramento, & quàm piè dictum sit: Maledictus omnis qui in ligno pependerit, istos pios homines interrogo, cur irascantur Moysi, quãdoquidem maledictum eius ad Christum istorũ non peruenerit. Si enim Christus pependit in ligno, clauis utique affixus est. Vnde etiam ipsas cicatrices post resurrectionem discipulo minus credulo demonstrauit. Quod si ita est, utique uulnerabile atque mortale corpus habuit, quod isti nolũt fateri. Si ergo & illa uulnera, D & illæ cicatrices falsæ erãt, falsum est quòd pependit in ligno. Nõ itaque potuit ad eũ illa maledictio peruenire, non est quòd succenseãt ei, à cuius ore processit. Itaque si ipsi irasci se fingunt ei, qui maledixerit falsæ morti Christi (quod secundum ipsos dixerim) quomodo fugiendi sunt qui nõ maledicũt Christum, sed quod est execrabilius, criminantur? Si enim nõ est accipiendus, qui maledictũ ingerit mortalitati, quomodo est detestãdus, qui fallaciam obijcit ueritati? Sed iam uideamus ex occasione calumniantiũ hæreticorũ, quomodo illud sacramentũ fidelibus exponatur. *Eiusdẽ lib. cap. 3.* Mors hominis ex pœna peccati est, unde & ipsa peccatũ dicitur, non quia peccet dũ moritur, sed quia ex peccato factũ est ut moriatur: Sicut alio modo dicitur lingua propriè caro, quæ intra dẽtes sub palato mouetur: & alio modo dicitur lingua, quod per linguã fit: secundũ quem modũ dicitur, lingua Græca, alia Latina: et manus alio modo dicitur, ipsum propriè corporis mẽbrũ, quod mouemus ad operandũ: & alio modo manus dicitur scriptura, quæ fit per manũ. Dicimus enim: Prolata est manus eius: Lecta est aduersus eũ manus eius: Habeo manum tuã: Recipe manum tuã. Manus utique propriè membrũ est hominis: nõ autẽ opinor illam scripturam membrum esse hominis, & tamen dicitur manus, eo quòd manu facta sit. Sic & peccatum, non tantùm ipsum opus malum, quod pœna dignum est, sed etiã ipsa mors, quæ peccato facta est, peccatum appellatum sit. Illud itaq; peccatũ, quo reus esset mortis, nõ cõmisit Christus: illud autem alterũ, id est, mortẽ, quæ peccato inflicta est humanæ naturæ, suscepit pro nobis. Hoc suspendit

A pendit in ligno, hoc maledictum est per Moysen: ubi mors damnata est ne regna-
ret, & maledicta est ut periret. Quapropter per Christi tale peccatum damnatum
est, & nostrum peccatũ, ut nos liberaremur, ne regnante peccato nos dãnati rema
neremus. Quid ergo Faustus miratur maledictũ esse peccatũ, maledictam esse Eiusdẽ lib.
mortẽ, maledictam esse mortalitatẽ carnis sine peccato Christi, ex peccato tamen cap.4.
hominis etiã in Christo factam? Ex Adam quippe corpus assumpsit, quia ex Adã
uirgo Maria: quæ peperit Christum. Dixerat autem Deus in paradiso: Qua die te Gen.2.& 3
tigeritis, morte moriemini: hoc est maledictum, quod pependit in ligno. Ille neget
Christum maledictum, qui negat & mortuum: qui autem confitetur & mortuũ,
& negare non potest mortem de peccato esse: & ob hoc etiam ipsum peccatũ uo
cari, audiat Apostolum dicentem: Quoniam uetus homo noster simul cũ illo cru- Gal.5.
cifixus est, & intelligat quem maledictũ Moyses dixerit. Ideoq; securus Apostolus
ait de Christo: Factus est pro nobis maledictum, sicut nõ timuit dicere: Pro omni- 1.Cor.5.
bus mortuus est, hoc est enim, mortuus est, quod maledictus: quoniã mors ipsa ex
maledicto est, & maledictum est omne peccatum: siue ipsum quod fit, ut sequatur
supplicium: siue ipsum supplicium, quod alio modo uocatur peccatũ, quia fit ex
peccato. Suscæpit autem Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solueret
reatum nostrum, & finiret etiam supplicium nostrum. Ex ingenio meo ista dixe-
rim, si non Apostolus totiens hoc inculcat, ut & dormientes excitet, & calũniantes
suffocet. Misit, inquit, Deus filium suum in similitudinẽ carnis peccati, ut de pec Eiusdẽ lib.
cato dãnaret peccatum in carne. Non erat ergo illa caro peccati, quia nõ de tradu- cap.5.
ce mortalitatis in Maria per masculũ uenerat: sed tamẽ quia de peccato est mors, Rom.8.
B illa autem caro quãuis ex uirgine, tamen mortalis fuit, eo ipso quo mortalis erat,
similitudinem habebat carnis peccati. Hoc appellat etiam peccatum, consequẽter
dicẽs: Vt de peccato damnaret peccatum in carne. Item alio loco: Eum, inquit, qui 2.Cor.5.
non nouerat peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos simus iustitia Dei in ipso.
Cur ergo timeret Moyses dicere, maledictum, quod Paulus non timuit dicere pec
catum? Planè hoc Propheta & præuidere debuit & prædicere, paratus ab hęreti-
cis cum Apostolo repræhendi. Quisquis enim reprehenderit prophetam dixisse,
maledictũ, cogitur reprehendere Apostolũ dixisse, peccatũ: nam utiq; maledictũ
comes peccati est. Nec ideo maior inuidia est, quòd addiderit Deo, ut diceret: Eiusdẽ lib.
Maledictus Deo omnis qui pependerit in ligno. Nisi enim Deus odisset peccatũ, & cap.6.
mortem nostram, non ad eam suscipiendam atq; delendam filium suum mitteret.
Quid ergo mirum, si maledictum est Deo, quod odit Deus? Tãtò enim libẽtius no-
bis donat immortalitatem, quæ futura est Christo ueniente: quantò misericordius
odit mortem nostram, quæ in ligno pependit Christo moriente. Quòd autẽ addi-
tũ est: Omnis, ut diceretur: Maledictus omnis qui in ligno pepẽderit, nõ sanè Moy
ses minus præuidit etiã iustos in cruce futuros, sed bene præuidit hæreticos uerã
mortẽ Domini negaturos: & ideo uolẽtes ab hoc maledicto Christũ seiungere, ut
à mortis etiã ueritate seiungerẽt. Si enim uera illa mors non erat, nullũ maledictũ
Christo crucifixo pepẽdit in ligno, quia nec uerè crucifixus est. Sed cõtrà lõgè fu
turos hęreticos, quàm de lõgè clamat Moyses: sine causa tergiuersamini, quibus di
splicet ueritas mortis Christi: Maledictus omnis qui pendet in ligno, nõ ille aut ille,

sed omnis omninò. Etiámne & filius Dei: Etiam prorsus. Nã hoc est quod nõ uul C tis. Inde satagitis, inde seducitis. Displicet enim uobis maledictus pro nobis, quia displicet mortuus pro nobis, Tunc enim extra maledictum illius Adam, si extra illius mortem. Cùm uerò ex homine, & pro homine mortem suscępit, ex illo & pro illo etiam maledictum, quod morti comitatur, suscipere non dedignatus est: etiam ille: prorsus etiam ille filius Dei, semper uiuus in sua iustitia, mortuus autẽ propter delicta nostra, in carne suscępta ex pœna nostra. Sic & semper benedictus in sua iustitia, maledictus autem propter delicta nostra, in morte suscępta ex pœna nostra: ac per hoc additum est, omnis, ne Christum ad ueram mortem non pertinere diceretur, si à maledicto, quod morti cõiunctum est, insipienti honorificentia separaretur.

Eiusdẽ lib. cap. 7. Qui autem ex ueritate euãgelica fidelis est, intelligit tam non esse contumeliam Christi ex ore Moysi, cùm eum dixit maledictum, non ex diuinitate maiestatis suæ, sed ex conditione pœnæ nostræ, ex qua in ligno suspensus est: quàm nõ est laus Christi ex ore Manichæorũ, cùm eum negãt carnem habuisse mortalẽ, in qua mortẽ uerã pateretur: quia ex illo prophetico maledicto, laus intelligitur humilitatis: ex isto hæretico quasi honore, crimen obijcitur falsitatis. Si ergo negas maledictum, nega mortuum: si negas mortuum, non iam contra Moysen, sed contra apostolos dimicas. Si autem confiteris mortuum, confitere suscepisse pœnam peccati nostri sine peccato nostro. Iam uerò ubi audis pœnam peccati, aut ex benedictione crede uenientem, aut ex maledictione. Si ex benedictione uenit pœna peccati, opta esse semper in pœna peccati. Si autem optas inde liberari, crede per diuinæ sententiæ iustitiam ex maledictione uenisse. Confi D tere ergo maledictum suscępisse pro nobis, quem confiteris mortuum esse pro nobis: nec aliud significare uoluisse Moysen cùm diceret: Maledictus omnis qui in ligno pependerit, nisi mortalis omnis, & moriens omnis, qui in ligno pependerit. Poterat enim dicere: Maledictus omnis qui mortalis, aut maledictus omnis moriens. Sed hoc est quod asserit propheta, quia sciebat Christi mortem in cruce pensuram, & futuros hæreticos, qui dicerent: Pependit quidem in ligno, sed specie quadam, non ut uerè moreretur, clamando ergo, maledictus, nihil aliud clamauit, nisi quia uerè mortuus, sciens mortem hominis peccatoris, quam sine peccato ipse suscępit, de illo maledicto uenĩẽtem, quo dictũ est: Si tetigeritis, morte moriemini. Ad hoc pertinet & serpens ille in ligno suspensus, quo significaretur non falsam mortem Christum finxisse, sed illam ueram in ligno passionis suæ suspendisse, in quam serpens ille hominem malè suadendo deiecit: Quam ueram mortem nolunt isti conspicere, & ideo non sanantur à ueneno serpentis: sicut in eremo, quicunque illam attenderent, sanabantur.

Eiusdẽ lib. cap. 8. Itaque fatemur ab imperitis dici, aliud esse affigi ligno, aliud in ligno pendere. Sic enim quidam putant soluendã esse istam quæstionem, ut Iudam dicant à Moyse maledictum, qui laqueo se suspẽdit, quasi primùm nouerint utrùm ex ligno an ex lapide se suspenderit. Sed uerũ est, quod & Faustus commemorauit, Apostolum non sinere aliud intelligere, quàm de Christo esse prædictum &c.

Ex lib. contra Adimant. Manich. discip. Cap. XXI. Tomo VI.

Maledictus omnis qui in ligno pependerit. Licet sæpe à Manichæis ista quæstio uentilata

A tilata sit, non uideo tamen quid habeat huic sententiæ contrarium, quod ex euangelio Adimantus opponendum putauit, ubi Dominus ait: Si uis perfectus esse, uēde omnia quæcunque posſides & diuide pauperibus, & tolle crucem tuam & sequere me. Hîc præterquam quòd crucem nominat, nihil attendit esse cōtrarium ei quod dictum est: Maledictus omnis qui in ligno pependerit: quasi uerò talem crucem posſit quiſque tollere & ſequi Dominum. Sed illa tollitur, cùm ſequimur Dominum, de qua dicit Apoſtolus: Qui autem Ieſu Chriſti ſunt, carnem ſuā crucifixerunt cū paſsionibus & concupiſcentijs. Tali enim cruce uetus homo, id eſt, uetus uita perimitur, quam de Adam traximus, ut quod in illo fuit uoluntarium, in nobis fiat naturale. Quod oſtendit Apoſtolus dicens: Fuimus & nos aliquando natura filij iræ ſicut & cæteri. Si ergo uetus uita de Adam, unde & nomine ueteris hominis uetus uita ſignificatur, quid abſurdū habet quòd in ueterem hominē maledictum prolatū eſt, quem Dominus ſuſpēdit in ligno? Quia ex ipſa ſucceſsione mortalitatem geſtauit, de uirgine Maria mortaliter natus, habens carnem non peccatricem, ſed tamen ſimilitudinem gerentem peccati, quia mori poterat, & mors de peccato eſt. Vnde eſt etiā illud: Sciētes quia uetus homo noſter ſimul cōfixus eſt cruci cum illo, ut euacuetur corpus peccati. Non ergo Dominus per linguam Moyſi famuli Dei, ſed mors ipſa meruit maledictum, quam Dominus noſter ſuſcipiendo euacuauit. Mors itaque illa pependit in ligno, quæ per mulierem ad hominem ſerpentina perſuaſione peruenit. Vnde etiam ſerpentem, ad ſignificationem ipſius mortis, Moyſes in eremo exaltauit in ligno. Et quoniam à mortiferis cupiditatibus per fidem ſanamur crucis Domini, qua cruce mors

Matth. 19

Gal. 5.

Ephes. 2.

Rom. 6.

B ligno ſuſpenſa eſt: propterea qui ſerpentum morſibus uenenabantur, conſpecto ſerpente, qui fixus erat atque exaltatus in ligno continuò ſanabantur. Huic ſacramento ipſe Dominus atteſtatus eſt dicens: Sicut enim Moyſes exaltauit ſerpētem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis. Suſcipiendo autem ignominioſiſsimum apud homines mortis genus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, hoc eſt, mortem crucis, commendauit nobis dilectionem ſuam, ut meritò Apoſtolus diceret, accendens nos in eius charitatem. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui pendet in ligno: ut non ſolùm nullam mortem, ſed etiam nullum mortis genus Chriſtiana libertas ſicut Iudaica ſeruitus formidaret.

Ioan. 3.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

Quæſt. ſuper Deut. lib. 5. Cap. XXXIIII. Tomo IIII.

S I *inuenerit aliquis puellam uirginem.* Meritò quæritur, utrùm iſta pœna ſit ut non eam poſsit dimittere per omne tempus, quam inordinatè atque illicitè uiolauit. Si enim ad hoc intelligere uoluerimus eam non poſſe, id eſt, non debere dimitti per omne tempus, quia uxor effecta eſt, occurrit illud quod permiſit Moyſes dare libellum repudij et dimittere. In his autem qui illicitè uitiant noluit licere, ne ad ludibrium feciſſe uideatur, & potius finxiſſe quòd eā uxorem duxerit, quàm uerè placitóque duxiſſe. Hoc & de illo iuſſum eſt cui uir fuerat calumniatus de uirginalibus non inuentis.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM. C

Oderis inimicum tuum. Vide Leuit.19.in hæc uerba: Diliges proximum tuum.

Quæst.super Deut.lib.5. Cap.XXXV. Tomo IIII.

Non introibit Ammonites & Moabites in ecclesiam Domini. Quæstio est, quomodo intrauerit Ruth quæ Moabitis fuit, de qua etiam caro Domini originem ducit. Nisi fortè ista mysticè prophetauerit intraturam, quòd ait usque ad decimam generationem. Cōputantur enim generationes ex Abraham quando fuit & Loth, qui genuit Moabitas & Ammonitas ex filiabus, & inueniuntur cum ipso Abraham compleri decem generationes usque ad Salmon, qui genuit Booz, qui maritus secundus fuit Ruth. Sunt enim istæ, Abraham, Isaac, Iacob, Iudas, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, Naason, Salmon. Salmon quippe genuit Booz, qui uiduam duxit Ruth, ac per hoc uidetur post decimam generationem genus fecisse in ecclesiam Domini pariendo filios ipsi Booz. Sed cur additū sit, & usq; in ęternum, meritò adhuc quęritur. An quia deinceps nulla anima de Ammonitis & Moabitis intrabit in illam ecclesiam populi Hebræorum, posteaquam ista generatione decima prophetia completa est? An potius ita dictum est, & usque ad decimam generationem, ut omninò semper intelligi uoluerit per denarij numeri quandam uniuersitatem, ut hoc exposuerit quodammodo addendo & dicendo, & usque in æternum? Quod si ita est, Ruth contra præceptum uetitum uidetur admissa. An Ammonitas prohibuit admitti, non Ammonitidas, id est, uiros non fœminas, maximè quia cùm euertissent Israëlitæ ipsam gentem omnes uiros occidere iussi sunt, fœminas autem non: nisi eas quæ nouerant concubitum uiri: quoniam ipsæ in fornicationem deduxerant populum: uirgines autem saluas esse uoluerunt, non eis imputantes D culpam, qua euerti illa gens meruit: quam etiam hîc commemorauit, uelut quæreretur cur Moabitas & Ammonitas admitti noluerit in ecclesiam Domini: subiunxit enim, eo quòd non occurrerint uobis cum panibus & aqua in uia cùm exiretis de Aegypto, & quia conduxerunt aduersum te Balaam filium Beor de Mesopotamia ut malediceret te. Has culpas, nec tunc quando illa gens debellata est, fœminis imputauerunt, quas saluas conseruare maluerunt. Sequitur:

Non tradas puerum domino suo. Non intelliges quòd dominus eius eum apposuerit, id est commendauerit: potius enim depositum diceret: sed appositum dixit à domino suo, id est, huic adiunctum, cùm ab illo abscessisset. Nō ergo suscipi, sed reddi potius prohibuit fugitiuos. Hoc quidem putari potest, nisi intelligamus genti & populo ista dici, non uni homini: sed ex alia gente refugientem ad istam gentem cui loquebatur, hominem à domino suo, id est, à rege suo, reddi prohibuit. Quod etiam alienigena seruauit Achis rex Geth, quando ad eum refugit Dauid à facie domini sui, hoc est, regis Saul. Apertissimè autem hoc explanat, cùm dicit de ipso refuga, in uobis habitabit in omni loco ubi placuerit ei. Sequitur:

Non erit meretrix à filiabus Israel. Ecce ubi manifestè prohibuit fornicari & uiros & fœminas etiam cum non alienis coniugibus: peccatum esse demonstrans misceri non coniugibus suis, quando & meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet, quarum publicè uenalis est turpitudo. In decalogo autem Mœchiæ nomine non uidetur hoc apertè prohibuisse, quoniam Mœchia non nisi adulterium

A rium intelligi solet. Sequitur.

Non offeres mercedē meretricis. Quod ita intelligitur, quoniā abominatio domino Deo tuo est, & hoc non unū horū, sed utrunq;. De cane quippe uetat fieri cōmutationē primogenitorū, quam iubet fieri de alijs immundis animalibus, id est, equis & asinis, et si quid est eorum, quæ adiuuāt hominem, & Latinè à iuuādo iumenta dicūtur. De cane autem noluit & de porco. Et quare noluerit requirendū est. Et si de omnibus talibus uoluit, quare solùm canem isto loco exceptū fecerit. De mercede autē meretricis ut diceret, uidetur ea esse causa, quia superiùs prohibuerat esse meretricem de filiabus Israël, aut quenquā filiorum Israël uti meretrice: ut ne surreperet cogitationi, expiari posse hoc peccatum, si aliquid inde offerretur in templum, dicendum fuit quòd sit abominatio Domino.

CAPUT VICESIMUMQUARTUM.

1 Ex lib. 19. Cont. Faust. Manich. Cap. XXVI. Tomo VI.

Q *Vicunque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii.* Illud si diligenter intueamur, uidebimus non esse contrarium illi quod Dominus præcepit. Exposuit enim Dominus quid lex uoluerit, cùm passim dimittenti uxorem, iusserit libellum repudij dare. Neque enim ait: Qui uoluerit, dimittat uxorem suam, cui esset contrarium non dimittere: sed utiq; nolebat dimitti uxorem à uiro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, et quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret: præsertim quia, ut perhibent: apud Hebræos scribere literas Hebræas, nulli fas erat

B nisi scribis solis, cùm & excellentiorem profiterentur sapiētiam, & si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi, non tantùm profiterentur uerumetiam secta rētur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudētes legis interpretes & iustos dissidij dissuasores, lex mittere uoluit eū, quē iussit libellum repudij dare, si dimisisset uxorē. Non enim poterat scribi libellus, nisi ab ipsis, qui per hanc occasionem & necessitatem uenientem quodāmodo in manus suas bono consilio regerēt: atque inter ipsum & uxorem pacificè agendo, dilectionem concordiámque suaderent. Quòd si tantùm intercederet odiū, ut extingui emendariq; nō posset, tunc utiq; scriberetur libellus: quia frustra nō dimitteret quā sic odisset, ut ad debitam cōiugio charitatem nulla prudentium persuasione reuocaretur. Si enim non diligitur, uxor, dimittenda est. Quia ergo dimittenda non est, diligenda est. Dilectio autem monendo atque suadendo componi, non inuitum cogendo imponi potest. Hoc facere scriba debebat, iustus & sapiēs, qualem in illa professione esse oportebat. Ad quem ut ueniret discordia, marito libellus conscribendus præceptus est. Quē uir bonus prudensq; non scriberet, nisi in animo nimis auerso atque peruerso cō filium concordiæ non ualeret. Veruntamen uobis ex uestri erroris sacrilega uanitate, quæro, cur displiceat dimittere uxorem, quam nō ad matrimonij fidem, sed ad concupiscentiæ crimen habendam esse censetis? Matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm ut mater fiat, quod uobis odiosum est. Eo modo enim putatis partem Dei uestri, gentis tenebrarum prælio deuictam & subactam, etiam carneis compedibus colligari. Sed ut

potius quod nunc agitur explicē. Si Christus ubi quibusdā antiquis sententijs pro C
positis adiunxit: Ego autem dico uobis, neq; primorū hominū legem hoc uerborum additamento adimpleuit, neque illā, quæ per Moysen data est, quasi contrariorum oppositione destruxit, sed potius omnia ex Hebræorum lege commemorata, ita cōmēdauit, ut quicquid ex persona sua insuper loqueretur, uel ad expositionem requirendā ualeret, si quid illa obscurè posuisset, uel ad tutius conseruādum, quod illa uoluisset. Sequitur paulò pòst. Iam uerò de uxore nō dimittēda, quid aliud, uel quid oportunius ex illis libris cōmemorem, quàm id unde Iudæis de hac re interrogātibus Dominus ipse respondit. Cùm enim quærerent, utrùm liceret quacunque ex causa dimittere uxorē ait illis: Nō legistis, quia qui fecit ab
Matth. 19 initio masculū &c. Ecce Iudæi ex libris Moysi cōuincuntur nō esse uxorē dimittendā, qui secundū uoluntatem legis Moysi arbitrātur se facere, cùm dimitterēt. Simul & illud hîc, ipso Christo attestāte, cognoscimus Deū fecisse & coniunxisse masculū & fœminā: quod Manichæi negando dānant, non iam Moseos libro, sed Christi euangelio resistentes. Porrò autem si quod ipsi opinantur & prædicāt uerum est, diabolum fecisse atque iunxisse masculum & fœminam, qua calliditate diabolica Faustus reprehendit Moysen, tanquam coniugia dirimentem per libellum repudij: & laudat Christum, tanquam illud eiusmodi uinculum confirmantem ex præcepto euangelij, cùm utique secundum suam stultam sacrilegámque sententiam Moysen laudare debuerit separantem, quod fecerat & coniunxerat diabolus: & Christum uituperare, diaboli figmentum & ligamentum solidantē? Iam illud quomodo aperit magister bonus, cur ipse Moyses, ex cuius libro prola D
ta est, de prima coniunctione masculi & fœminæ, tam sancta & nulla separatione uiolanda castitas coniugalis, postea permiserit dimittere uxorem? Nam cùm illi respondissent: Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiā cordis uestri, permisit uobis dimittere uxores uestras: Hoc est quod paulò antè exposuimus. Quanta enim duritia erat, quæ nec per libelli interpositionem, ubi dissuadendi locus iustis & prudētibus tribuebatur, solui & flecti posset ad recipiendam uel reuocandam coniugij charitatem: ita Dominus, quid lex & bonis præciperet, & duris permitteret, eiusdem legis testimonio declarauit, cùm & non dimittendam uxorem, ex eadem scriptura commemorata coniunctione masculi & fœminæ, monuit, diuinámque authoritatem eiusdem coniunctionis exposuit: & dandum libellum repudij propter duritiam, uel domandi uel indomiti cordis ostendit.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XXXIX. Tomo IIII.

Morietur fur ille. Id est, homo qui furatus est hominē, & auferetis malignū ex uobis ipsis. Assiduè hoc dicit scriptura, cùm iubet occidi malos. Qua locutione usus est etiam Apostolus cùm diceret: Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare?
1. Cor. 5. Nónne de his qui intùs sunt uos iudicatis? Auferte malū ex uobisipsis. Nam Græcus habet τὸν πονηρὸν, quod etiam hîc scriptū est. Hoc autem potius malignum solet interpretari, quàm malum. Nec erat, τὸ πονηρὸν, id est, hoc malignum, sed τὸν πονηρὸν quod est hunc malignum. Ex quo apparet eum uoluisse intelligi, qui aliquid tale cōmisit ut excōmunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in ecclesia excōmunicatio,

A excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Quamuis & aliter illud Apostolicum posit intelligi, ut unusquisque malum uel malignum ex seipso sit iussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malum, uel hoc malignum, nō autem hunc malignum in græco inueniretur. Nunc uerò credibilius est de homine dictum, quàm de uitio. Quanquam posset eleganter intelligi etiam homo auferre à se malum hominem, quemadmodum dictum est: Exuite uos ueterem hominem. Quod exponens: Qui furabatur, iam non furetur. Sequitur.

Sacerdotes Leuitæ. Hîc apparet omnem sacerdotem Leuitam fuisse, quamuis non omnis Leuites sacerdos fuerit. Sequitur.

Si debitum fuerit in proximo tuo. Non immeritò uidetur ad opus misericordiæ pertinere, ut non intret pignorator in domum, ne fiat perturbatio debitori: sed ex hoc etiam ipsum debitorem admonet pignus foras proferre creditori. Quòd uerò iubet egenti pignus eodem die restitui, ut in eo dormiat qui non habet ubi dormiat: meritò mouet, ut requiratur, cur non potius creditori non præceperit ut non auferat pignus, quòd eodem die oportet ut restituat. Quod si ad compellendum debitorem fieri uoluerit, quomodo se urgeat ad reddendum cùm sciat pignus eodem die se recepturum? An fortè hoc fieri uoluerit propter memoriam ne obliuiscatur reddere, & tunc non reddat si uerè non habuerit: maximè quia creditoris sui misericordia uincitur, cui esse non debet ingratus, si pignus recæperit in quo dormiat: simul & creditor cùm ille non reddiderit, debet eum credere non habere, quia hac etiam indiget misericordia, ut pignus ei propterea restituatur, quòd aliud non habet ubi dormiat? Sequitur.

B *Non morientur patres pro filiis.* Ecce non solùm prophetæ hoc dixerūt, uerumetiam lex dicit: sua culpa quenq; interimendum non autem patris sui, aut filij sui. Quid est ergo quod alibi dicitur: Deus reddēs peccata patrum in filios in tertiam & quartam progeniem? An de filijs nondum natis illud intelligitur propter originale peccatum, quod etiam ex Adam traxit genus humanum: hîc autem de filijs iam natis est facta distinctio, ut unusquisque in suo peccato moriatur? Non enim trahit aliquid ex patre qui iam natus erat quando pater eius peccauit. Sed cùm etiam ibi dicit: his qui oderunt me: manifestum est etiam illam oditionem posse mutari, si filij parentum suorum facta non fuerint imitati. Nam & illud ex Adam temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur: non autem in æternum eis qui fuerint per gratiam spiritaliter regenerati, in eáque permanserint usque in finem. Quamuis & illud meritò quæri posit, si redduntur peccata patrum in filios qui oderunt Deum, cur in tertiam & quartam generationem, uelut prætermissa prima & secunda, uel non etiam in cęteras permanente impietatate & imitatione malorum parentum. An per hunc numerum quoniam septenarius intelligitur, uniuersitatem significare uoluit, & ideo non ipsum potius septenarium posuit, ut diceret in septimam generationem? Ac si omnis intelligeretur, quia causam perfectionis huius numeri hoc modo potius intimauit. Ideo nanque perhibetur perfectus, quia ex his duobus constat, ternārio scilicet primo impari toto, & quaternario primo pari toto. Vnde esse & illud propheticum existimo, quòd asiduè repetitur: In tribus & quatuor impietatibus non aduersabor,

Exod. 20.

bor, per quod uoluit impietates uniuersas potius, quàm tres uel quatuor intelligi. Sequitur: C

Non declinabis iudicium aduenæ. &c. Cur non ait: Et non pignorabis uestimentū eorum? Quæ enim causa est, ut trium istorū iudicium declinare uetuerit, pignus autem auferri uestimentum solius uiduæ, non & illorum: nisi quia iudicia omniū facienda propterea cōmendauit, quia non habent à quibus defendantur: siue aduena, quia in terra aliena est: siue orphanus, id est pupillus, quia parētibus caret: siue uidua, quia maritum non habet. Pignus uerò cùm prohibet uestimētum auferre uiduæ, puto quòd satis eleganter admoneat, eas uerè dicendas esse uiduas, quæ
1. Tim. 5. etiam pauperes sunt. Id enim & Apostolus euidenter ostendit, ubi ait: Si qua autē uidua filios & nepotes habet, discat primum domum suam piè tractare, & mutuā uicem parentibus reddere: hoc enim acceptum est coram Domino. Quæ autē uerè uidua est & desolata, sperabit in Dominum, & persistet in orationibus nocte & die. Hanc uerè uiduam dixit: quæ non habet à quibus sustentetur, quia nō solùm uiro, sed etiam posteris atque omni ope destituta est: diuitem quippe non diceret desolatam. Pauperi itaque pignus non est auferendum uestimentum: nam & hoc ipso quòd uestimentum prohibet auferri, pauperem ostendit. Neque enim creditor non potius auferret argentum, uel si quid aliud, quàm uestimentum. Porrò si occurrerit animo, quid si multa habeat uestimenta non necessaria sed superflua, quomodo intelligitur uerè uidua? Hoc est non solùm desolata, uerumetiam quæ in delitijs agit, quam subiecit dicens: Quę autem in delitijs agit, uiuens mortua est. Et hanc quippe opposuit, tanquam econtrariò ueræ uiduæ, tanquam talis non sit uerè uidua. Quæcunque autem diuites alias nuptias experiri noluerunt, continē- D
tia in eis laudatur, non desolatio commendatur. Hæ quippe maritis tātùm uiduatæ sunt, non alijs rebus. Quod admonet ut in messe oblitum manipulum nemo colligat, & oliuam uel uuam relictam nemo repetat diligentius neglecta colligere, & dicit egentibus dimittenda: Occurrit forsitan cogitationi: Quid si hæc quæ ab agrorum dominis dimittuntur, non egentes, sed improbi colligant? Sed considerādum primò illum misericordiam facere, qui hoc animo dimittit, ut egētes habeāt quod dimittitur. Deinde cùm hæc populo præcipiuntur, simul etiam admonētur hi qui non indigent ista non quærere. Quòd si uerè quæsierint, quid aliud quàm res alienas, & quod grauius est, pauperum inuadere iudicandi sunt? Vtrique ergo commonentur his præceptis, & quorum agri sunt, ut misericorditer ea relinquant: & qui indigentes non sunt, ut inde se abstineāt: quando utrumque dicitur, & à quibus dimittenda sunt, & quibus dimittenda sunt.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XLV. Tomo IIII.

SI *autem fuerit altercatio inter homines.* Iudices intelligendi sunt iudicare, non illi qui dicti sunt altercationem habere. Sequitur:

Et reprehenderint impium &c. Aduertendum est, cùm ea peccata plagis emendāda pręceperit, quę digna non sunt mortis supplicio uindicari, & hoc tam paucis plagis, eum tamen qui cæditur, appellauit impium, uel impiè agentem, ut nouerîmus,

A nouerimus, nō ſicut plurimi loquūtur, locutas eſſe ſcripturas: quas incurioſius legimus, cùm putamus adulterium non eſſe impietatem, quia in hominem uidetur peccaſſe qui hoc fecerit, cùm illud peccatū morte plecti iubeat lex: & his peccatis grauiores eſſe diximus impietates, cùm ſint earum quædam quæ per flagella plagis quadraginta puniuntur. Eſt itaque leuis impietas, quę uerbere digna eſt: & eſt grauior quæ morte digna eſt: ita etiam illa peccata quæ non in Deum, ſed in hominem uidentur admitti, ſunt morte digna: quædam ſunt alia correptione, ſeu uerbere, ſeu pœna faciliore. Ita enim locutos eſſe ſeptuaginta interpretes conſtat, ut etiam illius, qui plagis dignus eſt, impietatem uocauerint. Sequitur.

Frater uiri eius intrabit ad eam. Videtur hoc præcepiſſe lex de fratris uxore ducenda, non ob aliud niſi ut ſemen ſuſcitet fratri, qui ſine liberis defunctus eſt. Quòd autem ait.

Conſtituetur ex defuncti nomine. &c. Id eſt nomen defuncti: ex hoc uidetur dictum, ut ille qui naſcitur, hoc nomine appelletur, quo appellabatur defunctus, cui quodammodo propagatur. Vnde nobis uiſum eſt magis ſecundum adoptionis morem ſoluere in euangelio quæſtionem de duobus patribus Ioſeph: quorum unum commemorat Matthæus, eum ſcilicet qui genuit Ioſeph, alterum Lucas, cuius filius erat Ioſeph, quoniam nullius eorum nomen Ioſeph accępit: niſi fortè hoc dictum eſt: Conſtituetur ex defuncti nomine, nō ut eius nomen accipiat: ſed ut ex eius nomine, id eſt, tanquam filius, non eius cuius ſemine eſt genitus, ſed illius defuncti, cui ſemen ſuſcitatum eſt, hæres conſtituatur. Quòd enim additum eſt: Et nō delebitur nomē eius ex Iſraël, poteſt ita intelligi: non quòd nomen eius
I puer conſequenter accipiat, ſed quòd ille non ſine poſteritate mortuus eſſe uidebitur: & ideo permanet eius nomen, hoc eſt memoria. Neque enim etiam ſi ipſe filium genuiſſet, nomen ſuum ei fuerat impoſiturus, ut nomen eius non deleretur ex Iſraël, ſed ex hoc utiq; non deleretur, quia non ſine liberis ex hac uita migraret: & hoc iubetur in eius uxore frater eius implere, quod ille non potuit. Nam & ſi frater non fuiſſet, & propinquus ducebat uxorem eius, qui ſine filijs mortuus eſſet, ad ſuſcitandum ſemen fratri ſuo, ſicut fecit Booz ducendo Ruth, ut ſemen excitaret propinquo ſuo, cuius fuerat illa uxor, nec de illo pepererat: & tamen qui de illa natus eſt, ex nomine quidem defuncti conſtitutus eſt, quia filius eius eſt dictus: atq; ita factum eſt ut nomen defuncti non deleretur ex Iſraël, nec tamen eius nomine appellatus eſt. Quę cùm ita ſint, abundantius duobus modis ſolui poteſt euangelica quæſtio, ut unus eorum, quos diuerſos commemorant Matthæus & Lucas, ita fuerit propinquus alteri ad ducendam eius uxorem, ut alios etiam ſurſum uerſus parentes atque maiores iſte, alios ille habere potuerit. Nam ſi fratrum filij fuiſſent, unum habuiſſent auum: quod nō ita eſt: nam ſecundum Matthæum Mathan eſt auus Ioſeph, ſecundum Lucam uerò non Mathan, ſed Mathath. Quòd ſi quiſquam putet eſſe tantam ſimilitudinem nominis, ut ab ſcriptoribus in una litera erratum ſit, ut fieret tam parua & penè nulla diuerſitas, quid de iſtorum patribus dicturus eſt? Nam ſecundum Lucam Mathath filius fuit Leui, ſecundum Matthæum autem Mathan ex Eleazar genitus inuenitur: atque ita inde ſurſum uerſus diuerſi ſunt patres & aui: & deinde maiores

iores usque Zorobabel, qui ferè est uigesimus sursum uersus ad Ioseph apud Lucam, apud Matthæum autem undecimus. Qui propterea ideo ipse esse creditur, quia pater eius apud utrumque Euangelistam Salathiel inuenitur: quamuis fieri potuerit, ut alius fuerit eodem nomine habens eiusdem nominis patrem, cuius & ille habuit. Nam & inde sursum uersus diuersi sunt, alium quippe habet Zorobabel auum apud Lucam, qui est Neri: alium apud Matthæum, qui est Iechonias: atque inde superiùs nusquam est consonantia, quousq; ueniatur ad Dauid, apud Matthæum per Salomonem, apud Lucam per Nathan. Difficillimum autem uidetur non fuisse aliquem propinquiorem qui duceret uxorē fratris sui, quàm eum qui ex Dauid esset consanguineus tam longinquo gradu, nō aliqua infrà propinquitate coniunctus, cùm sit apud Lucam Dauid penè quadragesimus à Ioseph, apud Matthæum autem ferè uigesimusseptimus. Aut si propinqui ad uxores defunctorum ducendas etiam illi quærebantur, qui ex fœminarum sanguine propinquabant, fieri potuit ut esset aliquis ita propinquans, qui Ioseph genuerit de uxore propinqui sui, qui sine liberis discessit: ac si ei esset alter ex natura pater, alter ex lege, in quorum patribus & auis & deinde maioribus, ideo nulla propinquitas appareret, quòd non ex maribus, sed ex fœminis propinqua-
2.Reg.55. rent. Veruntamen si ita esset, ut Dauid aliquando unus pater occurreret: aut si quisquam potuisse contendat; ubi ponimus quòd consuetudo scripturæ non est fœminas in genealogia pro maritis ponere, sicut eas nullus Euangelista interposuit. Vbi enim commemorantur matres, non ponuntur nisi cum patribus: ac per hoc, aut ita propinquior defuit ad uxorem defuncti sibi copulandam, ut origo cognationis à Dauid repeteretur: aut adoptio fecit alterum patrem, quem D possit habere Ioseph.

Ex lib.32.cont.Faust.Manich. Cap. X. Tomo VI.

Sed frater eius ingrediatur ad eam. &c. Faustus pro crimine obijcit, quòd uxorem fratris ad hoc frater iussus est ducere: ut non sibi, sed illi sobolem suscitaret, eiúsq; uocaret nomine, quod indidem nasceretur: quid aliud in figura præmonstrat, nisi quia unusquisque euangelij prædicator ita debet in ecclesia laborare, ut defuncto fratri, hoc est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est: & quod suscitatum fuerit, eius nomen accipiat? Denique hoc implens Apostolus non iam carnaliter in præmissa significatione, sed spiritaliter in completa ueritate, quos in Christo Iesu per euangelium se genuisse commemorat, succenset eis, & eos increpans corrigit, uolentes esse Pauli: Nunquid Paulus, inquit, pro uobis crucifixus
1.Cor.1. est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Tanquam diceret: Defuncto fratri uos genui, Christiani uocamini, non Pauliani. At uerò qui electus ab ecclesia ministerium euangelizandi renuerit, ab ipsa ecclesia meritò dignéque contemnitur. Hoc est enim quod in eius faciem iubetur expuere, non sanè sine signo huius opprobrij, ut calciamento pedis unius exuatur, ne sit in eorum sorte, quibus Apostolus ait: Et calciati pedes in præparationem euangelij pacis. Et de quibus com-
Ephe.6. memorat Propheta: Quàm speciosi pedes eorum, qui annuntiant pacem,
Esa.25. qui annuntiant bona. Qui enim sic euangelicam fidem tenet, ut & ipsi prosit & ecclesiæ prodesse non renuat, bene intelligitur utroque pede calciatus.

Qui

A Qui autem sibi putat, quia credit, satis esse consultum curam uerò lucrandorum refugit aliorum, decalciati illius non figuratum significauit, sed in se impletum portabit opprobrium.

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Quæst.super Deut.lib.5. Cap.XLVII. Tomo IIII.

Et expendi ex his quicquam in re funebri. Quid est quòd inter illa quæ iubet dicere hominem, qui in dandis decimis, & quæcunque dare uel impendere iussus est omnia mandata compleuit, etiam hoc cum laude & commendatione sui dicere iubetur: Non dedi ex eis mortuo. An per hoc prohibet Parentalia, quæ obseruare gentes solent?

N

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

Ex lib.cont.Adimant.Manich.discip.Cap.XVIII. Tomo VI.

B *Enedictus es in agro tuo, benedictus es in prato &c.* Huic capitulo illud dicunt in euangelio esse cõtrarium: Si quis uult me sequi, abneget semetipsum Matth.16
sibi, & tollat crucem suam & sequatur me, &c. Sed ex illa regula ostenditur non Marc.8.
esse contrarium, quã notum esse iam debet, carnali adhuc populo congruenter carnalia & temporalia præmia fuisse promissa, sed tamen ab uno Deo, cuius est creatura omnis & superior & inferior. Certè enim ipse Adimantus posuit testimonium de euangelio ubi Dominus ait: Nolite iurare neq; per cœlum, quia thro- Matth.5.
E nus eius est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius. Quod quidem & in ueteribus libris scriptum est: Cœlum mihi thronus est, terra scabellum pedum Esa.66.
meorum. Quid ergo mirum si bona throni sui dat spiritaliter sibi seruientibus, & bona scabelli pedum suorum dat carnaliter sibi seruientibus, cùm spiritus superior sit & caro inferior, sicut superiora sunt cœlestia, & inferiora terrestria? Quãquam illa omnia, id est, ager, & pratum, & fructus uentris, & fructus terræ, & iumentorum, & armẽtum boum, & grex ouium possint etiam spiritaliter intelligi. Sed nunc ad rem non pertinet ista tractatio. Si autem in ipso nouo testamento, cuius præmium & hæreditas ad nouum hominem pertinet, cùm & Dominus iisdem ipsis quos uult esse rerum temporalium contemptores, ut in euangelio sibi seruiant, promittit multiplicationem earum rerũ in hoc seculo dicens: quòd accipient in hoc seculo centies tantùm: in seculo autem futuro uitam æternam, sicut etiam in ueteri scriptura dicitur: Fideli homini totus mundus diuitiarum est. Vnde exultat Apostolus dicens: Quasi nihil habentes & omnia possidentes. Si ergo in nouo testamento præter æternam possessionem quæ promittitur sanctis, huius quoque possessionis quæ transitura est, multiplicatio non subtrahitur, & tantò fit uberior, quantò contemptius possidetur: quantò magis in ueteri testamento carnalis populi præmia talia esse debuerunt, ipso tamen uno & uero Deo gubernatore omnium temporum omnia pro tempore moderante & administrante? Sed ne in solis noui testamenti libris isti arbitrentur hæc esse cõtempta, audiant Prophetam abijciẽtem talem fœlicitatem, & ad unum dominum Deum Psal.143.
confugiendum esse cantantem, ita enim dicit: De gladio maligno erue me. &c.

Attendant

Attẽdant ergo quomodo irrideatur ista fœlicitas in hominibus impijs, & tota beatitudo in Deo solo inconcussa figatur. Illi enim dicunt: beatum populum cui hæc sunt, sed beatus populus cuius est dominus Deus eus. Quòd autem etiam illud cõ C
Marc.8. trarium esse putauerunt huic loco ueteris testamenti quòd Dominus ait: Omnis qui confusus fuerit me, aut uerba mea in gente ista adultera & peccatrice, & filius hominis confundetur illum, cùm uenerit in gloria patris sui & laude sanctorum, quid pertineat ad contemptum rerum temporalium non uideo. Quod si propterea pertinet, ne aliquis territus de talium rerum damnis, Christum confiteri, aut erubescat, aut timeat: Quid habent quod dicant? Dicimus ita esse ista munera Dei, ut tamen sint infima, & in comparatione salutaris confessionis, non solùm amittẽda, sed ultrò etiam proijcienda: carnalibus tamen hæc amantibus, & nondum capientibus promissa cœlestia, ne ab idôlis & dæmonibus ista peterent, utiliter à domino Deo esse pollicita.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. XLVIII. Tomo IIII.

Ac non declinaueris ab eis nec ad sinistram &c. Quæri potest quomodo posśit intelligi ire in dextera, qui post Deos alienos ierit seruire illis, cùm dextera in laude ponatur, illud autem nunquàm laudabiliter fieri posśit: nam & quod reprehénditur in uia uitæ, quæ declinat in dextera, non ibi ea reprehenduntur quæ dextera sunt, sed ille qui declinat in ea, id est, qui sibi arrogat quæ Dei sunt. Ideo dicitur in
Pro.4. prouerbijs: Non declines in dextera aut in sinistra. Vias enim quæ à dexteris sunt, nouit Dominus: peruersæ autem sunt quæ à sinistris. Ergo bonæ sunt dexteræ quas nouit Dominus. Nouit enim Dominus uias iustorum, sicut in psalmo le-
Psal.1. gitur: Cur ergo dictum sit: Ne declines in dextera, consequenter ostendit addendo: Ipse enim rectos faciet cursus tuos. Absit autem ut dexteras quas nouit Dominus, negemus esse rectas, sed ut dixi: declinare in eas, est non illius gratię, sed sibi tribuere uelle quod rectum est. Deinde, ut dixi: adiungit & dicit: Ipse enim faciet rectos cursus tuos, & omnia itinera tua in pace producet. Quapropter hoc quod isto loco Deuteronomij, de quo agimus, dictum est: Non præteribis &c. non ideo dictum est: quia Dij alij posśunt etiam in dexteris accipi: sed aut terrena loca significata sunt, quia & in dextera & in sinistra habebant gentes alios Deos colentes: aut hoc de Dijs alienis separatim pronuntiandum est, ut duo sint sensus, unus uidelicet: Non præteribis ab omnibus &c. secundum illum scilicet intellectum quem suprà exposui: alius autem sit sensus, ire post Deos alienos seruire illis: ut & hîc subaudiatur: Non præteribis ab omnibus uerbis, quæ ego mando tibi hodie. Quem totum sensum si dicere uelimus, superiora uerba, quæ utrique sensui sunt communia, repetituri sumus: ut quomodo illic dicitur: Non præteribis ab omnibus, quæ ego mando tibi hodie, ire post Deos alienos seruire illis. Prætereundo enim à uerbis, quæ mandata sunt, etiam hoc fit ut eatur post Deos alienos. Non enim hoc solùm mandatum est, aut hoc solùm præteriri Deus non uult quod mandauit, ne post Deos alienos eatur, sed omnia quæ mandauit. Hoc tamen ita præcipuè, ut post generalitatem præcepti, quo admonuit non esse prætereundum ab omnibus uerbis mandatorum suorum, etiam hoc seorsum commẽdare uoluerit. Potest hoc quod ait: dextera aut sinistra, etiam sic inteligi, ut nec

A eorum causa, quæ propter fœlicitatem appetuntur, nec eorum quæ propter infœlicitatē fugiuntur, ire mandauerit post deos alios, id est, nec pro his quę amantur, nec contra ea quæ odio habentur à dijs alijs auxilium esse poscendum. Aut certè illo modo, ueluti consulantur, quò prosint: uel placentur, ne noceant. Nam & de quibusdam scriptum est in psalmo: Quorum os locutum est uanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: ideo quia his rebus opinātur fieri hominem beatum, quas & boni & mali possunt habere. Et ideo dextera est iniquitatis, quia iniqui sunt, qui eam dexteram putant. Non enim est rectè uera dextera, sed dextera eorum, quorum os locutum est uanitatem. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, cùm potius, sicut mox adiungit & docet: Beatus populus cuius dominus Deus ipsius. Hæc est uera dextera æquitatis, non iniquitatis. Non est ergo eundum post deos alienos, neque in dextera, ut existimet homo ex ipsis se fieri beatum: neque in sinistra, ut existimando ipsis aduersantibus se fieri miserum, ad hoc eos colat ut auertat. Aut certè si dexteram intelligamus æterna, sinistra uerò temporalia bona: nec propter illa, nec propter ista eos colendos sancta scriptura hoc loco admonuisse credatur. Psal.143.

Locut. de Deut. lib. 5. Tomo III.

Et seruies inimicis tuis. Græcus habet λατρεύσεις ubi latinus interpretatus est, seruies. Solet autem hoc uerbum in ea seruitute scriptura ponere, quæ debetur Deo. Vnde idolatræ appellantur, qui ea seruitute idolis seruiunt. Ergo hîc inusitatè positum est hoc uerbum: quanquam possit etiam hunc sensum habere, quòd tam grauiter multa dixerit, ut inimicis suis nimium superbientibus tanquam dijs
B seruisse cogantur.

Ex lib. 1. cont. Aduers. leg. & prophe. Cap. XXIIII. Tomo VI.

Quæ mollis in uobis. &c. Item uerba quædam ex libro Deuteronomio, uelut impura exhorrescens, impurus exagitat: quasi Deus uerecundari debuerit, pudenda impijs irrogare uel prænuntiare tormēta, nec eo comminari modo ut diceret: Quæ mollis in uobis, & tenera nimis fuerit, cuius experimentū non accæpit pes eius ambulare super terram præ teneritudine & mollicie, zelabit oculo suo uirum suum, & filium suum, & filiam suā, & secundas suas, & quod exierit per fœmora eius comedet. Imò uerò quantò est horribilius, tantò est terribilius: neque à propheta monendo dictum est, sed minando: non ut hæc homines facerent, sed ne illa facerent, quæ sensus peruersus exercet, & ad hęc peruenirēt, quæ sensus humanus exhorret. Quis autem dignè eloqui possit, quàm sit mētis execrabilior fœditas, pœnas exhorrescere meritorum, & merita non cauere pœnarum? Dicat planè spiritussanctus intaminatus & intaminabilis, quòd audire anima recusat immunda, & esse non recusat immunda. Immundiciam quippe auersatur carnis, offensis sensibus carnis: & immundiciam diligit suam, extinctis sensibus cordis. Dicat hæc spiritus Dei, & per horrorem talia mala patiendi, incutiat timorem malefaciendi. Idem nanque spiritus etiam per Apostolum loquens, sensus impios non est uerecundatus offendere, dum pios uellet instruere: ubi commemorata impietate quorundam, qui coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, subiunxit atque ait; Propter hoc tradidit illos Deus in passiones Rom.1.
ignominiæ

ignominiæ &c. Si quisquam inimicus apostoli uellet ex his uerbis talia dicere, C
qualia dicit ex librorum ueterum quibusdam locis iste blasphemus, nónne habe
ret amplam materiam in qua loquaciter insaniret? Et quātò sibi uideretur diser-
tiora dicere, tantò detestabiliora maledicta iactaret, maximè quia dictum est: Mer
cedem mutuam quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes? Oportuisse
quippe non est ueritus dicere Apostolus: ut qui creaturæ potius quàm creatori
seruierunt, erroris sui mercedem, non inuiti hæc turpia patiendo, sed libenter fa-
ciendo, reciperent: iudicio scilicet non alicuius hominis immundissimi, quem ta-
lia delectarent, sed iustissimi Dei, qui tradidit eos in passiones ignominiæ: ut crimi
na criminibus uindicentur, & supplicia peccantium non sint tormenta, sed incre
menta uitiorum. Sapiens autem cùm hæc audit, ipsam magis in hac uita iram Dei
timet, qua homo non patitur, quod acriter dolet, sed facit quod turpiter libet: &
eius cui talia iudicia displicent, uerba insana contemnit, quia ex ipso pœnam Pha-
raonis, hoc est, indurati cordis agnoscit. Si enim quosdam qui non probauerunt
Deum habere in notitia, tradidit Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non
conueniunt. Quid mirum, si & ipsum qui diuina blasphemat eloquia, tradidit
Deus in reprobam mentem, ut dicat quæ non conueniunt? Sic enim oportet hære
ses esse, ut probati inquit Apostolus, manifesti fiant in uobis. Sic uasa iræ locis con-
gruis & temporibus ordinātur, ut etiam de ipsis notas faciat Deus diuitias gloriæ
suæ in uasa misericordiæ, quæ de massa eiusdem damnationis fiunt in honorem,
gratia illius, non meritis suis. Ille quippe donat prodesse nobis, non solùm quod
docet ueritas, uerumetiam quod obstrepit uanitas: ut cùm respondetur inquie-
tissimæ uanitati, auscultetur syncerissimæ ueritati. De turpi maledicto arguit ua- D
nitas: sed turpe non esse, quibusdam rebus turpibus nominatis, cauendam osten-
dere turpitudinem, misericors indicat ueritas, & uecors uincitur uanitas. Nam de
turpi maledicto potest à uerbosis impijs reprehendi, & apostolus Paulus, ubi ait:
Gal. 5. Vtinam & abscindantur qui uos conturbant. Quod & si bene intelligentibus be-
nedictio magis apparet, ut fiant spadones propter regnum cœlorum: potest ta-
men garrula cæcitas etiam in Apostolo hoc reprehendere, contendens quòd non
debuerit rem honestam turpi uerbo enuntiare. Possunt & ipsum Dominum qui
Matth. 19 eiusdem continentiæ donum commendans ait: Sunt qui seipsos castrauerūt pro-
Literiones pter regnum cœlorum. Legunt quippe isti literiones, sic enim potius quàm lite-
rati appellandi sunt, qui legendo literatos, nihil sapere didicerunt. Legunt ergo
apud Ciceronem tale aliquid, unde sibi uideātur doctè Christi uerba culpare, per-
diti potius quàm periti. Ille nanque cùm doceret, in translatione uerborum, ob-
scœnitatem esse uitādam: Nolo, inquit, dici, morte Aphricani castratam esse rem-
publicam. Sed si hoc uerbum ipse quod uitari uolebat, ut uitandum ostenderet,
non uitauit, & quod dici noluit, coactus est dicere: quantò magis res quæ uerbo
eodem rectè significatur, ut ab audiente possit intelligi, suo uerbo enuntiatur?
Atque ut ad illud redeamus, quod iste in Deuteronomio reprehendit. Si Cicero
uir eloquentissimus, & uerborum uigilantissimus appensor & mensor, quod di-
ci noluit, dixit ne diceretur, quātò melius Deus magis morum quàm uerborum
pulchritudinem quærens atque munditiam, turpe aliquid non turpiter, sed mi-
naciter

A naciter dixit:ut hoc horreretur,ne illud cōmitteretur,propter quod ad illa quæ audire horroris est,ueniretur: & tamen cùm legitur,aures infidelitas claudit, auertit faciem,exasperat uultum,linguā uibrat,blasphemias iaculatur. Videte si non sunt isti ex isto genere hominum,qui loquente Christo de sacramento corporis & sanguinis sui,dixerūt:Durus est hic sermo,quis potest eum audire? Nisi quòd excusabiliores sunt,qui uerba diuina quæ non intelligebant, non in maledictione,sed in benedictione horribilia non ferebant. Mirum enim non est,si maledictum quando auditur,horretur.Nec exigendum est, ut uerbis non horrendis dicatur,quod ad hoc dicitur,ut ab exhorrente timeatur. Dominus autem talia dicebat,quæ amari præciperet,non timeri:& tamen quę infidelitas sufferat.Caro mea uerè est cibus,& sanguis meus uerè potus est:Et nisi manducaueritis carnem meam,& biberitis sanguinem meum,nō habebitis uitam in uobis.Si ergo Dei sapientia,uerbis sacramento congruis pascens animam credentem,non curauit insipientiam nauseantem:quantò magis eadem ipsa sapientia,ubi locus & tēpus timoris fuerat,non amoris,salubrem uolens importare terrorem,non curauit insipientis errorem,quamuis eius præuideret horrorem. Quis autem istorū spiritalem nouit horrere animæ fœditatem,cùm uelut sua quadam fame atque egestate compellitur comedere,quæ de suis carnalibus cogitationibus tanquam de fœmoribus exeunt?Nam illius maledicti, quod iste uelut turpe reprehendit, par effectus est. Vix enim aliquando tam magnum est flagellum famis,ut ad nefanda illa cōpellat.Ista uerò fame,qua miserorum animæ inopes ueritatis ea pro ueritate comedunt quæ carnalibus sensibus pariunt,usquequaquè plena sunt omnia,tantò infœlicius,quantò nocet amplius,& horretur minus. Ioan.6.

B

Ex lib.16.Cont.Faust.Manich. Cap.XXII. Tomo VI.

Videbis uitam tuam pendentē, & non credes uitæ tuæ. Quæ uerba & aliter posse intelligi,potest,aliquis dicere,de Christo autem non posse intelligi, nec Faustus ausus est dicere,nec quisquā prorsus audebit,nisi qui negauerit aut Christum esse uitam:aut Iudæis uisum non esse pendentem,aut eos illi non credidisse. Cùm uerò & ipse dicat:Ego sum uita,& eum pependisse constet ante oculos non ei credentium Iudæorum,non uideo cur dubitare debeamus,id etiam de Christo scripsisse illum de quo Christus ait:Ille enim de me scripsit &c. Ioan.14.

CAPVT VICESIMVMNONVM.

Quæst.super Deut.lib.5.Cap.XLIX.Tomo IIII.

H *Aec uerba testamenti quod mandauit.* Ostēdit unde appellatus sit liber Deuteronomion, quasi secunda lex, ubi magis illius repetitio est, quàm aliquid aliud. Pauca enim sunt ibi,quæ non sunt in eo quod primùm datum est:nec tamen appellantur hæc duo testamenta, quamuis ita hæc uerba sonare uideantur. Vtrunque enim unum est testamentum,quod in ecclesia dicitur uetus:nam si propter hæc uerba duo testamenta dicenda essent,iam nō duo, sed plura essent,excępto nouo. Et in multis enim locis scriptura dicit testamentum,sicut illud quando factum est ad Abraham de circuncisione, uel illud superiùs ad Noë.Sequitur.

Et uidistis omnia &c. Quomodo ergo ait superiùs: Vos uidistis tentationes magnas quas uiderunt oculi tui, si non dedit Dominus eis oculos uidere, & aures audire? Nisi quia uiderunt corpore, & corde non uiderunt, quia oculi dicuntur & cordis: propterea inde cœpit: Et non dedit dominus Deus uobis cor scire. Ad hoc pertinent duo quæ sequuntur, & oculos uidere, & aures audire, id est, intelligere & obtemperare. Quod uerò dicit: Et non dedit dominus Deus uobis, nullo modo increpans & arguens hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam pertinere intelligi uellet, ne quisquam se ex hoc excusabilem putet. Simul enim ostendit & sine adiutorio domini Dei eos intelligere & obedire non posse oculis cordis, & auribus cordis. Et tamen si adiutorium Dei desit, non ideo esse excusabile hominis uitium: quoniam iudicia Dei quamuis occulta, tamen iusta sunt. Sequitur. C

Et adduxit uos quadraginta annis in deserto. Hinc apparet tantùm uini in suis impedimētis potuisse portare Israëlitas, quādo exierunt de Aegypto, quod possent citò consumere. Nam si omninò nihil secum tulissent, unde esset illud de quo dictum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere? Non enim hoc de aqua diceretur, cùm & ipsius Moysi manifestissima uerba sint, non fuisse illam uocem principium belli, sed principium uini. Sequitur.

Nunquid est aliquis inter uos uir &c. Ita dictū est: Nunquid est in uobis, ut tanquā requirentē intelligamus, ne fortè sit. Si quis autem esset eum terruit uehemēter, ne fortè quisquam diceret in corde suo, audiēs illa maledicta Sancta mihi sunt, id est, maledicta sancta mihi sunt, quoniam in errore cordis mei incedo, id est, absit ut mihi ista eueniant, non mihi sint hæc mala, sed sancta, id est, propitia & innoxia, quoniam in errore cordis mei incedo, eundo scilicet post deos gentium, & eis tanquam impunè seruiendo: Non inquit, sic erit: Non perdat simul peccatorem, & eum qui sine peccato est. Tanquam diceret: Cauete ne cui uestrum talia persuadeat, qui talia cogitat. Nolet Deus propitiari ei, siue talia cogitanti, siue illi cui talia fuerint persuasa, sicut ipse opinatus est dicendo: Sancta mihi sint, & quasi hoc modo auertendo à se uim illius maledicti. Sed tunc accendetur ira Domini, & zelus eius in homine illo, quando putauit se auertere ista in corde suo dicendo: Et adhærebunt in eo omnia maledicta testamenti huius, quæ scripta sunt in libro legis huius. Non possunt quidem omnia euenire uni homini. Non enim etiam totiens mori potest, quot genera mortis hîc dicta sunt: sed omnia dixit pro quibuslibet, ut non sit immunis ab omnibus, cui euenerint aliqua eorum quibus pereat. Quod autem ait: ut non simul perdat peccatorem, & eum qui sine peccato est, quod Græcus habet ἀναμάρτητον, non sic accipiendū est, tanquam ab omni prorsus peccato mundum & immunem, hoc dixerit ἀναμάρτητον, id est, sine peccato: sed eum qui sine peccato esset, de quo loquebatur Dominus in euange- D
Ioan.15. lio: Si non uenissem & eis locutus fuissem, peccatum non haberent, non utique omne, sed hoc peccatum quo non crediderunt in eum. Dicit etiam Deus ad Abi-
Gen.20. melech de Sara uxore Abrahæ: Scio quia mundo corde fecisti hoc: non utique mundum cor illius ita uoluit intelligi, ut similis eis esset, de quibus dictum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt: sed ab illo peccato de quo agebatur,

A tur,mundum cor habebat:quoniam quantùm ad ipsum pertinebat,non concupiuerat coniugem alienam.

CAPVT TRICESIMVM.

Quæst.super Deut.lib.5.Cap.LIII. Tomo IIII.

E *T circũpurgabit Dominus cor tuum.* Euidens pollicitatio gratiæ:promittit enim Deus se esse facturum,quod solet iubere ut fiat. Sequitur. *Non est supra modum,neque longè abs te est.* Hoc esse uerbũ fidei dicit Apostolus,quod ad nouum pertinet testamentum. Sed quæri potest,cur ea superiùs mandata dixerit,quæ scripta sunt in libro legis huius:nisi quia his omnibus spiritalia significantur ad nouum testamentum pertinentia,si bene intelligãtur. Item quæri potest,cur quod hîc positum est:Neque trans mare est,ut dicas:Quis trãsfretabit nobis trans mare,& accipiet nobis illud,Apostolus dixerit:Quis descendet in abyssum,atque id exponens adiũxerit:Hoc est Christum à mortuis reducere:nisi quia mare appellauit totam in hoc seculo uitam, quæ morte transitur, ut quodammodo mare finiatur,& trans mare mors ipsa appelletur: uelut trans istam uitam,quæ maris uocabulo significatur. Deinde quod hîc additum est. Et in manibus tuis,non ait Apostolus:nisi in ore tuo,& in corde tuo. Et hoc usque ad finem executus est dicens:Corde enim creditur ad iustitiam,ore autem confessio fit ad salutem. Meritò quod ex Hebræo translatum est,quãtùm à nobis inspici potuit,non habet:In manibus tuis. Nec frustra tamẽ hoc à septuaginta interpretibus additum existimo,nisi quia intelligi uoluerunt etiam ipsas manus,quibus significantur opera,in corde accipi debere,ubi est fides,quæ per dilectionem operatur. Nam si forinsecus ea quæ Deus iubet manibus fiant,& in corde non fiant,nemo est tam insulsus,qui præcepta arbitretur impleri. Porrò si charitas,quæ est plenitudo legis Dei,habitet in corde,etiam si manibus corporis quisquam non possit operari,pax illi est utique cum hominibus bonæ uoluntatis. Rom.10.

B (margin letter beside "cantur opera")

CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM.

Quæst.super Deut.Lib.5.Cap.LV.Tomo IIII.

P *Eccauerunt non ei filii uituperabiles.* Quod in Græco est τέκνα μωμητά, quidam interpretati sunt hoc,id est,filij uituperabiles,quidam filij commaculati,quidam filij uitiosi. Vnde non magna quæstio,imò nulla est. Sed illud meritò ad quærendum mouet,si generaliter dictum est:Peccauerunt non ei,quoniam qui peccat:non peccat ei,id est,non Deo nocet,sed sibi,quomodo intelligendum sit quod in psalmo legitur:Tibi soli peccaui: Et in Hieremia:Tibi peccauimus patientia Israël Domine. Et iterum in psalmo:Sana animam meam,quia peccaui tibi. Et utrùm hoc sit peccare Deo, quod peccare in Deum. Vnde ait:Heli sacerdos:Si in Deum peccauerit homo, quis orabit pro eo? Dicam ergo interim,quid mihi in præsentia uideatur. Intelligent fortasse aliqui melius,qui melius hæc sapiunt,aut etiam nos alio tempore quantùm adiuuerit Dominus. Peccare in Deum,est in his peccare quæ ad Dei cultum pertinent. Nam hoc quod commemoraui,nihil aliud indicat. Sic enim pecca- Psal.50. 1.Reg.2. 1.Reg.2.

bant filij Heli, quibus hoc pater eorum dixit, sic existimandum peccari etiam in C
homines, qui pertinent ad Deum. Nam hoc Deus legitur dixisse ad Abimelech
Gen.20. de Sara: Propterea peperci tibi ne peccares in me. Peccare autem in Domino, uel
potius peccare in Dominum, nisi fortè alicubi scriptum occurrat, quod huic sensui resistat, hi mihi uidentur non immeritò dici, qui piam pœnitentiam peccati sui non agunt, ut glorificetur ignoscens Dominus. Causam quippe reddens Dauid, cur dixerit: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, subiecit & ait: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris. Siue cùm dicit Deus: Iudicate inter me & uineam meam, siue de Domino Iesu Christo intelligatur, qui solus uerissimè dicere potuit: Vênit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam, id est, quicquam peccati, quod morte sit dignum: sed ut cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio, surgite eamus hinc. Tanquam diceret: Etiamsi leuissima peccata mortis supplicio persequatur princeps mundi, et in me non habebit quicquam, sed surgite eamus hinc, id est, ut patiar: quia in eo quòd patior, uoluntatem impleo patris mei, non pœnā soluo peccati mei. Et quod Hieremias ait: Tibi peccauimus, patientia Israël, Domino utique suppliciter dicitur in pœnitentia cum spe salutis & ueniæ. Et quod dictum est: Sana animam meam, quia peccaui tibi: hoc idem agitur, ut Deus ignoscendo glorificetur: quia magna est eius misericordia super confitentes sibi & redeuntes ad se, qui dicit se nolle mortem peccatoris, sed tantùm ut reuertatur et uiuat. Hinc & ipse Dauid, non solùm in psalmo, uerumetiam cùm Deus eum argueret per prophetam, nō sine spe propitiationis Domini respondit: Peccaui Domino. Medico enim uulneratus uidetur quodāmodo, qui ut sanetur se subdit manibus medici, ut in eo medicinæ opus impleatur. In hoc autem cantico præuidebat propheta futuros quosdam, qui sic fuerant peccaturi Deum offendendo magnis iniquitatibus suis, ut nec pœnitentiam agere uellent, & ad Deum redire ut sanarentur. De quibus etiam alibi dicitur: Quoniam caro sunt & spiritus ambulans & non reuertens. Potest etiam sic intelligi, peccauerunt non ei, secundum id quod non ei nocuerunt peccato suo, sed sibi.

Esa.5. Ioan.14. D

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

Quæst. super Deut. lib. 5. Cap. LVI. Tomo IIII.

D *Ominus ex Sina uenit.* Non negligenter prætereunda est ista prophetia. Apparet quippe ista benedictio ad nouum populum pertinere, quem dominus Christus sanctificauit: ex cuius persona ista dicuntur à Moyse, non ex persona ipsius Moysi, quod in consequentibus euidenter apparet. Nam si propterea dictum est: Dominus ex Sina uênit, quia in monte Sina lex data est: quid sibi uult quod sequitur: Et alluxit ex Seir nobis, cùm Seir mons Idumeæ sit ubi regnauit Esau? Deinde cùm Moyses filios Israël benedicat his uerbis, sicut scriptura prædixit, quomodo idem dicit, & accæpit de uerbis ipsius legem, quam mandauit uobis Moyses? Nimirum ergo prophetia est ut diximus, populum nouum Christi gratia sanctificatum prænuncians, ideo sub nomine filiorum Israël, quia semen est Abraham, hoc est, filij sunt promissionis, & interpretatio

A terpretatio eius est, uidens Deum. Dominus ergo qui ex Sina uenit Christus intelligendus est, quoniam Sina interpretatur tentatio. Venit ergo ex tentatione passionis, crucis, mortis. Et alluxit ex Seir. Seir interpretatur pilosus, quod significat peccatorem. Sic enim natus est Esau odio habitus: sed quoniam qui sedebāt in tenebris, & in umbra mortis, lux orta est eis, ideo illuxit ex Seir. Simul etiam non absurdè intelligitur esse prædictum ex gentibus quæ significantur per nomen Seir, quia mons est pertinens ad Esau uenturam gratiam Christi populo Israël, unde dicit Apostolus: Ita & hi nunc non crediderunt in uestra misericordia: Rom. 11.
ut & ipsi misericordiam consequantur. Ipsi ergo dicunt, alluxit ex Seir nobis, & festinauit ex monte Pharan, id est, ex mōte fructifero. Id enim interpretatur Pharan, quo significatur ecclesia. Cum multis milibus Cades: Et mutata interpretatur Cades, et sanctitudo. Mutata sunt ergo multa milia et sanctificata per gratiam, cum quibus uenit Christus ad Israëlitas postea colligendos. Sequitur.

Et dicit Ad dexteram eius angeli cum eo. Hoc non indiget expositione. Et pepercit, inquit populo suo, donans remissionem peccatorum. Inde ad ipsum conuertit sermonem atque ait: Et omnes sanctificati sub manus tuas, & hi sub te sunt. Non utique superbientes, & suam iustitiam uolentes constituere, sed agnoscentes gratiam, ut iustitiæ Dei subijciantur. Et accæpit, inquit, de uerbis ipsius legem, populus utique de quo ait: Et pepercit populo suo. Accæpit ergo de uerbis ipsius legem, quam mandauit, inquit, nobis Moyses: hoc est, populus eius de uerbis eius accæpit legem: quia de doctrina eius intellexit legem eam ipsam, quam mandauit nobis Moyses. Ipse quippe ait in euangelio: Si crederetis Moysi, crederetis & Iohel. 2.
B mihi: de me enim ille scripsit. Non enim accæpit populus ille legem, quam non intellexit: sed tunc accæpit quando intellexit de uerbis eius, carens uelamine ueteri conuersus ad Dominum. Hanc dicit hæreditatem congregationis Iacob, quæ intelligenda est non terrena, sed cœlestis, non temporalis, sed æterna: Et erit, inquit, in dilecto princeps ipse, utiq; in dilecto populo erit princeps dominus Iesus, cōgregatis principibus populorum, id est, gentium simul cum tribubus Israël, ut impleatur quod suprà dictum est: Letamini gentes simul cum populo eius, quia Cæcitas ex parte Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. Sequitur. Ioan. 5.

Primogenitus tauri. Quod non ita intelligendum est, tanquam diceret, primogenitus tauri, sed cùm sit primogenitus, pulchritudo eius pulchritudo tauri est, propter crucis cornua de Domino intelligitur figuratum,

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, SVPER IOSVE COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Quæst. super Iosue Lib. 6, Cap. I Tomo IIII.

T *sicut eram cum* Moyse. Non solùm hoc testimonio, sed etiam in Deuteronomio multis documentis approbatur Moyses ita defunctus, ut Dei
E famulus & Deo placens: quamuis in eo illa uindicta completa sit, ne terram promissionis intraret. Ex quo datur intelligi Dominum etiam bonis seruis suis in aliquo succensentem & temporaliter uindicare, & tamen in eorum habere numero, qui sunt in domo eius uasa in honore utilia Domino, quibus daturus est promissa sanctorum. Quæstio est, quomodo posteaquàm locutus est Dominus ad Iesum Naue, exhortans & confirmans eum, seq; promittens cum illo futurum, mandauerit idem Iesus populo per scribas, ut prepararent cibaria, quòd post tres dies Iordanem fuerant transituri, cùm inueniuntur post multò plures dies transisse Iordanem. Cùm enim hæc populo mandasset, misit exploratores in Hiericho, quoniam Iordane traiecto ipsa proxima ciuitas occurrebat. Illi autem diuerterunt ad Raab mulierem fornicariam, & ab illa occultati, atque à rege quæsiti, & minimè inuenti, eadem dimittente illos per fene- D
stram & monente ut triduo laterent in montanis, quatuor dies uidentur esse consumpti: inde posteaquam nuntiauerunt quæ circa illos gesta fuerint, promouit Iesus cum populo uniuerso de loco ubi erat diluculo. Qui cùm uenissent ad Iordanem, diuertit & mansit: tunc rursus populus admonetur, ut post triduum se præpararet transire Iordanem, arca Domini præcedente. Hinc ergo intelligitur humanam fuisse dispositionem, quam fecit populo nuntiari, ut cibaria præparent, tanquam post tres dies memoratum fluuium transituri. Potuit enim hoc sicut homo sperare fieri posse, si exploratores celeriter reuertissent: Quibus tardantibus intelligitur, quamuis scriptura tacuerit, ex diuina dispositione cętera impleta, ut iam inciperet apud populum glorificari Iesus, & ostendi, quòd cum illo Dominus esset, sicut fuerat cum Moyse. Nam & hoc illi dicitur fluuium transituro, sicut scriptum est: Et dixit Dominus ad Iesum: In die isto incipiam exaltare te coram omnibus filijs Israël, ut sciant quoniam sicut eram cum Moyse, sic ero & tecum. Nec incredibile debet uideri, etiam illos in quibus Deus loquebatur, aliquid ex humana dispositione agere uoluisse, in qua sibi Deum tamen fiderent esse rectorem, eorúmque ex illius à quo regebantur prouidentia consilia fuisse mutata. Nam & Moyses ipse utique tanquam homo putauerat esse faciendum ut causas populi sic audiret, quemadmodum & sibi, & illis onus intolerabile subeundo prodesse non posset, eiúsque dispositio diuinitus & hoc ipsum socero eius suggerente & monēte, atque hanc admonitionem Deo approbante mutata est.

Ex

A Ex lib. Sermon. de Tem. Serm. 105. Tomo X.

Surge & transi Iordanē istū tu & omnis populus tecū &c. In lectionibus quæ nobis recitatæ sunt fratres charissimi, audiuimus quòd Mortuo Moyse, Iesus susceperit principatum, & transito Iordane, expulsis uel interfectis gētibus Chananæis, terras eorum filijs Israël tradiderit possidendas. Quotiens lectiones istæ fratres charissimi, de testamento ueteri recitantur, solent pagani, & uel maximè immūdissimi Manichæi, ore sacrilego blasphemare & dicere, quia iniustitia Dei fuit, ut filios Israël per uiolentiā de terra Aegypti tolleret, & postea expulsis Chananæorū gētibus, terras eorū eis tradiderit possidendas. Vnde ne fortè simplices quosq; uel imperitos ista murmuratio prophana decipiat, quātùm possum breuiter Deo auxiliāte, sanctitati uestræ demōstrare cupio, ab antiquis patribus traditam uerissimā rationē, & ostēdere quia Deus noster, non solùm misericors, sed & iustus est, & iudicia eius plerunque sunt occulta, nunquā tamē iniusta. Tradunt maiores nostri, quòd quādo filij Noë omnē terrā inter se inuicem diuiserūt, terra ista quæ dicitur Chananæorum in diuisione orbis, seniori filio Noë, id est, Sem in possessionē obuenerit, & eā tēpore nō paruo possederit. Postea uerò increscentes populi Chananæi, de illo unique filio, qui à patre fuerat maledictus, uenerūt ad loca illa, & per uiolentiam expulsis fratribus suis, id est, filijs Sem, terram eorum more barbarico, possederunt. Et quia beatus Abrahā, de genere Sem legitur fuisse, filij eius, id est, populi Israëlitæ, nō alienam terram tradente Domino peruaserunt, sed suam propriam quam per uiolentiā patres eorum perdiderāt receperunt. Et quia Chananæi, excepto illo peccato, quòd possessionem alienam inuaserant, multa nefanda & inaudita crimina cōmittebant, intantum, ut quādo Dominus Sodomam & Gomorram subuertebat, dixisse legatur: Necdum enim cōpletæ sunt iniquitates Amorræorum, & expectabat Dominus, ut aut conuerterentur, & agerent pœnitentiam, aut certè si conuerti nollent, crimina criminibus cumulantes, & peccandi mensuram implentes, iustissimam Dei sententiam sustinerēt. Quia ergo eos dupliciter inuenit reos diuina cēsura, pro eo quòd & terras alienas inuaserant, & postea scelera & crimina inaudita cōmiserant iusto iudicio puniuntur, & Israëlitico populo antiquorū patrum possessio reformatur. Et quidem secundū literā, sicut in scripturis sanctorum scriptū inuenimus, charitati uestræ rustico & simplici sermone quē toti intelligere possent insinuāda credidimus, ut habeatis quod respondere possitis perditis & sacrilegis Manichæis, quia sicut iā dictū est, filij Israël antiquorū parentum suorū terrā recipiunt, non alienā quasi per iniustitiam tollunt. Et hæc quidem secundū literā, iusto Dei iudicio gesta referuntur: sed quia sicut dicit Apostolus: Omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autē propter nos, in quos fines seculorū deuenerūt. Quid etiā spiritaliter ista significent, si diligenter, sicut Deo inspirante consueuistis attenditis, ratione euidētissima cognoscetis. Terra repromissionis, quam totiens Deus dicit lacte & melle manantem, nos fuimus antequam peccaret Adam, quādo in nobis nihil aliud erat, quàm quòd misericordia cōtulerat cōditoris. Postquā autē in Adam omnes moriuntur & iterū omnes eunt in condemnationem per transgressionē primi hominis, terrā repromissionis Chananæi cœperāt possidere. Volūtas enim Domini possessionem cordis no-

B (margin, at "da & inaudita crimina")

Gen. 15. (margin, at "Gomorram subuertebat")

1. Cor. 10. (margin, at "cit Apostolus")

ſtri non uitijs ſed uirtutibus naturaliter deputauerat, quæ poſt præuaricationem C
Adæ inſoleſcentibus uitijs tanquam populis Chananeis, à propria religione, id eſt,
ab intellectu uel mente rationabili uirtutes ſanctæ depulſæ ſunt, & uitia remanſe
runt. Cum uirtutibus rurſum ſi per Dei gratiam poſſeſsio animæ noſtræ rece-
pta fuerit, non tam alienas occupaſſe terras, quàm proprias uidebimur recepiſſe.
Cùm enim, auxiliante Domino, à populo uirtutibus contra ſe dimicantibus ui-
tia fuerint ſuperata, locum quem ſibi in corde noſtro concupiſcentiæ uel fornica
tionis ſpiritus retentabat, deinceps caſtitas occupabit, quem furor cœpit, ſapien-
tia poſsidebit, quem triſtitia mortem operans inuaſerat, ſalutaris & plena gaudij
lætitia obtinebit, quem deſidiæ tepor uel negligentiæ uaſtabat, humilitas honeſta-
bit, quem cupiditas obſcurum fecerat, miſericordia ad claritatem priſtinam reuo
cabit, quem inuidia ueneno ſuo percuſſerat, benigna ſimplicitas adornabit. Ita ſin
gulis uitijs expulſis, eorum loca, id eſt, affectus, uirtutes econtrariò poſsidebunt.
Ipſæ tamen uirtutes, filij Iſraël, id eſt, animę uidentes Deum non immeritò nuncu
pantur, & cùm uniuerſas, Deo auxiliante cordis ſui expulerint paſsiones, non
tam alienas poſſeſsiones peruaſiſſe, quàm proprias terras recuperaſſe creden-
dæ ſunt. Et illud aduertite fratres, quòd ſpecialiter ad donum gratię pertinere co
gnoſcitur. Non enim lege naturæ, nec per legem literæ, quia non per Moyſen, id
eſt, per legem ueteris teſtamenti, ſed per Ieſum ſucceſſorem Moyſi terra repro-
miſsionis Iſraëlitico populo reformatur. Sic enim & Apoſtolus ait: Nihil, inquit,
ad perfectum adduxit lex: Non ergo per legis literam, ſed per euangelicam gra-
tiam gentes crudeles & peſsimæ, id eſt, originalia peccata uel actualia crimina, de
terra repromiſsionis, id eſt, Chriſtianorum cordibus Ieſu duce potuerint effuga- D
Matth.12. ri, ſicut ipſe in euangelio dicit: Nemo poteſt domum fortis intrare, et uaſa eius de-
ripere, niſi prius alligauerit fortem. Et iterum: Cõfidete, quia ego uici mundum.
Ioan.16. Sicut enim uetus Adam, conſentiendo diabolo nos de terra repromiſsionis exclu
ſit: Ita econtrariò nouus Adam Chriſtus reſiſtẽdo diabolo ad antiquam patriam
reuocauit. Et hoc fratres attendite, quia terra repromiſsionis non recipitur, niſi
prius regnante Ieſu, Iordanis fluuius tranſeatur. Ita eſt fratres, quia ad ſpiritalem
terram repromiſsionis, id eſt, conſcientiam puram, non niſi per ſacramẽtum bá-
ptiſmi peruenitur. Denique per ipſum fluuium Ieſus Iſraëliticum populum tran
ſire fecit. Hæc enim quæ uobis ſuggeſsimus, fratres chariſsimi, uelut munda ani-
malia ſpiritaliter ruminate &c.

Ex Lib. Sermon. de Tem. Serm. 106. Tomo X.

Parate uobis cibum ad diem tertium. Sicut frequẽter charitati ueſtræ ſuggeſsimus
fratres chariſsimi, Moyſes nõ ſolùm typũ Chriſti, ſed etiã figurã legis intelligitur
habuiſſe. Deniq; in mõte ubi Dominus traſfiguratus eſt, Moyſes & Helias loque-
bãtur cũ eo et in illis duobus lex & prophetia ſignificatæ ſunt. Mortuo ergo Moy
ſe: Ieſus ſuſcepit imperiũ, et ceſſante lege, dominus noſter uerus Ieſus totius mũ
di obtinuit principatũ. Ieſus ergo ille qui typũ Domini pręferebat, ueniẽs ad Ior
danem dixit ad populũ, parate uobis cibos ad diem tertiũ. Diem tertium fratres
chariſsimi, trinitatis agnoſcimus eſſe myſterium. Quos ergo cibos pręparare de-
bemus, ut ad diem tertium ueniamus? Videtur mihi quòd cibus iſte fides intelligi
debeat

A debeat. In Christianis enim fides est, per quam in trinitatem creditur, & ad sacramentum baptismi peruenitur. Quòd ergo tunc Iesus ille dixit populo, hoc nunc & uerus Iesus per ministros suos dicit populo christiano. Quid est enim aliud dicere: Parate uobis cibum ad diem tertium, nisi trinitatis suscipite sacramentum? Post hæc Iordane transito, quasi baptismi completo mysterio populus Israël terram repromissionis ingreditur. Verum est fratres charissimi: Nisi quis per baptismi sacramentum transierit, terram ueræ repromissionis, id est, æternam beatitudinem non uidebit. Mittit tamen Iesus duos exploratores ad ciuitatem Hiericho, & suscipiuntur à meretrice. Iesus duos mittit exploratores, quia uerus Iesus daturus erat duo præcepta dilectionis. Quia & reuerà quid nobis aliud quos mittit uerus Iesus, nisi ut diligamus Deum, diligamus & proximũ? Dixit ergo Iesus præparate uobis cibos, & estote parati ad diem tertium. Sicut enim tunc præparatis cibis die tertio uentum est ad Iordanem fluuium, ita & nunc in ecclesia catholica assumptis spiritalibus cibis fidei, spei, & charitatis, peruenitur ad trinitatis mysterium, & ad baptismi sacramentum. Tulit autem Iesus duodecim lapides, & posuit in Iordane. Ex ipso Iordane tulit alios duodecim, & fixit in loca castrorum. Illi duodecim qui missi sunt in Iordane, uidentur mihi typũ habuisse patriarcharum: illi uerò qui leuati sunt de Iordane, figuram habuisse Apostolorũ. Post mortem enim Moysi sepultis patriarchis, apostoli surrexerunt. Sic & in Psalmo legimus: Pro patribus, inquit, tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Sic sepultis patriarchis apostoli nascuntur, quomodo sepulto seniore populo, iunior populus Iesu duce in terram repromissionis inducitur. Senior ille populus typum habuit Iudæorum, iunior uerò figuram habuit gẽtium.

[Margin: Iosue. 2.] [Margin: Iosue. 4.]

B Ille populus senior transito mari rubro sepelitur in eremo, iunior uerò populus ad hoc transijt Iordanem fluuium, ut acciperet regnũ. Verum est fratres: Nemo beatitudinem regni cœlestis accipiet, nisi prius per baptismi sacramẽta transierit. Nam de illo seniore non amplius quàm duo meruerunt terram repromissionis intrare, & in ipsis duobus aliquid figuratum esse cognoscimus. Sicut enim suprà dictum est, duo sunt præcepta dilectionis, quę Christianum populum inuitant, ut uitam æternam accipiant. Ita illi duo fuerunt, qui Iudæorũ populo consilium dabant, quòd si in Deum crederent fœliciter terram repromissionis introirent. Post hæc ad ciuitatem Hiericho uentum est, & muri eius ad clamorem populorum, & sono tubarum usque ad fundamenta deiecti sunt. Hiericho fratres typum habuit mundi huius: Sicut enim tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt, ita & nunc oportet ut ciuitas mundi, id est, superbia cum suis turribus, auaritia, scilicet, inuidia, atq; luxuria simul cum populis, id est, omnibus concupiscentijs malis, assidua sacerdotum prædicatione destruatur atque dispereat. Non ergo oportet ut sacerdotes in ecclesia taceant, sed audiant Dominum dicentem: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum. Clamare ergo iubemur, & uehemẽter clamare. Ne parcas, inquit, id est, peccatoris iniquitati, ne tacendo pereas, & dum uerecundiæ eius consulis, non consulas sanitati, ne uulnera illius, quæ clamando resecare poteras, reticendo in peius enutrias. Clamare ergo iubemur, & ne quis se non audisse dicat, aut quenquam uox lateat sacerdotis,

[Margin: Iosue. 6.] [Margin: Esa. 58.]

tis, uehementer clamare. Et ne fortè hoc ipsum non sufficeret, addidit dicens: Sicut tuba exalta uocem tuam. Scitis quòd tuba non tam oblectationis esse soleat, quàm terroris, non tam delectationem præferre, quàm inferre formidinem. Tuba itaque peccatoribus necessaria est, quæ non solùm aures eorum penetret, sed & cor concusiat, nec delectet cantu, sed castiget auditu, & strenuos quosque hortetur in bonis, & remissos terreat pro delictis. Nam sicut in prælio tuba formidolosi militis mentem deijcit & animum fortis accendit, ita & sacerdotalis tuba mentem peccatoris humiliat, animos uiri sancti corroborat. Nec parcit uoci, ut parcat saluti, & uno eodémque sono isti adhortationem dat, quemadmodum sit fortior ad uincendum, illi terrorem incutit quemadmodum sit tardior ad peccandum. Hæc enim consuetudo tubæ est, ut delinquentium opera dissipet, & sanctorum facta confirmet. Denique sacerdotalibus tubis Hiericho muri qui intra se continebant peccatorum populum corruerunt. Non illos pulsauit aries, non expugnauit machina, sed quod mirum est, sacerdotalis sonus aut tubæ terror euertit. Muri qui aduersus ferrum inexpugnabiles extiterant, sacra tubarũ uoce collisi sunt. Quis enim non stupeat in illo facto saxa sono dirupta, fundamenta clangore esse quassata, & ita uniuersa collapsa, ut cùm uictores nihil manu læderent, apud aduersarios nihil stabile remaneret? Sed quamuis muros illos nemo cõtingeret, expugnabantur tamen forinsecus sono iustorum, intrinsecus habitacula peccatorum. Sic enim æquo Dei iudicio & iustis aperuerunt uiam, & defensionem perfidis negauerunt. Sed hæc omnia in figura facta esse non dubium est: Nam sacerdotales illius temporis tubas quid aliud præfigurasse credimus, quàm huius temporis sacerdotum prædicationes, per quas non cessant peccatoribus terribili sono D austerum iudicium nuntiare, tristem gehennæ interitum prædicare, & quodam comminationis strepitu aures delinquentium uerberare? Sicut enim tunc tubarum clangor, destructis cementorũ muris, ad populi interiora peruenit, ita nunc prædicatio sacerdotum, destructis prauis cogitationibus, ad animæ nuda pertransit, Et sicut sacræ uocis sonus contumacem populum destruxit & captiuauit, ita & nunc sacerdotalis prædicatio populum peccatorũ subiugat. Septem ergo die-
1.Cor.2. bus, sicut scriptura dicit, muri Hiericho sacerdotalibus tubis circundati ceciderunt. Vnde nos spiritalibus spiritalia comparantes, dicimus quòd hoc septenario numero nunc per sacerdotes Dei non tam una ciuitas destruitur, quàm totius mundi iniquitas dissipatur. Nam sicut in singularis urbis nuncupatione uniuersi mundi habitus figuratur, ita septem dierum circulo totius mundi spatia distinguuntur, per quæ sacerdotalium prædicationum tubæ ipsi seculo excidium an-
1.Ioan.2. nuntiant, & iudicium comminantur, sicut scriptum est: Quoniam mundus peribit, & omnia quæ in mundo sunt.

CAPVT SECVNDVM.

Cont. Mend. ad Consent. Lib. Cap. XV. Tomo IIII.

A teor uenerunt ad me, sed nesciebam unde essent. Quod scriptum est, bene
F Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cũ Raab Hierochuntina meretrice, non ideo factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes

A misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdúmq; non esset, si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala Deus propter posteriora opera bona uellet ignoscere: ita mirandum non est, quòd uno tempore in una causa Deus utrumque conspiciens, id est, factum misericorditer, factúmque fallaciter, & bonum remunerauit, & propter hoc bonum malum illud ignouit. Si enim peccata quæ propter carnis concupiscentiam, non propter misericordiam fiunt, propter posteriora opera misericordiæ dimittuntur, cur non merito misericordiæ dimittuntur, quæ propter ipsam misericordiam committuntur? Grauius est enim peccatum quod animo nocentis, quàm quod animo subuenientis efficitur. Ac per hoc si illud deletur opere misericordiæ postea subsequente, cur hoc quod est leuius, non deletur ipsa hominis misericordia, & præcedente ut peccet, & comitante cùm peccat? Ita quidem uideri potest. Veruntamen aliud est dicere peccare quidem non debui, sed opera misericordiæ faciam, quibus deleam quod antè peccaui, & aliud est dicere, peccare debeo, quia non possum aliter misereri. Aliud est, inquam, dicere, quia iam peccauimus, benefaciamus: & aliud est dicere, peccemus ut benefaciamus. Ibi dicitur, faciamus bona quia fecimus mala: hîc autem, faciamus mala ut ueniant bona. Ac per hoc ibi exhaurienda est sentina peccati, hîc cauenda est doctrina peccandi. Restat itaque ut intelligamus illis mulieribus uel in Aegypto, uel in Hiericho pro humanitate & misericordia redditam fuisse mercedem utique temporalem, quæ
B quidem & ipsa æternum etiam aliquid illis nescientibus prophetica significatione figuraret. Vtrùm autem sit aliquando uel pro cuiusquam salute mentiendum, cùm quæstio sit in qua dissoluenda etiam doctissimi fatigantur, ualde illarum mulierculàrum, in illis populis constitutarum, & illis moribus assuetarum excedebat modum. Itaque hanc earum ignorantiam, sicut aliarum rerum quas pariter nesciebant, sed sciendæ sunt à filijs non huius seculi, sed futuri, Dei patientia sustinebat: qui tamen eis pro benignitate humana quam famulis eius impenderant, quamuis cœleste aliquid significantia præmia terrena reddebat. Et Raab quidem ex Hiericho liberata in Dei populum trāsitum fecit: ubi proficiens posset ad æterna & immortalia munera peruenire, quæ nullo sunt quęrenda mendacio.

Tunc tamen quando illud opus bonum, & pro suæ uitæ conditione laudabile Israëlitis exploratoribus præstitit, nondum erat talis ut ab ea exigeretur: Sit in ore uestro, est, est, non, non. Obstetrices autem illæ quamuis Hebrææ, si secundum carnem tantummodo sapuerunt, quid aut quantùm est quod eis profuit remuneratio temporalis, quia fecerunt sibi domos, nisi proficiendo pertinuerunt ad eam domum, de qua Deo cantatur: Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te. Multùm autem fatendum est propinquare iustitiæ, & quamuis re ipsa nondum, iam tamen spe atque indole animum esse laudandum, qui nunquam nisi hac intentione mentitur, quia uult prodesse alicui, nocere autem nemini. Sed nos cùm quærimus, sitne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quærimus adhuc ad Aegyptum, uel ad Hiericho, uel ad Babyloniam pertinente, uel adhuc ad ipsam Hierusalem terrenam, quæ seruit cum filijs

Eiusdē lib. cap. 16.

Psal. 83.

filijs suis, sed de ciue illius ciuitatis, quæ sursum est libera mater nostra æterna in coelis. Et respondetur quęrentibus nobis, omne mendacium non est ex ueritate. C

1. Ioan. 2. Filij autem illius ciuitatis, filij sunt utique ueritatis. Eius ciuitatis filij sunt, de quibus scriptum est: In ore eorum non est inuentum mendacium. Eius ciuitatis filius est de quo item scriptum est: Verbum suscipiens filius à perditione longè aberit.

Apoc. 14. Excipiens autem excępit illud sibi, & nihil falsi ex eius ore procedit. His filijs supernæ Hierusalē & sanctæ ciuitatis æternæ, si quando ut hominibus obrepit qualecunque mendacium, poscunt humiliter ueniam, nō inde quærunt insuper gloriam. *Eiusdē lib. cap. 17.* Sed dicet aliquis: Ergo ne obstetrices illæ atque Raab melius fecissent, si nullam misericordiā præstitissent, nolendo mentiri? Imò uerò illæ mulieres Hebrææ, si essent tales de qualibus quærimus, utrùm sit eis aliquādo mentiendum, nec aliquid falsi dicerent, & foeda ministeria de paruulis occidendis liberrimæ recusarent. Sed inquies: Ipsæ morerētur. At uide quid sequatur: Morerentur enim coelestis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quàm domus illæ quas sibi fecerunt, in terra esse potuerunt. Morerentur enim futuræ in æterna foelicitate mortē perpessæ pro innocentissima ueritate. Quid illa in Hiericho? Nunquid hoc posset? Nónne si quærentes ciues mentiendo non falleret, uerum dicendo latentes hospites proderet? An posset interrogantibus dicere: Scio ubi sint, sed Deū timeo, non eos prodo? Posset hoc quidem dicere si iam esset uerè Israëlita in quā dolus nō esset: quod futura erat per misericordiam Dei transiens ad ciuitatē Dei. Verùm illi hoc audito, inquies, illam perimerent, domum scrutarētur. Sed nunquid consequens erat ut illos etiam quos diligenter occultauerat inuenirent? Prospexerat enim cautissima mulier, & ibi eos posuerat ubi latere potuissent, si ei mentienti creditum non fuisset. Ita & illa, si tamen à suis ciuibus esset occisa, pro misericordiæ operæ, uitam istā finiendam pretiosa in conspectu Domini morte finisset, & erga illos eius beneficium inane non fuisset. Sed inquies: Quid si & ad illum locum ubi eos occultauerat, hi à quibus quærebantur, perscrutādo omnia peruenissent? Isto modo dici potest: Quid si mulieri uilissimę atq; turpissimę non solùm mentienti, uerumetiam peieranti credere noluissent? Nempe etiamsi consecutura fuerant, quæ timendo mentita est. Et ubi ponimus uoluntatem ac potestatem Dei? An fortè non poterat & illā nec ciuibus suis mentientem, nec homines Dei prodentē & illos suos ab omni pernicie custodire? A quo enim & post mulieris mendacium custoditi sunt, ab eo potuerunt & si illa mentita non esset, utiq; custodiri. Nisi fortè obliti sumus hoc fuisse in Sodomis factum, ubi masculi in masculos nefanda libidine accensi, nec ostiū domus in qua erant quos quærebant inuenire potuerūt: quoniam uir iustus in causa omninò simillima pro suis hospitibus mentiri noluit, quos esse angelos nesciebat, & uim morte peiorem ne paterentur timebat. Et certè poterat talia respondere quærentibus qualia in Hiericho mulier illa respondisset. Nam prorsus similiter & illi interrogando quæsierunt. Sed homo iustus noluit pro corporibus hospitum animā suam suo mendacio maculari, pro quibus uoluit corpora filiarum alienæ libidinis iniquitate uim perpeti. Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum salute quod potest. Cùm autem ad hunc articulū uentum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, iam se D

A se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse perspexerit, quod non rectè faciat. Proinde Raab in Hiericho, quia peregrinos homines Dei suscæpit hospitio, quia in eorum suscæptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos ubi potuit occultauit, quia per aliam uiam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Hierusalem ciuibus imitanda laudetur. Quòd autem mentita est, etiam si aliquid ibi propheticum intelligenter exponitur, non tamen immitandum sapienter proponitur: quamuis Deus illa bona memorabiliter honorauerit, hoc malum dementer ignouerit.

CAPVT TERTIVM.

Quæst. super Iosue Lib. 6. Cap. III. Tomo IIII.

C *Vm uideritis arcam testimonii Domini.* Tam grande quippe agmen si post eam proximum pergeret, non eã uideret præire, nec nosset quà sequeretur. Ex hoc autem facto intelligendum est quòd columna illa nubis quæ solebat mouendis castris signum dare, & iter ostendere, iam recesserat, nec eis apparebat: hinc factum ut etiam triduum illud ex humana dispositione prædiceretur. Nunc ergo duce Iesu arcam Domini sequũtur nube subtracta, tanquam uelamine ablato. Iordanis autem plenus erat per totam crepidinem suam, sicut in diebus messis tritici. Hoc incredibile uidetur regionibus nostris. Ibi autem sicut perhibent qui nouerunt, in initio ueris est messis tritici. Tunc autem ille fluuius repletur amplius quàm per hyemem.

B Quæst. super Iosue Lib. 6. Cap. IIII. Tomo IIII.

Et erunt uobis lapides memoriale filiis Israel usque in æternum. Quomodo in æternum, cùm cœlum & terra transeãt? An quoniam æternum aliquid significant hi lapides, cùm ipsi æterni esse non possint? Quanquam possit quod in Græco ἕως τοῦ αἰῶνος dici latinè, & usque in seculum, quod non est consequens ut intelligatur æternum. Sequitur.

Manda sacerdotibus. Solet dici arca testamenti, uel arca testimonij, nunc dicta est arca testamenti testimonij, ut non solùm arca, sed etiam ipsum testamentum appellaretur testamentum testimonij. Hinc enim dicit Apostolus: Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testimonium habens per legem & prophetas. Rom. 3. In cuiusdam enim rei alterius uenturę testimonium datum fuerat illud, quod dicitur testamentum uetus.

Locut. de Iosue Lib. 6. Tomo III.

Vsque in hodiernum diem. Notandum est quemadmodum dicat scriptura usque ad hodiernum diem, quod asiduè dicit: Nam & de lapidibus illis duodecim qui positi sunt ubi Iordanis ex una parte defluxerat, & ex parte superiore constiterat arca transeunte uel populo, ita dictum est, quòd essent ibi usq; in hodiernum diem: quod uidetur ita sonare, tanquam post plurimum temporis per hanc scripturam ista narrentur: nec eo tempore hi libri conscripti fuerint, quo erant hæc recentissima. Quisquis autem putat hoc, quid de ista meretrice dicturus est, quæ utique quantùm est ætas unius hominis uixit, & tamen dicitur usque in hodiernum diem. De his itaque rebus dicitur hoc, quæ non ita constitutæ sunt, ut postea

mutarentur

mutarentur ab eis qui constituerunt. Quomodo dicitur aliquis in exilium perpe C
tuum missus, quia non ad tempus præfinitum hoc supplicio plectitur, non quia quisquam potest esse perpetuus in exilio, cùm homo ipse non possit esse perpetuus. Sic ergo & ista meretrix nõ est præcepta ad tempus habitare in Israël, ideo dictum est usque in hodiernum diem.

CAPVT QVINTVM.

Quæst. super Iosue Lib. 6. Cap. VI. Tomo IIII.

Ac tibi ipsi cultros. In hoc præcepto quæritur cur dixerit, iterum. Non
F enim unus homo bis circuncidendus erat: sed quia unus populus erat in quibusdam circuncisus, in quibusdam non circuncisus, ideo dictũ est, iterum, ut circuncisus iterum circũcideretur, non homo, sed populus. Nam & sequentia id ostendunt. Dicit enim scriptura: Et fecit Iesus cultros petrinos sibi ipse acutos, & circũcidit filios Israël in loco qui uocatur collis præputiorũ. Hoc autem modo circumpurgauit Iesus filios Israël, qui aliquando fuerant in uia: & qui aliquando incircuncisi erant eorũ qui exierant ex Aegypto, omnes istos circuncidit Iesus. Quadraginta enim & duobus annis conuersatus est Israël in deserto Mabdarich, & ideo incircuncisi erant illorum plurimi pugnatorũ, qui exierunt de terra Aegypti, qui inobedientes fuerant mandatis Dei, in quibus & diffinierat Dominus eis ne uiderent illi terram, quam iurauerat Dominus patribus eorũ dare illis terram fluentem lac & mel. Pro his autem substituit filios eorũ, quos circuncidit Iesus, eo quòd fuissent in itinere incircuncisi. Manifestũ est ergo nõ omnes fuisse, sed quosdã. Quidam enim de Aegypto exeuntium filij in illo populo incircuncisi D
erant, quos potuit circuncidere Iesus, illorum scilicet filios, qui genuerunt in deserto & contempserunt eos circuncidere, quòd inobedientes erant legi Dei. Nulla itaque causa est, cur hi qui putant rebaptizandos eos qui habent Christiani baptismi sacramentum, hoc testimonio legis adiuuari se putent: quia nullus bis numero unus homo est circuncisus, sed populus qui iam fuerat in quibusdã circuncisus, in quibusdam uerò adhuc incircũcisus erat. Etsi aliquo modo id fieri posset ut bis Deus circuncidi hominem iuberet: nunquid possunt dicere ideo fuisse præceptũ, quia illi ab Aegyptijs fuerant circuncisi, aut ab aliquibus hæreticis ab Israëlitarũ societate segregatis? Cùm uerò satis etiam appareat quare sit à Deo dictũ, nullum hîc possunt homines erroris sui patrocinium reperire. Sequitur.

Contra se stantem euaginato gladio. Quæri potest utrùm angelo se prostrauerit, eúmq; dixerit Dominũ: an potius intelligens à quo missus fuerit, ipsum Dominũ dixerit, eíq; se prostrauerit. Erat autẽ, sicut legitur, Iesus in Hiericho, non utiq; in ipsa ciuitate, cuius muri nondũ ceciderãt, quod mox futurũ erat, ut in eã possent intrare, sed in agro ad eã pertinẽte: nã interpretatio, quæ est ex Hebræo, sic habet.

CAPVT SEXTVM.

Ex epistola. 119. Tomo II.

M *Vri ilico corruerunt.* Vnde & illius ciuitatis muri, quæ Hiericho appellatur, quod in Hebræo eloquio luna interpretari dicitur, septimo circuitu

A circuitu testamenti arcæ corruerunt. Quid enim nunc aliud agit annuntiatio regni cœlorum, quàm circuitio arcæ significauit, nisi ut omnia munimenta mortalis uitæ, id est, omnis spes huius seculi, quæ resistit spei futuri seculi in dono septenario spiritussancti per liberum arbitrium destruatur? Ob hoc enim circumeunte arca non impulsu uiolento illi muri ceciderunt, sed sponte. Sunt & alia testimonia scripturarum, quæ nobis ingerunt per commemorationem lunæ ecclesiæ significationem, quæ in ista mortalitate ab illa Hierusalem, cuius ciues angeli sunt, in erumnis & laboribus peregrinatur. &c.

Item. Vide Deut. caput septimo in hæc uerba: Non concupisces argentum uel aurum illorum: Omne aurum, argentum, & æramentum inferetur in thesauris Domini.

CAPVT SEPTIMVM.

Quæst. super Iosue Lib. 6. Cap. VIII. Tomo IIII.

F *Filij autem Israel præuaricati sunt.* In eo quod factum est ut Achan de tribu Iuda furaretur de anathemate ciuitatis Hiericho contra præceptum Domini: & propter eius peccatum tria milia, quæ missa fuerant in Hai, dederunt terga hostibus: & occisi sunt ex eis triginta sex uiri, & populo grauiter territo, Iesus cum senioribus se prostrauit ad Dominum, eíque responsum est, ideo factum esse, quòd peccauerit populus. Minatus est etiam Deus non secum eis futurum, nisi abstulerint anáthema de seipsis: & quòd ostensus est qui fecerat, nec solus occisus est, sed cum omnibus B suis: Quæri solet quomodo iustè pro alterius peccatis in alijs uindicetur, maximè quia in lege Dominus dixit: nec patres pro filiorum, nec filios pro parentum peccatis esse puniendos. An aliud iudicantibus hominibus est præceptum, ne quenquam pro altero puniant: & Dei iudicia non sint eiusmodi, qui alto & inuisibili consilio suo nouit quatenus extendat etiam temporalem hominum pœnam salubrémque terrorem. Non enim aliquid durum, quantùm attinet ad uniuersi mundi administrationem contingit mortalibus cùm moriuntur, quandoque morituri: & tamen apud eos qui talia metuunt, disciplina sancitur, ut non se solùm quisque curet in populo, sed inuicem sibi adhibeant diligentiam, & tamquam unius corporis & unius hominis alia pro alijs sint membra sollicita. Nec tamen credendum est etiam pœnis, quæ post mortem irrogantur, alium pro alio posse damnari: sed in his tantùm rebus hanc irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituræ, etiam si non eo modo finirentur. Simul etiam ostenditur quanta connexa sit in populi societate ipsa uniuersitas, ut non in seipsis singuli, sed etiam tanquam partes in toto existimentur. Per unius igitur peccatum mortémque paucorum admonitus est populus uniuersus, tanquam in corpore uniuerso quærere quod amissum est. Simul etiam significatum est quantùm mali fieret, si uniuersa illa congregatio peccasset, quando ne unus quidem ita potuit iudicari, ut ab eo possent cæteri esse securi. At uerò si Achan ab aliquo inuentus atque comprehensus, & illius criminis reus ad iudicium Iesu fuisset adductus, nequaquam putandum est hominem iudicem uel pro illo, uel cum illo quen-

quam

quam alium, qui societate facti eius minimè teneretur, fuisse puniturum. Neque C
enim ei mandatum legis licebat excedere, quod datum est hominibus, ne iudicio suo quod in hominem homini iussum siue permissum est, alterum pro alterius peccato arbitretur esse plectendum. Longè autem secretiore iustitia iudicat Deus qui potens est etiam post mortem (quod homo non potest) liberare uel perdere. Visibiles igitur afflictiones hominum siue mortes, quoniam his quibus ingeruntur, & obesse & prodesse possunt, nouit Dominus in occulto prouidentiæ suæ, quemadmodum iustè quibúsque dispenset, etiam cùm aliorum peccata in alijs uidetur ulcisci. Pœnas uerò inuisibiles, quæ nõ nisi nocent & prodesse nõ possunt, ita nullus Deo iudice pro alienis peccatis luit, sicut homine iudice luere nullus nisi pro sua culpa istas uisibiles debet. Hoc enim præcepit homini iudici Deus, in his quæ ad humanum iudicium pertinent iudicanda, quod in suo iudicio facit ipse, quò potestas non aspirat humana. Meritò quæritur cùm Dominus propter illũ, qui de anathemate furtum fecerat, præceperit eum, qui fuisset ostensus, igni cremari, cur eum ostensum Iesus lapidari potius à populo fecerit. An ita eum mori oportuit, quemadmodum Iesus, qui propius dominum sequebatur, uerba iubentis intelligere potuit? Sic enim alius quisquã non facilè potuit. Vnde magis quærendum est, cur lapidationem ignem appellauerit Dominus, quàm credẽdum Iesum aliud fecisse quàm iusserat Dominus. Nam neq; ad intelligendum uerba Domini quisquam potuit esse sapientior neque ad faciendum quisquam obedientior. Proinde ignis nomine pœnam potuisse significari, scriptura testis est in Deuteronomio, ubi dicitur ad filios Israël: Et eduxi uos de fornace ferrea ex Aegypto, ubi utique duram tribulationem intelligi uoluit. Duæ autem mihi causæ occurrunt, non ut ambæ sint, sed ut altera ex eis, cur non ille cum suis omnibus euidenti igne crematus sit. Si enim peccatum eius Dominus tale esse iudicauit, quod supplicio illo expiatum non puniret in æternum, propter ipsam expiationem & purgationem congruenter illa pœna ignis nomen accepit. Neque ad hunc intellectum quisquam tendere admoneretur, si eum propriè uisibilis ignis exureret, sed in eo quisque remaneret, quod apertè uidebat impletũ, nec aliquid ultrà quæreret. Nunc uerò cum propter Dei uerba, & factum Iesu à quo præuaricari illa uerba non possent, rectissimè dicitur etiam lapidationem ignem fuisse, eleganter agnoscitur illa pœna hominem, ne in posterum peccato illo interiret, fuisse purgatum. Quod significant etiam uasa in Leuitico, quę iubẽtur igne purgari. Si autem tale fuit illi peccatum, propter quod eum etiam post istam uitam gehenna susciperet, ideo Iesus eum uoluit lapidari, ut quod à Domino dictum est, igni cremabitur, illud admoneret intelligi, quod Dominus faceret, non quod ab ipsis esset faciendum. Si enim dixisset Dominus, igni eum cremabitis & omnia eius, huic sensui locus nullus esset. Cùm uerò ita positum est, ut magis uideatur Deus quod ei futurum esset prædixisse, quàm quod ei ab hominibus deberet fieri præcepisse, melius non potuit facere Iesus, qui diuina uerba sicut tantus propheta intellexit, qui etiam hoc ipsum propheticè fecit, quàm ut illum lapidibus, potius quàm flammis interimeret ne in illis ignibus uerba Domini uiderẽtur impleta, quæ ob aliud dicta uolebat intelligi. Nec mouere debet, quòd nõ ipsum tantùm sed etiã omnia

A quæ sunt eius, Deus cremanda igni prædixerit. Sic enim ait: Igni cremabitur, & omnia quæcunque sunt ei. Omnia enim quæcunque sunt ei, opera eius possunt intelligi, quæ cum illo dixit concremanda: non sicut dicit Apostolus de quibusdam operibus igne consumptis, ipse autem saluus erit. Si huius peccatum ita intelligendum est, ut etiam æterno igne puniatur, filios eius & filias cum pecoribus & omnibus quæ habebat, populus quidem cùm eum puniret simul lapidibus obruit: nõ tamen hoc iudicio humano, sed prophetico spiritu fecit Iesus: siue ita intelligens, omnia quæ sunt ei, ut nec filios censeret exceptos, lapidationis etiam pœnã pro igne ingerens: siue opera eius quæ post mortem Deus in illo fuerat crematurus, non solùm per cætera quæ illi erant, uerumetiam per filios eius significans. Nec ideo sanè credendum est eos pro peccato patris, à quo innocẽtes erant, etiam post mortem supplicio inferni ignis incẽsos. Mors quippe ista quæ oẽs manet, quãquã de primo peccato ueniat, tamen quia ita nati sumus ut necessariò moriendum sit, accelerata quibusdam est utilis, unde legitur de quodã: Raptus est ne malicia mutaret intellectũ eius. Sap.4. Quo ergo iudicio Dei, uel misericordia fuerit irrogata, siue filijs eius, siue illis triginta sex uiris, cùm omnes ab eius peccato alieni fuerint, latet apud eũ apud quẽ nõ est iniquitas. Verùm illud in prõptu est, quòd & populum terribiliter oportebat quærere quod admissum est, & tantò uehementius timuerunt cæteri factum eius imitari, quantò magis humana exhorret infirmitas, & in tam magnum tanq; iustũ populi odium dari, & eius quos ad spem propagandi generis se relicturum putabat, peccato suo secum consumptis suis posteris emori.

B

CAPVT OCTAVVM.

Quæst. super Iosue. lib. 6. Cap. X. Tomo IIII.

P*onite insidias*. Quòd Deus iubet loquens ad Iesum, ut constituat sibi retrorsus insidias, id est, insidiantes bellatores ad insultandum hostibus: hinc admonemur non iniustè fieri ab his, qui iustum bellum gerunt: ut nihil homo iustus præcipuè cogitare debeat in his rebus, nisi ut iustum bellum suscipiat, cui bellare fas est: non enim omnibus fas est: Cum autem iustum bellum susceperit, utrùm aperta pugna, utrùm insidijs uincat nihil ad iustitiam interest. Iusta autem bella definiri solent, quæ ulciscuntur iniurias, si qua gens, uel ciuitas quę bello petenda est, uel uindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, uel reddere quod per iniurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione iustum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & nouit quid cuiq; fieri debeat. In quo bello ductor exercitus uel ipse populus, non ipse tam author belli, quàm minister iudicandus. Sequitur:

Vos insidiabimini. Quærendum est, utrùm omnis uoluntas fallendi pro mendacio deputanda sit, & si ita est, utrùm posit iustum esse mendacium quo ille fallitur qui dignus est falli. Et si ne hoc quidem mendacium iustum reperitur, restat ut secundum aliquam significationem hoc, quod de insidijs factum est, ad ueritatem referatur.

Locut. de Iosue. Lib. 6. Tomo III.

Et insidiæ erant ciuitati à mari. Qui nescit, putat istam ciuitatem maritimam.

Consuetudinis est autem scripturarum ut occidentalem partem, à mari appellet, C
uel ad mare, quia ex ipsa parte terra ubi hęc agebātur propius habet mare quàm à cæteris partibus.

CAPVT NONVM.

Quæst. super Iosue. Lib, 6. Cap. XIII. Tomo IIII.

A T *qui habitabant in Gabaan.* Quæri potest quomodo iuratione̅ seruandā esse crediderint Hebræi Gabaonitis, quibus ita iurauerāt, tanquā de lōginqua terra ueniētibus, sicut illi mētiti fuerāt. Sciebāt enim se debellandos, si cognitū esset Hebręis in ea terra eos habitare, quā promissam fuerāt ab habitātibus recępturi. Mentiētibus ergo, quòd de lōginqua terra ad eos uenissent, iurauerunt eis Israēlitæ. Postea uerò quàm cognouerunt ibi eos habitare, ubi omnes quos inuenerāt, secundū Dei pręceptū debellare oportebat, nolebant tame̅ frangere iuratione̅. Et licet eos mentitos esse didicissent, parcere maluerunt iurationis causa, cùm possent utique dicere se tantùm illis iurasse, quos eos esse crediderant, id est, de longinquo uenientes. Cùm uerò aliud cognouerūt, præceptū circa eos Domini implendū erat, ut sicuti cæteri expugnarentur. Deus aute̅ hoc adprobauit, nec parcentibus succe̅suit, quamuis eum non interrogassent. qui nam illi essent, & ideo eos illi fallere ualuissent. Vnde non importunè utique credendi sunt, & si fallere homines pro sua salute uoluerunt, non tamen fallaciter Deum timuisse in populo eius. Propterea nec succensuit Dominus iurantibus aut parcentibus, ut postea Gabaonitas ipsos tanquam populi sui homines de domo Saul uindicauerit, sicut regnorū ostēdit historia. Et quoniam iuratio sic seruata est, quāuis in hominibus, qui mentiti sunt, ut ad dementiam sententia flecteretur, non displicuit Deo. Nam si econtrariò iurassent, aliquos se interfecturos, quos Gabaonitas in terra promissionis esse putauissent, & postea didicissent eos esse ab illa terra extraneos & de longinquo ad se uenisse, nullo modo arbitrandū est, quòd eos essent debellaturi causa iurationis implendæ, cùm propter ipsam parcendi cleme̅tiam sanctus Dauid etiā post uerba, quibus se Nabal interfecturū esse iurauerat, utique sciens quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re duriore implere iuramentum: magis Deo placere existimans, si quod ira perturbatus, ad noce̅dum iurauerat, non fecisset, quàm si perfecisset. D

CAPVT DECIMVM.

Quæst. super Iosue Lib. 6. Cap. XIIII. Tomo IIII.

N *Oli illos timere.* Vbi neq; cōsultus est Dominus, utrùm eundum ad eos esset: sed ultrò suis rectè subuenire uolētibus, futurā uictoriā prænuntiauit. Sic ergo posset quamuis non cōsultus, de ipsis Gabaonitis admonere qui essent, cùm se lōginquos esse metirētur, nisi ei placuisset illa iuratio, quæ subiectis parcere cogitet. Crediderāt enim Deo quę audierant suo populo promisisse quòd illas gētes subuerteret, eorumq; terrā obtineret, & hanc eorum fidem non eos perdendo remunerauit quodāmodo. Quæritur quēadmodum rex ciuitatis Hierusale̅ Adonizedech & cæteri quatuor cū quibus obsedit Gabaonitas secundum

A cundum septuaginta interpretes, primò reges Hiebuseorũ cùm ad eos obsidẽtes cõuenerũt, postea uerò reges Amorræorũ dicantur ab ipsis Gabaonitis quando nuntios miserunt ad Iesum, ut eos de obsidione liberaret. Sicut autem inspicere potuimus in ea interpretatione quæ ex Hebræo est, utrobique Amorræorũ dicuntur, cùm constet Hiebuseorũ fuisse regẽ ciuitatis Hierusalẽ, quia ipsa dicta est Hiebus tanquam illius gentis metropolis: & septẽ gentes sæpissimè scriptura commemorat, quas promisit Deus exterminaturũ se esse à facie populi sui, ex quibus una perhibetur Amorræorũ. Nisi fortè hoc nomen uniuersale fuerat omniũ, aut potius maioris partis, ut nõ una, sed plures in his septem hoc nomine tenerẽtur: quãuis esset etiã una de septem, quæ Amorræorum propriè uocaretur. Sicut est pars quædã, quæ propriè dicitur Libia, quamuis hoc nomen uniuersæ Africæ cõpetat: & pars quædam quæ propriæ dicitur Asia, quamuis Asiã uel dimidium terrarum orbem quidã, uel aiij tertiã partem orbis posuerint. Nam constat quòd et Chananæi tanquam una gens in illis septem commemorantur, & tamen uniuersa illa terra originaliter terra Chanaan uocatur. Sequitur.

Non diuisit in ea Iesus quicquam spirans. Propter hoc nullo modo putanda est ista crudelitas, quòd nullum uiuum in ciuitatibus sibi traditis dimittebat Iesus, quia Deus hoc iusserat. Qui autem existimant hîc Deum ipsum fuisse crudelem, & propter hoc ueteris testamenti uerum Deum fuisse authorem nolunt credere, tam peruersè de operibus Dei quàm de peccatis hominum iudicant, nescientes quo quisque dignus sit, & magnum putantes malum cùm casura deijciũtur,
B mortaléſque moriuntur.

CAPVT VNDECIMVM.

Quæst. super Iosue lib. 6. Cap. XVII. Tomo IIII.

T *non erat ciuitas.* Quæritur quomodo hoc uerũ sit, cùm nec tempori-
E bus postea Iudicũ, nec tẽporibus regũ omnes omninò illarũ septẽ gentium ciuitates capere potuerint Hebræi. Sed aut sic intelligendum est, quòd ad nullam ciuitatem bellando accessisset Iesus quam non cœperit: aut certè nulla non capta est, scilicet earum quæ in regionibus suprà commemoratis fuerunt. Enumeratæ sunt enim regiones in quibus fuerunt ciuitates, de quibus facta est ista conclusio. Et omnes cæpit in bello. Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obuiam irent ad bellum ad Israël, ut exterminarentur, ita ut nõ daretur eis misericordia, sed ut exterminarẽtur, sicut dixit Dominus ad Moysen. Ita dictum est hoc per Dominum factum cõfortari cor eorum, hoc est obdurari cor eorũ, sicut de Pharaone, quod diuino altoq; iudicio iustè fieri minimè dubitandũ est, cùm deserit Deus & possidet inimicus, quod sic accipiendum est quẽadmodũ & ibi. Sed hîc aliud mouet, quomodo dictũ sit ad hoc eis cõfortatũ cor, ut exurgerent in bellũ aduersus Israël, & ob hoc eis non præberẽt misericordiã: quasi præbenda esset si non bellarent, cùm Deus præceperit nulli eorum esse parcendum: & ob hoc Gabaonitis pepercerint, quia se de longinqua terra uenisse fingentes eorũ iurationem tenuerãt. Sed quoniã quibusdã ultrò præbuerũt Israëlitæ misericordiã, quãuis cõtra Dei mãdatũ: ad hoc dictũ esse intelligendũ est istos

ita debellasse ut non eis parceretur, nec ab eisipsis Israëlitæ neglecto Dei mandato ad misericordiam flecterentur. Quod quidem duce Iesu, qui omnia diligenter diuina præcepta seruabat, non est credendũ fieri potuisse; ueruntamen nec ipse istos tam citò deleuisset, nisi conspiratissimè contrairent: atque ita fieri posset, ut eis ab illo minimè debellatis, qui Dei præcepta implere curabat, remansissent ad illud tẽpus, quando eis possent parcere post mortem Iesu, qui non tanta cura Dei mãdata faciebant. Nam & adhuc eodem uiuente quibusdam illi pepercerunt, tantũmodo eos ditioni suæ subiugantes: quosdã uerò nec uincere potuerunt. Verùm hæc non illo duce facta sunt, sed cùm iam senex uacaret à bello tantummodo eis terras diuidẽs: ut ipsi iam illo non bellante, diuisas sibi terras partim iam hoste uacuas tenerent, partim pugnando caperent. Et quòd uincere aliquos minimè potuerunt, prouidentiæ diuinæ fuisse, opportunè scripturarum certis apparebit locis. C

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Quæst. super Iosue lib. 6. Cap. XX. Tomo IIII.

T *facti sunt illi tributarii.* Hæc iam contra præceptum fiebant, & adhuc
E uiuebat Iesus, sed dux eorum in illis prælijs iam præ senectute non erat. Propter hoc dictum est à Domino: Factum est ut confortaretur cor illorum qui simul conspirauerant ire in bellum contra Iesum: ne ista illis misericordia præberetur, etiam contra Dei præceptũ si remãsissent non expugnati: & senescente siue defuncto Iesu relinquerentur expugnandi à filijs Israël, qui eis contra præceptum Domini possent parcere, quod ille non faceret. D

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

Quæst. super Iosue lib. 6. Cap. XXI. Tomo IIII,

T *dedit Dominus Israel omnem terram quam iurauerat &c.* Meritò quæritur,
E cùm Israël non solùm usq; ad diem mortis Iesu, uerũetiam postea non eradicauerit gentes, quæ terram promissionis tenebant: quãuis ex parte debellatis in eadem promissa hæreditate consisterent, quomodo intelligendum sit quod dictum est: Et dedit Dominus Israël omnem terram &c. Diligenter ergo uniuersa consideranda sunt. Et primùm uidendum quot gentium terra promissa sit Israëlitis. Septem quidem gentes assiduè uidẽtur commemorari, sicut in Exodo legitur: Vade & ascende hinc tu & populus &c. Scriptum est etiam in Deuter. multò expressius: Si autem accesseris ad ciuitatem expugnare eã &c. Et hîc istarum septem gentium terram promissam in hæreditatem, quam debellatis usq; ad internicionem eisdem gẽtibus Israëlitæ possederunt, manifestũ est. Cæteras enim quæ longinquius extra istas gentes inuenirentur, uoluit fieri tributarias eorum si non resisterent, si autem resisterent, etiam ipsas interfici & in perditionẽ dari, exceptis pecoribus & quæ in prædã possent uenire. Itẽ alio loco in Deuter. ita legitur: Et erit cùm induxerit te Dominus &c. Proinde his atq; alijs scripturarũ locis sæpe ostenditur harũ septem gentiũ terras ita accepisse in hæreditatẽ filios Israël, ut nõ cũ eis, qui easdẽ terras tenebant, sed pro eis illic habitarent. Verũtamen in Genesi non istæ tantùm gentes sed undecim promittuntur semini Abrahæ. Sic enim legitur:

Exod. 33. Deut. 20. Deut. 7.

A tur in die illa disposuit Dominus &c. Quæ ita soluitur quæstio, ut intelligamus hāc præcessisse prophetiā, quòd in eos fines regnū fuerat porrecturus & dilataturus Salomō, de quo ita scriptū est: Et omne propositū Salomonis &c. Ecce ubi impletum est quod in Genesi Deus ad Abraham loquens promittensq; prædixerat. A flumine quippe hîc intelligitur ab Euphrate: magnum enim flumen in illis locis, etiam proprio nomine nō addito potest intelligi. Non enim de Iordane hoc accipi potest, cùm & citra Iordanem & ultra Iordanem iam terras Israelitæ obtinuerant, & ante regnum Salomonis. Ergo à flumine Euphrate ex partibus orientis usque ad fines Aegypti, quæ pars illis erat ab occidēte, regnum Salomonis scriptura regnorum dixit fuisse porrectum. Tūc ergo amplius subiugatū est, quàm septem illæ gentes tenebant, ac per hoc tunc in seruitutem redactæ sunt, nō septē sed undecim gentes. Quod enim in regnorum libro scriptum est, usque ad fines Aegypti à flumine: cùm scriptura ab oriente usque ad occidentē quantùm porrectū esset regnū uellet ostendere, hoc idem in Genesi, cùm ab occidente usque ad orientē præfiniret, dictum est à flumine Aegypti usque ad flumē magnū Euphratem. Flumen quippe Aegypti, qui finis est disterminans regnū Israël ab Aegypto, non est Nilus, sed alius et non magnus fluuius qui fluit per Rhinocolurā ciuitatē. Vnde iam ad orientem uersus incipit terra promissionis. Sic ergo fuerat cōstitutū filijs Israël ut septem gentiū terras exterminatis & perditis illis gentibus ipsi inhabitarēt: alijs autē regnarēt subditis atq; tributarijs usq; ad flumen Euphratē. Et quāuis in hoc Deo nō obtēperassent, quia & ex illis quas exterminare deberēt
B obedientes aliquos fecerāt: Deus tamen tēporibus Salomonis fidē suæ promissionis impleuit. Nunc itaq; in libro Iesu Naue quod cōsiderandū suscepimus quomodo erit uerū: Et dedit Deus Israël omnem terrā, quā iurauerat dare patribus eorum, & hæreditauerunt eā? Quomodo adhuc uiuente Iesu omnem terrā dedit, cùm etiā reliquias illarū septem gentiū nondum superauissent? Nam quod sequitur: Et hæreditauerunt eam: uerum est, quia ibi erant ibiq; consederant. Deinde quod adiūgit: Et requiem dedit illis Dominus in circuitu, sicut iurauerat patribus eorum: uerū est, quia uiuo adhuc Iesu non eis quidē cedebant reliquiæ illarū gentiū, sed nulla earū eos in terris ubi cōsederant bello lacessere audebat. Ideo dictū est & quod deinde adiungitur: Non restitit quisquā ante faciē illorū ab omnibus inimicis eorū. Quod uero sequitur: Sed omnes inimicos eorū tradidit Dominus illis in manus eorū: hos intelligi uoluit inimicos qui obuiā ire in bellum ausi sunt. Deinde quod dicit: Nō decidit ex omnibus uerbis bonis, quę locutus est Dominus filijs Israël: omnia aduenerūt: ita uult intelligi, quia cùm iā illi cōtra præceptū Domini fecissent quibusdā parcendo ex illis septem gentibus, & eos obediētes faciendo, adhuc tamē inter eos salui erāt. Ideo cùm dixisset, ex omnibus uerbis, addidit bonis, quia nondū euenerant maledicta contemptoribus & trāsgressoribus cōstituta. Restat ergo ut quod ait, dedit Dominus Israël omnē terrā quā iurauerat dare patribus eorū, secundum hoc intelligatur, quia etsi adhuc erant ex illis gētibus reliquiæ cōterendæ & exterminādæ, uel ex alijs usq; ad flumē Euphratē, aut subiugādæ si non resisterēt, aut perdendæ si resisterēt: tamen in usum eorum relictæ sunt, in quibus exercerētur, ne carnalibus affectibus et cupiditatibus infirmi, re-

pentinã tanquam rerum temporaliũ prosperitatẽ molestè ac salubriter sustinere C
non possent, sed elati citius interirent, quod oportunè alio loco demonstrabitur.
Omnis ergo illis terra data est, quia & illa pars quæ nondum fuerat in possessionem data, iam data fuerat in quandam exercitationis utilitatem. Sequitur.

Non restitit quisquam à facie illorũ. Quæri potest quomodo uerum sit, cùm de tribu Dan superiùs scriptũ sit, quòd eos hostes eorum nõ permiserunt descendere in uallẽ, sed præualuerũt eis in mõtibus. Sed quòd diximus, cùm duodecim filios Iacob scriptura in Mesopotamia natos cõmemorasset, ubi non fuerat natus Beniamin: hoc etiã hîc intelligẽdum est, quia pro uniuerso populo duodecim tribus deputatæ sunt, ea regula quæ alijs scripturarum locis satis innotuit. Causa autem si quæritur, cur hæc tribus in ea sorte quæ illi obuenit, & non obtinuerit sufficientes terras, & ab eis à quibus tenebantur afflicta sit, in Dei quidem secreto consilio esse credendum est. Veruntamen cùm Iacob filios suos benediceret, talia dixit de isto Dan, ut de ipsa tribu existimetur exurrecturus Antichristus. Vnde nunc dicere plura non suscẽpimus, cùm etiam sic solui posit hæc quæstio, quia non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum, cùm simul sub unius ducis imperio bellum gererẽt, antequam singulis tribubus sua defendenda diuiderentur loca.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

Quæst. super Iosue lib. 6. Cap. XXIII. Tomo IIII.

T *in sacrificiis salutarium.* Vbi aduertendum est diligentius quemadmo- D
E dum dici soleat sacrificium salutaris: quoniã si Christum accæperîmus, quoniam ipse dictus est salutare Dei, non occurrit quemadmodum pluraliter posit hoc uerbũ intelligi. Vnus enim dominus noster Iesus est Christus,
Psal. 104. quamuis dicantur Christi per eius gratiam, sicut in psalmo legitur: Nolite tange- Christos meos: Sed utrùm salutares dici posint, uel salutaria, non facilè audendũ est: Solus enim ipse saluator corporis.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

Quæst. super Iosue lib. 6. Cap. XXIIII. Tomo IIII.

Go autem recurro uiam sicut & omnes. In ea interpretatione quæ est ex He-
E bræo inuenimus ingredior uiã. Ita ergo accipiendũ est quod Septuaginta dixerũt: Recurro, sicut dictum est homini: Donec reuertaris in terrã unde sumptus est, ut secundum corpus dictum intelligatur. Secũdum animã uerò si uoluerîmus ita accipere, quẽadmodũ in Ecclesiaste positũ est: Et spiritus reuertetur ad Deũ qui dedit eũ, nõ arbitror de omnibus posse dici, sed de his qui sic uixerũt, ut ad Deũ redire mereantur, tanquã ad authorẽ à quo creati sunt. Neq;
Eccle. 12. enim hoc & de illis rectè intelligi potest, de quibus dicitur: Spiritus ambulans & nõ reuertẽs. Iste autẽ uir sanctus Iesus naue si non addidisset, sicut & omnes qui sunt super terrã, nulla esset quæstio. Neque enim aliud de illo crederemus quàm quo eũ dignũ esse legimus. Cùm uerò additũ est, sicut & omnes qui sunt super terrã, mirũ si hoc quod Latinus interpres, recurro posuit, nõ magis percurro uel excurro

A excurro dicẽdũ eſt,ſi hoc poteſt dici,quod Græcus habet ἀποτρέχω. Omnes enim percurrũt,uel excurrunt huius uitæ uiã,cùm ad eius finẽ peruenerint. Sed quia hoc uerbũ poſitũ eſt,ubi parentes Rebeccæ dicunt ad ſeruũ Abrahæ:Ecce Rebecca,accipiens recurre,& ſit uxor domini tui,ideo & hîc ita hoc uerbũ interpretatũ eſt.Sequitur.Quod ſeptuaginta interpretes habẽt:Et aſſumpſi patrem ueſtrũ Abraham de transflumine,& deduxi eum in omnem terram,interpretatio quæ eſt in Hebræo habet:& induxi eum in terram Chanaan.Mirum eſt ergo ſi ſeptuaginta pro terra Chanaan omnem terram ponere uoluerunt,niſi intuẽtes prophetiam,ut magis ex promiſsione Dei tanquam factum accipiatur, quod certiſsimè futurum in Chriſto & in eccleſia prænuntiabatur,quod eſt uerũ ſemen Abrahæ, non in filijs carnis,ſed in filijs promiſsionis.Sequitur. Gen.24.

Et bellauerunt aduerſus uos qui habitabant Hiericho. Quæri poteſt quomodo id uerũ ſit,cùm clauſis portis ſe murorũ ambitu tantummodo tuerentur.Sed rectè dictum eſt,quia claudere aduerſus hoſtem portas,ad bellum pertinet. Nõ enim miſerunt legatos qui poſcerent pacem. Vnde ſi dictum eſſet,pugnauerũt aduerſum uos,falſum eſſet:neq; enim bellum cõtinuas pugnas habet,ſed aliquãdo crebras, aliquando raras,aliquando nullas.Bellum eſt tamen quando portæ hoſtibus clauduntur & quodammodo armata defenſio.Quid eſt quòd inter cætera quæ Ieſus Naue Iſraëlitis Dominum feciſſe cõmemorat,dicit: Miſit ante uos ueſpas, & eiecit illas,quod etiam in libro Sapientiæ legitur,nec tamen uſpiam factum eſſe in his quæ geſta ſunt inuenitur. An fortè trãslato uerbo,ueſpas intelligi uoluit acerrimos timoris aculeos,quibus quodãmodo uolantibus rumoribus pungebantur Sap.12.

B ut fugerent:aut aërios occultos ſpiritus,quod in pſalmo dicitur:per angelos malignos.Niſi fortè quis dicat,nõ omnia quæ facta ſunt,eſſe cõſcripta:et hoc quoq; uiſibiliter factum,ut ueras ueſpas uelit intelligi.Sequitur. Pſal.77.

Non poteritis ſeruire Deo. An quia illius ſanctitati perfectã ſeruitutem quodãmodo contẽperari,humanæ fragilitati impoſsibile eſt?Quo audito,iſti non ſolùm eius eligere ſeruitutẽ,ſed etiã de adiutorio eius & miſericordia præſumere debuerunt.Quam ille intellexit qui dicit in pſalmo:Ne intres in iudiciũ cum ſeruo tuo, quoniã nõ iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis uiuens.Iſti autẽ in ſe potius præſumere delegerunt,quòd Deo poſſent ſine ulla offenſione ſeruire,ut iã tunc inciperẽt quod de illis expreſsit Apoſtolus:Ignorantes enim Dei iuſtitiam & ſuã uolentes conſtituere,iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti:ita eis iam lex ſubintrabat ut abũdaret delictũ,& poſtea ſuperabundaret gratia, per dominum Chriſtum,qui finis eſt legis ad iuſtitiam omni credenti.Sequitur. Pſal.142. Rom.10.

Et nunc circũ auferte Deos alienos. Nõ enim credendi ſunt adhuc habuiſſe apud ſe aliqua gentium ſimulachra,cùm ſuperiùs eorũ obedientiã prædicauerit. Aut uerò ſi haberent,poſt tantas legis cõminationes illa eos proſpera ſequerentur,cùm ſic in eos uindicatum ſit,quod unus eorũ de anathemate furtũ fecerat. Denique Iacob dixit hoc eis qui cum illo exierãt de Meſopotamia,ubi ſic idôla colebãtur. ut et Rachel paterna furaretur:ſed poſt illam admonitionẽ Iacob,dederunt quæ habebãt. Vnde apparuit hoc eis ita dictũ eſſe,quia ſciebat eos habere ille qui dixerat.Nunc uerò poſt hanc admonitionẽ Ieſu Naue nullus tale aliquid protulit.Nec

tamen putandum est hoc illum inaniter præcepisse. Non enim ait, & nunc aufer- C
te Deos alienos si qui sunt in uobis, sed omninò tanquam sciens esset, qui sunt, inquit, in uobis. Proinde propheta sanctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo alienas à Deo, & ipsas ammonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum qualis non est Deus, alienum Deum utique & falsum in cogitatione portat. Quis est autem qui sic cogitet Deum quemadmodum ille est? Ac per hoc relinquitur fidelibus, quandiu peregrinantur à Domino, auferre à corde suo irruētia uana phantasmata, quæ se cogitationibus ingerunt, uelut talis aut talis sit Deus qualis utique non est: & dirigere cor ad illum fideliter, ut quemadmodum & quātùm nobis expedire nouit, ipse insinuet per spiritum suum, donec absumatur om-
Psal. 115. ne mendacium, unde dictum est: Omnis homo mendax. Et transacta non solùm impia falsitate, uerumetiam ipso speculo & ænigmate, facie ad faciem cognoscamus,
1. Cor. 13. mus, sicut & cogniti sumus: quemadmodum Apostolus dicit: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc scio ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Sequitur:

Ecce lapis iste erit uobis. Hæc uerba qui non in superficie tantùm audiunt, sed aliquantò altius perscrutantur, nequaquam tantum uirum tam insipientem putare debent, ut uerba Dei quæ locutus est populo, inanimum lapidem audisse crediderit: qui etiam si ab artifice in hominis similitudinem effigiatus esset, inter illos
Psal. 113. utique deputaretur, de quibus in psalmo canitur: Aures habent & non audient. Neque enim idôla gentium aurum & argentum sola non audiunt, & si lapidea sint, audiunt: sed per hunc lapidem profectò illum significauit, qui fuit lapis offensionis non credentibus Iudæis & petra scandali: qui cùm reprobaretur ab ædificantibus, factus est in caput anguli, quem præfigurauit & illa petra, quæ potum D
1. Cor. 10. sitienti populo, ligno percussa perfudit. De qua dicit Apostolus: Bibebant autem de spiritali sequenti eos petra: petra autem erat Christus. Vnde & cultellis petrinis populum circuncîdit iste ductor egregius: qui cultri petrini cum illo etiam sepulti sunt, ut profundum mysterium demonstrarent posteris profuturum. Sic ergo & istum lapidem quanquam uisibiliter statutum, spiritaliter debemus accipere in testimonium futurum Iudæis infidelibus, hoc est, mentientibus: de quibus dicit psalmus: Inimici Domini mentiti sunt ei. Neque enim frustra, cùm iam Dei famulus Moyses, uel potius per eum Deus disposuisset ad populum testamentum, quod in arca erat, quæ dicta est arca testamenti, & in libris legis tanta sacramentorum & præceptorum multiplicitate conscriptis: tamen etiam hîc dictum est: Disposuit Iesus ad populum testamentum in illa die. Repetitio quippe testamenti, nouum testamentum significat, quod significat & Deuteronomium, quod interpretatur secunda lex, quod significant & prioribus confractis tabulæ renouatæ. Multis enim modis significandum, quod uno modo implendum fuit. Iam uerò quòd sub terebintho statutus est lapis, hoc significat, quod uirga ad petram ut aqua proflueret: quia neque hîc sine ligno statutus est lapis. Ideo autem subter, quia non fuisset in cruce exaltatus, nisi humilitate subiectus: uel quòd illo tempore, quo illud agebat Iesus Naue, adhuc obumbrandum mysterium fuit. Terebinthi etenim lignum medicinalem lachrymam exudat, quæ arbor à septuaginta interpretibus, hoc lo-

co

A co posita est, quamuis secundum alios interpretes quercus legatur. Mirum est sanè quòd saltem in nouissimis suis uerbis quibus populum allocutus est Iesus homo Dei, nihil eos obiurgat, ex eo quòd his gentibus pepercerunt, quas Dominus usque ad internicionem cum anathemate perdendas esse præcepit. Sic enim scriptum est: Et factum est postquam inualuerunt filij Israël & fecerunt Chananæos obedientes, exterminio autem eos non exterminauerunt. Nam primò id eos non potuisse scriptura testata est, sed nunc posteaquam præualuerunt, ita ut facerent obaudientes, quod non etiã exterminauerunt, utiq; contra pręceptum Domini factum est, quod non est cuiquam factum, cùm Iesus exercitum duceret. Cur ergo non eos obiurgauit allocutione nouissima, quòd in hoc Domini præcepta neglexerint? An fortè quia prius dixit eos scriptura non potuisse, utique antequam præualuerant, etiam cùm præualuissent timuisse credendi sunt: ne fortè paratis obedire si parcere uoluissent, acrius eos aduersum se ex ipsa desperatione pugnare compellerent, & eos superare non possent? Hunc ergo eis humanum timorem Dominus noluit imputare, etsi apparet in eo quædam subdefectio fidei, quæ si fortis in eis esset, ea sequerentur quæ ipsum Iesum debellantem secuta sunt. Quia uerò non in eis tanta fides fuit, etiam cùm aduersarijs suis præualuissent, pugnare cum eis usq; ad internicionem eorum, timore nõ ausi sunt. Quem timorem, ut dixi, non de malitia, neque de superbia, uel contemptu præcepti Dominici, sed de animi infirmitate uenientem, noluit eis Dominus imputare, cùm eis per Iesum nouissima loqueretur. Vnde & Apostolus: Alexander, inquit, ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus

Iosue.17.

2.Tim.4.

B secundum opera ipsius. De his autem qui eum periclitantem non malitia sed timore deseruerunt, ita locutus est: In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me derelique runt, non illis imputetur.

D. AVRELII AVGVSTINI HIP- C
PONENSIS EPISCOPI, IN LIB. IVDI-
CVM COMMENTARIA.
CAPVT PRIMVM.

Quæst. super Iudic. lib. 7. Cap. II. Tomo IIII.

Q Vis ascendet nobiscum ad Chananæum. Hîc quæritur, utrùm aliquis homo Iudas uocabatur, an ipsam tribum, ita ut solet, sic appellauit. Sed illi qui interrogauerant Dominum post mortem Iesu Naue ducem requirebant, unde putatur unius expressum hominis nomen. Verùm quia non solet duces nominare scriptura cùm constituuntur, nisi cõmemorata etiam origine parentum, & constat post Iesum duces habuisse populũ Israël, quorum primus est Othoniel filius Cenez, rectius intelligitur nomine Iudæ, tribum Iudæ fuisse significatam. Ab ipsa enim tribu uoluit Dominus incipere conteri Chananæos. Et cùm populus de duce interrogasset, ad hoc ualuit responsio Domini, ut scirent Deum uoluisse ab uniuerso populo bellari aduersus Chananæos. Dixit ergo Iudas ascendet. Et sequitur scriptura narrãs: Et dixit Iudas ad Simeon fratẽ suũ: utiq; tribus ad tribũ. Non enim adhuc uiuebant illi filij Iacob qui dicti sunt Iudas & Simeon, inter cæteros fratres suos proprijs nominibus appellati, sed dicit tribus Iuda ad tribũ Simeon: Ascẽde mecũ in sorte mea & bellemus in Chananæos, & ibo etiam ego tecũ in sortem tuam. Manifestũ est auxilium sibi tribum Iuda alterius tribus postulasse, quod redderet, cùm & illi in sua sorte habere inciperẽt necessarium. D

CAPVT SECVNDVM.

Quæst. super Iudic. lib. 7. Cap. XII. Tomo IIII.

E T ascendit angelus Domini. Scriptor libri hoc nomine appellauit locum, quia postea scripsit. Nam quando angelus Domini ascendit super eum, nondũ sic appellabatur. A ploratione quippe nomẽ accæpit, quod Græcè κλαυθμὼν ploratio dicitur. Ibi enim populus fleuit, cùm audisset ab hoc angelo uerba Domini uindicantis in eos, quòd inobedientes fuissent, quia non exterminauerunt populos secundum præceptũ eius quibus præualuerunt, eligentes eos facere tributarios, quàm interimere & perdere quemadmodum iusserat Dominus. Quod siue contempto Dei mãdato, siue timore fecerint, ne hostes aduersum se acrius pugnare pro salute obtinenda quàm pro tributo non dando cogerent: sine dubio peccauerunt, uel spernendo quòd diuinitus imperatũ est, uel non præsumendo quòd eos posset qui imperauerat adiuuare. Quod ideo per Iesum noluit eis dicere: si tamen adhuc eo uiuente iam fieri præceperat, & non potius præoccupando cõmemoratum fuerat, quod illo mortuo fieri cœpit: quia hoc omnibus noluit exprobrare per angelum. Nondum autem omnes id fecerant uiuente Iesu, & si aliqui fortè iam cœperant. Credibilius est tamen nihil tale fieri cœptum uiuente Iesu Naue, tantúmque terrarum sub illo tenuisse filios Israël, quantùm eis

A eis ad confidendum sufficeret, quamuis in sortibus suis haberent unde crescendo & conualescendo adhuc aduersarios exterminarēt. Proinde post mortem Iesu postquam præualuerunt ut hoc possent facere, maluerunt eos habere tributarios secundum uoluntatem suam, quàm interimere & perdere secundum uoluntatem Dei. Propter hoc ad eos corripiendos angelus missus est.

Quæst. super Iudic. Lib. 7. Cap. XVI. Tomo IIII.

Et seruierunt Baal. Solet dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium Iouis. Astarte autē Iunonis, quod lingua punica putatur ostendere. Nam Baal punici uidentur dicere, Dominū, unde Baalsamen, quasi dominū cœli intelliguntur dicere: Samen quippe apud eos cœli appellantur: Iuno autem sine dubitatione abillis Astarte uocatur. Et quoniam istæ linguę nō multùm inter se differūt, meritò creditur de filijs Israël hoc dicere scriptura, quòd Baal seruierūt & Astartibus, quia Ioui & Iunonibus. Nec mouere debet, quòd non dixit Astarti, id est, Iunoni, sed tanquā multæ sint Iunones, pluraliter hoc nomen posuit. Ad simulachrorū enim multitudinē referri uoluit intellectū, quoniā unūquodq; Iunonis simulachrum, Iuno uocabatur. Ac per hoc tot Iunones, quot sunt simulachra intelligi uoluit. Varietatis autē causa existimo Iouē singulariter, Iunonē pluraliter cōmemorare uoluisse. Nam eadem causa plurium simulachrorū etiam Ioues pluraliter dici possent. Hoc autē, id est, nomine plurali Iunones in Græcis secūdum septuaginta reperimus, in Latinis autē singulariter erat. Quorum in illo qui non habebat septuaginta interpretationem, sed ex Hebræo erat, Astaroth legimus, nec Baal sed
B Baalim. Quod si fortè aliud in Hebręo uel Syra lingua nomina ista significāt, deos tamen alios fuisse constat & falsos, quibus Israël seruire non debuit. Sequitur.

Et uendidit eos in manu inimicorū suorū. Quæri solet quare dixerit uēdidit, tanquā aliquod pretium intelligatur datū. Sed & in psalmo legitur: Vendidisti populum tuum sine pretio. Et apud Prophetam: Gratis uenditi estis, & nō cum argento redimemini. Quare ergo uenditi, si gratis & sine pretio, & nō potius donati? An forte scripturarū locutio est, ut uenditus etiam qui donatur dici possit? Hîc autē sensus est optimus in eo quod dictum est: Gratis uenditi estis, & uendidisti populum tuum sine pretio: quia illi quibus tradidisti populū impij fuerunt, non Deum colendo tradi sibi illum populum meruerunt, ut ipse cultus tanquā pretium uideretur. Quòd uerò dictū, neq; cum argento redimemini, non ait, neq; cū pretio, sed neq; cum argento, ut pretium redēptionis intelligamus, quale dicit Apostolus Petrus: Non enim argento & auro redempti estis, sed pretio sanguinis agni immaculati. In argento enim propheta omnem pecuniam significauit, ubi ait: Non cū argento redimemini, quoniam pretio quidem sanguinis Christi, non tamen pretio pecuniario fuerant redimēdi. In eo quod Dominus dicit: Et ego non apponā auferre uirum à facie ipsorū de gentibus quas reliquit filius Naue, & dimisit ad tentandum in eis Israël, si obseruarent uiam Domini abire in eam, quemadmodū custodierunt patres eorū, an non: & dimisit Dominus gentes has, ut non auferret illas tunc: & nō tradidit illas in manus Iesu. Satis ostēditur causa quare nō Iesus omnes illas gentes bellando deleuerit, quia hoc si fieret, non esset in quibus isti probarentur. Poterat autē esse ad utilitatem ipsorū, si tentati in eis non reprobi inuenirentur,

Psal. 43.
Esa. 52.

nirentur, eisq; talibus inuentis, quales eos esse debere praeceperat Dominus, iam C
gentes illae auferentur à facie eorum, si ita uiuerent, nec bellis eos exerceri oporteret. Verba enim Domini hucusque accipienda sunt. Propter quod tanta dereliquit gens haec testamentum meum &c. Eos uolẽs intelligi patres custodisse uiam Domini qui fuerunt cum Iesu, id est, eo tempore quo ille uiuebat. Generationem quippe alteram superiùs retulit surrexisse post illos qui uixerunt cum Iesu, & ab ipsis cœpisse transgressiones, quae offenderunt Dominum, pro quibus tentandis, id est, probandis relictae fuerant gentes, nec exterminatae per Iesum.

CAPVT TERTIVM.

Quaest. super Iudic. lib. 7. Cap. XVII. Tomo IIII.

E Thae gentes quas reliquit Dominus &c. Erat ergo ista causa in eorum tentatione, ut bellare discerent, id est, ut tanta pietate & obedientia legis Dei bellarent, quanta patres eorum qui domino Deo etiam bellando placuerint, non quia optabile aliquid est bellum, sed quàm pietas laudabilis est in bello. Quod autem sequitur: Verùm quia ante illos nescierũt illas, quid nisi gentes uult intelligi, quas nescierunt bellando qui fuerũt ante istos: quorum tentationi, id est, probationi relictae sunt? Deinde commemorans quae sint: quinque, inquit, satrapias alienigenarum, quas in libris Regnorum manifestius exprimit. Satrapiae autem dicuntur, quasi parua regna, quibus satrapae praeerant, quod nomen in illis partibus cuiusdam honoris est, siue fuit. Et omnem inquit Chananaeum &c. tanquam diceret: Hoc autem factum est ut tentaretur in ipsis Israel scire si audient D
mandata Domini: nõ ut sciret Deus omniũ cognitor etiã futurorũ, sed ut scirent ipsi, & sua cõscientia, uel gloriarẽtur uel cõuincerentur, utrùm audirẽt mandata Domini, quae mãdauit patribus eorũ in manu Moysi. Quoniam ergo manifestati sibi sunt nõ se obedisse Deo, in his gentibus, quae ad eorũ tentationẽ, id est, exercitationem atq; probationẽ fuerant derelictae, propterea dixit Deus uel illa in quibus missus est angelus, & expressè locutus est, uel paulò antè, ubi ait: Propter quod tanta dereliquit gens haec testamentũ &c. Dictũ est autem in Exodo ex persona Dei loquentis de istis gentibus aduersarijs: Non eijciam illos in anno uno, ne fiat terra deserta, & multiplicentur in te bestiae ferae Paulatim eijciam illos, donec multiplicemini & crescatis & haereditetis terrã. Poterat hanc promisionẽ suam seruare Dominus erga obediẽtes, ut exterminatio gentiũ illarũ, crescẽtibus Israelitis partibus fieret, cùm eorũ multitudo terras unde aduersarij exterminarẽtur desertas esse nõ sineret. Quod autẽ ait: Ne multiplicẽtur in te bestiae ferae, mirũ si nõ bestiales quodãmodo cupiditates, & libidines intelligi uoluit, quę solẽt de repẽtino successu terrenae fœlicitatis existere. Neq. enim Deus homines exterminare poterat & bestias nõ poterat, uel perdere, uel pasci potius nõ permittere. sequitur.

Satrapiae quid sint

Exod. 23.

Excitauit saluatorem. Aduertendum est autem quòd saluatorem dicat etiam hominem, per quẽ Deus saluos faciat. Sequitur: Quadraginta annos quieuisse terrã promissionis è bellis sub Othoniele iudice scriptura testatur, quantùm temporis primordia Romani imperij sub Numa Pompilio tantũmodo rege pacata habere potuerũt. Quęri potest, utrùm mentitus fuerit Aioth iudex quãdo occidit Eglon regem

A regem Moab. Cùm enim solus soli insidiaretur, ut eum percuteret, hoc illi ait: Verbum occultum mihi est ad te rex, ut ille à se omnes qui cum illo fuerant remoueret: Quod cùm factum esset, iterum dixit Aioth: Verbum Dei mihi ad te rex. Sed potest non esse mendacium, quandoquidem uerbi nomine solet etiam factum appellare scriptura. Et reuerà ita erat. Quòd autem dixit, uerbum Dei, intelligendum est hoc illi Deum ut faceret præcepisse, qui eum populo suo excitauerat saluatorem; sicut illis temporibus talia fieri diuinitus oportebat. Meritò quæritur quomodo fuerit exilis ualde rex Eglon, & concluserint adipes uulnus quando percussus est. Sed intelligẽdum est ea locutione dictum, quæ solet à contrario intelligi, sicut dicitur lucus, quod minimè luceat: & abũdare respondetur, quod nõ est: & benedixit regi pro maledixit. Quomodo pueri regis Eglon claui aperuerint, quod Aioth claui non clauserat, potest mouere. Aut si ille claui clauserat, quomodo secum eam non auferret, ut isti nec claui aperire possent. Proinde aut alia clauis allata est, aut tale clausuræ genus fuit, quod sine claui posit claudi, nec sine claui aperiri. Nam sunt quædam talia, sicut ea quæ uerudata dicuntur. Sequitur.

Surrexit Sannegar. Est quæstio, quomodo saluauerit Israël. Nõ enim rursus fuerant captiuati, uel iugo seruitutis innexi. Sed intelligendum ita dictum, saluauit: non quia nocuerit aliquid hostis, sed ne permitteretur nocere, quem credendum est bello cœpisse tẽtare, et huius uictoria fuisse depulsum. Sed quid sibi uelit quod addidit, præter uitulos boum, obscurum est. An fortè etiã boum stragem pugnan-
B do fecit, & ita dictum est eum occidisse sexcẽtos uiros, præter illud quod fecit de bobus occisis. Sed quare uitulos? An Græcę locutionis consuetudo est etiã uitulos eos appellare qui grãdes sunt? Nam ita loqui uulgò in Aegypto perhibetur. Sicut apud nos pulli appellãtur Gallinæ cuiuslibet ætatis. Non autẽ habet interpretatio ex Hebręo, præter uitulos boum, sicut ista quæ secundũ septuaginta est, sicut habet illa ex Hebręo, uomere occisos sexcentos uiros, quod ista non habet.

Locut. de Iudic. lib. 7. Tomo III.

Factus est super eũ spiritus Domini. Cùm spiritus Domini utiq; factus nõ sit: sed super eũ factus est, ita hîc dictũ est, ac si diceretur, factum est ut esset super eum. Ex qua locutione & in euangelio legitur: Ante me factus est. Id est factum est, ut esset ante me. Quod alio modo diceretur: Prælatus est mihi. *Ioan. 1.*

CAPVT QVARTVM.

Quæst. super Iudic. lib. 7. Cap. XXVII. Tomo IIII.

P *Auefecit Dominus Sisaram.* Ecce quemadmodum cõmendat scriptura agere Deum in cordibus, ut det exitum rebus quem constituit. Vtique enim pauefecit uel obstupefecit Sisaram ut traderet eum. Sequitur.

Quia intrauit in eam. Animaduertendum est non esse consequens, ut cùm scriptura dicat de uiro quòd intrauit ad aliquam fœminam, iam etiam concubuisse credatur. Assiduè quippe sic loquitur scriptura, intrauit ad eam, ut nolit intelligi, nisi quòd ei mixtus sit. Hîc ergo propriè dictum est, intrauit ad eam, id est, domũ eius intrauit, non ut per hæc uerba intelligatur concubitus.

CAPVT

CAPVT QVINTVM. C

Quæst.super Iudic lib.7. Cap.XXIX. Tomo IIII.

Legerunt ut panem hordeaceum. Quæri potest,quomodo dictum sit: Ele-
E gerunt ut panem hordeaceū deos nouos,cùm panis hordeaceus quam uis sit in comparatione triticij panis abijciēdus, tamen etiam ipse pascat & uitale alimentum sit. Dij autem noui,quos dicuntur elegisse qui defecerunt à Deo uiuo,non possint in alimentis animæ deputari,sed potius in uenenis. An hactenus accipienda est similitudo,quatenus ualet,ut propter hoc solùm dictum intelligatur:quia sicut plerunque fastidio fit, ut eligenda reijciantur, & aspernenda delectent:ita uitio prauæ uoluntatis tāquam languore fastidij cùm esset Deus eorum uerus,sibi falsos elegerunt,nihil aliud quàm nouitatem,& spreta ueritate, atque ita cibum mortiferum tanquam panem hordeaceum elegerunt, non se arbitrantes inde perituros, sed etiam inde uitā uelut esca innoxia licet uiliore sumpturos. Secundum opinionem ergo eorum similitudo posita est animique languorē,non secūdum ueritatē. Nā dij illi noui nullis sunt cibis uitalibus cōparādi.

CAPVT SEXTVM.

Quæst.super Iudic.lib.7. Cap. XXXI. Tomo IIII.

Erat angelus Domini. Non absurdè intelligitur iste angelus significatus
V nomine uiri,ut posteaquam hæc uerba dixit, uenerit ad quercum memoratam, & ibi sederit. Nomine enim uirorum solere appellari angelos notum est, quamuis eum qui esset angelus appellatum esse prophetam non D facilè seu euidenter occurrat: eum sanè qui propheta esset dictum angelum legimus. Sed si angelorum dicta prophetica nota sunt, id est,quibus futura prænuntiauerunt,cur non possit angelus prophetæ nomine nuncupari? Sequitur.

Offeram sacrificium meum. Vnde intelligendum est non eum angelo,sed per angelum sacrificium offerre uoluisse. Quod & ipse angelus euidenter ostendit, qui non ab eo sacrificium tanquā sibi sumpsit,sed ait illi: Accipe carnes &c. Ita etiam ipse angelus in sacrificio quod obtulit Gedeon,officiū ministrantis impleuit:ignē quippe homo minister,ut homo sine miraculo subiecisset, quē mirabiliter ut angelus iste subiecit. Deniq; tūc cognouit Gedeon,quòd angelus Domini esset. Nam hoc scriptura continuò subdidit: Et uidit Gedeon &c. Prius ergo tanquā cum homine loquebatur,quem tamen hominem Dei credidit,ut coram ipso sacrificium uellet offerre,uelut adiuuandus præsentia eius sanctitatis. Quæri potest quare Gedeon ausus fuerit sacrificium offerre Deo præter locū ubi iusserat Deus. Præter tabernaculum quippe suū Deus prohibuerat sacrificari sibi:cui tabernaculo templum postea successit. Tempore autem quo fuit Gedeon, tabernaculum Dei erat in Silo:atque ideo illic tātùm legitimè possit sacrificari. Sed intelligendū est quòd illum angelum primò prophetam putauerat, & tanquā Deum in illo consulerat de operando sacrificio. Quod ille si prohibuisset,non utique fieret. Sed quoniam approbauit,& ut fieret annuit, Dei authoritatem Gedeon in faciendo secutus est. Ita quippe Deus legitima illa cōstituit,ut leges nō sibi sed hominibus daret. Vnde quodcunque præter illa ipse præcepit,non à transgressoribus,sed potius à pijs & obedientibus

A obedientibus impletum intelligendum est: sicut Abrahã de immolando filio. Nam & sic Helias extra tabernaculum Domini ad conuincendos sacerdotes idolorum sacrificauit, quod ex præcepto Domini fecisse intelligendum est, qui ei tanquam prophetæ reuelatione atque inspiratione iussit ut faceret. Quanquã tanta consuetudo præter tabernaculum sacrificandi crebruerat, ut etiam Salomon in excelsis sacrificasse inueniatur, nec eius sacrificium fuisse reprobatum. Et tamen notantur reges qui inter opera laudabilia sua non destruxerunt excelsa, ubi contra legem Dei populus sacrificare consueuerat. Et qui destruxit maiore prædicatione laudatur. Ita Deus consuetudinem populi sui, qua præter eius tabernaculum, tamen non dijs alienis offerebant, sed domino Deo suo, sustinebat potius quàm uetabat, etiam sic exaudiens offerentes. Hoc autem quod Gedeon fecit quis non intelligat, per angelum procuratum ut prophetícè fieret, in qua prophetia petra illa commendaretur? Cui quidem petræ non sacrificatum est, sed de illa ignis commemoratur exîsse quo sacrificium consumeretur. Siue enim per aquam, quam percussa petra effudit in eremo: siue per ignem, donum spiritussancti significatur, quod ditissimè dominus Iesus Christus effudit super nos. Nam & in euangelio significatum est hoc donum per aquam, ubi ipse Dominus ait: Si quis sitit, ueniat & bibat &c. Significatum est & per ignem, ubi ueniente illo super congregatos legitur: Visæ sunt illis linguæ diuisæ uelut ignis, qui & insedit super unumquemque eorum. Et ipse Dominus ait: Ignem ueni mittere super terram.

1. Ioan. 7.
Act. 2.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. 108. Tomo X.

B *Dumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta.* Hodierna die audiuimus fratres, quòd cùm sub arbore quercus Gedeon filius Ioas triticeam messem uirga cæderet, angelo promittente audire meruit, quòd ipse à potestate inimicorum in libertatem Dei populum uindicaret. Nec mirũ si electus ad gratiam, cùm sub umbra iam tunc sanctæ crucis & uenerabilis sapientiæ prædestinato incarnationis futuræ mysterio constitutus, feracis segetis sensibilia de latibulis frumenta produceret, electionémq; sanctorũ à purgamentis inanis paleæ sequestraret: qui tanquã uirga ueritatis exercitati, superflua ueteris hominis cum actibus eius deponentes, quasi in torculari ita in ecclesia cõgregantur. Ecclesia enim torcular est fontis æterni, in qua cœlestis uitis fructus exundat. Gedeon uerò cùm audisset quòd per eũ Dominus plebẽ suam à multitudine hostiũ liberaret, obtulit in sacrificio hœdũ caprarum, cuius carnem secundũ præcepta angeli & azyma supra petram posuit, & in eam ius perfudit. Quæ simul uirgæ cacumine quã gerebat angelus Dei cõtigit, & de petra ignis erupit, atq; ita sacrificiũ quod offerebatur absumptum est. Per quod indiciũ declaratũ uidetur, quòd petra illa typũ habuerit corporis Christi, quia scriptũ est: Bibebant autẽ de spiritali consequente eos petra, petra autẽ erat Christus. Quod utiq; nõ ad diuinitatẽ eius, sed ad carnẽ relatum est, quæ sitientium corda populorũ perẽni riuo sui sanguinis inundauit. Iam tunc igitur in mysterio declaratũ est, quia Dominus Iesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec solùm delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatũ, sicut scriptum est: Quia concupiuit populus cupiditatem pessimã, & dixerunt: Quis

1. Cor. 10.

nobis

Num.11. nobis dabit carnem? Quòd igitur extendit angelus uirgam, & tetigit petram, de C
qua exiuit ignis, ostēdit quòd caro Domini repleta spiritu diuino, peccata omnia
Luc.12. humanæ conditionis exureret. Vnde & Dominus ait: Ignem ueni mittere in terram. Aduertit igitur uir doctus & præsagus futurorū superna mysteria, & ideo secūdum oracula occidit uitulū à patre suo idôlis deputatum, & septenem alium immolauit Deo. Quo facto manifestissimè declarauit, post aduentum Domini omnia abolenda esse gentilitatis sacrificia, solúmq; sacrificium Deo dominicæ passionis pro religione populi deferendum. Etenim uitulus ille erat in typo Christi. Septem autem annorum erat, quia in Christo septem spiritalium plenitudo uirtutum, ut Esaias dixit, habitabat. Hunc uitulum Abraham obtulit, quando diem Domini uidit & gauisus est. Hic est qui nunc in hœdi typo, nunc in ouis, nunc in uituli offerebatur. Hœdus quòd sacrificium pro delictis sit, ouis quòd uoluntaria hostia, uitulus quòd immolata sit uictima. Præuidit ergo mysterium sanctus Gedeon. Denique elegit trecentos uiros ad prælium, ut ostenderet non in numero multitudinis, sed in sacramento crucis mundum ab incursu grauium hostium liberandum. Trecenti enim in Græca. τ. tau similitudinem crucis ostendunt. Et licet fortis esset & uidens, pleniora adhuc de Domino futuræ uictoriæ documenta quærebat, dicens: Si saluas in manu mea Israël, quemadmodum locutus es Domine, ecce ego pono lanæ uellus in area, & si ros factus fuerit super uellus, & super omnem terram siccitas, cognoscam quia in manu mea secundum promissa tua populum liberabis: Et ita factū est. Sed adiecit postea ut rursus ros proflueret per totam terram, & siccitas esset in uellere, & ita completum est. Ros enim in uellere D
Deut.32. fides erat in Iudæa, quia sicut ros uerba Dei descendunt. Vnde & Moyses ait: Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & sicut ros uerba mea. Ergo quando totus orbis infructuoso æstu gentilis superstitionis arebat, tunc erat ros ille cœlestis uisitationis in uellere, id est, in Iudæa. Postea uerò quàm oues quæ perierant domus Israël, unde puto figuram Iudaici uelleris adumbratam: oues inquam, illæ fontem aquæ uiuæ negauerunt, ros fidei exaruit in pectoribus Iudæorum, meatúsque suos fons ille diuinus in corda gentium deriuauit. Inde est quòd nunc fidei rore totus orbis humescit, at uerò Iudæi prophetas suos & consiliarios perdiderūt. Nec mirum si perfidiæ subeunt siccitatem, quos dominus Deus prophetici
Esa.5. imbris ubertate priuauit dicens: Mandabo nubibus ne pluāt super uineam istam.
Psal.71. Est enim propheticæ nubis pluuia salutaris, sicut Dauid dixit: Descendet sicut pluuia in uellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Hanc nobis scripturæ diuinæ totius mundi pluuiam pollicebantur, quæ spiritu diuini roris rigaret orbem sub Domini saluatoris aduentu. Venit ergo iam ros, uenit & pluuia, uenit Dominus stillicidia secum cœlestia deferens, & ideo iam nos bibimus qui antè sitiebamus, & diuinum illum spiritum haustu interiore potamus. Hoc ergo præuidit sanctus Gedeon, quia uerum & spiritalem rorem etiam gentes nationésq; erāt fidei perceptione bibituræ. Nec tunc otiosè Gedeon uellus nec in campo posuit, nec in prato, sed posuit in area, ubi messis est tritici: Messis autem multa, operarij uerò pauci, eo quòd per fidem Domini in ecclesia futura esset messis fœcunda uirtutum.
Matth.9. Nec illud otiosum est quòd exiccauit uellus Iudaicū, & rorē eius misit in peluim ut

A ut repleretur aqua, non tamen ipse ex eo rore pedes lauit. Alij debebatur tanti prærogatiua mysterij. Expectabatur Christus, qui sordes omnium solus posset abluere. Non erat tantus Gedeon, qui hoc sibi mysterium uendicaret. Non enim Gedeon, sed filius hominis uênit non ministrari, sed ministrare. Aliquoties ea quæ dicũtur, rogo uos fratres, ut nõ moleste accipiatis, quod propter tardiores quosque & simplices breuiter replicamus. Qui enim literati & docti sunt, Deo propitio sine labore intelligunt, quæ dicuntur, reliquis uerò idiotis atque simplicibus, nisi breuis recapitulatio facta fuerit, timeo ne ex his quæ dicuntur parum capere possint. Gedeon fratres dilectissimi, typũ gessit Domini saluatoris. Et quia trecenti secundũ Græcum cõputum crucem faciunt, ita tunc Gedeon in trecentis uiris Iudæorum populum de crudelissimis gentibus eripuit, quomodo postea Christus per mysterium crucis totũ genus humanũ de potestate diaboli liberauit. Torcular enim ubi messem terebat, propter assiduas tribulationes ecclesiæ typũ gessit. Messis quæ cedebatur, Christianum populum significauit, quẽ aduenìens Christus uirga disciplinæ uel baculo crucis suæ, à paleis, id est, à peccatis omnibus separauit. Nã & angelus ille qui uênit ad eũ, & ipse in typũ Domini saluatoris accipitur. Arborem sub qua stetit, & uirgam quã tenuit, crucem significasse manifestũ est. Petra illa, super quam Gedeõ obtulit holocaustum, Christus erat. Sic enim ait Apostolus: Petra autem erat Christus. Hœdus ille qui oblatus est, humanum genus peccatis obnoxium designauit. Quòd angelus uirga sua tetigit petrã, & exijt ignis, & consumpsit hœdum illum, crux tetigit Christũ, & de petra quę erat Chri- Matth.10 1.Cor.10.

B stus ignis exijt charitatis, qui humani generis peccata consumpsit. De ipso enim uerus Gedeon Christus in euãgelio dixit: Ignem uêni mittere in terram, & quid uolo nisi ut accendatur? Taurus uerò quem occìdit, & ipse Dominum figurabat qui pro redemptione generis humani oblatus est. Quòd autẽ septẽ annorũ erat septemplicem gratiã spiritussancti quæ in Christo uênit significasse uidetur. Vellus quod in area posuit, & rogauit Dominũ ut in solo uellere esset ros, & in omni terra siccitas, & factum est ita: Et iterum rogauit, ut uellus remaneret siccum, & in tota area esset ros, uellus significauit populum Iudæorum, area autem in toto mundo populum omnium gentium. Et quia primo tempore ros uerbi Dei in sola Iudæa fuit, & totus mũdus in siccitate remanserat, ideo primùm ros in uellere uênit, & area sicca fuit: postea uerò quãdo Iudæi Christum dominũ occiderunt, per passionis iniuriã expressum est uellus, & remãsit Iudæorũ populus aridus & siccus, & in totã aream, id est, uniuersum mundum, ad omnes gentes, non solùm ros, sed etiam pluuia uerbi Dei & apostolorũ flumina peruenerunt. Deniq; in uniuersa terra quasi area, rore gratiæ perseuerãte in nobis, spiritalis irrigatur ecclesia, & infœlix synagoga ab omni humore uel pluuia diuini uerbi sicca remãsit & arida. Vt hæc ergo spiritalis pluuia, & ros diuinæ gratiæ perseueret in nobis, omnia quę prędicãtur salubriter cogitãdo, et nobis inuicẽ colloquẽdo, uelut mũda animalia ruminemus: ut utilẽ succũ, unde anima nostra in æternũ possit uiuere, habere possimus, & talibus delitijs satiati cũ propheta dicere mereamur: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine. Sed tũc in nobis dulcedo uerbi Dei poterit permanere, si hoc etiam alijs plena & perfecta charitate frequẽtius referen- Luc.12. Psal.118.

do uoluerimus ingerere, ut non solùm de nostra, sed etiam de aliorum salute lucra nobis spiritalia possimus prouidere. C

Cumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta. Vide infrà cap. 11. in hæc uerba. Cùm holocaustum offeram Domino.

Ex lib. de Vnit. Ecclesi. Cap. V. Tomo VII.

Ecce ego pono uellus lanæ in area &c. Non uideo quid hîc aliud figuratũ & prænũtiatum sit, nisi ut aream intelligamus orbem terrarũ, locũ autem uelleris populũ Israël. Nouimus enim illã quondam gentem diuini sacramenti gratia tanquã cœlesti rore perfusam, cuius muneris per omnes in circuitu gentes, quia eo carebãt, tãquam siccitas erat. Erat autem apud illum populũ hoc munus in uellere, id est, in uelamine & quasi in nube secreti, quia nondum fuerat reuelatum: Nũc autem uidemus orbem terrarum iam reuelato rore saginari per euãgelium domini nostri Iesu Christi, quod tunc in illo tegmine figurabatur: Illam uerò gentẽ amisso sacerdotio quod habebat, quia in scripturis non intelligit Christum, tanquam in sicco uellere remansisse. Nec tamen in talibus rerum figuris, quamuis non uideã quid hîc aliud possit intelligi, nolo quæramus ecclesiam.

CAPVT SEPTIMVM.

Quæst. super Iudic. lib. 7. Cap. XXXVII. Tomo. IIII.

N*umerus eorum qui lambuerunt.* Quorum numerus, quia trecenti erãt, signum insinuat crucis propter literam. τ. græcam, qua iste numerus significatur: per quos etiam gentes magis in crucifixum credituras præfiguratum est, quòd litera Græca est. Vnde Græcorum nomine Apostolus omnes gentes significat cùm dicit: Iudæo primùm & Græco. Et Iudæis et Græcis, sæpe ita D commemorans circuncisionem & præputium, quòd in linguis gẽtium græca ita excellat ut per hanc omnes decenter significentur. Iste numerus & in uernaculis Abrahæ animaduertendus est, per quos fratrem ab hostibus liberauit, quando eum Melchisedech in magno mysterio benedixit. Quòd enim exuberant illic decem & octo, nam trecenti decem & octo fuisse referuntur, uidetur mihi significatum quo etiam tempore fieret, id est, tertio quod futurum erat sub gratia. Nã primum est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Singula uerò tempora senario numero significata sunt propter perfectionem. Nam ter seni, decem & octo sunt. Vnde & illa mulier decẽ & octo annos habet in infirmitate, quam curuam saluator cùm inuenisset erexit, & à diaboli alligamento (ut euangelium indicat) soluit. Nam quòd ita isti probati sunt per quos uinceret Gedeon, ut similes in bibendo canibus dicerentur, significat quòd & contemptibilia & ignobilia elegit Dominus. Pro contemptu enim habetur canis. Vnde dicit: Nõ est bonum tollere panem filiorum & mittere canibus. Et Dauid ut se tanquam cõtemptibilem abijceret, canem se appellauit loquens ad Saul. Sequitur.

Mensa panis hordeacei. Hoc intelligendum arbitror quod de canibus, quia per contemptibilia mundi, quæ significat mensa panis hordeacei, saluator superbos fuerat confusurus. Sequitur.

Gladius Domino. Hoc significat quòd gladius id erat operaturus quod Domino placeret & Gedeon.

CAPVT

A CAPVT OCTAVVM.

Quæst. super Iudic. lib. 7. Cap. XLI. Tomo IIII.

Fecitque ex eo Gedeon Ephot. Quæri solet quid sit Ephud, uel Ephod, uel F Ephot. Quod quidem si sacerdotale est indumentum, quod plerique dicunt, uel potius superindumentum, quod ἐπενδύτης græcè dicitur, uel ἐπωμὶς, quod magis superhumerale interpretari latinè potest: meritò mouet quomodo de tanto auro Gedeon id fecerit. Nam ita scriptum est: Et factum est pōdus inaurium aurearum, quas petierat sibi mille septingenti auri sicli, præter brachialia & torques & operimenta purpurea quæ erant super reges Madian, præter torques &c. Quomodo ergo ista uestis de tanto auro fieri potuit? Nam & mater Samuelis fecit filio suo (sicut legimus) Ephud bar, quod nonnulli interpretati sunt Ephud lineum, quando eum dedit Domino in templo nutriendum. Vbi euidētius apparet hoc genus esse indumenti. An ideo dictum est, statuit illud in ciuitate sua, ut hinc intelligeretur aureum fuisse factum? Non enim dictum est: posuit, sed statuit, quoniam ita erat solidum & ualidum ut statui posset, hoc est, positum stare. Hoc ergo illicitum cùm fecisset Gedeon, fornicatus est post illud omnis Israël, id est, sequendo illud contra legem Dei: ubi non frustra quæritur, cùm idôlum non fuerit, id est, cuiusquam Dei falsi & alieni simulachrum, sed Ephud, id est, unum de sacramentis tabernaculi quod ad uestem sacerdotalem pertineret, quomodo fornicationem scriptura dicat populi ista sectantis, atque uenerantis. Ideo scilicet quòd præter tabernaculum Dei, ubi erant ista quæ sibi fieri iusserat Deus Israël, B extra simile aliquid fieri fas non erat. Ideo sequitur & dicit scriptura: Et factum est Gedeon & domui eius in scandalum, id est, ut ab offenso Deo discederet, quia & hoc quoddam genus idôli quodammodo erat, quod extra Dei tabernaculum quodlibet manufactum pro Deo coleretur, cùm illa ipsa quæ iussa sunt in tabernaculo fieri ad Dei potius cultum referrētur, quàm pro Deo aliquid eorum, aut pro Dei simulachro colendum haberetur. Quanquam per Ephud uel Ephod, ea locutione quæ significat à parte totum omnia possunt intelligi, quæ constituit Gedeon in sua ciuitate, ueluti ad colēdum Deum similia tabernaculo Dei. Et propterea per hoc, quia hoc est sacerdotalis honoris insigne, quod sæpe scriptura commemorat: ut hoc sit peccatum Gedeon quòd extra Dei tabernaculum fecerit aliquid simile, ubi coleretur Deus, nō quòd solido auro uelut ad adorandū constituerit Ephud: sed quòd essent ex auro ipso quod etiam ex præda fecerit, ea quæ pertinerent ad ornamenta uel instrumenta sacrarij, quæ omnia per Ephud significata sunt propter excellentiam, ut dixi, uestis sacerdotalis. Nam & ipsum Ephud non quidem ex auro solo fieri præceptum est, si hoc est superhumerale sacerdotalis uestis: uerumtamen etiam aliquid auri habet. Nam ex auro & hyacintho & purpura & coccyno & bysso ut fieret, diuinitus imperatum est: sed quia hoc ita posuerunt septuaginta interpretes, ut commemoratis omnibus, quæ de spolijs acceperat Gedeon inferrent: & fecit illud Gedeon in Ephud: uidetur ita dictū, tanquam ex toto illo quod cōmemoratum est hoc factū esse credatur: cùm possit etiam illic intelligi locutio, quæ significat à toto partem: ut quod dictum est: fecit illud in Ephud, intel

ligatur, fecit inde Ephud, uel fecit ex eo Ephud: nõ secundùm illud totum consu- C
mens in Ephud: sed ex illo quantùm sufficiebat impendens. Nã in illa interpreta
tione quæ ex Hebræo est, sic legitur: Fecitq; ex eo Gedeon in Ephod. Quod enim
apud LXX. scriptũ est Epud, hoc in Hebræo perhibetur dici Ephod. Non autem
omnes sacerdotes tali utebãtur superhumerali, quod esset ex auro & hyacyntho
& purpura & coccyno & bysso, sed solus summus sacerdos. Vnde illud quod de
Samuele commemorauimus factum illi ab eius matre, non erat utique tale: quo-
niã cùm datus est nutriendus nõ erat summus sacerdos utique puer, unde ut di
ctũ est: Ephud bar appellatur, uel potius Ephud bat, sicut asserunt qui Hebreã lin
guam nouerunt, quod interpretatur Ephud lineum. Sed Gedeon existimo illud fe
cisse, quod erat præcipuũ summi sacerdotis indumentũ atque ornamentum, per
quod & cætera significata sunt opera sacrarij, quod in sua ciuitate præter Dei ta-
bernaculum constituerat: & propter hoc peccatũ factum & illi & domui eius in
scãdalum, ut sic interiret, quod postea scriptura narrat, tanta eius numerositas fi
liorũ. sequitur. Nõ prætereunda oritur quæstio, quomodo quieuerit terra qua-
draginta annos in diebus Gedeon, cùm post uictoriam qua liberauit Hebræos, ex
auro spoliorum fecerit abominationem, & post illam fornicatus sit omnis Israel,
& fuerit illi & domui eius in scandalũ. Quomodo ergo post hoc tantum nefas,
quod et Gedeon & populus admisit, requieuit terra quadraginta annos: cùm hoc
scriptura soleat ostendere, cùm à domino Deo populus fornicaretur, tunc potius
pacem illos perdere, non acquirere: & hostibus subiugari, non ab hostium infesta
tione muniri? Sed intelligendum est, sicut solet scriptura, per prolepsin, id est, per D
præoccupationem dixisse: quod fecerit Ephud contra Dei legem Gedeon ex illo
auro, quod fuerat hostibus deuictis atque prostratis ablatum, quia uno loco di-
cere uoluit, & unde erat aurum, & quid de illo factum sit: sed postea factum est
in fine dierum Gedeon hoc peccatum, quando secuta sunt etiam mala, quæ dein-
de scriptura contexuit, posteaquam commemorauit quot annis in diebus Gede-
on terra conquieuerit: quos annos recapitulando commemorauit, id est, ad ordi
nem quem præteruerterat, prius dicendo de illo scandalo quod nouissimè fa-
ctum est. Sequitur.

Et factũ est cũ esset mortuus Gedeon. Et Baalim & Baalberich idôla intelligenda
sunt. Maior itaq; trãsgressio & fornicatio cõmissa est à populo post mortẽ Gedeon
quàm illo uiuo propter Epud: quoniã & illud, & si illicitè factũ erat, tamen de sa-
cramẽtis tabernaculi erat: ista uerò post idôla fornicatio nõ habet uel falsam pater
næ religionis defensionẽ. Vnde etiã illud Ephud, si nõ in fine temporis Gedeon,
sed ante factũ est, ita Deus patiẽter tulit, ut pax in terra perseueraret: quia licet fa
ctũ erat quod prohibuerat, nõ tamen longè recessum erat ab illo, qui tale aliquid
in tabernaculo suo atq; in honorem suũ fieri iusserat. Nunc uerò grauiora com-
missa & apertissimã post idôla fornicationem populi esse noluit impunitam.

CAPVT NONVM.

Quæst. super Iudic. Lib. 7. Cap. XLIIII. Tomo IIII.

B Xeat ignis de rhamno. Quòd inducitur rhamnus, id est, quoddam spina-
rum

A rum genus in similitudinem dicere omnibus lignis conuenientibus ad eam ut regnaret super ea. Si in ueritate ungitis me uos regnare super uos, uenite, confidite in protectione mea. &c. Comminantis enim uerba sunt quid facere possit, si noluerint eum regnare super se. Sequitur.

Et emisit Deus spiritum malignum. Potest sic intelligi, ut spiritum malignũ Deus tanquam ire inter eos uolentem emiserit, id est, in potestatem dederit maligno spiritui ad eorum pacem perturbandam.

CAPVT DECIMVM.

Quæst. super Iudic, lib. 7. Cap. XLVII. Tomo IIII.

T *Hola filius Phua.* Oritur quæstio quomodo fuerit patruus Abimelech uir de Isachar, id est, uir de tribu Isachar, cùm Abimelech patrẽ habuerit Gedeon, qui Gedeon de tribu fuit Manasse. Quomodo ergo Phua & Gedeon fratres fuerunt, ut posit esse Phua patruus Abimelech, cuius patrui filius Thola succederet, secundum istam narrationem, ipsi Abimelech? Potuerunt ergo Gedeon & Phua unam hahere matrem, ex qua diuersis patribus nascerentur, & fratres essent unius matris filij, non unius patris. Solebant enim nubere fœminæ de alijs tribubus in alijs tribubus. Vnde & Saul cùm esset de tribu Beniamin dedit filiã suam Dauid homini de tribu Iuda. Et sacerdos Ioiadæ utique homo de tribu Leui, duxit filiã Ioram regis hominis de tribu Iuda. Hinc factum est, ut Helizabet & Mariam cognatas in euãgelio legamus, cùm fuerit Helizabet de filiabus Aarõ.
B Ex quo intelligitur de tribu Leui & filiabus Aaron aliquam nupsisse in tribũ Iuda, unde ita fieret inter ambas illa cognatio, ut Domini caro non solùm de regia, uerumetiam de sacerdotali stirpe propagaretur.

CAPVT VNDECIMVM.

Quæst. super Iudic. lib. 7. Cap. XLIX: Tomo IIII.

E *Vm holocaustum offeram Domino.* De filia Iepte quòd eam pater in holocaustoma obtulit Deo, quoniam in bello uouerat, si uicisset, eum se holocaustoma oblaturum qui sibi de domo exiens occurrisset: quod cùm uouisset uicit, & occurrente sibi filia, quod uouerat reddidit: solet esse magna & ad diiudicandum difficillima quæstio: quibusdam quid sibi hoc uelit nosse cupientibus & piè quærentibus: quibusdam uerò qui scripturis his sanctis imperita impietate aduersantur, hoc maximè in crimen uocantibus, quòd legis & prophetarum Deus etiam humanis sacrificijs fuerit delectatus. Quorum calumnijs sic primitus respondemus, ut Deum legis & prophetarum, atque ut expresius dicam, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob, nec illa sacrificia delectauerint ubi pecorum holocausta offerebãtur: sed quòd significatiua fuerint & quędam umbræ futurorum, res ipsas nobis quæ his sacrificijs significabantur commendare uoluisse: fuisse autem etiam istam utilem causam cur illa mutarentur, nec modo iuberentur, imò prohiberentur offerri, ne uerè secundũ carnalem affectum talibus Deum delectari putaremus. Sed utrùm etiam humanis sacrificijs significari futura oportuerit, meritò quæritur, non quod mortes hominum quan

doque moriturorum in hac causa exhorrescere & formidare deberemus, si illi qui hæc de se fieri grataanter acciperent, in æternam remunerationem commendarentur Deo. Sed si hoc uerum esset, hoc genus sacrificiorum Deo non displiceret. Displicere autem Deo satis euidenter eadem scriptura testatur. Nam cùm omnia primogenita sibi dicari & sua esse uoluerit atque præceperit, redimi tamen à se uoluit primogenita hominum, ne immolandos Deo crederent filios suos, quos natos primitus suscępissent. Deinde hoc apertius ita loquitur: quòd humana holocausta sic Deus improbet ut prohibeat, detestans ea in alijs gentibus, & populo suo præcipiens ne audeat imitari. Si autem, inquit, exterminauerit dominus Deus tuus gentes, in quas tu intrabis hæreditare terram eorum in conspectu tuo, & hæreditabis eos & habitabis in terra eorum: attende tibi ipsi ne exquiras sequi eos postquam exterminati fuerint à facie tua, ne exquiras deos eorum dicens: quemadmodum faciunt gentes dijs suis, faciam & ego: non facies ita domino Deo tuo. Abominamenta enim quæ Dominus odit fecerunt dijs suis, quoniam & filios suos & filias suas comburunt igni dijs suis. Quid euidentius ostendi potest his sanctis scripturæ testimonijs, ut alia huiuscemodi omittam, quàm Deum à quo hæc scriptura humano generi contributa est, non solùm non diligere, uerumetiam odisse talia sacrificia, in quibus homines immolantur? Illa planè diligit & coronat, cùm quisque iustus iniquitatem patiens usque ad mortem pro ueritate decertat, uel ab inimicis quos pro iustitia offendit, occiditur, retribuens eis bona pro malis, id est, pro odio dilectionem. Talem dicit Dominus sanguinem iustum, à sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ. Præcipuè autem quòd sanguinem fudit ipse pro nobis, & sacrificium seipso obtulit Deo. Sic utique obtulit, ut ab inimicis pro iustitia occideretur: hunc imitata martyrum milia usque ad mortem pro ueritate certarunt, &

Sap.3. ab inimicis sæuientibus immolata sunt, de quibus dicit scriptura: Tanquam aurum in fornace probauit illos, & sicut holocausti hostiam accępit illos. Vnde &

1.Tim.4. Apostolus dicit: Ego enim iam immolor. Sed non sic Iepte de filia fecit holocaustoma Domino: sed sicut præceptum fuerat pecora offerri, & prohibitum fuerat homines immolari. Magis hoc illi simile uidetur quod fecit Abraham, quod Dominus specialiter fieri præcepit, non generali lege, ut talia sibi sacrificia fierent aliquando mandauit, imò etiam fieri omninò prohibuit. Distat itaque hoc quod Iepte fecit à facto Abrahæ, quoniam ipse iussus obtulit filium: iste autē fecit, quod & lege uetabatur, & nullo speciali iubebatur imperio. Deinde non solùm in sua lege postea, uerumetiam tunc Dominus in ipso Abrahæ filio talibus sacrificijs, quòd non delectaretur ostendit: cùm patrem cuius fidem iubendo probauerat, à filij tamen interfectione prohibuit, ac arietem, quo sacrificium licitè secundum ueterem congruam temporibus consuetudinem compleretur, apposuit. Si autem hoc quenquam mouet, quomodo piè crediderit Abrahā Dominum sacrificijs talibus delectari, si hæc illi citè offeruntur Deo: & ideo putat rectè credidisse etiam Iepte quòd tale sacrificium Deo posset esse acceptum: primò consideret aliud esse ultrò uouere, aliud iubenti obtemperare. Non enim si aliquid præter morem in domo à domino institutum seruo iubetur, atq; id laudabili obedientia facit, ideo non

A non est plectendus, si hoc facere sponte præsumpserit. Deinde habebat quod crederet Abraham, ut propter diuinum imperium non parceret filio: non credens Deum tales uictimas libenter accipere, sed hoc eum propterea iussisse, ut resuscitaret occisum, & hinc aliquid tanquàm Deus sapiens demonstraret. Nam hoc de illo etiam in epistola legitur, quæ inscribitur ad Hebræos: & fides eius, quia hoc de Deo crediderit, quòd posset filium eius suscitare, laudatur. Iste uerò & Deo non iubente neque poscente, & contra legitimum eius præceptum, ultrò sacrificium uouit humanum. Sic enim scriptum est: Et uouit Iepte uotum Domino, & dixit: Si traditione tradideris &c. Non utique his uerbis pecus aliquod uouit, quod secundum legem holocaustoma posset offerre. Neque enim est aut fuit consuetudinis, ut redeuntibus cum uictoria de bello ducibus pecora occurrerent. Quantùm autem attinet ad muta animalia, canes solent dominis blando famulatu alludentes currere in obuiam: de quibus ille in suo uoto cogitare non posset, ne in iniuriam Dei aliquid, non solùm illicitum, uerumetiam contemptibile, & secundum legem immundum uouisse uideretur. Nec ait: quodcunque exierit de ianuis domus meæ obuiam mihi, offeram illud in holocaustoma, sed ait: quicunque exierit offeram eum: ubi proculdubiò nihil aliud quàm hominem cogitauit: non tamen fortasse unicam filiam, quanquam illam in tanta paterna gloria quis posset anteire, nisi fortè uxor? Nam quòd non dixit: quæcunque exierit de ianuis domus meæ, solet scriptura masculinum genus pro quolibet sexu ponere: sicut de Abraham dictum est: Surgens à mortuo
B cùm eius uxor mortua fuisset. Quia ergo de hoc uoto atque facto nihil uidetur
C scriptura iudicasse, sicut de Abraham quando filium iussus obtulit, apertissimè iudicauit: sed tantummodo scriptum reliquisse legentibus iudicandum: quemadmodum de facto Iudæ filij Iacob, quando ad nurum quidem suam nesciens intrauit, uerùm quantùm in ipso fuerat fornicatus est, quia meretricem putauit, neque approbauit hoc scriptura neque improbauit, sed iustitia & lege Dei consulta æstimandum pensandúmque dimisit. Quia ergo de isto Iepte facto in neutram partem sententiam scriptura Dei protulit, ut noster intellectus in iudicando exerceretur, possemus iam dicere Deo displicuisse tale uotum, & ad illam perductum esse uindictam ut patri potissimùm filia unica occurreret: quod si sperasset atque uouisset non continuò ut eam uidit scidisset uestimenta sua & dixisset: Heu me filia mea, impedisti me, in offendiculum facta es in oculis meis. Deinde sexaginta dierum tam longa dilatione data filiæ suæ, Dominus ab unicæ & charissimæ nece cùm eum non prohibuerit, sicut prohibuit Abraham, donec perficiendo quod uouerat seipsum percuteret orbitate grauissima, Deum autem nequaquam hominis immolatione placaret: & ideo huiuscemodi patri pœnam fuisse retributam, ne impunitum talis uoti relinqueretur exemplum: ut aut ne magnum aliquid se uouere Deo putarent homines, cùm uictimas humanas uouerent, & quod est horribilius filiorum: aut non uera, sed potius simulata eadem uota essent, cùm uelut exemplo Abrahæ sperarent qui uouissent, Deum prohibiturum talia uota compleri. Possemus, inquam, hæc dicere, nisi ab ista sententia duo nos præcipuè diuinarum scripturarum testimonia retardarent, ut hanc rem gestam & in

Gen. 28.

his libris tantæ authoritatis memoriæ commendatam, diligentius quantùm Dominus adiuuat & cautius perscrutemur, ne in ullam partem iudicium temerariũ proferamus. Vnum, quòd in Epistola ad Hebræos iste Iepte inter tales cõmemoratur, ut eum culpare uereamur, ubi sic scriptum est: Et quid adhuc dicam? Deficit enim me tempus enarrandi de Gedeon, Barach, Samson & Iepte, & Dauid & Samuel & prophetis, qui per fidem fecerunt regna, operantes iustitiam, consecuti sunt promissiones. Alterum, quòd ubi de illo ista narrantur quòd tale uouerit & impleuerit uotum, præmisit scriptura dicens: Et factus est super Iepte spiritus Domini, & perrexit Galaad & Manasse & transijt speculam Galaad, & de specula Galaad transijt ad filios Ammon, & uotum uouit Iepte Domino, & cætera ad hoc ipsum uotum pertinentia: ut omnia quæ deinceps facta sunt, tanquam opera spiritus Domini, qui super eum factus est intelligenda facta uideantur. Ista testimonia nos compellunt quærere potius cur factum sit, quàm facilè improbare quod factum est. Sed primò illud quod ex epistola quæ est ad Hebræos commemoraui, inter illos laudabiles uiros qui ibidem recoluntur, non solùm est Iepte, uerumetiam Gedeon, de quo similiter scriptura dicit: Spiritus Domini confortauit Gedeon: & tamen eius factum quod de illo auro prædæ operatum est Ephud, & fornicatus est post illud omnis Israël, & factum est domui Gedeon in scandalum, non solùm laudare non possumus, uerumetiam quia scriptura hinc apertissimè iudicauit, reprobare minimè dubitamus: nec tamen ex hoc ulla fit iniuria spiritui Domini, qui eum confortauit ut hostes populi eius tanta facilitate superaret. Cur ergo inter illos commemoratur, qui per fidem uicerunt regna, operantes iustitiam, nisi quia sancta scriptura, quorum fidem atque iustitiam ueraciter laudat, non hinc impeditur, eorum etiam peccata si qua nouit, & oportere iudicat, notare ueraciter? Nam & in eo quòd idem Gedeon signum petens, sicut ipse locutus est, tentauit in uellere: nescio utrùm non fuerit transgressus præceptum, quo scriptum est: Non tentabis dominum Deum tuum. Veruntamen etiam in eius tentatione Dominus quod prænuntiare uolebat ostendit: in compluto scilicet uellere, & area tota circumquaquè sicca, figurare primùm populum Israël, ubi erant sancti cum gratia cœlesti, tanquam pluuia spiritali: & postea compluta area sicco uellere, figurare ecclesiam toto orbe diffusam, habentem non in uellere tanquam in uelamine, sed in aperto cœlestem gratiam, illo priore populo, uelut ab eiusdem gratiæ rore alienato atque siccato. Nec tamen frustra inter fideles & operantes iustitiam, propter bonitatem fidelémque uitam, in qua eum credendum est esse defunctum, tale in epistola ad Hebræos meruit testimonium. Vtrùm autem quia posteaquam dictum est: Factus est super Iepte spiritus Domini, ea secuta sunt, ut uotum illud uoueret atque hostes uinceret & quod uouerat redderet, spiritui Domini omnia deputanda sint, ut perinde habeatur & hoc sacrificium, tanquam id Dominus sicut Abrahæ fieri iusserit, non facile dixerim: cùm utique Gedeon possit hæc afferri differentia, quia peccatum quod fecit quando fecit Ephud, post quod uniuersus populus fornicatus est, nulla est eius commemorata prosperitas: postea uerò quàm Iepte uotum uouit, illa est insignis eius uictoria consecuta, propter quam adipiscendam uouerat, &

qua

A qua adepta quod uouerat soluit. Rursus enim considerandum est, quia Gedeon, & si non posteaquam fecit Ephud, tamen posteaquam tentauit Dominum (quod utique peccatum fuit) magna strage hostibus cæsis atque superatis populo acquisiuit salutem. Sic enim scriptum est: Et dixit Gedeon ad Dominum: Non irascatur indignatio tua in me, &c. Iram quippe Dei metuebat, quia nouerat tentando se peccare, quod Deus in lege sua manifestissimè prohibet. Hoc tamen peccatũ eius & mirabilis signi euidentia & magna uictoriæ prosperitas liberationísque populi consecuta est. Iam enim Deus statuerat afflicto populo subuenire, atque huius ducis quem ad hoc opus assumpserat, utebatur animo, nõ solùm fideli & pio, uerumetiam subdeficiente & delinquente, & prænuntiando quæ uolebat, & complendo quæ dixerat: Non enim per istos tantùm, qui etiam si peccauerunt, inter iustos tamen narrantur, sed etiam per ipsum Saulem omnimodò reprobatum, multa Deus populo suo præstitit, in quem insiliuit etiam spiritus Dei & prophetauit: non cùm iustè ageret, sed cùm in uirum sanctum Dauid innocentémque sæuiret. Agit enim spiritus Domini & per bonos & per malos, & per scientes & per nescientes quod agendum nouit & statuit. Qui etiam per Caipham acerrimum Domini persecutorem, nescientem quid dixerit, insignem protulit prophetiam, quòd oporteret Christum mori pro gente. Quis enim egit nisi spiritus Domini, curans prænuntiare uentura, ut iudici Gedeon tentare uolenti Dominum, & non credenti quod ei fuerat per manum eius de salute populi iam locutus, hoc potissimum de uellere prius compluto, postmodum sicco, & de area primùm sicca po-
C stea rigata ueniret in mẽtem, ut quòd subdefecit à fide, infirmitati eius delictóq;
B deputetur, quòd uerò etiam tali eius animo ad hoc quod generi humano significari oportebat usus est Deus, ad eius intelligatur misericordiam & mirabilẽ prouidentiam pertinere. Si quis autem dicit omnia sciẽtem fecisse & dixisse Gedeon ex reuelatione prophetica, ut per eum signa talia monstrarentur: nec defecisse à fide, & quod ei iam promiserat Dominus credidisse, sed actione prophetica in uellere uoluisse tentare: atque ita illius tentationem fuisse inculpabilem, sicut dolum Iacob: & illud quod Domino ait: Non irascatur indignatio tua in me, non ideo dixisse quòd iram eius timeret, sed quòd eum confideret nõ irasci cùm ea faceret, quæ spiritu eius dictante facienda esse tanquam propheta sentiret: Dicat ut uidetur, dummodo illud quod de facto Ephud scriptura ipsa culpauit, quodlibet significet, non audeat excusare à peccato. Nam & illud, quòd trecenti uiri, ad signum crucis ipso numero pertinentes, hydrias fictiles accæperunt, eísque ardentes faculas incluserunt, quibus hydrijs fractis repente lumina numerosè micantia tantam hostium multitudinem terruerunt, tanquam ex suo arbitrio uidetur fecisse Gedeon. Non enim scriptura dicit Dominum admonuisse ut hoc faceret: & tamen tam grande signum quis eius animo atque consilio faciendum, nisi Dominus inspirauit, qui præfigurauit sanctos suos thesaurum euangelici luminis in uasis fictilibus habituros, sicut Apostolus dicit: Habemus autem thesaurum istum in uasis fictilibus? Quibus in passione martyrij tanquam uasculis fractis maior eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ impios euangelicæ prædicationis inimicos, inopinata illis Christi claritate superauit. Seu ergo per scientes, seu per nescientes præfigurationem 2.Cor.4.

figurationem

figurationem prædicationémque futurorum ſpiritus Domini propheticis tempo C
ribus operatus eſt:nec ideo peccata eorum dicendum eſt non fuiſſe peccata, quia & Deus, qui etiam malis noſtris bene uti nouit, etiam ipſis eorum peccatis uſus eſt ad ſignificanda quæ uoluit. Proinde ſi propterea peccatum non fuit, ſiue cuiuslibet necis humanæ, ſiue etiam parricidale ſacrificium, uel uouere, uel reddere, quia magnum aliquid & ſpiritale ſignificauit: fruſtra Deus talia prohibuit, & ſe odiſſe teſtatus eſt, quoniam & illa quæ fieri iuſsit, utique ad aliquam ſignificationem rerum ſpiritalium, magnarúmque referuntur. Cur ergo illa prohiberet, quandoquidem poterant propter eandem rerum earundem ſignificationem, propter quam & iſta licitè fiebant, nihilominus licitè fieri: niſi quia nec tale aliquid ſignificantia quale expedit credere, humana Deo ſacrificia placuerunt, quando non pro iuſtitia quiſque ab inimicis, quia rectè uiuere uoluit, aut peccare noluit interimitur, ſed homo ab homine tanquam electa hoſtia more pecoris immolatur? Quid ſi, ait aliquis, quoniam pecorum uictimę iam eo ipſo quo fuerant uſitatę, quamuis & ipſę à rectè intelligentibus ad ſignificationem ſpiritalium referuntur, minus tamen faciebant intentos ad magnum ſacramentum Chriſti & eccleſiæ requirendum, propterea Deus, re inſigni & inopinata uolens quaſi dormientes hominum animos excitare, eò magis quò talia ſibi ſacrificia offerri uetuerat, curauit ſibi eiuſmodi aliquid offerendum: ut ipſa admiratio magnam gigneret quęſtionem, & magna quæſtio ad perſcrutandum magnum myſterium, ſtudium piè mentis erigeret. Piè uerò ſcrutans mens hominis altitudinem prophetiæ, uelut hamo piſcem dominum Chriſtum de profundo ſcripturarum leuaret. Huic nos rationi & con- D
ſiderationi non obſiſtimus. Sed alia quæſtio eſt de animo uouentis, alia de prouidentia Dei qualicunque animo eius optimè utentis. Quamobrem ſi ſpiritus Domini qui factus eſt ſuper Iepte, ut hoc uoueret omninò præcepit, quod quidem ſcriptura non aperuit: tamen ſi hoc ille præcepit, cuius non licet iuſſa contemnere, non ſolùm inſipientia culpanda non eſt, uerum etiam laudanda obedientia eſt. Hoc enim etiam ſi ſe homo ipſe interimat, quod utique humana uoluntate atque conſilio facere nefas eſt, profectò intelligendum eſt obedienter fieri potius quam ſceleſtè, ſi diuinitus iuſſum eſt: de qua quęſtione ſatis in primo libro de ciuitate Dei diſputauimus. Si autem Iepte humanum ſecutus errorem humanum ſacrificium uouendum putauit, eius quidem peccatum de unica filia iure punitum eſt, quod etiam ipſe uerbis ſuis ſatis uidetur oſtendere ubi ait: Heu me filia mi, impediſti me, in offendiculum facta es in oculis meis, diſciſsis etiam ueſtimentis ſuis. Veruntamen is etiam eius error habet aliquam laudem fidei, quia Deum timuit, ut quod uouerat redderet, nec diuini in ſe iudicij ſententiam declinauit, ſiue ſperans Deum prohibiturum, ſicut fecit Abrahæ, ſiue eius uoluntatem etiam non prohibentis, intellectam facere potius quàm contemnere ſtatuens. Quanquam & hîc meritò quæri poteſt, utrùm uerius intelligitur hoc Deum nolle fieri, & in eo potius Deo ſi non fieret obediretur, quoniam hoc ſe nolle & in Abrahę filio & in legitima prohibitione monſtrauerat. Veruntamen ſi propterea Iepte non faceret, ſibi potius in unica peperciſſe, quàm Dei uoluntatem ſecutus eſſe uideretur. Magis ergo intellexit in eo quòd ei filia occurrit ultorem Deum, iu-

ſtæq;

A ſtæque pœnæ ſe fideliter ſubdidit, timens ſæuiorem tanquam de tergiuerſatione uindictam. Credebat enim etiam bonæ & uirginis animam filiæ bene recipi, quòd non ſeipſa uouerat immolandam, ſed uoto & uoluntati non reſtiterat patris, & Dei fuerat ſecuta iudicium. Mors enim ſicut nec ſibi à quoquam ſponte, nec cuiquam ſponte inferenda eſt, ita Deo iubente recuſanda non eſt: cuius conſtitutione quocunque tempore obeunda eſt: nec quiſquam qui eam perpeti detractat ut omninò euitetur, ſed tantummodo ut differatur laborat. Hæc autem feſtinantibus nobis de prædicta quæſtione ſatis eſſe utcunque diſcuſſa pro hac quidem parte uiſa ſunt. Nunc iam quid ſpiritus Domini, ſiue per neſcientem Iepte, ſiue per ſcientem, ſiue per eius imprudentiam, ſiue per obedientiam, ſiue per offenſionem, ſiue per fidem in hac re geſta præfigurauit, quantùm Deus adiuuat requiramus, breuitérque pandamus. Admonet enim nos & urget quodammodo iſte ſanctarum ſcripturarum locus cogitare quendam potentem uirtute. Talis enim dicitur Iepte, quòd nomen interpretatur aperiens. Dominus autem Ieſus Chriſtus, ſicut indicat euangelium, diſcipulis ſuis aperuit ſenſum ut intelligerent ſcripturas. Hunc Iepte fratres eius reprobauerunt, & de paterna domo expulerunt obijcientes ei, quòd eſſet filius fornicariæ, tanquam ipſi eſſent de uxore legitima nati. Hoc etiam egerunt aduerſus dominum principes ſacerdotum & ſcribæ & phariſæi, qui de legis obſeruatione gloriari uidebantur, tanquam ille ſolueret legem, & ideo ueluti non eſſet legitimus filius. Et quoniam de ſancta quidem uirgine corpus aſſumpſerat, quod fidelibus notum eſt, tamen eius mater quantùm ad gentem pertinet, etiam illa Iudaica ſyna-
B goga dici poteſt. Reuoluat qui uoluerit propheticos libros, & uideat quoties & quanta uerbi ſæueritate atque indignatione Domini, illa gens uelut impudica mulier de ſuis fornicationibus arguatur. Vnde eſt etiam illud in hoc libro recentiſsimum, uel cùm poſt Ephud, quod fecit Gedeon, omnis Iſraël legitur fornicatus, uel quòd abierunt poſt deos gentium, quibus erant circundati. Vnde in illos ira diuina commota eſt, ut per annos decem & octo conuerterentur à filijs Ammon. Sed nunquid non ex eadem gente Iſraël etiam illi nati erant ſacerdotes & ſcribæ & phariſæi, quos in eis diximus fuiſſe præfiguratos, qui Iepte tanquam iſti dominum Ieſum Chriſtum, ueluti non legitimum filium perſecuti expulerunt? Sed in eo ſimilitudo abumbrata eſt, quòd iſti, ut dixi: ueluti legis obſeruatores eum qui contra præcepta legis facere uidebatur, tanquam legitimi non legitimum iure ſibi uiſi ſunt eieciſſe. Secundum hoc enim plebs illa dicta eſt fornicari, quòd legis præcepta non ſeruans tanquam uiro non exhibebat fidem. Sic autem ſcriptum eſt de Iepte: Et creuerunt filij uxoris & eiecerunt Iepte. Verbum quod poſitum eſt, creuerunt, ſignificat in figura, præualuerunt. Quod in Iudæis impletum eſt, qui præualuerunt infirmitati Chriſti, quia ita uoluit, ut ab eis quæ oportebat paſſione perferret: ſicut hoc idem ſignificans Iacob præualuit angelo, cum quo ut id ipſum portenderet luctabatur. Dixerunt ergo ad Iepte: Non hæreditabis in domo patris noſtri, quoniam filius mulieris fornicariæ tu. Tanquam dicerent quod euangelium loquitur: Non eſt iſte homo à Deo, qui ſic ſoluit ſabbatum. Se autem uelut iactantes legitimos filios Domino dixerunt: *Ioan. 9.*

Ioan.8. runt: Nos ex fornicatione non ſumus nati, unum patrem habemus Deum. Et fu C
git Iepte à facie fratrum ſuorum, & habitauit in terra Thob. Fugit quoniam ſe quantus eſſet abſcondit. Fugit, quoniam eos ſæuientes latuit. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Fugit, quoniam morientis infirmitatem uiderunt, uirtutem autem reſurgentis non uiderunt. Habitauit autem in terra bona, uel ut expreſsius dicamus, opima. Quod enim Græcè ἀγαθὸν hoc latinè opimum dicitur: Id autem interpretatur Thob. Vbi mihi uidetur intelligenda eius à mortuis reſurrectio. Nam quæ terra magis opima quàm terrenum corpus excellentia immortalitatis & incorruptionis indutum? Quòd autem dicitur de Iepte, quia poſteaquã fugiens à facie fratrum ſuorũ habitauit in terra Thob, colligabantur ad eum uiri latrones qui ambulabant cum ipſo: quanquam & ante paſsionem obiectum fuerit Domino, quòd cum publicanis & peccatoribus manducaret, quando reſpondit non eſſe neceſſarium ſanis medicum ſed ægrotis: & inter iniquos deputatus eſt, quando inter latrones crucifixus eſt, & unum ex eis de cruce in paradiſum tranſtulit: tamen poſtquam reſurrexit & eſſe cœpit, ſecundum id quod ſuprà expoſuimus, in terra Thob, collecti ſunt ad illum ſcelerati homines propter remiſsionem peccatorum: qui cum illo ambulabant, quia ſecundum eius præcepta uiuebant. Neq; hoc fieri deſinit uſq; nunc, & deinceps quouſque ad eum confugiunt mali, ut iuſtificet impios, qui ad eum cõuertuntur, & diſcant iniqui uias eius. Nam illud, quod hi qui abiecerant Iepte, erat enim Galaadites, conuerſi ſunt ad eum & quæſierunt eum, per quem liberarentur ab inimicis ſuis, quàm clara præfiguratione ſignificat, quòd hi qui abiecerunt Chriſtum, ad D
eum rurſus conuerſi in illo reperiunt ſalutem: ſiue illi intelligantur, quos Petrus apoſtolus cùm de ipſo ſcelere arguiſſet, ſicut in actibus Apoſtolorum legitur, & hortatus eſſet ut ad eum conuerterentur, quem fuerant perſecuti, compuncti ſunt corde, & ab illo quem à ſe alienauerant, deſiderauerunt ſalutem. Quid eſt autem liberari ab inimicis, niſi à peccatis? Sic enim illis ait: Agite pœnitentiam, & bapizetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine domini Ieſu Chriſti, & remittentur uobis peccata ueſtra: ſiue illa potius ſignificetur quæ in fine ſperatur uocatio gentis Iſraël. Magis quippe ipſa uidetur apparere in eo quod dicitur: Et factum eſt poſt dies, quod utique poſt tempus ſignificat: & per hoc inſinuat non illud intelligendum, quod recenti Domini paſsione eſt, ſed quod poſtea futurum eſt. Quò uidetur etiam id pertinere, quòd ſeniores Galaad uenerunt ad Iepte, ut per ætatem ſenilem poſteriora & nouiſsima tempora accipienda ſint. Interpretatur autem Galaad abijciens ſiue reuelatio. Quorum utrumque ſatis aptè huic rei cõgruit, quia primò dominum Chriſtum abiecerunt, eiſq; poſtea reuelabitur. Quòd uerò contra filios Ammon dux quærebatur Iepte, quibus uictis liberarentur, qui eo duce aduerſus illos bellare cupiebant, quoniã interpretatur Ammon filius populi mei, ſiue populi mœroris, profectò illi ſignificantur inimici, qui ex ipſa gente perſeuerantes in infidelitate, prædicti ſunt, aut omninò pœnis gehennæ prædeſtinati, ubi erit fletus & ſtridor dentium tanquam populo mœroris. Quanquam populus mœroris, etiam diabolus & angeli eius, non inconuenienter intelliguntur: ſiue quia æternam miſeriam eis quos decipiunt acquirunt: ſiue quia & ipſi

æternæ

A æternæ miseriæ deputati sunt. Eleganter sanè ad exprimendam multò euidentius prophetiam Iepte respondit senioribus Galaad: Nónne uos odio habuistis me, & eiecistis me de domo patris mei, & emisistis me à uobis, & quid est quòd uenistis quando tribulati estis? Tale aliquid figuratum est in Ioseph, quem fratres uendentes abiecerunt, & cùm fame tribularentur ad eius opem misericordiámque conuersi sunt. Hîc uerò multò amplius elucet significatio futurorum, quòd non ipsi prorsus fratres qui eiecerunt Iepte ad eũ uenerunt, sed Galaad seniores pro uniuerso illo populo eidem supplicantes. Sicut eadem gens dicitur Israël, siue in eis qui tunc fuerunt Christúmq; reprobauerunt, siue in eis qui ad eius opem postea reuersi sunt. Populo enim dicit inimico: siue in maioribus, siue in posteris suis longa odia trahenti atque seruanti, tandémque conuerso in eis qui tunc conuertendi sunt. Nónne uos odio habuistis me, & eiecistis me de domo patris mei? Hoc enim eis uisum est, qui persecuti sunt quòd eiecerunt Christum de domo Dauid, in qua regni eius non erit finis. Et dixerunt seniores Galaad ad Iepte: Non sic modo uenimus ad te. Tanquam dicerent Iudæi conuersi ad Christum: Tunc uenimus ut persequeremur, modo uenimus ut sequamur. Profitentur etiam aduersus inimicos eum futurum sibi caput. Respondet ille, si eorum uicerit inimicos quòd erit eis in principem, quod Gedeon noluit, cùm id Israëlitæ uoluissent. Respondit quippe illis: Princeps uester Dominus erit. Rex enim nomine principis significatur, quod nondum habebat gens illa tempore iudicum. Cœperunt autem habere Saulem, & deinceps successores eius alios qui in libris regnorum leguntur.
B Nam in Deuteronomio cùm eis præcipitur qualem debeant habere regem, si hoc eis placuerit, non ibi rex, sed princeps appellatur. Sed quia iste Iepte illum figurabat, qui uerus est rex, quòd etiã in titulo scriptũ fuit, qui cruci eius affixus est, quem Pilatus delere uel emendare non ausus est, ideo credendum est esse dictum: Ero uobis in principem, illi autem dixerant, eris nobis in caput, quoniam caput uiri Christus, & ipse est caput corporis ecclesiæ. Denique posteaquam eos liberauit Iepte ab omnibus inimicis, non eis factus est rex, ut intelligeremus illud quod dictũ est, ad prophetiam potius pertinuisse de Christo, quàm ad ipsum propriè Iepte, de quo scriptura narrationem ita concludit: Et iudicauit Iepte Israël sex annis, & mortuus est Iepte Galaadites, & sepultus est in ciuitate sua Galaad. Iudicauit ergo Israël sicut cæteri iudices, non ibi regnauit ut princeps, sicut hi qui in Regnorum uoluminibus continentur. Iam uerò quòd posteaquam eis idem Iepte dux constitutus est, misit nuntios ad hostes prius pacis uerba portantes, illud ostẽditur quod ait Apostolus in quo Christus loquebatur: Si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Verba porrò ipsa quæ mãdauit Iepte, omnia pertractare nimis longum est festinantibus nobis: uidetur tamen mihi sic intelligenda, quantùm attinet ad significationem futurorum, ut in eis aduertatur doctrina Christi, admonens nos quemadmodum sit ambulandum, hoc est uiuendum inter eos, qui non secundum propositum uocati sunt. Nouit enim Dominus qui sunt eius. Iam uerò quòd cùm esset debellaturus inimicos, factus est super eum spiritus Domini, significatur spiritussanctus impertitus membris Christi. Quòd autem pertransijt Galaad & Manasses & transijt speculam

Rom.12.
2.Tim.2.

lam Galaad,& ab ſpecula Galaad, tranſijt ad filios Ammon, proficientia ſignificantur membra Chriſti ad uictoriam de inimicis reportandam. Galaad quippe interpretatur abijciens,& Manaſſes neceſsitas. Tranſeundi ſunt ergo à proficientibus abijcientes, id eſt contemnentes: tranſeunda & neceſsitas, ne fortè cùm tranſierit qui proficit contemnentes, cedat terrentibus. Tranſeunda etiam ſpecula Galaad, quoniam Galaad etiam reuelatio interpretatur. Eſt autem ſpecula altitudo ad proſpiciendum uel deſpiciendum, id eſt, deſuper aſpiciendum. Specula itaque Galaad congruenter mihi uidetur ſignificare ſuperbiam reuelationis. Vnde dicit C

2.Cor.12. Apoſtolus: Et in magnitudine reuelationum ne extollar. Ergo & ipſa tranſeunda eſt, id eſt, non eſt in ea manendum propter cadendi periculum. His pertranſitis facilè ſuperantur inimici, quod ſignificat dicendo: Et ab ſpecula Galaad tranſijt ad filios Ammon: de quibus inimicis iam ſuprà dictum eſt. Et uouit Iepte uotum, & dixit: Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea, & erit quicunque exierit de ianuis domus meæ in obuiam mihi in reuertendo me in pace à filijs Ammon, & erit domino, & offeram eum holocauſtoma. Quemlibet in hoc loco cogitauerit Iepte ſecundum cogitationem humanam, non uidetur unicam filiam cogitaſſe: alioquin non diceret, cùm illam cerneret occurriſſe: Heu me filia mi impediſti me, in offendiculum facta es in oculis meis. Impediſti enim ita dictum eſt: tanquam ad hoc ſe impeditum iudicauerit, ne illud quod cogitaret impleret. Sed quem potuit cogitare primitus occurrentem, qui filios alios non habebat? An coniugem cogitauit, & ut hoc fieret Deus noluit: & ut non relinqueret impunitum, ne quis deinceps id auderet: & ut magna prouidentia, ex hoc quoque ipſo quod accidit, ſacramentum eccleſiæ figuraret. Ex utroque igitur prophetia coaptata eſt, ex eo quòd uouens cogitauit, & ex eo quòd nolenti contigit. Si ete- D

Gen.2. nim coniugem cogitauit, coniunx Chriſti eccleſia eſt. Propterea relinquet ho-

Eph.5. mo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, inquit Apoſtolus, ego autem dico in Chriſto & in eccleſia. Sed quia huius Iepte coniunx uirgo eſſe non potuit, in eo quòd filia potius occurrit, & inulta non remanſit prohibitum ſacrificium uouentis audacia, & uirginitas eccleſiæ figurata eſt. Nec abhorret à uero, quòd filiæ nomine eadem ſignificatur eccleſia: nam cuius alterius typum gerebat etiam illa mulier,

Marc.5. cui poſt tactam fimbriam ſuam ſanatæ, ait Dominus: Filia fides tua te ſaluam fecit, uade in pace. Et certè (unde nullus ambigit) diſcipulos ſuos ipſe ſponſi filios appellauit, & ſe apertiſsimè ſponſum indicauit. Non poſſunt, inquit, ieiunare filij ſponſi, quandiu cum illis eſt ſponſus: uenient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. Holocauſtoma ergo erit eccleſia, quam uirginem caſtam beatus Apoſtolus appellat, quando in reſurrectione mortuorum fiet

1.Cor.15. uniuerſa, quod ſcriptum eſt: Abſorpta eſt mors in uictoria: Tunc tradet regnum Deo & patri. Quod regnum ipſa eccleſia eſt, ipſe cuius figuram tenet uouens ille geſtabat. Sed quoniam tunc fiet, cùm completa fuerit ſexta ætas ſeculi, ideo ſexaginta dierum à uirginitate dilatio poſtulata eſt. Ex omnibus quippe ætatibus

Sex ætates eccleſia congregatur. Quarum prima eſt, ab Adam uſque ad diluuium. Secunda à diluuio, id eſt, à Noë uſque ad Abraham. Tertia ab Abraham uſque ad Dauid.

A uid. Quarta à Dauid usque ad transmigrationem in Babyloniam. Quinta ab hac transmigratione usque ad uerginis partum. Sexta inde usque in huius seculi finem. Per quas sex ætates tanquam per sexaginta dies fleuit sancta uirgo ecclesia uirginalia sua, quia licet uirginalia, tamen fuerant peccata deflenda: propter quæ uniuersa ipsa uirgo toto orbe diffusa quotidie dicit: Dimitte nobis debita nostra. Eosdem autem sexaginta dies, duos menses maluit appellare, quantùm existimo, propter duos homines: unum per quem mors, alterum per quem resurrectio mortuorum, propter quos etiam duo testamenta dicuntur. Quod uerò factum est ex præcepto in Israël, ex diebus in dies conueniebant lamentari filium Iepte Galaatiden, quatuor dies in anno nō puto significare aliquid post impletum holocaustoma, quod erit in uitam æternam, sed præterita tempora ecclesiæ, in quibus erant lugentes. Quatriduo autem figurata est eius uniuersitas, propter quatuor partes orbis, per quas longè latéque diffusa est. Ad historiæ uerò proprietatem, non arbitror hoc decreuisse Israëlitas, nisi quia intelligebāt in ea re iudicium Dei magis ad perfectionem patrum fuisse depromptum, ne tale uouere sacrificium deinceps ullus auderet. Nam quare luctus & lamentatio decernere-tur, si uotum illud lætitiæ fuit? Si autem & illud quod populus Effrem postea ab eodem Iepte debellatus est, ad iudicium Dei, quod erit in fine, referendum est: sicut ipse Dominus dicit: Eos qui noluerunt me regnare sibi, adducite & interficite coram me: nec ibi quadraginta duo milia, qui ceciderunt, uacanti numero com- *Luc.19.*
memorati sunt. Sicut enim illi duo menses propter sexaginta dies senarium numerum sex ætatum significant: ita & ibi sexies septenarius dictus hoc idem figu-
B rat, quantùm ad sex ætates seculi pertinet: sexies enim septem quadraginta duo sunt. Nec frustra & ipse Iepte sex annis populum iudicauit.

Ex lib.2. de mirab. sacræ scriptu. Cap. VI. Tomo III.

Iterum cùm Philisthæis seruiret Israëlitica plebs, Manue filij Saruch de tribu Dan, sterili uxori primò, deinde ipsi Manue Dei angelus prophetali habitu apparuit, eósque de filio qui eis esset nasciturus, qualiter fieret educandus edocuit, quodúe nunquam nouacula caput eius transiret, & siceram & uinum & omne quod inebriare potest non biberet. Cui cùm Manue nesciens esse angelum, prandium uoluisset præbere, angelus inquit: De cibis tuis non comedam, sed Domino si uis holocaustum compone. Quod cùm Manue illo præcipiēte composuit, cum igne holocausti coram eis statim angelus in cœlum ascendens demonstrauerat, quòd per nasciturі hominis fortitudinem Deus populi liberationem parauerat. Natus igitur Samson, iuxta imperium nutritus, maximā fortitudinem in septem sui capitis crinibus habuit. Quod pro certo probatum est, dum eisdem nudatus aliquando etiam uirtutem amisit. Nam cùm Dalilam in ualle Sorecti mulierem de regione Philistinorum alienigenam adamaret, & illa pecuniam à Philistinis principibus, pro quibus multa fecerat, perditionis eiusdem mercedem accæpisset: ipse poscenti fortitudinis suæ mysteria in capillorum suorum conseruatione fieri indicauit. Et illa dormientis in sinu suo, uocato rasore, caput totondit. Perductúsque Samson à Philistæis, oculis orbatus molam manu uertebat, donec

capilli illius ad priorem longitudinem creuerunt. Deinde Philisthęis epulantibus, C
ut inter epulas Samson illuderetur, adducitur: & ipse puero retinenti gressus dixerat, ut se ad duas columnas perduceret, quibus tota domus imminebat, quatenus super illas ueluti lassus reclinaretur. Quibus ambabus utraque manu apprehensis, inuocato auxilio Domini totam domum cõcussit. Quæ citò corruens tria Philisthinorum milia pariter cum ipso Samson prostrauit. Sed naturas inuestigantibus, solutionem non minimam incutit, quomodo totum sensibile corpus in insensibili capillo motum fortitudinis habuit, cuius damnum doloris sensum nequaquam intulit, cùm illum tonsor à reliquo corpore ferramenti aculeo diuisit. De Samson ergo priusquam nasceretur à Domino præcipitur, ut capillus illius nunquam ferri acumine alicuius à tali tonderetur. Quamdiu igitur in mandati diuini custodia permanserat, spiritussancti munere maximam fortitudinem habebat. Vnde cùm muliebri persuasione præcepti Dominici transgressionem adinuenit, etiam spiritale fortitudinis donum quod habuerat, statim recessit. Non in sensibili capillo ossium, & carnis & sanguinis, qui nihil ex his habet, inerat: sed mandati Dominici obseruatio donum fortitudinis obseruabat. Sed fortasse aliquis diceret: Quare ergo cum capillis iterum fortitudo illius sucreuit, si nõ in capillis priorem fortitudinem habuerit? Attamen etiam in hac uita, nõ in tam longo capillo amissam uirtutem recuperabat: quàm donum speciale quod negligens amisit, afflictus pœnitentia crescentibus capillis paulatim impetrabat: præsertim cùm in huius mandati transgressione ex parte licet aliqua excusabitur: quamuis suæ uirtutis Dalilæ petenti mysterium suum non negauit. Non tamen se imperante uel conce- D
dente uel sentiente tondetur. Vnde afflictus paulatim à Deo impetrabat facilius, quod non sponte sed dormiens seductus amittebat.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

Quæst. super Iudic. lib. 7. Cap. L. Tomo IIII. I

Aue ergo ne bibas uinum. Quæri potest quomodo dixerit angelus ad ma-
C trem Samsonis, cùm annuntiaret ei filium futurum, quia sterilis erat: Et nunc obserua, & non bibas uinum & siceram, non manduces omme immundum. Quid est enim immundum, nisi fortè dissolutio disciplinæ, quæ esse cœperat in Israël, & iam ad ea mãducanda eos labefecerat, quę prohibuerat Deus in generibus animalium? Cur enim non credatur etiam hoc eos multò procliuius facere potuisse, qui etiam ad cultum idolorum transgrediebantur? Quod mater Samsonis uiro suo indicans quemadmodum illi angelus annuntiauerit filium futurum, dixit: Et interrogabam eum unde esset, & nomen suum annuntiauit mihi. Quæri potest utrùm uerum dixerit, quoniam hoc non legitur, cùm ei angelus loqueretur. Sed intelligendum est hoc ibi scripturam tacuisse, hîc autem commemorasse quod ibi tacuerat. Illud etiam qu òd non ait: Interrogaui eũ quid uocaretur, & nomen suum non annuntiauit mihi, sed ait: Interrogaui unde esset, uidetur inconsequens quod addidit, & nomen suum non annuntiauit mihi. Non enim nomen eius interrogauerat, cùm quæreret unde esset, sed locum uel ciuitatem, cùm hominem putaret. Nam & hominem Dei eum appellauit, specie tamen
uel

A uel habitu angelo similem,hoc est,quia tam præclarum uidit,sicut ipse narrauit. Sed si ita distinguatur:Et interrogabam eum unde esset,& nomen suũ,ut subaudiatur,interrogabam eum,& postea inferatur,non annuntiauit mihi, non habet quæstionẽ:ad utrunq; enim referri potest,quod ait,non annuntiauit mihi,id est, nec unde esset,nec nomen suũ. Item quòd ait eadem mulier dictum sibi esse ab angelo,quoniam Nazareus Dei erit puer à uentre usque ad diem mortis suæ,non legitur ab angelo dictum.Et quod legitur dictum:Ipse incipiet saluum facere Israël de manu Philistijm,nõ est à muliere cõmemoratũ.Itaque & aliquid nõ dixit quod audiuit,et tamen nihil credenda est dixisse,quod non audiuit:sed scripturã potius non omnia uerba angeli posuisse,cùm ipsum mulieri loquentẽ insereret narrationi.Ideo autẽ dictũ est,à uentre usq; ad diẽ mortis suæ,quia Nazaræi dicebãtur in lege ad tempus,qui uotũ habebant,secundũ ea quæ scriptura per Moysen pręceperat.Vnde hoc est quòd huic iussum est ut ferrũ nõ ascẽderet in caput eius,& uinũ & sicerã nõ biberet.Hoc enim tota uita sua obseruauit Sãson,quod illi qui uocati sunt Nazarȩi,certis diebus obseruabãt uouẽtes,uotũq; reddentes. Quòd dicit scriptura:Quoniã ignorauit Manue,quia angelus Dei est, manifestũ est etiã eius uxorem hominem credidisse.Quod ergo ei dixit:Vim faciamus tibi nunc,& faciamus in conspectu tuo hœdũ caprarum,tanquam hominem inuitauit,sed ita ut hoc cum illo epularetur quod sacrificium fecisset. Nã facere hœdũ caprarum non solet dici,nisi cùm fit sacrificiũ.Denique & ille ita respõdit:Si uim feceris mihi,nõ manducabo de panibus tuis,ubi ostẽdit se fuisse ad epulas inuitatũ.Deinde addidit:Et si feceris holocaustum Domino offeres illud. Vtique ideo dixit:Si feceris holocaustũ,quia ille dixerat:Faciamus in conspectu tuo hœdum caprarũ.Non autẽ omne sacrificium holocaustum erat:nã de holocausto nõ manducabatur,quia totum incendebatur,& ideo uocabatur holocaustum. Sed angelus etiam nõ manducaturus,holocaustũ potius fieri admonuit,nõ tamen sibi sed Domino,propter hoc maximè,quia gens Israël illo tempore cõsueuerat quibuslibet dijs falsis sacrificare. Vnde & tũc offenderat Deũ,ut traderetur inimicis per quadraginta annos. Quid sibi uult,quòd posteaquam manifestatus est Manue & uxori eius angelus,qui cum eis loquebatur,dixit idem Manue uxori suæ morte moriemur,quoniã Deũ uidimus:ex illa scilicet legis sentẽtia,ubi scriptum est: Nemo potest faciẽ meam uidere & uiuere.Opinabantur ergo ut homines Deum se uidisse,tanto utiq; miraculo facto,quod in igni sacrificij stetit,qui cũ illis prius quasi homo loquebatur.Sed Deũ in angelo,an Deum ipsum angelum appellabãt? Sic enim scriptum est:Et sumpsit Manue hœdum caprarum,& sacrificium obtulit super petram Domino mirabilia facienti,& Manue & uxor eius expectabant. Et factum est dum ascenderet flamma desuper altare ad cœlum,et ascendit angelus Domini in flamma,& Manue uxorq; illius expectabant. Et ceciderunt super faciẽ suã super terram,& nõ apposuit ultrà angelus Domini apparere ad Manue & ad uxorem eius. Tunc cognouit Manue,quoniam angelus Domini est,et dixit Manue ad uxorem suam,morte moriemur,quoniam Deum uidimus.In his ergo uerbis,quia nõ dixit,morte moriemur,quoniam angelum Domini uidimus, sed Deum uidimus,oritur quæstio,utrùm in angelo intelligebant Deum,an eundem

B (margin letter, beside "xit:Si feceris holocaustũ")

Exod.33. (margin, beside "Nemo potest faciẽ meam uidere")

angelum deum uocabant. Illud enim tertium, quòd deum putauerāt qui erat angelus, dicī non poteſt, apertiſſimè dicente ſcriptura: Tunc cognouit Manue, quoniā angelus domini eſt. Sed unde metuebant mortem? Nō enim ſcriptura in Exodo dixerat: Nemo uidet faciem angeli & uiuet, ſed faciem meam dixit, cùm Deus loqueretur. An et in hoc ipſo, quòd in angeli præſentia deum cognouerat Manue, ita perturbatus eſt, ut mortem timeret. Quòd autem illi uxor ſua reſpondit: Si uellet Dominus mortificare nos, non accepiſſet de manu noſtra holocauſtoma et ſacrificium, nec illuminaſſet nos ad omnia hæc, ſed nec inaudita feciſſet nobis hęc, utrùm ipſum angelum crediderunt accepiſſe ſacrificiū, quia uiderunt eum in altaris flamma ſtetiſſe? An per hoc intellexerūt accepiſſe Dominum, quia hoc fecit angelus, ut ſe oſtenderet angelum? Quodlibet autē horum ſit, iam tamē angelus dixerat: Si autē facis holocauſtum, Domino offer illud: hoc eſt, nō mihi, ſed Domino. Quòd ergo ſtetit angelus in altaris flamma, magis ſignificaſſe intelligēdus eſt illum magni conſilij angelum in forma ſerui, hoc eſt, in homine, quem ſuſcepturus erat, non accepturum ſacrificium, ſed ipſum ſacrificium futurum. C

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. 107. Tomo X.

D *Eſcendit ergo Samſon in Thamnatha &c.* In lectione iſta, quæ nobis recitata eſt fratres chariſsimi, multa & nimia obſcura diuina myſteria continentur. Quæ quia nō poſſunt breuiter explicari, hac ſola ex cauſa pſalmos matutinos tēporius uoluimus cōſummare, ne uos ſermo prolixior fatigaret. Et quia hora cōſuetudinaria de eccleſia exituri eſtis, ea quæ dicēda ſunt ſecundū ueſtrā conſuetudinē cū ſilentio & quietè attento animo audite. Samſon fratres dilectiſsimi, D qualem fortitudinē habuerit de gratia Dei, nō de natura propria, iam audiſtis. Nā ſi fortis eſſet natus, cùm ei capillus diminueretur, fortitudo non adimeretur. Et ubi erat illa potētiſsima fortitudo, niſi in eo quod ſcriptura dixit: Incedebat cum illo ſpiritus Domini? Ad Domini ſpiritū pertinebat illa fortitudo. In Samſon uas erat, in ſpiritu plenitudo erat. Vas impleri & exinaniri poteſt. Videamus ergo Allophylis qualē parabolā Samſon propoſuit. De mādução, inquit, exiuit cibus, et de forte eſt egreſſa dulcedo. Prodita eſt hęc parabola, delata eſt ad amicos, ſoluta eſt, uictus eſt Sāſon. Hic ſi iuſtus eſt latet ualde, & in profundo eſt uiri huius iuſtitia. Nā et quòd legitur, uictus blāditijs muliebribus, et quòd ad meretricē intrauerit, uidete huius meritum uacillare minus intelligētibus ſecreta ueritatis. Requiramus fratres chariſsimi, quid ſignificauerit uictus, quid figurauerit uirtus, quid ſignificauerit cedēs blāditijs muliebribus, quid ſignificauerit prodens ſecretū parabolæ, quid ſignificauerit intrās ad meretricem, quid ſignificauerit uulpes capiēs, & per caudas uulpiū, quibus ignem alligauit, inimicorū fructus incendēs. Quos quidē fructus de cōpendio incendere potuit, ſi non in uulpibus myſteriū cogitaret. Nunquid ſtipula arida ardere non potuit, niſi ignē per eam uulpes traxiſſent? Intelligamus ergo fratres chariſsimi grādia hîc latere myſteria quæ uiderat. Samſon fratres dilectiſsimi, Chriſtū ſignificabat. Verum mihi dicere uideor, ſed continuò occurrit cogitātibus; Et Chriſtus uincetur blāditijs muliebribus? Et Chriſtus quomodo

A quomodo intelligitur ad meretricem intrare potuisse? Deinde & Christus capite nudatur, capillo raditur, uirtute spoliatur, alligatur, excęcatur, illuditur. Euigila fides, attende quid sit Christus, non solùm quid fecerit, sed etiã quid passus est Christus. Quid fecit? Operatus est ut fortis, passus est ut infirmus. In uno intelligo utrũq;, uideo fortitudinẽ filij Dei, uideo infirmitatẽ filij hominis. Accedit et aliud, quia Christus totus quomodo eũ scriptura cõmendat, & caput & corpus est. Sicut ecclesiæ caput est Christus, ita Christi corpus ecclesia est. Habet ergo ecclesia in se fortes, habet infirmos: habet iustos, habet et iniustos. Modo enim corpus Christi quod iustis area est, postea horreũ erit. Tamẽ cùm area est, nõ recusat paleas sustinere. Cùm tẽpus aduenerit reponet triticũ, & à paleis segregabit. Quædã ergo fecit Samson ex persona capitis, quædã ex persona corporis, totũ tamen ex persona Christi. In eo enim quòd uirtutes & mirabilia operatus est Samson, caput ecclesiæ Christũ significabat, in eo autem quòd prudenter fecit, illorũ qui in ecclesia iustè uiuũt, imaginẽ gesit. Vbi fortè præuentus est, & incautè egit, eos qui in ecclesia peccatores sunt figurauit. Meretrix quã Samson in coniugiũ sumit, ecclesia est, quæ ante agnitionẽ unius Dei cum idôlis fornicata fuit, quam postea sibi Christus adiunxit. Postquã ab eo illuminata fidem suscępit, etiã hoc meruit, ut per eũ salutis sacramenta cognosceret, & ab eodẽ reuelarentur ei mysteria cœlestiũ secretorum. Nam quæstio ipsa quæ continet: De edente exiuit cibus, & de forte est egressa dulcedo, quid aliud significat quàm Christum à mortuis resurgentem? De edẽte utique, id est, de morte quæ cũcta deuorat atq; cõsumit, exiuit cibus ille qui

B dixit: Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi: quem humana exacerbauit iniquitas, eiq; aceti & fellis amaritudinẽ propinauit, atque ab eo plebs gentium uitæ dulcedinem conuersa suscępit: ac sic de mortui leonis ore, id est, de Christi morte, qui accubans dormiuit ut leo, apum, id est, Christianorũ processit examen. Quòd autem dicit: Nõ inuenissetis propositionem meam, nisi arassetis in uitula mea: hęc uitula, id est ecclesia, reuelata sibi à uiro suo secreta fidei mysteria trinitatis, resurrectionis, iudicij pariter & regni, in fines terræ apostolorum & sanctorum doctrina, & prædicatione uulgauit, & intelligentibus atque cognoscentibus æternæ uitæ prẽmia repromisit. Sequitur autem: Iratus est Samson, quia duxit sodalis eius uxorem eius. Sodalis iste omnium hæreticorum figuram gesit. Magnum secretũ est fratres mei. Nam hæretici qui ecclesiam diuiserunt, uxorem Domini sui ducere & abducere uoluerunt. De ecclesia enim & de euangelijs exierunt, qui impietatis adulterio ecclesiam, id est, Christi corpus in partem suã conantur inuadere. Vnde fidelis ille seruus & amicus dominicæ sponsæ loquitur: Despõdi enim uos uni uiro uirginem castã exhibere Christo. Videamus mysteriũ, iste Samson quid fecerit offensus. Cæpit enim uulpes, id est, adulterantes sodales, de quibus dicitur in Cantico cãticorũ: Capite nobis uulpes paruulas exterminãtes uineas. Quid est capite? Id est, comprehendite, conuincite, confutate, ne exterminentur ecclesiasticæ uineæ. Quid est aliud uulpes capere, nisi hæreticos diuinæ legis authoritate reuincere, & sanctarum scripturarum testimonijs uelut quibusdam uinculis alligare atque constringere? Vulpes capit, ligatis caudis, ignẽ apponit. Quid sibi uolunt caudæ uulpiũ colligatæ? Caudæ uulpiũ, quid sunt, nisi posteriora hæreticorũ, qui

Ephes. 5.
Matth. 13.
I. Cor. [illegible]
2. Cor. 11.
Cant. 2.

prima habent magna & blanda & deceptoria opera, posteriora ligata, id est, dānata, & ignē in fine trahentia, ut eorum fructus & acta cōsumant, qui suis seductionibus acquiescūt. Quòd autē intrauit ad meretricē, si sine causa fecit, quicunq; fecit, immundus est. Si non ita intrauit ut cōcūberet, mysterij causa fortassis intrauit. Sed cōcubuisse non legimus. Sequitur: Inimici uerò expectabant ad portas ciuitatis, ut cōprehenderēt eū cùm de meretrice ad quā intrauerat fuisset egressus. Ille autem dormiebat. Videte queādmodum non scriptū est, quia mixtus est meretrici, sed scriptū quia dormiebat. Vbi surrexit, inquit, media nocte exijt, abstulit portas ciuitatis ipsius cum seris, & easdē portas in cacumine montis posuit. Ab Allophylis teneri nō potuit, portas ciuitatis quibus ad meretricē intrauit abstulit, & in mōte leuauit. Quid est hoc? Infernū & amorem mulieris, utrunq; scriptura cōiūgit. Inferni ignē tenebat domus meretricis. Pro inferis ponitur domus meretricis. Rectè pro inferis ponitur, quia neminē repellit, omnem intrantē ad se trahit. Agnoscimus hoc loco redemptoris nostri opera. Postquam synagoga ad quam uenerat, à se per diabolū separata est, posteaquam eum decaluauit, id est, in loco caluariæ crucifixit, ad inferna descendit: & inimici custodiebāt locū dormiētis, id est, sepulchrum, & capere uolebant quē uidere nō poterāt. Ille autē dormiebat ibi. Hoc ideo dixit, quia uerè mortuus erat. Et quod dictū est: Media nocte surrexit, hoc significauit, quia in secreto surrexit. Apertè enim passus est, solis autē discipulis & certis quibusq; resurrexisse manifestus est. Ergo quòd intrauit omnes uiderūt, quòd surrexit pauci cognouerūt, tenuerunt & palpauerūt. Tollit tamē portas ciuitatis, id est, aufert portas inferni. Quid est portas inferni tollere, nisi mortis imperiū remouere? Recipiebat enim, nō remittebat. Quid autē fecit dominus Iesus Christus? Ablatis portis mortis, ascēdit in cacumē mōtis. Nouimus enim eū & resurrexisse, & in cœlos ascendisse. Quid est autē quòd et in capillis uirtutē habebat? Et hoc fratres diligēter aduertite: Virtutē non habuit in manu, nō in pede, non in pectore, non in ipso capite, sed in capillis, in crinibus. Quid sunt capilli, quid comæ? Et nos uidemus, & interrogatus Apostolus respondet nobis: Coma

1.Cor.11. uelamentū est. Et in uelamento Christus habebat uirtutē, quando umbræ ueteris legis eū tegebāt. Coma ergo Samson in uelamēto erat, quia in Christo aliud uidebatur, & aliud intelligebatur. Quid sibi autē uult quòd proditū est secretū & decaluatus est Samson? Contēpta est lex, & passus est Christus. Christum enim non occiderēt, si legē non contempsissent. Nā nouerant & ipsi quia eis Christū nō licebat occidere. Dicebāt iudici: Nobis non licet occidere aliquē. Decaluatus est Sam-

Ioan.18. son, reuelata sunt cōdensa, remotum est uelamentū, & Christus qui latebat apparuit. Capilli autē rediuiui caput iterū uestierunt, quia Iudæi nec resurgentē Christum agnoscere uoluerunt. Fuit quidem in molendino, fuit cæcatus, fuit in domo carceris. Domus carceris uel molendinum labor est huius seculi. Excæcatio autē Samson illos indicat, qui infidelitate cęcati Christum nec uirtutes operantem, nec ascendentē ad cœlestia cognouerūt. Cæcitas ergo Samson quam intulerunt, cæcitatē Iudæorum significabat. Christus autem à Iudæis & comprehensus est & occisus. Adduxerunt ergo eum inimici ut illuderent ei. Iam hîc imaginem crucis attendite. Expansus enim manus ad duas columnas, quasi ad duo ligna crucis extendit,

A extendit, sed aduersarios suos interemptos oppressit, & illius passio interfectio facta est persequentium. Et ideo scriptura concludit: Plures mortuus occidit, quàm uiuus occiderat. Non hoc mysterium in domino nostro Iesu Christo impletum est: Redemptionem nostram, quam ipse uiuens minimè celebrauerat, mortuus consummauit.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Quæst. super Iudic. lib. 7. Cap. LV. Tomo IIII.

Tibiam super femur. Quid est quod dictum est, quòd percussit alienigenas Samson tibiã super femur. Quis enim habet tibiam super femur, cùm tibia deorsum uersus non sit nisi à genu usque ad talũ. Deinde si locũ corporis significauit, ubi eos uulnerauit, nunquid nã omnes quos percussit, in uno corporis loco fuerat uulneraturus? Quod si esset credibile, possemus forsitã suspicari eum pugnasse tibia alicuius animalis tanquam fuste, & ea illos super femora percussisse: sicut de illo scriptum est, quòd maxilla asini mille occiderit. Sed neque illud, ut dixi, credibile est, quòd pugnans unum tantùm locum obseruauerit, ubi eos percuteret: & non ait scriptura: Percussit eos tibia super femur, sed tibiã super femur. Nimirum ergo inusitata locutio facit obscuritatem. Ita enim dictũ est, ac si diceretur percussisse eos ualde mirabiliter, id est, ut admirãdo stupentes, tibiã super femur ponerẽt: tibiã scilicet unius pedis super femur alterius, sicut solent sedere, qui mirãdo stupent, tanquã si diceretur: Percussit eos manũ ad maxillã, id est, tãta cæde ut manum ad maxillã tristi admiratione ponerent. Hũc sen-
B sum ita se habere etiã interpretatio, quæ est ex Hebræo, satis edocet. Nam ita legitur: Percussit eos ingenti plaga, ita ut stupentes surã femori imponerent. Tale est enim, ac si diceret, tibiam femori imponerent: quoniã sura utique retrorsus cum tibia est. Quid est quòd ait Samson uiris Iuda: Iurate mihi, ne interficiatis me uos, & tradite me eis, ne fortè occurratis in me uos? Quã locutionem ita nõnulli interpretati sunt: Ne fortè ueniatis aduersum me uos. Sed hoc eum ne ab his interficeretur, dixisse illud indicat, quod in regnorum libro scriptum est, iubente Salomone ut homo occideretur & dicente: uade occurre illi, quod ideo non intelligitur, quia non est consuetudinis apud nos ita dici. Sic enim quod militares potestates dicunt: Vade alleua illum, et significat occide illum, quis intelligat, nisi qui illius locutionis consuetudinem nouit? Solet & uulgò apud nos dici: Compediauit illi, quod est occidit illum. Et hoc nemo intelligit, nisi qui audire cõsueuit. Hæc est enim uis generalis omnium locutionum, ut quemadmodum ipsæ linguæ non intelligantur, nisi audiendo uel legendo discantur.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Locut. de Iudicum lib. 7. Tomo III.

Sicut stuppa cum olfecerit ignem. Metaphora ab animali ad inanimale. Non enim stuppa sensum habet olfactus, sed ita dictũ est, ac si diceretur cùm ignẽ senserit. Quãuis & hoc quod dixi, senserit, ad eandẽ metaphoram pertineat, sed ad celeritatem intelligendam pertinet, quod dictum est olfecerit,

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN LIB. I REGVM COMMENTARIA.

CAPVT SECVNDVM.

Ex lib. 17. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. IIII. Tomo V.

O Rauit uero Anna & ait: *Exultauit cor meum &c.* Itáne uerba hæc unius putabuntur esse mulierculę, de nato sibi filio gratulantis? Tantúmne mens hominum à luce ueritatis auersa est, ut non sentiat supergredi modũ fœminæ, huius dicta quæ fudit? Porrò, qui rebus ipsis, quæ iam cœperunt etiam & in hac terrena peregrinatione compleri, conuenienter mouetur, nónne intendit, & aspicit, & agnoscit per hanc mulierẽ, cuius etiam nomẽ, id est, Anna, quæ gratia eius interpretatur, ipsam religionẽ Christianã, ipsam ciuitatẽ Dei, cuius rex est & conditor Christus: ipsam postremò Dei gratiam prophetico spiritu sic locutã, à qua superbi alienantur, ut cadant, qua humiles implentur, ut surgant, quod maximè hymnus iste personuit? Nisi quisquam fortè dicturus est, nihil istam prophetasse mulierẽ, sed Deũ tantummodo propter filium, quem precata impetrauit exultãti prædicatione laudasse. Quid ergo sibi uult, quod ait? Arcum potentium &c. Nũquid septem ipsa pepererat, quamuis sterilis fuerat? Vnicum habebat quando ista dicebat, sed nec postea septem peperit siue sex quibus septimus esset ipse Samuel; sed tres mares & duas fœminas. Deinde in illo populo cùm adhuc nemo regnaret, quod in extremo posuit, dat uirtutem regibus nostris, & exaltauit cornu Christi sui, unde dicebat, si nõ prophetabat? Dicat ergo ecclesia Christi, ciuitas regis magni, gratia plena, prole fœcũda, dicat quòd tãtò antè de se prophetatũ per os huius piæ matris agnoscit: Cõfirmatum est cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meũ in Deo meo. Verè confirmatũ est cor, et cornu uerè exaltatũ, quia non in se, sed in domino Deo suo. Dilatatum est super inimicos meos os meũ, quia & angustijs pressurarum sermo Dei nõ est alligatus, nec in præconibus alligatis. Lætata sum, inquit, in salutari tuo. Christus est ipse Iesus, quem Simeon sicut in euangelio legitur, senex amplectens paruulum, agnoscens magnum: Nũc dimittis, inquit, Domine seruum tuum in pace, quoniã uiderunt oculi mei salutare tuũ. Dicat itaque ecclesia: Lętata sum in salutari tuo, quoniã non est sanctus, sicut Dominus, & non est iustus sicut Deus noster, tanquã sanctus & sanctificans, & iustus & iustificans, nõ est sanctus pręter te, quia nemo fit nisi abs te. Denique sequitur: Nolite gloriari superbè &c. Et nemo scit, quod ipse scit, quoniã qui putat se aliquid esse, cùm nihil sit, seipsum seducit. Hæc dicuntur aduersarijs ciuitatis Dei ad Babyloniã pertinentibus, de sua uirtute præsumentibus in se non in Domino gloriantibus, ex quibus sunt etiã carnales Israelitæ terrenæ Hierusalem ciues terrigenæ, qui ut dicit Apostolus: Ignorantes Dei iustitiã, id est, quam dat hominibus Deus, qui solus & iustus & iustificans, & suam uolentes constituere, id est, uelut à se sibi paratam, nõ ab illo impertitam, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Itaque quia superbi se de suo putantes nõ de Dei posse placere Deo,

Rom. 10.

qui

A qui est Deus scientiarum, atque ideo & arbiter conscientiarum, ibi uidens cogitationes hominum, quoniam uanæ sunt, si hominum sunt, & ab illo non sunt. Et præparans, inquit, adinuentiones suas. Quas adinuentiones putamus, nisi ut superbi cadant, & humiles surgant? Has quippe adinuentiones exequitur dicens: Arcus potentium infirmatus est, & infirmi præcincti sunt uirtute. Infirmatus est arcus, id est, intentio eorum, qui tam potentes sibi uidentur, ut sine Dei dono atque adiutorio humana sufficientia diuina possint implere mandata, & præcinguntur uirtute, quorum interna uox est: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Pleni panibus, inquit, minorati sunt, & esurientes transierunt terram. Qui sunt intelligendi pleni panibus, nisi ijdem ipsi quasi potentes, id est, Israëlitæ, quibus credita sunt eloquia Dei? Sed in eo populo ancillæ filij minorati sunt, quo uerbo minus quidem Latinè, bene tamen expressum est, quòd ex maioribus minores facti sunt, quia & in ipsis panibus, id est, diuinis eloquijs, quæ Israëlitæ soli tunc ex omnibus gentibus acceperunt, terrena sapiunt. Gentes autem quibus lex illa non erat data, posteaquam per nouum testamentum ad eloquia illa uenerunt, & multùm esuriendo terram transierunt, quia in eis non terrena, sed cœlestia sapuerunt: Et hoc uelut quæreretur causa, cur factum sit, quia sterilis, inquit, peperit septem, & multa in filijs infirmata est. Hic totum, quod prophetabatur, eluxit agnoscentibus numerum septenarium, quo est uniuersæ ecclesiæ significata perfectio. Propter quod & Ioannes apostolus ad septem scribit ecclesias, eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scri- Apoc. 1.
B bere. Et in Prouerbijs Salomonis hoc antea præfigurans: Sapientia, inquit, ædificauit sibi domum, & suffulsit columnas septem. Sterilis enim erat in omnibus gẽtibus Dei ciuitas, antequam iste fœtus, per quem eam factam fœcundam cernimus, oriretur. Cernimus etiam, quæ multa in filijs erat, nunc infirmatam Hierusalem terrenam, quoniam quicunque filij liberæ in ea erant, uirtus erant eius. Nunc uerò ibi quoniam litera est, & spiritus non est, amissa uirtute infirmata est. Dominus mortificat & uiuificat, mortificauit illam, quæ multa erat in filijs, & uiuificauit hanc sterilem, quæ peperit septem. Quamuis commodius possit intelligi eosdem uiuificare, quos mortificauerit. Id enim uelut repetiuit addendo: Deducit ad inferos & reducit. Quibus enim dicit Apostolus: Si mortui estis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Salubriter utique mortificantur à Domino, quibus adiungit: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, ut ipsi sint illi, qui esuriẽtes transierunt terram. Mortui enim estis, inquit. Ecce quomodo salubriter mortificat Deus. Deinde sequitur: Et uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Ecce quomodo eosdem ipsos uiuificat Deus. Sed nunquid eosdem deduxit ad inferos, & reduxit? Hoc utrunque sine controuersia fidelium in illo potius uidetur impletũ, capite scilicet nostro cum quo uitam nostram in Deo Apostolus dixit absconditã. Nam qui proprio filio nõ pepercit, sed pro omnibus tradidit illũ, isto modo utique mortificauit eũ. Et quia resuscitauit eũ à mortuis, eundẽ rursus uiuificauit. Et quia in prophetia uox eius agnoscitur. Non derelinques animã meam in inferno, eũdem deduxit ad inferos & reduxit. Hac eius paupertate ditati sumus. Dominus enim pauperem facit & ditat.

Col. 3.
Rom. 8.
Psal. 15.

ditat. Nam quid hoc sit, ut sciamus, quod sequitur, audiamus. Humiliat & exaltat C
Iacob.4. utiq; superbos humiliat, & humiles exaltat. Quod enim alibi legitur: Deus super
1.Pet.5. bis resistit, humilibus autẽ dat gratiã, hoc totus habet sermo huius, cuius nomen interpretatur gratia eius. Iã uerò quod adiũgitur: Suscitat à terra pauperẽ, de nullo melius quàm de illo intelligo, qui propter nos factus est pauper cùm diues esset, ut eius paupertate, sicut paulò antè dictũ est ditaremur. Ipsum enim de ter-
2.Cor.8. ra suscitauit tã citò, ut caro eius nõ uideret corruptionẽ. Nec illud ab illo alienabo, quod additũ est, et de stercore erigit inopẽ. Inops quippe idẽ est quod pauper. Stercus uerò unde erectus est, rectißimè intelligũtur persecutores Iudæi in quorũ numero cùm se dixisset Apostolus ecclesiã persecutũ: Quæ mihi, inquit, fuerũt lucra, hæc propter Christũ dãna esse duxi, nec solùm detrimenta, uerùm etiã stercora existimaui esse, ut Christũ lucrifacerẽ. De terra ergo suscitatus est supra omnes diuites ille pauper, & de illo stercore erectus est supra omnes opulẽtos ille inops, ut sedeat cũ potẽtibus populi, quibus ait: Sedebitis super duodecim sedes.
Matth.12. Et sedẽ gloriæ hæreditatẽ dans eis. Dixerãt enim potẽtes illi: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te, hoc uotũ potẽtißimi uouerãt. Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hîc cõtinuò dictũ est: Dans uotũ uouenti? Alioquin ex illis essent potẽtibus quorũ infirmatus est arcus, dans, inquit, uotum uouẽti. Nõ enim Domino quisquã quicquã ratũ uoueret, nisi qui ab illo acciperet, quod uoueret. Sequitur. Et benedixit annos iusti, ut cum illo scilicet sine fine uiuat, cui dictũ est: Et anni tui nõ deficiẽt. Ibi enim stãt anni, hîc autẽ trãseunt, imò pereunt, antequam enim ueniãt, nõ sunt, cùm autẽ uenerint, nõ erunt, quia cũ suo fine ueniũt. Horũ autem D duûm, id est, dans uotũ uouenti, & benedicẽs annos iusti, unũ est quod facimus, alterum quod sumimus, sed hoc alterum Deo largitore nõ sumitur, nisi cùm ipso adiutore primum illud efficitur, quia nõ in uirtute potens est uir. Dominus infirmũ faciet aduersariũ eius, illum scilicet qui homini uouenti inuidet, & resistit: ne ualeat implere, quod uouit. Potest ex ambiguo Græco intelligi & aduersariũ suũ. Cùm enim Dominus possidere nos cœperit, profectò aduersarius qui noster fuerat, ipsius fit, & uincetur à nobis, sed nõ uiribus nostris, quia nõ in uirtute sua potens est uir. Dominus ergo infirmũ faciet aduersarium suum, Dominus sanctus ut uincatur à sanctis, quos Dominus sanctus sanctorum effecit sanctos. Ac per hoc non glorietur prudens in prudentia sua, & non glorietur potens in sua potẽtia, & non glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelli
Hier.9. gere & scire Dominum, & facere iudicium & iustitiam in medio terræ. Non parua ex parte intelligit, & scit Dominum, qui intelligit, & scit etiam hoc à Domino
2.Cor.4. sibi dari, ut intelligat & sciat Dominum. Quid enim habes, ait Apostolus quod non accępisti? Si autem & accępisti, quid gloriaris, quasi non accęperis, id est, quasi à te ipso tibi sit unde gloriaris? Facit autem iudicium & iustitiam, qui rectè uiuit. Rectè autem uiuit, qui obtẽperat præcipiẽti Deo, & finis præcepti, id est, ad quod refertur præceptum, charitas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Porrò ista charitas, sicut Ioãnes apostolus testatur ex Deo est. Facere igitur iudicium & iustitiam ex Deo est. Sed quid est in medio terræ? Neque enim nõ debent facere iudiciũ & iustitiã qui habitãt in extrẽmis terræ, quis hoc dixerit? Cur ergo

V ergo additum est, in medio terræ? Quod si non adderetur, & tantũmodo diceretur, facere iudicium & iustitiam, magis hoc præceptum ad utrosq; homines pertineret, & mediterraneos & maritimos. Sed ne quisquam putaret post finem uitę, quę in hoc agitur corpore, superesse tempus iudicium, iustitiámq; faciendi, quam cùm esset in carne non fecit, & sic diuinũ euadi posse iudiciũ, in medio terræ mihi uidetur dictũ, cùm quisq; uiuit in corpore. In hac quippe uita suã terram quisq; circunfert, quã moriente homine recipit terra cõmunis, resurgenti utiq; reddi tura. Proinde in medio terræ, id est, cùm anima nostra isto terreno clauditur corpore, faciendũ est iudicium & iustitia, quod nobis prosit in posterũ, quando recipiet quisq; secundũ ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malũ. Per corpus quippe ibi dixit Apostolus, per tempus quo uixit in corpore. Nõ enim si quis maligna mente atq; impia cogitatione blasphemet, neq; id ullis mẽbris corporis operetur, ideo nõ erit reus, quia id nõ motu corporis gessit, cùm hoc per illud tẽpus gesserit, quo gessit & corpus. Isto modo congruenter intelligi potest etiam illud, quod in psalmo legitur: Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ, ut Dominus Iesus accipiatur Deus noster, qui est ante secula, quia per ipsum facta sunt secula, operatus est salutem nostrã in medio terræ, cùm uerbum caro factũ est, & terreno habitauit in corpore. Deinde posteaquam prophetatum est in his uerbis Annę: quomodo gloriari debeat, qui gloriatur, non in se utiq:, sed in Domino propter tributionẽ, quę in die iudicij futura est. Dominus, inquit, ascẽdit in cœlos, & tonuit, ipse iudicabit extrema terræ, quia iustus est. Prorsus ordinem tenuit confessionis fidelium. Ascendit enim in cœlum Dominus Christus, & inde uenturus est ad uiuos & mortuos iudicandos. Nam quis ascendit, sicut dicit Apostolus, nisi qui & descendit in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Per nubes ergo suas tonuit, quas spiritusancto cùm ascendisset impleuit. De quibus ancillæ Hierusalem, hoc est, ingratæ uineæ cõminatus est apud Esaiam prophetã, ne pluant super eam imbrem. Sic autem dictum est: Ipse iudicabit extrema terræ, ac si diceretur, etiam extrema terræ: nõ enim alias terræ partes nõ iudicabit, qui omnes homines procuidubiò iudicabit. Sed melius intelligũtur extrema terrę extrema hominis, quoniam non iudicabuntur, quę in melius uel deterius medio tempore cõmutantur, sed in quibus extremis inuentus fuerit qui iudicabitur. Propter quod dictum est: Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Qui ergo perseueranter facit iudicium & iustitiam in medio terræ, non damnabitur cùm iudicabuntur extrema terræ. Et dat, inquit, uirtutem regibus nostris, ut nõ eos iudicando condẽnet. Dat eis uirtutem, qua carnem sicut reges regant, & in illo, mundum qui propter eos fudit sanguinem, uincant. Et exaltabit cornu Christi sui. Quomodo Christus exaltauit cornu Christi sui? De quo enim suprà dictũ est, Dominus ascendit in cœlos, & intellectus est Dominus Christus ipse, sicut hîc dicitur, exaltabit cornu Christi sui, qui est Christus. Christus ergo Christi sui cornu exaltabit: id est, uniuscuiusq; fidelis sui, sicut ista ipsa in principio huius hymni ait: Exaltatũ est cornu meum in Deo meo. Omnes quippe unctos eius chrismate, rectè Christos possumus dicere, quod tamen totum cum suo capite corpus, unus est Christus. Hæc Anna prophetauit

Marginalia: 2.Cor.5. (beside "Nõ enim si quis maligna"); Psal.73. (beside "in psalmo legitur"); B (beside "nem tenuit confessionis"); Eph.4. (beside "Qui descendit ipse est")

tauit Samuelis sancti uiri mater multúmque laudati. In quo quidem tunc figura- C
ta est mutatio ueteris sacerdotij, & nunc impleta quãdo infirmata est, quæ multa
erat in filijs, ut nouũ haberet in Christo sacerdotium sterilis, quæ peperit septem.

Ex lib. 2. Cont. lit. Petil. Donatist. Cap. CV. Tomo VII.

Si autem peccauerit sacerdos, quis orabit pro eo? Ita enim uos miseris plebibus uen
ditatis commemorantes ex propheta: Si peccauerit populus &c. ut uos sine pec-
cato esse credant, & peccata sua uestris orationibus purganda committant. Ma-
gni homines uos excelsi, cœlestes, diuini, non iam homines, sed angeli, qui pro ple
bibus oratis, & pro uobis plebes orare non uultis. Tu ne iustior Paulo, tu perfe-
ctior tanto Apostolo, qui eorum quos docebat orationibus se cõmendabat. Ora-
tioni, inquit, instate, uigilantes in illa, in gratiarum actione, orantes simul & pro
nobis, ut Deus aperiat nobis ostium uerbi ad loquendum mysterium Christi, pro-
pter quod & uinctus sum, ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui. Ecce ora-
tur pro Paulo apostolo, quod fieri nõ uis pro episcopo. Vidésne quàm sit ista dia-
Col. 4. bolica superbia? Oratur pro Apostolo, ut manifestet mysteriũ Christi sicut opor-
tet loqui. Proinde si pias plebes haberetis, hortari debuisti ut pro te orarẽt, ne lo-
1. Ioan. 1. quereris sicut non oportet. Tu iustior Ioanne euangelista, qui ait: Si dixerîmus
quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est? Tu
postremò iustior Daniele? quem tu ipse in hac tua epistola ita cõmemorasti ut di-
ceres: Rex iustissimum Danielem ferinis morsibus ut putabat obiecit: quod non
ille non putauerat, quandoquidem amicissimo animo, sicut lectionis circunstan-
Dan. 6. tia probat, dixit ipsi Danieli: Deus tuus cui deseruis asiduè, ipse eripiet te. Sed D
hinc iam multa diximus: nunc quod agitur nempe iustissimus erat Daniel: non
testimonio tuo, quanquam hoc mihi ad causam quam tecum ago sufficiat, sed te-
Ezech. 14 stimonio spiritus Dei loquentis etiam per Ezechielem, ubi tres eminentissimę iu-
stitiæ nominauit Noë, Danielem & Iob, quos dixit solos à quadam uehementissi-
Dan. 9. ma ira Dei, quæ cęteris impẽderet posse liberari. Vir ergo iustissimus, unus ex tri
bus memorabilibus orat & dicit: Cùm orarem & confiterer peccata mea & pec-
cata populi mei in conspectu domini Dei mei. Et tu te dicis esse sine peccato, quia
uidelicet sacerdos es, & si peccauerit populus, oras pro eo: si autẽ tu peccas, quis
pro te orabit? Verè quia impietate tantæ arrogãtiæ indignum te præbes, pro quo
sacerdos ille interpellet, quem propheta his uerbis, quæ non intelligis uoluit intel
ligi. Iam enim ne quis inquirat cur hoc dictum sit, quantùm Dominus donat ex-
pediam. Præparabat Deus animas hominum per prophetam, ut talem desidera-
rent sacerdotem, pro quo nullus posset orare. Ipse figurabatur temporibus pri-
mi populi & primi templi, ubi omnia figuræ nostræ fuerunt: Ideo solus summus
sacerdos intrabat in sanctasanctorum, ut oraret pro populo, qui cum sacerdote
in ipsa interiora sancta non introibat, sicut ille sacerdos intrauit in secreta cœlo-
rum in illa ueriora sanctasanctorum, adhuc nobis hîc positis pro quibus interpel
lat. Ideo dixit propheta: Si peccauerit populus, orabit pro eo sacerdos: si autẽ sa-
1. 6. Leuit cerdos peccauerit, quis orabit pro eo? Quasi diceret talẽ desiderate sacerdotem,
Heb. 9. qui peccare non possit, ne indigeat orari pro se. Et ideo pro apostolis oratur à po-
pulis: pro illo autem sacerdote apostolorũ magistro & Domino non oratur. Audi
hoc

A hoc Ioannē fatentem & dicentē: Fratres, inquit, hæc scribo uobis ut non peccetis: & si quis peccauerit, aduocatū habemus apud patrē Iesum Christum iustum, ipse est exoratio pro peccatis nostris. Habemus dixit, peccatis nostris dixit: Disce humilitatē ne cadas, imò ut aliquando surgas. Neq; enim ista dixisses, nisi cecidisses. 1. Ioan. 1.

Ex lib. 17. de ciuit. Dei ad Marcel. Cap. V. Tomo V.

Reuelans reuelatus sum ad domum patris tui. Non est ut dicatur ista prophetia, ubi sacerdotij ueteris tanta manifestatione prænuntiata mutatio est, in Samuele fuisse completa. Quanquam enim non esset de alia tribu Samuel, quàm quæ constituta fuerat à Domino ut seruiret altari, tamen nō erat de filijs Aaron, cuius progenies fuerat deputata, ut inde fierent sacerdotes, ac per hoc in ea quoq; re gesta eadem mutatio, quæ per Christum Iesum futura fuerat adumbrata est, & ad ueteris testamentum propriè, figuratè uerò pertinebat ad nouum prophetia tam facto etiam ipso quàm uerbo: id scilicet facto significans, quod uerbo ad Heli sacerdotē dictū est per prophetā. Nam fuerunt postea sacerdotes ex genere Aaron, sicut Sadoch & Abiathar regnante Dauid, & alij deinceps, antequam tempus ueniret, quo ista quæ de sacerdotio mutando tantò antè prædicta sunt, effici per Christum oporte bat. Quis autem nunc fideli oculo, hęc intuens non uideat esse completa, quādoquidem nullū tabernaculū, nullum templū, nullum altare, nullum sacrificium, & ideo nec ullus sacerdos remāsit Iudæis, quibus ut de semine Aaron ordinaretur, in Dei non fuerat lege mandatū. Quid & hîc cōmemoratum est illo dicente propheta: Hæc dicit dominus Deus Israël, dixi, Domus tua & domus patris tui &c.

B Quòd enim nominat domum patris eius, non eum de proximo patre dicere, sed de illo Aaron, qui primus sacerdos est institutus, de cuius progenie cæteri sequerentur, superiora demonstrant, ubi ait: Reuelatus sum &c. Quis pater fuit huius in illa Aegyptia seruitute, unde cùm liberati fuissent electus est ad sacerdotium, nisi Aaron? De huius ergo stirpe isto loco dixit futurum fuisse, ut non essent ulterius sacerdotes. Quod iam uidemus impletum. Vigilet fides, præstò sunt res, cernūtur, tenentur, & uidere uolentiū oculis ingerūtur. Ecce, inquit, dies ueniūt &c. Ecce dies qui prænuntiati sunt iam uenerunt. Nullus sacerdos est secundum ordinem Aaron. Et quicunq; ex eius genere est homo, cùm uidet sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illū magnum esse subtractum, deficiunt oculi eius, & defluit anima eius tabe mœroris. Propriè autem ad huius domū Heli, cui hæc dicebantur, quod sequitur pertinet: Et omnis qui supererit &c. Hoc ergo signum factū est mutandi sacerdotij de domo huius, quo signo significatum est, mutandū sacerdotiū domus Aaron. Mors quippe filiorū huius significauit mortem nō hominū, sed ipsius sacerdotij de filijs Aaron. Quòd autē sequitur, ad illum iam pertinet sacerdotem cuius figuram gessit huic succedendo Samuel. Proinde quę sequuntur, de Christo Iesu noui testamēti uero sacerdote dicuntur: Et suscitabo mihi sacerdotē fidelē &c. Transibit dixit, cōuersabitur, sicut superiùs dixerat: de domo Aaron. Dixi: domus tua & domus patris tui transibūt corā me in æternū. Quod autē ait, corā Christo meo trāsibit, de ipsa domo utiq; intelligendum est, nō de illo sacerdote, qui est Christus ipse mediator atq; saluator. Domus ergo eius corā illo trāsibit, potest & trāsibit intelligi de morte ad uitā omnibus diebus,

bus,quibus peragitur usque in finem seculi huius ista mortalitas. Quòd autem, C
ait Deus,qui omnia quæ in corde meo, & quæ in anima mea sunt faciat,non arbitremur animam habere Deum,cùm sit conditor animæ,sed ita hoc de Deo tropicè,nō propriè dicitur,sicut manus & pedes,& alia corporis membra.Et ne secundum hoc credatur homo in carnis huius effigie factus ad imaginem Dei, adduntur & aliæ,quas utiq; non habet homo,& dicitur Deo,sub sumbra alarū tuarum protege me,ut intelligant homines de illa ineffabili natura,nō proprijs, sed translatis rerum uocabulis ista dici.Quòd uerò adiungitur:Et erit qui supererit in domo tua ueniet adorare ei,nō propriè de domo dicitur huius Heli,sed illius Aaron, de qua usq; ad aduentū Christi homines remāserunt, de quo genere etiam nunc usq; non desunt.Nam de illa domo huius Heli iam suprà dictū erat, & omnis qui supererit domus tuæ,decidet in gladio uirorū. Quomodo ergo hîc uerè dici potuit,& erit qui supererit in domo tua ueniet adorare ei, si illud est uerum quòd ultore gladio nemo inde supererit,nisi quia illos intelligi uoluit, qui pertinent ad stirpem,sed illius totius sacerdotij secundū ordinē Aaron?Ergo si de illis est prędestinatis reliquijs,de quibus alius propheta dixit:Reliquiæ saluæ fiēt,unde & Apo-
Rom.9. stolus:Sic ergo,inquit,& in hoc tempore reliquiæ per electionē gratiæ saluę factę sunt,quia de talibus reliquijs bene intelligitur esse,de quo dictū est : Qui supererit in domo tua,profectò credit in Christū,sicut temporibus apostolorū ex ipsa gente plurimi crediderunt:neq; nunc desunt,qui licet rarissimè,tamen credant, & impletur in eo,quod hîc iste homo Dei continuò secutus adiunxit:Veniet adorare ei obolo argenti,cui adorare,nisi illi summo sacerdoti qui & Deus est? Neq; D
enim in illo sacerdotio secundū ordinē Aaron,ad hoc ueniebant homines ad templum uel altare Dei,ut sacerdotē adorarent. Quid est autē quòd ait obolo argēti,
Rom.9. nisi breuitate uerbi fidei,de quo cōmemorat Apostolus dictū : Verbū cōsumans, & breuians faciet Dominus super terrā? Argentū autē pro eloquio poni,psalmus testis est,ubi canitur : Eloquia Domini eloquia casta,argētum igne examinatum. Quid ergo dicit iste,qui uēnit adorare sacerdoti Dei & sacerdoti Deo? Iacta me in unā partē sacerdotij tui,manducare panē.Nolo in patrum meorū collocari honore,qui nullus est:iacta me in partē sacerdotij tui.Elegi enim abiectus esse in domo Domini,qualecunq; & quantulúcunq; membrū esse cupio sacerdotij tui.Sacerdotiū quippe hîc ipsam plebē dicit,cuius plebis ille sacerdos est mediator Dei & hominū homo Christus Iesus.Cui plebi dicit apostolus Petrus,plebs sancta re-
1.Pet.2. gale sacerdotiū.Quāuis nonnulli sacrificij tui,sint interpretati, nō sacerdotij tui, quod nihilominus eundē significat populū Christianū. Vnde dicit apostolus Paulus:Vnus panis,unū corpus multi sumus:Et iterū:Exhibeatis,inquit,corpora uestra hostiā uiuā.Quod ergo addidit:mãducare panē etiam ipsum sacrificij genus elegāter expressit.De quo dicit sacerdos ipse: Panis quem ego dedero,caro mea est pro seculi uita , ipsum est sacrificium non secundum ordinem Aaron , sed secundum ordinem Melchisedech,qui legit,intelligat. Breuis itaque est ista confessio,& salubriter humilis,qua dicitur:Iacta me in partem sacerdotij tui,manducare panem,ipse est obolus argenti,quia & breue est,& eloquium Domini est,habitans in corde credentis. Quia enim dixerat superiùs dedisse se domui Aaron cibos

A bos de uictimis ueteris testamenti, ubi ait: Dedi domui patris tui omnia quæ sunt ignis filiorum Israël in escam. Hæc quippe fuerant sacrificia Iudæorum, ideo hîc dicit manducare panem, quod est in nouo testamẽto sacrificium Christianorum.

Ex lib. 17. de ciuit Dei ad Marcel. Cap. VI. Tomo V.

Domus patris tua transibunt coram me in æternum. Quispiam dicere posset: Quomodo confidimus euenire omnia, quæ in libris illis uentura prædicta sunt, si hoc ipsum quod ibi diuinitus dictum est: Domus tua & domus patris &c. effectum habere nõ potuit: quoniam uidemus illud sacerdotium fuisse mutatum: & quod illi domui promissum est, nec sperari aliquando complendum: quia illud quod ei reprobato mutatóque succedit, hoc potius prædicatur æternum? Hoc qui dicit, nondum intelligit, aut non recolit etiam ipsum secundum ordinem Aaron sacerdotium, tanquam umbram futuri æterni sacerdotij constitutũ: ac per hoc quando ei æternitas promissa est, non ipsi umbræ ac figuræ, sed ei quod per ipsam adumbrabatur, figurabatúrque promissum est. Sed ne putaretur ipsa umbra esse mansura, ideo etiam mutatio eius debuit prophetari. Regnum quoque isto modo etiam Saulis ipsius, qui certè reprobatus atque reiectus est, futuri regni erat umbra in æternitate mansuri. Oleum quippe illud quo unctus est, & ab eo chrismate Christus est dictus, mysticè accipiendum & magnum sacramentũ intelligendum 1.Reg.24.
est, quod in eo tantùm ueneratus est ipse Dauid, ut percusso corde pauitauerit, quando in tenebroso occultatus antro, quò etiam Saul urgente intrauerat necessitate naturę, exiguam particulam uestis eius retrorsum latenter abscidit, ut
B haberet unde monstraret, quomodo ei pepercerit, cùm posset occidere: atq; ita suspitionem de animo eius, qua sanctum Dauid putans inimicum suum uehementer persequebatur, auferret. Ne itaque reus esset tanti sacramenti in Saule uiolati: quia uel indumentũ eius sic attrectauit, extimuit. Ita enim scriptum est: Et percussit cor Dauid super eum: quia abstulit pinnulam chlamydis eius. Viri autem cum illo erant, & ut Saulem in manus suas traditum interimeret, suadebãt. Non mihi, inquit, contingat à Domino sic facere hoc uerbum domino meo Christo Domini, inferre manum meam super eum: quia Christus Domini est. Huic ergo umbræ futuri non propter ipsam, sed propter illud quod pręfigurabat tanta ueneratio exhibebatur, unde & illud, quod ait Sauli Samuel: Quoniam nõ seruasti &c. 1.Reg.13.
Non sic accipiendum est, ac si ipsum Saulem Deus in æternum præparauerit regnaturum, & hoc postea noluerit seruare peccanti: neq; enim eum peccaturum esse nesciebat, sed præparauerat regnum eius, in quo figura esset regni æterni. Ideo addidit: Et nunc regnum tuum non stabit tibi. Stetit ergo & stabit, quod in illo significatum est: sed non huic stabit, quia non in æternum ipse fuerat regnaturus, nec progenies eius, ut saltem per posteros alterum alteri succedentes uideretur impleri, quod dictum est in æternum. Et quæret, inquit, Dominus sibi hominem, siue Dauid, siue ipsum mediatorem significans testamenti noui, qui figurabatur in chrismate etiam, quo unctus est ipse Dauid & progenies eius. Nõ autem quasi nesciat ubi sit, ita Deus sibi hominem quærit, sed per hominem, hominũ more loquitur, qui & sic loquendo nos quærit. Non solùm enim Deo patri, uerumetiam ipsi quoque unigenito eius, qui uênit quęrere quod perierat, usq; adeò iam

eramus

eramus noti, ut in ipso essemus electi ante cõstitutionẽ mundi. Quæret sibi ergo C dixit pro eo, ac si diceret, quẽ suum esse iam nouit, sibi esse familiarẽ alijs ostẽdet. Vnde in Latina lingua hoc uerbũ scilicet quærit, accipit præpositionẽ, & acquirit dicitur, quod satis apertum est, quid significet. Quanquã & sine additamẽto prępositionis quærere intelligatur acquirere, ex quo lucra uocantur & quæstus.

CAPVT QVARTVM.

Ex lib.3. de Anima & eius orig. ad Vincent. Victor. Cap. V. Tomo VII.

Os suumq; os suum super eos. Quid autẽ sibi uult, quòd huic similitudini addendũ putasti ad exemplum de beato Helisæo, qui flando in eius faciem mortuum suscitauerit? Itá ne tu flatum Helisæi fuisse putas animam pueri? Non usq; adeò te à uero exorbitare crediderim. Si ergo anima illa quæ uiuenti ablata fuerat ut moreretur, eadem ipsa illi ut reuiuisceret reddita est: quid ad rem pertinet quod dixisti, nihil Helisæo fuisse diminutum, quasi ab illo aliquid transisset unde uiuere credatur, in puerum? Quod si propterea dictum est, quia flauit & integer mansit, quid opus erat, ut hoc de Helisæo mortuum resuscitante diceres, quod de quouis flante & neminem suscitante dicere nihilominus posses? Incautè sanè locutus es, cùm absit ut credas flatum Helisæi factum fuisse reuiuiscentem animam pueri, quid primùm Dei factum, ab istius prophetæ facto hòc distare uoluisti, quòd ille semel, iste ter flauerit. Dixisti quippe Helisęum in faciem defuncti illius filij Sunamitis, adinstar primæuæ originis insufflasse. Et cùm emor tua membra, inquis, in uigorem pristinum redanimata, per habitum prophetę di D uina uirtus accenderet, nihil Helisęo fuerit imminutum, per cuius flatum corpus emortuum rediuiuam animam reciperet, & spiritum, nisi quòd semel Dominus in faciem hominis insufflauit, & uixit, tertiò Helisæus in faciem mortui aspirauit, & reuixit. Sic sonant tua uerba ista, quasi flandi tantùm numerus interfuerit, ut non quod fecit Deus, etiam propheta fecisse credatur. Et hoc ergo emẽdandum est. Tam multùm quippe interfuit inter illud opus Dei, & hoc Helisæi, ut ille flauerit flatum uitæ, quo fieret homo in animam uiuentem: iste autem flauerit flatum, neque sentientem neque uiuentem, sed aliquid significandi gratia figurãtem. Denique ut puer iste reuiuisceret, non eum animando propheta fecit, sed eum amando ut hoc Deus faceret impetrauit. Quòd autem illum ter sufflasse dicis, aut memoria sicut fieri solet, aut mendositas codicis te fefellit &c.

CAPVT DECIMVM ET DECIMVMSEXTVM.

Ad Simpl. Lib.2. Quæst.I. Tomo IIII.

Et insiluit in illum spiritus Domini. Spiritus ubi uult spirat, & spiritũ prophetiæ, nullarum animarum potest maculare contactus. Attingit enim E ubiq; propter suam munditiam. Afficit enim omnes, nõ eodem modo, sed alios per informationẽ spiritus eorundem hominum, ubi rerũ demonstrantur imagines, alios per fructum mentis ad intelligentiam, alios utraq; inspiratione, alios etiam nescientes. Per informationẽ spiritus duobus modis. Aut per somnium, sicut non solùm pleriq; sancti, sed Pharao & Nabuchodonosor uterq; uidit

A dit quod nemo eorum intelligere ualebat, sed tamen uterque uidere poterat. Aut per demonstrationem in ecstasi, quod nonnulli Latini stuporem interpretantur, mirum si propriè, sed uicinè tamen: cùm fit mentis alienatio à sensibus corporis, ut spiritus hominis diuino spiritu assumptus capiendis atq; intuendis imaginibus uacet: sicut Danieli demonstratũ est quod non intelligebat, & Petro illud uas submissum de cœlo quatuor linteis: nam & ipse quid illa demonstratio figuraret postea cognouit. Per fructum autem mentis ad intelligentiam uno modo, cum hæc ipsa quæ demonstrantur imaginibus, quid significent & quò pertineant reuelantur: quæ certior prophetia est, nam magis ipsam uocat Apostolus prophetiam, sicut Ioseph meruit intelligere, quod Pharao non nisi uidere, & Daniel exponit regi & ille cernit & nescit. Cùm uerò ita mens afficitur, ut non rerũ imagines coniecturali examinatione intelligat, sed res ipsas intueatur, sicut intelligitur sapientia & iustitia omnísq; incõmutabilis & diuina species, ad prophetiam de qua nũc agimus non pertinet. Vtroque autem munere prophetiæ donandi, qui & rerum imagines spiritu uident, & quid ualeant simul intelligunt: aut certè manifestis locutionibus in ipsa demonstratione informantur, sicut in Apocalypsi quædam exponuntur. Nescientes autem afficit prophetiæ spiritus, sicut Caiphas cùm esset pontifex prophetauit de Domino, quòd expediret unum mori pro tota gente, cùm aliud in uerbis quæ dicebat attenderet, quę non se à seipso dicere nesciebat. Abundant in sanctis libris exempla &c. Hoc autem uerbo quod positum est: Et insiliuit in eum spiritus, tanquam ex abdito diuinitatis secreto, repentinus significatur afflatus. Horum igitur modorum quonam potius affectum esse intelligamus Saul,

Act.10. *Ioan.11.*

B satis apparet ex eo quod ibi scriptũ est: Cõuertit Deus in Saul cor aliud. Sic enim aliam cordis affectionem significat: quia conuertendo fecit Deus ut imaginum significantium & præfigurãtium capax fieret ad propheticam diuinationem. Tantùm autem distat inter prophetiam prophetarum, sicut Esaias, sicut Hieremias, & cæteri huiusmodi fuerunt atque istã transitoriam quæ in Saul apparuit, quantùm distat inter loquelam humanam qua loquuntur homines: & cum eadem loquela humana propter necessarium prodigium asina locuta est, in qua sedebat Balaam propheta. Accæpit enim hoc ad tempus illud iumentum, ut Deus quod statuerat demonstraret, non ut habitu perpetuo bestia loqueretur. Aut si hoc exemplum maiore differentia remotum est, multò minus mirandum est homini roprobo datam fuisse ad momentum temporis, affectu transitorio prophetiam, quando ille dederat qui & asinam cùm uoluit loqui fecit. Magis enim distat pecus ab homine, quàm homo reprobus ab electis; & tamen ab hominibus. Non enim si quisquam dixerit aliquid quod ad sapientiam pertinet, continuò sapiens existimandus est: sicut nec quisquam si aliquando prophetauerit, iam inter prophetas numerabitur: cùm & Dominus in euangelio dicat quosdam cum gaudio uerbum excipere & radicis altitudinem non habere: sed esse temporales. Ideóque sicut consequens indicat lectio, factum est in parabola: Et Saul inter prophetas. Hoc igitur mirari desinamus, cùm in hominibus apparet diuinitus aliquid, quorum uel meritum uel habitum excedit, cùm fortè uult Deus cuiusdam significationis gratia tale aliquid demonstrari. Si autem hoc mouet quòd postea

Num.22.

stea Saul malo spiritu inuadente præfocabatur, qui prius prophetiæ spiritum acceperat, neque hoc mirandum est. Illud enim factum est ex dispensatione aliquid significandi, hoc ex merito uindicandi. Nec mouere nos debent hæc alternantia in animo humano, hoc est, in creatura mutabili: præsertim eo tempore quo caro corruptibilis mortalisque portatur. Aut non uidemus in ipso Petro, ut indicat C
Matth.16 euangelium, extitisse tantam confessionem ut audire meruerit: Beatus es Simon bar Iona, quia non reuelauit tibi caro & sanguis, sed pater meus qui in cœlis est. Et paulò post tam carnaliter eum de Domini passione sensisse, ut statim audiret: Vade post me Satanas, scandalum mihi es: non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Et fortasse aliquantò interius intelligentibus, tantùm ualet ad uisa illa mentis hæc differentia, qua Petrus primò intellexit Deo patre reuelante, quòd filius Dei esset Christus, & postea ne moreretur extimuit: quantùm ualet ad distinguenda uisa, quæ in spiritu hominis alienata mente imaginariè fiunt, reuelatio prophetiæ, qua primò afflatus est Saul, & commixtio spiritus mali quo postea præmebatur. Iam uerò illud quòd etiam malus appellatus est spiritus Domini, sic
Psal.23. intelligitur, quomodo dictum est: Domini est terra, tanquam creatura, & in eius posita potestate. Aut si propterea non congruit hoc locutionis exemplum, quia terra non est mala, omnis enim creatura Dei bona est. Illud congrueat quòd ipse Saul iam reprobus & sceleratus atque ingratus sancto Dauid, persecutor etiam eius, cùm seuissimæ inuidiæ facibus agitaretur, tamen adhuc Christus domini dicebatur, sicut eum appellauit ipse Dauid cùm uindicauit extinctum. Sed magis arbitror, malignum spiritum à quo ipse uexabatur Saul, ideo dictũ spiritum Domini, quòd occulto Domini iudicio Saulem uexabat. Vtitur enim Deus ministris etiam spiritibus malis ad uindictam malorum, uel ad bonorũ probationem, alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamuis enim inde sit quisq; malignus spiritus, quia mala uoluntate nocere appetit, tamen nocendi potestatem non accipit nisi ab illo sub quo sunt omnia, certis & iustis meritorũ gradibus ordinata: quia sicut non est mala uoluntas à Deo, sic non est potestas nisi à Deo. Quanquã enim sit in cuiusque potestate quid uelit, non est tamen in cuiusque potestate quid possit uel facere cuiquam uel à quoquam pati. Nam & ipse filius unicus Dei passurus ad tempus humiliter, homini superbè loquenti & dicenti, quòd potestatem haberet occidendi eum uel dimittendi: Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi data tibi esset desuper. Diabolus etiam uolens nocere iusto uiro Iob, nocendi quidem uoluntate diabolus erat, sed tamen à domino Deo potestatem petebat dicẽs: D
Iob.2. Mitte manum & tange carnem eius: quamuis hoc esset si permitteretur ipse facturus, ipsam etiam permissionem petebat hoc modo, & manum Domini appellabat permissam à Domino manum suam, id est, ipsam potestatem quam uolebat accipere. Cui congruit illud in euangelio, quod Dominus discipulis suis ait: Hac
Ioan.19. nocte postulauit satanas uexare uos sicut triticum. Dictus est ergo spiritus Dei malus, hoc est, minister Dei ad faciendum malum in Saul quod eum pati judex omnipotentissimus iudicabat, quoniam spiritus ille quia malus erat, non erat Dei creatura uera qua conditus erat, & potestas quam non sua sed Domini omnium
1.Reg.10. æquitate acceperat, Dei erat. Verba etiam ipsa scripturarum ita se habent: Et perrexit,

A rexit, inquit, Samuel & abijt in Ramátha, & spiritus Domini recessit à Saul, & apprehendit eum spiritus malignus à Domino & suffocabat eum. Et dixerunt pueri Saul: Spiritus Domini malignus suffocat te. Hoc igitur à pueris eius quomodo sit dictum: Spiritus Domini malignus, superiora uerba indicant narrantis scripturæ & dicentis: Spiritus malignus à Domino. Secundum enim hoc, inquit à Domino: quia per seipsum uelle necare habebat, id est, comprehendere Saul, posse autē non habebat, nisi summa iustitia sineret. Si enim uindicat Deus quemadmodum ipse dicit Apostolus, cùm tradidit homines ad concupiscentias cordis eorum, non mirum si nihilominus iustè uindicans tradit eos etiam in concupiscentias aliorum nocere uolentium, sua semper incommutabili æquitate seruata. Animaduertendum sanè cum additamento dici, spiritus Dei malus. Cùm autem tantummodo dicitur, spiritus Dei, etiam si non addatur, bonus, ex hoc intelligitur bonus. Vnde apparet bonum spiritum secundum substantiam, malum autem secundum ministerium dici spiritum Dei. Quanquam queri adhuc posit, utrùm cùm spiritus Dei dicitur, & ex ipso iam & si nihil addatur intelligitur bonus, ille intelligatur qui est in trinitate consubstantialis patri & filio spiritus sanctus, de quo dicitur: Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Et iterum: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Et illud: Sic & quæ Dei sunt nemo scit nisi spiritus Dei. Et multis locis hoc modo dicitur spiritus Dei, & intelligitur spiritus sanctus etiam si nō addatur, quoniā ea quæ circunstant, satis indicant de quo dicatur, ita ut aliquādo nec Dei addatur, & intelligatur tamē ille spiritus Dei principaliter sanctus. Nāquē alium cōmemorat ubi dicit: Ipse spiritus testimoniū dat spiritui nostro quia sumus filij Dei. Et 2.Cor.3. 1.Cor.2. Rom.8.

B ipse spiritus adiuuat infirmitatē nostrā. Et hæc omnia operatur unus atq; idē spiritus, diuidens singulis prout uult. Et diuisiones donationū sunt, idē aūt spiritus. His enim omnibus sententijs, nec Dei nec sanctus est additū, & tamē ipse intelligitur. Sed nescio utrùm manifesto aliquo exēplo probari posit, alicubi spiritū Dei dictū sine additamēto, ubi spiritus ille sanctus nō significetur, sed aliquis quāuis bonus, creatus tamen & cōditus. Quæ proferūtur enim dubia sunt, & indigent clariore documēto, sicut illud, quod scriptū est: Spūs Dei ferebatur super aquas. Nā & ibi spiritū sanctū accipere quid impediat nō inuenio. Cùm enim aquarū nomine illa materies insinuatur informis, quæ de nihilo facta est, unde omnia fierēt, quid prohibet intelligere spiritū sanctū conditoris quòd superferebatur huic materiæ, non locorū gradibus interuallisq; spatiorū, quod nequaquam de ulla re incorporea recte dicitur, sed excellētia & eminētia dominātis super omnia uoluntatis, ut omnia cōderētur: presertim cùm ea locutio, sicut illarū scripturarū mos est, etiā propheticū quoddā sonet mysterium, quo futuri baptismatis ex aqua & spiritu sancto nascituri populi præfigurarētur. Nō ergo cogit quod dictū est: Et spiritus Dei ferebatur super aquas, illū intelligere spiritū, sicut nonnulli intelligūt, quo mundi moles uniuersa ista corporea uelut animatur, ad ministeriū quorūq; gignentiū & in sua specie cōtinendarū corporaliū creaturarū. Creatura est enim quicquid est tale. Illud etiā quod scriptū est: Quoniā spiritus Domini repleuit orbē terrarū, non desunt qui eundē spiritū uelint accipere, inuisibilē scilicet creaturam cuncta uisibilia uniuersali quadā conspiratione uegetantem atq; continentem. Sed neq; hîc uideo Sap.1.

quid impediat intelligere spiritumsanctum, cùm ipse Deus dicat apud prophetã: C
Hier.23. Coelum & terram ego implebo. Non enim sine spiritusancto implet Deus cœlum & terram. Quid ergo mirum si de spiritusancto eius dictum est: Repleuit orbem
Act.6. terrarum? Aliter enim replet sanctificãdo, sicut de Stephano dicitur: Repletus est spiritusancto, & de cæteris talibus. Aliter autem replet sanctificante gratia, sicut quosdam sanctos. Aliter attestante atque ordinante præsentia, sicut omnia. Quãobrem nescio utrùm certo aliquo documẽto scripturarum posit ostẽdi, cùm sine ullo additamento dicitur, spiritus Dei uel spiritus Domini, aliquid aliud significari, quàm spiritumsanctum. Sed & si est fortè aliquid quod in præsentiarum nõ occurrat, illud certè arbitror non temerè dici: quotiens in sanctis eloquijs cõmemoratur spiritus Dei, neque additur aliquid, siue ille patri & filio consubstantialis spiritussanctus, siue aliqua creatura inuisibilis intelligatur, malũ tamen nõ posse intelligi, nisi addatur etiam malus. Malo enim quia bene utitur Deus ad ministeriũ iudicij sui, appellatur etiã ipse spiritus Dei, ad uindictã malorum & disciplinam & probationem bonorum. Nec illud mouere iam nos debet, quòd postea scriptum est, eundẽ Saulem spiritu Dei super se facto prophetasse, quoniam post bonũ spiritum spiritus malus, & rursum, post malum bonus. Hoc enim fit non mutabilitate spiritussancti qui est incõmutabilis cum patre & filio: sed mutabilitate animi humani, Deo cuncta distribuente, siue malis pro merito damnationis uel emẽdationis, siue bonis pro largitate gratiæ suæ. Quãquam uideri posit etiã idem fuisse Dei spũs semper in Saul: malus autẽ illi, quòd eius sanctitatis capax nõ esset. Sed non rectè hoc uidetur. Tutior est enim ille sensus & uerior, ut pro mutabilitate affectionis humanæ spiritus Dei bonus bene afficiat uel ad prophetiã, uel ad opus D quodlibet aliud in munere diuino: afficiat autem malus malè: qui propter ministerium diuinæ pietatis omnia distribuentis & omnibus rectè utentis, dicitur & ipse spiritus Dei, præsertim quia dictum est: Recessit ab eo spiritus Dei, et apprehendit eum spiritus malignus à Domino. Nullo enim pacto potest idẽ uideri recessisse & apprehendisse. Porrò in nonnullis exemplaribus, uel eis maximè quæ de lingua hebræa ad uerbum uidentur expressa, inuenitur spiritus Dei sine additamento positus, et intelligitur malus ex eo quòd arripiebat Saul, & reficiebat eum Dauid tangendo citharam. Manifestum est autem, non additum malus, quia superiùs iã dictum erat, & de uicinitate scripturæ subaudiri & intelligi poterat. Ita enim in huiusmodi exemplaribus legitur: Igitur quandocunque spiritus Domini arripiebat Saul, tollebat Dauid citharam et percutiebat manu sua et refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus: Siue ergo quod hîc non est dictum, spiritus Dei, sed tantummodo spiritus malus, quod ibi minus dictum erat, tanquam redditum apparet: siue quia superiùs ita positum erat: Et dixerũt serui Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te, iubeat Dominus noster, & serui tui qui coram te sunt quærant hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Dei malus, psallat manu sua, & leuius feras: nõ opus erat cùm rursum diceretur quandocunque spiritus Dei arripiebat Saul, addere malũ, quia notum erat de quo tunc diceretur. Veruntamen illa quæstio maior est & non transitoria animi intentione rimanda, quòd cùm Saul persequeretur Dauid innocentem,

A innocētem, plenus inuidia, et liuore uesanus, factus est super eum spiritus Dei, et ambulauit ingrediēs et prophetauit. Nō enim potest hîc nisi spiritus bonus intelligi, per quem sancti prophetæ futurarū rerum imagines & uisa cernebant, nō ex eo tantùm quia dictum est: Et prophetabant: nā in exemplaribus, quæ sunt ex hebræo, hoc quoq; inuenitur de spiritu malo dictum ita: Post diem aūt alterum inuasit spiritus Dei malus Saul & prophetauit in medio domus suę. Et in alijs diuinarum scripturarū locis inuenitur, quòd prophetia nō tantùm bona, sed etiā mala dicitur, & prophetæ dicti sunt Baalim, & exprobratum est quibusdam qui prophetabāt in Baal. Nō ergo necesse est intelligi propterea bonū spiritum qui factus est super Saul postea, quia dictū est: Et ambulabat ingrediēs & prophetabat. Sed quia sine additamēto positū est: Factus est spiritus Dei super eū. Nō enim sicut in illo loco dictū erat suprà: Spiritus Dei malus, ut ex hoc posset etiā in cōsequentibus subaudiri, quinimo superiora magis attestantur illum spiritū Dei bonū fuisse & uerè propheticū. Dauid enim erat cum Samuele & misit Saul nuntios qui apprehenderēt Dauid. Cùm autem Samuel erat inter prophetas & cœtum prophetarum qui illo tempore prophetabant, nuntij qui missi sunt accepto eodē spiritu prophetauerunt, missisq; alijs hoc contigit, & tertijs nihilominus, postea cùm & ipse Saul uenisset, factus est etiā super eum spiritus Dei & prophetabat & ipse & ambulabat ingrediēs & prophetabat. Cùm enim dicitur: Et factus est super ipsos spiritus Dei & prophetabant, & ipse idem utique erat spiritus, qui erat in prophetis inter quos & Samuel inuentus est, & ex hoc utique necesse est intelligi illū bonum spiritum. 1.Reg.18.

B Atque ideo quæstio diligenter discutienda est, quomodo & illi qui missi essent ad tenendū hominem & ad necem adducendum tali spiritu affici meruerunt, & Saul ipse qui miserat ueniens & ipse sanguinem innocentem quærēs effundere, accipere meruit illū spiritum & prophetare. Hîc nimirū occurrit illud quod Apostolus Paulus apertissimè exponit supereminētem uiam demonstrās: Si linguis hominum loquar &c. Quo in loco manifestum est eum munera illa cō memorasse, quæ spiritussancti diuisionibus dantur, sicut superiùs dicit: Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem: alij autem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri autem fides in eodem spiritu &c. Satis ergo apparet inter dona spiritussancti esse prophetiā, quam tamen si quis habeat, & charitatem non habeat, nihil est. Ex quo intelligitur fieri posse, ut quidam etiam indigni uita æterna regnóque cœlorum, aspergātur tamen quibusdam spiritussancti muneribus non habentes charitatem, sine qua illa munera nonnihil sunt, sed nihil eis prosunt. Prophetia quippe sine charitate, sicut demonstratum est, non perducit ad regnum Dei: charitas uerò sine prophetia utique perducit ad regnum Dei. Cùm enim loquens de membris Christi ait: Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes prophetæ? indubitanter ostendit etiā eum qui prophetiam non habet posse in membris Christi numerari. Vbi quem locum haberet, si charitatem, sine qua homo nihil est, non haberet? Nullo autē modo ita diceret, quando de mēbris ageret, quibus Christi corpus impletur. Nunquid omnes habent charitatē, queadmodū dixit: Nunquid omnes Apostoli? Nūquid omnes prophetæ? Nunquid omnes uirtutes? Nunquid omnes dona habent

1.Cor.12.
1.Cor.12.

bent curationum? Et cętera huiusmodi. Sed dicit aliquis, posse quidem fieri ut prophetiam quisque non habeat, & tamen habeat charitatem, atque ideo Christo annumeratus inhæreat: sed fieri non posse, ut prophetiam habeat, & non habeat charitatem: nihil enim est homo habens prophetiam sine charitate. Ita fortasse quẽadmodum possumus dicere, nihil esse hominem habentem animam sine mente: non quia potest inueniri homo, qui mentem non habeat habẽs animam, sed quia nihil esset si inueniri posset. Sic etiam dici potest, si corpus figuram habeat, colorẽ non habeat, uideri non potest: nõ quia corpus est cui desit color, sed quia si deesset cerni non posset. Ita fortasse dictum est, quòd si quis habeat prophetiam, & charitatem non habeat nihil est: non quia potest in quoquam prophetia esse sine charitate, sed quia si esset, prodesse non posset. Opus est igitur ad soluẽdam istam quęstionem, ut ostẽdamus aliquem reprobum hoc donum habuisse prophetię: quòd si neminem inuenerîmus, hoc iste ipse Saul satis ostenderet. Sed tamen ille etiam Balaam reprobus apparet, non enim eum tacet scriptura diuino iudicio esse damnatum: & tamen propheriam habebat, & quia charitas ei deerat, inerat uoluntas maledicendi populo Israëlitico, quam hostis pretio comparauerat, qui eum ad maledicendum mercede conduxerat, dono tamen illo prophetandi quo aspergebatur benedicebat inuitus. Nec uerba illa parum attestantur huic sententiæ, quæ in euangelio scripta sunt, multos dicturos in illa die: Domine domine coram te manducauimus & bibimus, & in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus: quibus tamen dicturus est: Non noui uos, recedite à me operarij iniquitatis. Non enim eos mentientes putabimus ista dicturos in illo iudicio, D ubi nullus erit fallendi locus, aut ullam uocem talium legimus dicentium, dileximus te. Poterunt ergo dicere: In nomine tuo prophetauimus, cùm sint improbi: non autem poterunt dicere, dilectionem quam mandasti tenuimus. Nam si
Ioan.13. dicunt, non eis respondebitur: Non noui uos. In hoc enim cognoscitur, inquit, quia discipuli mei estis, si uos inuicem diligatis. Exemplum itaque huius Saul, resistit superbis nonnullis hæreticis: qui uel aliquid boni de muneribus spiritussancti negant posse dari eis, qui ad sanctorum sortes non pertinent, cùm eis dicimus habere illos posse sacramentum baptismi, quod, cùm ad ecclesiam catholicam ueniunt, non est in eis ullo modo uiolandum, aut quasi non habeant tradendum: sed tamen eos non ideo saluti debere confidere, quia non improbamus quod illos accæpisse credimus, sed oportere cognoscere unitatis societatem ui charitatis ineundam, sine qua omninò quicquid habere potuerint, quamuis per se sanctum ac uenerandum, ipsi tamen nihil sunt, tantò indigniores effecti uitæ æternæ præmio, quantò illis donis non bene usi sunt, quæ in hac uita quæ transitoria est accæperunt. Non autem bene utitur, nisi charitas omnia tolerat, atque ideo non scindit unitatem, cuius ipsa est fortissimum uinculum. Non enim & seruus ille non accæpit talentum, aut aliquid aliud intelligitur talentum quàm munus aliquod diuinum: sed qui habet dabitur ei, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo: quod non habet auferri non potest, sed aliud non habet, ut meritò auferatur quod habet. Non habet charitatem utendi, ut auferatur quicquid aliud habet, quod sine charitate nõ prodest. Non igitur mirum

est,

A est, regem Saul, & eo tempore quo primùm unctus est accepisse spiritum prophetandi, & postea cùm esset propter inobedientiam reprobatus, recedente ab eo spiritu Domini arreptum esse maligno spiritu à Domino: qui etiam ipse spiritus Domini appellatus est propter ministeriũ, quia omnibus etiam spiritibus malis bene utitur Dominus, uel ad damnationem quorundam, uel ad probationem: & quamuis non sit malignitas à Domino, non est tamen potestas nisi à Deo. Dictúmque est etiam: Sopor Domini occupauerat milites eiusdẽ Saul, cùm Dauid hastam & cyphum abstulisset à capite dormientis: non quia tunc sopor in Domino erat, ut ipse dormiret, sed quia ille sopor qui tunc homines apprehenderat nutu Dei erat infusus, ne Dauid & seruorum eius in eo loco præsentia sentiretur. Neque illud mirum est rursum, eũdem Saul accæpisse spiritum prophetiæ cùm persequeretur iustum, & eum comprehensurus & næcaturus uenisset in locum ubi erat congregatio prophetarum. Sic enim satis monstratum est, neminem de tali munere iam securum esse debere, tanquam sit acceptissimus Deo, si non habeat charitatem: quandoquidem illud donum & Sauli dari potuit, propter arcanũ quidem alicuius sacramenti:, sed tamen dari potuit reprobato, inuido & ingrato, & reddẽti mala pro bonis, & ne post ipsam quidem acceptionem spiritus correcto in melius atque mutato.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Quoniam non seruasti mandatum meum, quod &c. Vide. 1. Reg. Cap. 2. suprà in hæc
B uerba: Domus patris tui transibunt &c.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ad. Simpl. Lib. 2. Quæst. 2. Tomo IIII.

Oenitet me quod constituerim regẽ Saul. Quæris quomodo pœniteat aliquid Dominũ, in quo sit omnis præsciẽtia. Ergo cùm hoc de Domino dicitur, indignũ aliquid dici arbitrarer, si aliquid dignũ inueniretur, quod de illo diceretur. Cùm uerò uerba omnia quibus humana colloquia cõferũtur, illius sempiterna uirtus & diuinitas mirabiliter atq; incunctanter excedat, quicquid de illo humanitus dicitur, quod etiã hominibus aspernabile uideatur, ipsa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in scripturis sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse quàm diuinæ sublimitati, ac per hoc etiam ipsa esse transcendẽda, est sanior intellectus, sicut ista qualicunq; transcensa sunt. Quis est enim hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præsciente, pœnitentiã esse non posse? Et certè tamen hæc duo uerba sunt, pœnitentia & præsciẽtia, quorum quia unum congruè credimus in Deo, id est, præscientiam, negamus in eo esse pœnitentiã. Cùm uerò alius liquidiore consideratione ista pertractans, quæsierit quemadmodum uel ipsa præscientia Deo congruat, & inuenerit huius etiã uerbi notionem illius ineffabili diuinitate longè lateq; superari, non miretur utrunque de illo propter homines dici potuisse, de quo utrũq; propter ipsum incongruè diceretur. Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurũ est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in sciẽtia res ipsas habet,

non sunt ei futuræ sed præsentes,ac per hoc non iã præscientia,sed tantùm scientia dici potest.Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum,ita & apud eũ nondum sunt,quæ futura sunt,sed ea præuenit sciẽdo:Bis ergo ea sentit,uno quidem modo secundũ futurorum præscientiam,altero uerò modo secũdum præsentium scientiã.Aliquid ergo temporaliter accedit sciẽtiæ Dei,quod absurdissimum atq; falsissimum est.Nec enim potest quæ uentura prænoscit nosse cùm uenerint,nisi bis innotescant,& prænoscendo antequam sint,& cognoscendo cùm iam sunt.Ita fit,ut quod lõgè à ueritate seclusum est,temporaliter aliquid accedat scientiæ Dei,cùm temporaliter quæ præsciuntur etiam præsentia sentiuntur,quę non sentiebantur antequam fierent, sed tantummodo præsciebantur. Si uerò etiam cùm uenerint quæ præsciebantur esse futura, nihil noui accedit scientiæ Dei,sed manebit illa præscientia,sicut erat etiam priusquam uenirent, quæ præsciebantur,quomodo iam præscientia dicetur,quãdo non est rerum futurarum? Iam enim præsentia sunt quæ futura cernebat, & paulò pòst erunt præterita. Præteritarum autem rerum sicut præsentium nullo modo potest dici præscientia. Reditur ergo ad id ut fiat rebus iam præsentibus scientia,quæ eisdem rebus futuris erat præscientia: & cùm ea quæ præscientia erat priùs, postea scientia fiat in Deo,admittit mutabilitatem & temporalis est,cùm sit Deus qui uerè summéque est,nec ulla ex parte mutabilis,nec ullo motu nouitio temporalis. Placet ergo ut non dicamus præscientiam Dei, sed tantummodo scientiam: quæramus & hoc quomodo:Non enim scientiam solemus dicere in nobis,nisi cùm sensa & intellecta memoria retinemus, cùm meminimus aliquid sensisse nos uel intellexisse,ut id cùm uolumus recolamus.Quod si ita in Deo est,ut possit propriè dici,intelligit & intellexit:sentit & sensit:admittit tempus & surripit:nihilominus illa mutabilitas longè à Dei substantia remouenda est, & tamen & scit Deus & præscit Deus ineffabili modo,sic eum & pœnitet effabili modo. Cùm enim scientia Dei longe distet ab humana scientia,ita ut irridenda sit comparatio,utraque tamen scientia uocatur:& hæc quidem humana talis est,ut dicat de illa Apostolus: Etiam sciẽtia destruetur,quod nullo modo rectè de scientia Dei dici potest.Sic & ira hominis turbata est,& non sine cruciatu animi,ira uerò Dei de qua dicitur in

Ioan.5. euangelio:Sed ira Dei manet super eum.Et Apostolus: Reuelabitur enim ira Dei

Rom.2. de cœlo super omnem impietatem:illo in tranquillitate iugiter manente,in creatura subdita exercet admirabili æquitate uindictam.Misericordia quoque hominis habet nonnullam cordis miseriam,unde etiam in latina lingua nomẽ accæpit.

Rom.12. Nam inde est etiam,quòd nõ solùm gaudere cum gaudẽtibus,sed etiam flere cũ flentibus hortatur Apostolus. Quis autem sano capite dixerit ulla miseria tangi Deũ,quẽ ubique scriptura multæ misericordiæ esse testatur?Ita & zelum humanum non sine peste liuoris intelligimus.Zelantem uerò Deum non ita,sed eodem uerbo,non eodem modo.Lõgum est percurrere cætera,& sunt innumerabilia,quibus ostẽditur multa diuina ijsdem nominibus appellari quibus humana,cùm incomparabili diuersitate seiuncta sunt:nec tamẽ frustra eadem sunt rebus utrisq; indita uocabula,nisi quia hæc cognita quæ in quotidiana cõsuetudine uersantur, & experimentis usitatioribus innotescunt, nonnullam ad intelligenda illa sublimia

A mia præbent uiam. Cùm enim desero de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam à cogitatione in cogitationem, cùm recolimus ut cernamus animo quod in contuitu eius paulò antè non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus: unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam. Cùm ergo hæc cuncta distraxero, & reliquero solam uiuacitatem certæ atque inconcussæ ueritatis: atque una æterna contemplatione collustrantis: imò non reliquero, non enim habet hoc humana scientia, sed pro uiribus cogitauero: insinuatur mihi utcunque scientia Dei: quod tamen nomē ex eo quòd sciendo aliquid nō latet hominem, potuit esse rei utrique cōmune: quanquam & in ipsis hominibus solet discerni à sapientia scientia, ut etiam Apostolus dicit: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundē spiritum. In Deo autem nimirum non sunt hæc duo, sed unum: & in hominibus quidem hæc discerni probabiliter solent, ut sapientia pertineat ad intellectū æternorum, scientia uerò ad ea quæ sensibus corporis experiuntur. Sed licet alius aliā differentiam proferat, nisi tamen diuersa essent, non sic ab Apostolo distinguerentur. Quod sanè si ita est, ut nomen scientiæ rebus quas per sensum corporis experimur deputatum sit, nulla est omninò scientia Dei. Non enim Deus per seipsum ex corpore & anima constat: sicut homo. Sed melius dicitur aliam esse scientiam Dei, & non eiusdem generis cuius ista est quæ hominum dicitur: sicut etiam idipsum quod Deus dicitur, longè aliud est quàm quemadmodum dictum est, quia stetit in synagoga deorum. Tamen ad non latere quoquo modo pertinet commu-

1.Cor.13.

1.Cor.12.

B nicatio ipsa uocabuli. Sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum, ut remaneat, uindictæ uigor, atque ita utcunque assurgo in notitiam illius, quæ appellatur ira Dei. Item de misericordia si auferas compassionem, cùm eius quem miserearis participatus es miseriæ, ut remaneat tranquilla bonitas subueniendi & à miseria liberandi, insinuatur diuinæ misericordiæ qualiscunque cognitio. Zelum quoque Dei nō repudiemus & aspernemur, cùm scriptum inuenimus: sed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris & morbidam perturbationem animi: remaneátque illud solum iudicium, quo corrupto castitatis impunita esse non sinitur, & assurgimus ut incipiamus aliquo modo capere zelum Dei. Quapropter cùm legimus etiam Dominum dicentem: Pœnitet me, consideremus quid id esse soleat. In hominibus opus pœnitendi est, cùm proculdubio reperitur uoluntas mutandi: sed in homine cum dolore animi est, reprehēdit enim in se quod temerè fecit. Auferamus ergo ista quæ de humana infirmitate atque ignorantia ueniunt, & remaneat solùm uelle, ut non ita sit aliquid quemadmodum erat, sic potest aliquantulum intimari menti nostræ, qua regula intelligatur quòd pœnitet Deum. Cùm enim pœnitere dicitur, uult non esse aliquid sicut fecerat ut esset: sed tamen id cùm esset, ita esse debebat, & cùm ita esse iam non sinitur, iam non debet ita esse, perpetuo quodam & tranquillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili uoluntate disponit. Sed quoniam prę scientiam & sciētiam cum laude solemus dicere in hominibus, iramq; ipsam solet humanum genus in magnis potestatibus timere potius quàm reprehendere, congruēter putamus talia dici de Deo. Qui autem zelat, et quē aliquid pœnitet, quo-

niam uel culpari solet, uel in se culpam corrigere: atque ideo cum reprahensione C
ista dici de hominibus, propterea mouet cùm legimus esse aliquid in Deo eiusmodi. Sed illa scriptura omnibus consulens propterea magis & ista ponit, ne illa quæ placent sic intelligantur in Deo, quomodo consueuerunt in hominibus intelligi. Per hæc enim quæ displicent, cùm ea non audeamus sic intelligere in Deo ut inueniuntur in homine, discimus etiam illa quærere, quę apta esse atque conuenientia putabamus. Nam si propterea non est illud de Deo dicẽdum, quia in homine displicet, non dicamus incommutabilem Deum, quia de hominibus cum reprahensione dictum est, non enim est illi commutatio. Item quędam in homine sunt laudabilia, in Deo autem esse non possunt, sicut pudor, quod ætatum uiridiorum magnũ est ornamentum: sicut timor Dei non est tantùm in ueteribus libris laudatus, sed
2.Cor.7. Apostolus etiam dicit: Perficientes sanctificationem in timore Dei, qui utique in Deo nullus est. Sicut ergo quædam laudabilia hominum non rectè dicuntur in Deo, sic quædam culpabilia hominum rectè intelliguntur in Deo, non ita ut in hominibus, sed uocabulis tantummodo communibus, longè alia ratione et modo. Nam paulopost idem Samuel cui dixerat Dominus: Pœnitet me quòd constituerim regem Saul, ipsi Saul ait de Deo: Quoniam non est sicut homo ut pœniteat eum, ubi uidelicet satis ostendit etiam cùm Deus dicit: Pœnitet me, non humano more accipiendum esse, sicut iam quantùm ualuimus disputauimus.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Ex Quæst. ad Dulcit. Lib. Quæst. 5. Tomo IIII. D

I *Nueni Dauid filium Iesse, uirum secundum cor meum.* Quæris quare dixerit Dominus, nimirum præscius futurorum: Elegi Dauid secundum cor meum, cùm talia tantáque ipse homo commiserit. Quod quidem, si de ipso Dauid, qui reprobato Saule & extincto, fuit rex Israël, dictum intelligamus, magis quia Deus præscius futurorum est, præuidit in eo tantam pietatem, tamq;
Psal.31. ueracem pœnitentiam, ut esset in eorum numero, de quibus ipse dicit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata &c. Cùm ergo præsciret eum Deus peccaturum, & peccata sua pia humilitate & syncera pœnitentia deleturum, cur non diceret inueni Dauid secundum cor meum, cui non imputaturus peccatum, tam multa bona facienti, & cum tanta pietate uiuenti, & ipsa pietate pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerenti? Propter hæc omnia uerisimè dictum est: Inueni Dauid secundum cor meum, quia licet secundum cor Dei non esset quòd ille peccauit, tamen secundum cor Dei fuit quòd pro peccatis suis congrua pœnitentia satisfecit. Hoc solùm ergo in illo secundum cor Dei non fuit, quod illi Deus non imputauit. Hoc itaque ablato, id est, non imputato, quid remansit nisi unde uerisimè diceretur: Inueni Dauid secundum cor meum? Si autẽ hoc propheticè dictum de Christo uelimus accipere, nullus nodus quæstionis occurrit, nisi fortè ut quæratur à nobis, quomodo Christum rectè isto nomine uocare potuerit. Sed respondemus propter semen Dauid, ex quo carnem Christus assumpsit, nec sine exemplo rationem huius in Christo nominis reddimus. Inuenimus quippe apertissimè Iesum Christum apud prophetam Ezechielem Dauid esse appellatum.

Christus Dauid appellatus est

A appellatum, ubi legitur ex persona Dei patris: Et suscitabo super pecora mea pastorem unum qui pascat ea, seruum meum Dauid, & ipse pascet ea, & ipse erit his in pastorẽ. Ego autẽ Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum, ego Dominus locutus sum. Et alio loco: Et rex inquit, erit unus omnibus imperans &c. Osee quoque propheta, cùm prænuntiaret tempus Iudæorum, quale nunc habent, & in Christum eos postea credituros, eundem Christum Dauid nomine prophetauit dicens: Quoniam diebus multis sedebant filij Israël, sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus. Sic nunc esse Iudæos ambigit nemo. Sed quod ait apostolus Paulus gentibus loquens: Sicut enim uos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum: ita & isti nunc non crediderunt in uestram misericordiam: ut & ipsi misericordiã consequantur. Hoc propheta iste tantò antè prædicens, secutus adiunxit: Et postea reuertentur filij Israël, & inquirent dominum Deum suum, & Dauid regem suum, & stupescent in Domino, & in bonis ipsius in nouissimis diebus. Ecce & hîc per Dauid nónne prophetatus est Christus? quoniam quando ista prophetabantur, ille Dauid rex Israël iam olim antè dormierat: dominus autem Iesus ex eius semine fuerat in carne uenturus, propter quod prophetico loquendi modo appellabatur Dauid. Videtur autem Apostolus hoc testimonium ita posuisse in actibus Apostolorum, ut non nisi de illo rege Dauid qui Sauli successit possit intelligi. Nam inter cætera: Exinde, inquit, postulauerunt regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis, uirum de tribu Benia

Ezech.34. Ezech.37. Osee.3. Rom.11. Act.13.

B min annis quadraginta. Et amoto illo suscitauit illis Dauid regem, cui & testimonium perhibens dixit: Inueni Dauid filium Iesse, uirum secundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas. Sed quando secutus adiungit & dicit: Huius Deus ex semine, secũdum promissionem, adduxit Israël saluatorem Iesum: altius significauit in domino Iesu potius esse intelligendum illud testimonium: qui uerè facit omnes uoluntates Dei patris, quàm in illo rege Dauid, qui licet secundum superiorem disputationem remissis peccatis, propter ipsam quoque piam pœnitentiam non immeritò dici possit inuentus secundum cor Dei, tamen omnes uoluntates Dei quomodo fecit? Qui cùm excellentissimè laudaretur, quãdo eius tempora & facta enarrantur: notatus est tamen quòd non destruxit excelsa, ubi sacrificabat populus Dei contra præceptum Dei, qui tantummodo in tabernaculo testimonij sibi sacrificari iusserat: quamuis etiam in eisdem excelsis eidem sacrificaretur Deo. Quæ postmodùm excelsa ex ipsius Dauid semine propagatus rex Ezechias, cum testimonio magnæ suæ laudis euertit.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Ex Lib. Sermon. de Tem. Serm. 197. Tome X.

A *Ccipe ephi polentæ & decem formellas casei.* In scripturis diuinis fratres charissimi, hæc eadémque persona prout tempus & locus fuerit, diuersam significationem habere potest. Nam beatus Isaac quod optimè nouit sanctitas uestra, quando à patre oblatus est, Christum dominum figurauit: cùm uerò filio suo Iacob benedixit, & ad accipiendam uxorem in Mesopotamiam misit, Iacob

cob typum habuit Christi, & Isaac Dei patris imaginem gessit. Iterum beatus Iacob qui typum Christi habuit quando uxorem accępit, Dei patris figuram gessit. Quando enim beatum Ioseph plus omnibus filijs diligebat, & tunicam ei polymitam fecit, incarnationem Domini saluatoris significauit. Quomodo ergo tunc factum est fratres charissimi, in beatis patriarchis, in Isaac uidelicet, & in Iacob, ita in Isai patre Dauid figuratum esse cognoscimus. Quando enim Isai Dauid filium suum mittebat ut requireret fratres suos, typum Dei patris habuisse uidetur. Isai misit Dauid ut requireret fratres suos, & Deus pater misit unigenitum suum, ex cuius persona scriptum est: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Ad requirendos enim fratres suos uenerat Christus quando dicebat: Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israël. Dixit ergo Isai ad Dauid filium suum: Accipe ephi polentæ & decem formellas casei, & uade require fratres tuos. Ephi trium modiorum mensura est. Et tribus mensuris, mysterium intelligitur trinitatis. Bene nouerat hoc mysterium etiam & beatus Abraham. Denique quando sub ilice Mambræ in tribus personis sacramentum uidere meruit trinitatis, tria sata similæ misceri præcepit. Tria sata, tres mensuræ sunt. Hanc ergo mensuram & Isai dedit filio suo. In decem formellis casei, intelligitur decalogus ueteris testamenti. Venit ergo Dauid cum tribus mensuris & decem formellis casei ut fratres suos in prælio positos uisitaret, quia uenturus erat Christus cum decalogo legis & mysterio trinitatis, ut genus humanum de potestate diaboli liberaret. Veniente autem Dauid, unus è fratribus increpauit eum dicens: Quare dimisisti paucas oues illas & uenisti ad prælium? Frater iste senior qui Dauid typum Christi gerentem per malitiam increpauit, significauit populum Iudæorum, qui per inuidiam Christo Domino qui pro salute humani generis uenerat detraxerunt & multis frequenter iniurijs affecerunt. Quare, inquit, dimisisti oues illas & uenisti ad prælium? Quasi non tibi uidetur per os eius saluti hominum inuidens diabolus loqui, tanquam si diceret Christo: Quare dimisisti nonaginta & nouem oues quæ non errauerunt, & uenisti ut unam requireres quæ perierat, & eam de manu spiritalis Goliæ, id est, de potestate diaboli per crucis baculum liberatam ad ouile proprium reuocares? Quare, inquit, dimisisti paucas illas oues? Malo quidem & superbo animo, sed tamen uerum dicebat, quia Iesus, sicut iam dictum est, dimissurus erat nonaginta & nouem oues, ut quæreret unam, & ad ouile proprium, id est, ad angelorum consortium reuocaret. Prius tamen quàm ueniret Dauid cùm iam unctus esset à beato Samuele, sicut & ipse Sauli regi suggessit, & leonem & ursum sine armis occidit. Sed & leo, & ursus ambo typum diaboli præferebant. Qui pro eo quòd de ouibus Dauid aliquid inuadere ausi sunt, ipsius Dauid uirtute sunt suffocati. Hoc totum fratres charissimi, quod tunc in Dauid legimus figuratum, in Domino nostro Iesu Christo cognoscimus esse completum. Tunc enim & leonem & ursum strangulauit, quando ad inferna descendens, omnes de eorum faucibus liberauit. Denique audi prophetam ex persona Domini supplicantem: Erue à framea animam meam, & de manu canis unicam meam. Libera me ex ore leonis. Et quia ursus in manu fortitudinem habet, & leo in ore, in istis duabus bestijs idem diabolus figuratus est. Hoc ergo ex persona Christi dictum est,

Psal. 21.
Matth. 15.
Psal. 21.

A est, ut unica eius ecclesia de manu, id est, de potestate, uel de ore diaboli tolleretur. Venit ergo Dauid, & inuenit Iudæorum populum in ualle Terebinthi positum, ut contra Allophylos dimicaret, quia uenturus erat uerus Dauid Christus, ut de conualle peccatorum, siue lachrymarum, humanum genus erigeret. Stabant autem in ualle contra Allophylos. In ualle erant, quia eos peccatorum pondus oppresserat. Stabant enim & pugnare contra aduersarios non audebant. Quare non audebant? Quia Dauid qui typum Christi gerebat nondum uenerat. Verum est fratres charissimi. Quis enim contra diabolum pugnare poterat, antequam Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? Dauid enim interpretatur manufortis. Quid eo fortius fratres, qui uniuersum mundum uicit, armatus non ferro sed ligno? Stabant ergo filij Israël contra aduersarios quadraginta diebus. Quadraginta dies propter quatuor tempora, & quatuor partes orbis terræ uitam præsentem significant, in qua contra Goliad uel exercitum eius, id est, contra diabolum & angelos eius, Christianorum populus pugnare non desinit. Nec tamen uincere posset, nisi uerus Dauid Christus cum baculo, id est, cum crucis mysterio descendisset. Ante aduentum enim Christi fratres charissimi solutus erat diabolus. Veniens Christus fecit de eo quod in euangelio dictum est: Nemo potest intrare in domum fortis & uasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem. Venit ergo Christus, & alligauit diabolum. Sed dicit aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantum præualet? Verum est fratres charissimi, quia multum præualet, sed tepidis & negligentibus, & Deum in ueritate non timentibus, dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Iam uidete fratres, quàm stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per uoluntates & cupiditates seculi noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest nisi uolentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Venit ergo Dauid & inuenit Iudæorum populum contra diabolum prælianțem, & cùm nullus esset qui præsumeret ad singulare certamen accedere, ille qui figuram Christi gerebat processit ad prælium, tulit baculum in manu sua, & exijt contra Goliad. Et in illo quidem tunc figuratum est, quod in domino Iesu Christo completum est. Venit enim uerus Dauid Christus, qui contra spiritalem Goliad, id est, contra diabolum pugnaturus crucem suam ipse portauit. Videte fratres ubi Dauid Goliad percusserit, in fronte utique ubi crucis signaculum non habebat. Sicut enim baculus crucis typum habuit, ita etiam & lapis ille de quo percussus est, Christum dominum figurabat. Ipse est enim lapis uiuus, de quo scriptum est: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quòd autem Dauid non habens gladium ascendit super Goliad, & suo eum proprio interfecit gladio, designatũ est quòd in aduentu Christi suo gladio diabolus uictus est, qui per nequitiam suam & iniustam persecutionẽ quam exercuit, in Christo omnium in eum credentium perdidit principatum. Quòd autem arma Goliæ Dauid posuit in tabernaculo suo, arma diaboli nos fuimus. Sic enim dicit Apostolus; Sicut enim exhibuistis membra uestra arma iniquitatis peccato,

Matth. 12. (margin, beside "Nemo potest intrare")

B (margin, beside "bus, dominatur")

Psal. 117. (margin, beside "Lapidem quem reprobauerunt")

Rom. 6. (margin, beside "Sicut enim exhibuistis")

peccato, ita & nunc exhibete membra uestra arma iustitiæ Deo. Et iterum: Noli- C
te, inquit, exhibere membra uestra arma iniquitatis peccato. Arma enim inimici nostri misit Christus in tabernaculo suo, quando nos qui domus diaboli fueramus, per ipsius gratiam templum Dei esse meruimus. Nam & uicissim nos in Christo, & in nobis Christus habitare cognoscitur. Quòd autem Christus in nobis habitet Apostolus probat dicens: In interiore homine per fidem habitare Christum.
Eph.3. Quòd autem iterum nos habitemus in Christo, idem Apostolus designat dicens:
Gal.3. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et Dominus in euangelio
Ioan.14. ad discipulos suos: Ego in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Quòd uerò non alio membro, sed in fronte percussus est, hoc significat quod modo in nostris competentibus exercetur, quia quando catechumenus in fronte signatur, spiritalis Goliad percutitur, & diabolus effugatur. Et quia de cordibus nostris per gratiam Christi diabolum effugatum esse cognoscimus pariter & sentimus, quantùm possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne malis operibus nostris & impijs uel luxuriosis cogitationibus iterum eum in nos inuitare uelimus, ut eo inspirante ad æterna præmia fœliciter uenire mereamur.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

F *Ili mi Absalom.* Sic enim pereuntes dolet ecclesia, quemadmodum rebellem filium sanctus Dauid, de cuius salute seruanda sollicita dilectione mandauerat. Nam eum merito nefandæ impietatis extinctum, etiam cum testimonio lachrymosæ uocis ingemuit. Verunta- D
men superbo & maligno discedente in locum suum, populus Dei qui fuerat illius tyrannide diuisus agnouit regem suum. Et de amisso filio mœrorem patris, perfectio consolata est unitatis.

Inuasit spiritus Dei malus Saul. Vide suprà in Cap.10. in hæc uerba: Et insiluit in illum spiritus Domini.

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

E *T dixerunt uiri Dauid ad eum: Ecce hic dies est.* Vide Cap.23. Exodi in hæc uerba: Odero odientes te.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

A *Cinctúsque est Dauid ense suo.* Vide Gen. Cap.19. in hæc uerba: Sunt mihi duæ filiæ.

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

Ad Simpl. lib.2. Quæst. III. Tomo IIII.

E *Si mulier Pythonem habens in Endor.* Quæris, utrùm spiritus immundus qui erat in Pythonissa, potuerit agere ut Samuel à Saule uideretur, & loqueretur cum eo. Sed multò maioris miraculi est, quòd ipse satanas princeps omnium immundorum spirituum potuit loqui cum Deo, & petere ad tentandum Iob iustissimum uirum, qui etiam tentandos Apostolos petijt.

Aut

A Aut si hoc non habet difficilem quæstionem, quia per quam uoluerit creaturam, cui uoluerit creaturæ ubique præsens ueritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus. Interest enim quid loquatur, quia & imperator cum multis innocentibus non loquitur, quibus prouidentissime consulit ad salutem: & cum multis nocentibus loquitur, quos iubet interfici. Si ergo hinc propterea nulla quæstio est, nulla sit quæstio, quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti uiri loqui potuerit. Omnibus enim sanctis, Deus creator & sanctificator longè utique maior est. Quòd si hoc mouet, quòd licuerit maligno spiritui excitare animam iusti, & tanquam de abditis mortuorum receptaculis reuocare, nónne magis mirandum, quòd satanas ipsum Deum assumpsit & constituit super pinnam templi? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samuelis, factum est ut excitaretur, similiter latet. Nisi fortè quis dixerit, faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Deum uiuum, unde uoluit assumendum, & ubi uoluit, constituendum, quàm ad Samuelis defuncti spiritum à suis sedibus excitandum. Quòd si illud in euangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus uoluit atque permisit, nulla diminutione suæ potestatis & diuinitatis, id fieri, sicut ab ipsis Iudæis, quanquam peruersis atque immundis & facta diaboli facientibus, & teneri se & uinciri & illudi & crucifigi atque interfici passus est: non est absurdum credere ex aliqua dispensatione diuinæ uoluntatis permissum fuisse, ut non inuitus nec dominante aut subiugante magica potentia, sed uolens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ Pythonissam illam & Saulem latebat, consen
B tiret spiritus prophetæ sancti se ostendi aspectibus regis, diuina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis, à malis uiuis euocata si uenerit, amittere uideatur dignitatem suam, cùm & uiui plerunque boni uocati ad malos ueniant, & agant cum eis quod officium postulat æquitatis, seruato atque inconcusso decore uirtutis suæ, & illorum uitijs pro rerum præsentium uel usu uel necessitate tractatis? Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior intellectus & expeditior exitus, ut non uerè spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma, & imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari quarum imagines sunt: Sic omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua parte materiæ metalli aut ligni, uel cuiuscunque rei aptæ ad opera huiusmodi, quæque etiam uidentur in somnis, & omnes ferè imagines, earum rerum quarum imagines sunt appellari nominibus solent. Quis est enim qui hominem pictum dubitet uocare hominem, quandoquidem & singulorum quorumque picturam cùm aspicimus, propria quæque nomina incunctanter adhibemus: uelut cùm intuentes tabulam aut parietem dicimus: Ille Cicero est, ille Salustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma, cùm aliud nihil sint quàm pictæ imagines. Vnde cherubin cùm sint cœlestes potestates, facta tamen ex metallo, quod imperauit Deus super arcam testamenti, magnæ rei significandæ gratia, non aliquid quàm cherubin illæ quoque effigies uocitantur. Item si quis uidet somnium, non dicit: Vidi imaginem Augustini aut Simpliciani, sed uidi Augustinum aut Simplicianum, cùm eo tempore quo tale aliquid

aliquid uidit nos ignoremus. Vsque adeò manifestum est, non ipsos homines, sed C
imagines eorum uideri. Et Pharao spicas se dixit uidisse in somnis & boues, non spicarum aut boum imagines. Si uerò liquidò constat nominibus earum rerum quarum imagines sunt easdem imagines appellari, non mirum est quòd scriptura dicit Samuelem uisum, etiam si fortè imago Samuelis uisa apparuit, machinamento eius qui transfigurat se uelut in angelum lucis, & ministros suos uelut ministros iustitiæ. Iam uerò si illud mouet, quomodo à maligno spiritu Sauli uera prędicta sunt: potest & illud mirum uideri, quomodo dæmones agnouerint Christum, quem Iudæi non agnoscebant. Cùm enim uult Deus etiam per infimos & infernos spiritus aliquem uera agnoscere, temporalia duntaxat atq; ad istam mortalitatem pertinentia, facilè est & non incongruum: ut omnipotens & iustus ad eorum pœnã quibus ista prædicantur, ut malum quod eis impendet antequam ueniat prænoscendo patiantur, occulto apparatu mysteriorum suorum etiam spiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, ut quod audiunt ab angelis prænuntient hominibus. Tantùm autem audiunt, quantùm omnium Dominus atq; moderator uel iubet uel sinit. Vnde etiam spiritus Pythonicus in Actibus Apostolorum attestatur Paulo apostolo, & euangelista esse conatur. Miscent tamen isti fallacias suas, & uerum quod nosse potuerint, non docendi magis quàm decipiendi fine prænuntiant. Et fortè hoc est quòd cùm illa imago Samuelis Saulem prædiceret moriturum, dixit etiam secum futurum, quod utique falsum est. Magno quippe interuallo post mortem separari bonos à malis in euangelio legimus, cùm Dominus inter superbum illum diuitem, cùm iam apud inferos D
tormenta pateretur, & illum qui ad eius ianuam ulcerosus iacebat, iam in requie constitutum, magnum chaos interiectum esse testatur. Aut si propterea Samuel Sauli dixit: Mecum eritis, non ut æqualitatem fœlicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quòd uterque homo fuerit, & uterque mori potuerit, iamque mortuus mortem uiuo prænuntiabat.

A D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN II LIB. REGVM COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Q*Vare non timuisti mittere manum tuam.* Vide infrà in Eccle. Cap. 14. in hæc uerba: Qui sibi nequam, cui bonus?

CAPVT SEPTIMVM.

Ad simpl. lib. 2. Quæst. IIII. Tomo IIII.

Intrauit rex Dauid, & sedit ante Dominum. Quid aliud intelligendum est, nisi quia sedit in conspectu Domini, siue ubi erat arca testamenti per quam sacratior & commendatior quædam præsentia Domini accipi potest: siue oraturus sedit, quod non fit rectè nisi in conspectu Dei, hoc est, in intimo cordis? Potest enim sic accipi quod dictum est: Ante Dominum, ut nullus esset hominũ, qui audiret orantem. Siue ergo propter arcam testamenti, siue propter secretum remotius ab arbitris, siue propter intimum cordis ubi erat orantis affectus, cõuenienter dictum est: Sedit ante Dominum: Nisi fortè quòd sedens orauit, hoc mouet quòd sanctus Helias hoc fecerit, quando pluuiam orando impetrauit. Quibus admonemur exemplis, non esse scriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dum-
B modo animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut & scriptũ est: Publicanus autem de longinquo stabat: Et fixis genibus, sicut *Luc.18.*
in Actibus Apostolorum legimus: Et sedentes: sicut Ecce Dauid & Helias. Nisi au- *Act.7.*
tem iacentes oraremus, non scriptum esset in psalmo: Lauabo per singulas no- *Psal.6.*
ctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Cùm enim quisque orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrerit, accommodata pro tempore positi corporis ad mouendum animum. Cùm autem non quæritur, sed insertur appetitus orandi: cùm aliquid repentè uenit in mentem quo supplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocunque modo inuenerit hominem, non est utique differenda oratio, ut quæramus quò sedeamus, aut ubi stemus, aut ubi prosternamur. Gignit enim sibi mentis intentio sollicitudinem, & sępe etiam obliuiscitur se uel ad quam cœli partem, uel in qua positione coroporis membra illud tempus inuenerit.

CAPVT VNDECIMVM.

Ex lib. 22. cont. Faust. Manich. Cap. LXXXVII. Tomo VI.

E*T uidit de tecto mulierem se lauantem &c.* Nunc peccatum Dauid, quid in prophetia significauerit, quanta possum breuitate perstringam. Nomina quippe ipsa interpretata, satis ostendunt, quid etiam hoc factum præfigurauerit. Dauid interpretatur manu fortis, siue desiderabilis. Et quid fortius leone illo de tribu Iuda, qui uicit mundum? Et quid desiderabilius illo, de quo

Agge.2. propheta dicit: Veniet desideratus omnibus gentibus? Bersabee interpretatur puteus satietatis, siue puteus septimus. Quamlibet autem harum nominis huius interpretationum in id, quod dicere intendimus, assumamus, satis congruit. Nam Cant.4. & in Canticis canticorum, sponsa illa ecclesia est, quæ uocatur puteus aquæ uiuæ. Et huic puteo septenarij numeri nomen in spiritussancti significatione coniungitur, propter & ratione Pentecostes, quo die de cœlo missus spiritussanctus uenit. De septimanis enim constare eundem festum diem, Tobiæ quoq; scriptura testatur: Ad quadragintanouem autem, quod est septies septem, unum additur, quo unitas cōmendatur. In hac ratione uiuit Apostolica illa sententia: Sufferentes inuicem in dilectione, studētes seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Dono itaq; spiritali, hoc est, septenario, facta est ecclesia puteus satietatis: quia factus est in ea fons aquæ salientis in uitam æternam, quem qui habuerit, non sitiet in æternum. Iam uerò qui fuerit maritus eius, quid aliud quàm diabolum nominis huius interpretatio significat? Huius erant pessimo coniugio delegati, omnes quos gratia Dei liberat, ut ecclesia sine macula & ruga saluatori proprio copuletur. Vrias nanq; interpretatur lux mea Dei. Cetheus autem abscissus: siue quòd in ueritate non stetit, sed à luce sua superna, quā de Deo habebat, superbiæ merito abscissus est: siue quòd cadendo ueris uiribus perditis, trāsfigurat se tamen in angelum lucis, audens adhuc dicere: Lux mea Dei est. Ergo iste quidem Dauid grauiter sceleratéq; peccauit, quod scelus eius etiam per prophetam Deus arguit increpādo, & ipse abluit pœnitendo. Verūtamen ille desiderabilis omnibus gentibus, adamauit ecclesiam super tectum se lauantem, id est, mundantem se à sordibus seculi, & domum luteam spiritali contemplatione transcendentem atq; calcātem: & inchoata cum illa primæ conuentionis notitia, post ab ea penitus separatum diabolū occidit, eámque sibi perpetuo connubio copulauit. Oderímus ergo peccatum, sed prophetiam non extinguamus: amemus illum Dauid quantùm amandus est, qui nos à diabolo per misericordiam liberauit: amemus & istū Dauid, qui tam graue in se uulnus iniquitatis pœnitētiæ humilitate sanauit: Sequitur in Cap. 97. eiusdē libri: Nunquid nam ergo si quisquam legens factum Dauid, cuius eum Domino arguente ac minante pœnituit, inde sibi ad peccandum fomitem præbeat, illa scriptura culpanda est: ac non tantò seuerius ille damnandus, quātò potius ad se uulnerandum aut occidendum, abuti uoluit ea re, quę ad sanandum liberandúmque conscripta est? Quia enim homines in peccatum lapsi, uel superbia negligunt pœnitentiæ medicinam, uel recipiendæ salutis, ueniæque promerendę diffidentia penitus pereunt, de tanto uiro exemplum propositum est, quo sanētur ægroti, non quo hi qui sani sunt saucientur. Neque enim medicinæ uitium est, si uel insani seipsos, uel maligni alios ferramentis medicinalibus perimant.

CAPVT DVODECIMVM.

M*isit Deus Nathan prophetam ad Dauid.* Vide Gen. Cap. 30. in hæc uerba: Dedítque Balam in uxorem.

Ex lib. 22. Cont. Faust. Manich. Cap. LXVII. Tomo VI.

Peccaui Domino. Quid enim aliud quàm cordis eius profunda cernebat spiritus

A tus Dei, quãdo correctus per prophetã dixit: Peccaui: cõtinuoq; ad hoc unũ uerbũ audire meruit, quod acceperit ueniam? Ad quam rem, nisi ad sempiternã salutẽ? Neque enim prætermissa est in illo secundũ Dei cõminationẽ flagelli paterni disciplina, ut & confessus in æternũ liberaretur, & afflictus tẽporaliter probaretur. Haud uerò mediocre fidei robur fuit, aut paruũ mitis & obediẽtis animi indiciũ, cùm audiisset à propheta, quòd sibi Deus ignouisset, & tamẽ quæ fuerat cõminatus, cõsequẽter euenissent, nõ se dicere prophetæ deceptũ esse mẽdacio, nec murmurare aduersus Deũ, quasi falsam peccatorũ eius indulgentiã pronũtiauerit. Intelligebat enim uir altè sanctus, & nõ contra Deũ, sed ad Deũ leuans animã suam, nisi Dominus esset confitenti pœnitentiq; propitius, quantùm pœnarũ æternarũ eius essent digna peccata, pro quibus cùm tẽporalibus emẽdationibus uerberaretur, uidebat erga se & manere ueniã, & non negligi medicinã. Cur autẽ Saul per Samuelẽ correptus, cùm diceret etiam ipse: Peccaui, nõ meruit audire quod Dauid, quòd ei Dominus ignouisset? Num personarũ acceptio est apud Deum? Absit. Sed in simili uoce, quã sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod diuinus oculus discernebat. Quid talibus docemur exẽplis, nisi regnũ cœlorum intra nos esse, & de intimis nostris Deũ colere nos debere, ut ex abundãtia cordis os loquatur: nõ autẽ ut populus labijs honoret, cor autẽ eorum lõgè sit ab eo? Neque iudicare aliter audeamus de hominibus, quorũ interiora uidere non possumus, quàm Deus qui hoc potest, & falli aut corrũpi nõ potest: cuius euidentissimã sententiã de Dauid, cùm diuinæ scripturę cõtineat tã sublimis authoritas, multùm ridẽda uel potius dolẽda est, aliter sentiens humana temeritas. Eis quippe diuinis li-

B bris de antiquis uiris credendũ est, qui tam longè futura dixerunt: quæ præsentia nunc uidẽtur. Quid aliud in euãgelio discimus, cùm eadẽ uox Petri auditur cõfitẽtis Christũ filium Dei, quæ etiã dæmoniorũ paria uerba, sed lõgè impari corde emittentiũ? Proinde in simili uoce fides Petri laudatur, dæmoniorũ immundicia cohibetur. A quo nisi ab illo, qui nõ aure humana, sed diuina mente radices internas uocũ illarũ nosset inspicere, et sine ulla falsitate discernere? Quàm multi enim & alij homines dicunt Christũ filiũ Dei uiui, nec tamẽ Petri meritis cõparantur: nõ solùm illi, qui dicturi sunt in illo die: Domine, domine, & audituri: Discedite à me: sed etiã illi, qui segregabũtur ad dexterã: in quibus plurimi nec unquã Christũ uel semel negauerũt, nec eius pro nostra salute passionẽ improbauerunt, nec gẽtes Iudaizare coẽgerũt: et tamẽ Petro, qui hęc fecit, sedẽti in duodecim sedibus, & nõ solùm duodecim tribus, uerùm & angelos iudicanti impares apparebũt: ita etiã multi nullius appetẽtes uxorẽ, nullũ maritũ appetitæ, usq; ad mortẽ persequẽtes, tamen Dauidicũ meritũ, cùm iste illa fecisset, apud Deũ habere nõ possunt. Tãtùm interest quid cuiq; in seipso, quantũq; displiceat, ut penitus extirpetur: & quid pro eo fructiferũ & opulẽtũ ingẽti feracitate cõsurgat: quia et agricolæ plus placẽt agri, qui spinis etiã magnis eradicatis, centenum proferũt, quàm qui nullas unquam spinas habuerunt, & uix ad tricenum perueniunt. *Eiusdẽ lib. cap. 68.*

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

S *Eruate mihi puerum Absolom.* Vide Gen. Cap. 30. in hæc uerba: Dedítque Balam in uxorem.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN LIB. III REGVM COMMENTARIA. C

CAPVT TERTIVM.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. 200. Tomo X.

Tunc uenerunt duae mulieres meretrices ad regem &c. De duabus meretricibus dilectissimi fratres, quae ad iudicium Salomonis uenerunt, unde nobis ad uesperã lectio recitanda est, ex quibus una quae erat nõ solùm luxuriosa, sed etiã crudelis & impia clamabat ad regem ut diuidi iuberet infantẽ. Nunc si libenter accipitis, de ipsis quid sancti patres nostri exposuerunt, charitatis uestrae auribus cupimus intimare. Illa enim quae clamabat, ut puer integer seruaretur, ecclesiae catholicę typum gerebat: illa alia crudelis & impia, quae clamabat ut puer diuideretur: Arrianam haeresim designabat. Catholica enim quasi mater pijssima, omnibus hęreticis clamabat: Nolite Christũ minorem facere patre, nolite unitatem diuidere, nolite unum Deũ diuersis gradibus diuidẽdo ueluti idôla gentium in uestris cordibus fabricare, totum nobiscum possidete, si uultis habere pacem, nolite unitatem scindere. Non enim si uos totum tenueritis, nobis nihil remanet. Tanta est illius omnipotentia, ut eum omnes totum possideant, & singuli totum. Sed impia & crudelis haeresis clamat, non, sed diuidatur. Quid est diuidatur, nisi nõ filius aequalis sit patri? Dum enim filio subtrahit aequabilitatem, & bonum omnipotentemq; denegauit patrem. Deus enim pater si potuit filium sibi similem gignere & noluit, non est bonus. Si uoluit & nõ potuit, nõ est omnipotens. Certi estote fratres mei, quia huic sentẽtiae nullus unquam Arrianorum poterit respondere, sed quotiens constricti fuerint uerissima ratione, uelut anguis lubricus ad alias quascunque quaestiones callidas & tortuosas fugiũt. Ergo fratres charissimi, testamentum profero, uerba testatoris refero. Si habet quòd diuidatur, ibi inuenio. Si non habet quòd diuidatur, ex ipso testamento illis resisto. O infoelix haeretice, quid habet testamẽtum audi: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Haec est Christianorum hęreditas, & quis est ipse testator? Lege testamentum & inuenis. Cùm propheta de Domino loqueretur ait: Magnificabitur usque ad terminos terrae, & iste erit pax. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonae uoluntatis. Non diuisoribus sanctae unitatis, sed hominibus bonae uoluntatis. Ipse est hęreditas, ipse testator, ipsum quaeris diuidere. Quid partiris unum? Si unũ diuiseris, integrũ nihil habes. O Arriana hęresis crudelis & impia erubesce. Iudicante Salomone, meretrix ne unum uiuum, ne undecunque conceptum etiam natum proderet, non dimisit diuidi filium suum, & tu diuidis Deum tuum? Illa etsi meretrix, tamen pia, quia mater. Tu hęresis impia, quia nõ mater, quod paris praefocas, quod non parturis congregas. Viscera tua duruerunt, illius tremuerunt. Quid dicit illa, quae typum gerebat catholicae matris? Date illi puerum, & nolite diuidere eum. Filius meus est, sed melius apud illam migret natus, migret totus, tamen apud me maneat maternus affectus.

[Margin notes: D; Ioan. 14.; Michea. 5.; Luc. 2.]

Date

A Date illi puerum, non auferantur uota, membrorum illius integritas non diuidatur, ne mihi pietas auferatur. Quod dicit: date illi puerum, & nolite diuidere, ecce & ego dico: Totum posside, & noli diuidere Deum. Non, inquit, sed si uis habere pacem, diuide hæreditatem. Sine præiudicio dico. Et quomodo habeo diuidere? Audi: Pater maior me est, filius minor, spiritus creatura. O partes, ô iustitia, ô æquitas. Facio partem, quia diuido pacem. Si enim fracta fuerit pax, iam nõ est pax. Sed quomodo apud te pax illibata est, apud quem fides integra non est? Vnde quia mecum uis possidere, & pacem uis diuidere, hæreditatem non uis diuidere? Postremò si more tuo non paci sed perfidiæ studes, uade interpella iudicem Christum, uideamus quid tibi dicturus est. Dic ei quod in euangelio dictum est: Domine dic fratri meo ut diuidat mecum hæreditatem. Sine dubio respondet tibi: Amice quis me constituit iudicem aut diuisorem? Vis diuidere pacẽ, & quæris habere iudicem pacem, iudex tuus nolo esse. Pax sum, consentientibus assideo, litigantes fugio &c. Luc.12.

Et omne propositum Salomonis. Vide Iosue Cap.21. in hæc uerba: Et dedit Dominus Israël omnem terram.

CAPVT VNDECIMVM.

Ex libro.22. Cont. Faust. Manich. Cap. LXXXI. Tomo VI.

S*alomon uero rex dilexit mulieres alienigenas.* De Salomone autem quid dicam, nisi quia grauius ipsius fidelis & sanctæ scripturæ testimonio redarguitur: quàm petulantibus & nugacibus Fausti conuicijs? Illa

B enim de illo & quid boni prius habuisset, & quid mali faciendo, bonum in quo primùm fuerat, reliquisset, ueraciter fideliterque locuta est: iste autem oculis clausis, uel potius extinctis, non quò lumine manifestante ducebatur, ibat: sed quò maleuolentia præcipitante ferebatur, irruebat. Hoc ipso enim magis insinuauerunt sancti libri religiosis lectoribus & electoribus suis, quàm caste habuerint sancti uiri plures uxores, quòd Salomon, qui eas non illo modo, sed magis ad libinem quàm ad propaginem habuit, improbatus est & reprehensus his uerbis, ut appellaretur amator mulierum: & inde ad profundum idololatriæ lapsus atque demersus, eadem ueritate personam nullius acceptante proderetur. Sequitur in eodem libro Cap.88. Iam de Salomone quid dicam? Quem uehementer arguit sancta scriptura, atque condemnat, nihilque de pœnitentia eius uel in eum indulgentiæ Dei omninò commemorat. Nec mihi prorsus occurrit, quid saltem in allegoria boni significet hæc eius flenda subuersio, nisi fortè quis dicat mulieres alienigenas, quarum amore exarserat, significare ecclesias electas de gentibus. Posset hoc fortasse non absurdè intelligi, si illę propter Salomonem desererent deos suos, & colerent deum eius. Cùm uerò ipse propter illas offendit deum suum, & coluit deos earum, nõ est quid inde boni coniectare possimus: nec tamen nihil arbitror significare, sed malum, sicut de uxore filiabusq; Loth diximus: Apparet enim in persona huius Salomonis & mira excellentia, & mira subuersio. Quod igitur in illo diuersis temporibus extitit, prius bonum & posterius malũ, hoc in ecclesia in isto adhuc seculo simul uno

tempore ostenditur. Nã bono illius, bonos ecclesiæ: malo autẽ illius, malos ecclesię C
significatos puto, tanquam in unitate unius areæ, sicut in illo uno homine bonos
in granis, malos in palea: ut in unitate unius segetis, bonos in tritico, malos in ziza
nijs. Siquid hinc sanè, his quæ de illo scripta sunt diligentius pertractatis, siue mi-
hi, siue hoc doctioribus atque melioribus, aliud probabilius elucere potuerit.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De cura pro Mort. Geren. lib. Cap. VII. Tomo IIII.

Via inobediens fuisti ori Domini. &c. Inuenimus in Regnorum libris Deum per prophetam minari alteri prophetæ, qui eius transgressus est uerbum, quòd non inferretur cadauer eius in sepulchrum patrum eius. Quanti hæc pœna pendenda sit, secundum euangelium cogitemus: ubi post corpus occisum nihil metuendum esse didicimus, ne membra exanima patiantur: nec pœna dicenda est. Si autem humanum erga suam carnem consideremus affectum, potuit inde terreri uel contristari uiuus, quod sensurus non erat mortuus: & hæc erat pœna, quoniam dolebat animus id de suo corpore futurum, quamuis cùm fieret, non doleret. Hactenus enim uoluit Dominus seruum suum plectere, qui non suâ contumacia spreuerat præceptum eius implere, sed aliena decipiente fallacia, obedire se credidit, quando non obediuit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, ut ad supplicium tartareum eius deinde anima raperetur: quandoquidem ipsum eius corpus idem leo, qui occiderat, custodiuit, iumento etiam quo uehebatur illæso, & D
simul cum illa immani fera, intrepida præsentia ad sui Domini funus astante. Quo mirabili signo apparet hominem Dei coërcitum potius temporaliter usque ad mortem, quàm punitum esse post mortem. De qua re Apostolus, cùm propter quasdam offensas commemorasset infirmitates mortésque mul-
I. Cor. II. torum: Si enim nos ipsos, inquit, iudicaremus, à Domino non iudicaremur. Cùm iudicamur autem, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur. Eum sanè ipse, qui deceperat, in monumento proprio honorificè sepeliuit, seq; sepeliendum iuxta ossa eius curauit: ita sperans parci posse quoque ossibus suis, cùm ueniret tempus quando secundum illius hominis Dei prohetiam Iosias rex Iuda in illa terra multorum eruit ossa mortuorum, eisdémque ossibus sacrilega altaria, quæ sculptilibus constituta fuerant funestauit: pepercit quippe illi monumento, ubi iacebat propheta, qui ante annos amplius quàm trecentos ista prædixerat: & propter ipsum nec illius, qui eum seduxerat, sepultura uiolata est. Affectu nanque illo, quo nemo unquam carnem suam odio habet, prouiderat cadaueri suo, qui occiderat mendacio animam suam. Ex hoc igitur, quòd carnem suam quisque naturaliter diligit, & illi pœna fuit addiscere, non eum futurum in sepulchro patrum suorum: & huic cura prospicere, ut parceretur ossibus suis, si iuxta eum iaceret, cuius sepulchrum nemo uiolaret, &c. Poterat utique Deus, qui leonem prophetæ corpus, quod ipse occiderat, ulterius non permisit attingere, & fecit de peremptore custodem, poterat, inquam, à suorum interfectis corporibus canes quibus fuerãt proiecta prohibere, poterat & ipsam

hominum

A hominum innumerabilibus modis terrere sæuitiam, ne cadauera incendere, ne cineres dispergere, auderent.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. 201. Tomo X.

Vade in Sareptam Sidoniæ, ego mandaui viduæ. &c. In lectionibus quæ nobis diebus istis recitantur fratres charissimi, frequenter admonui ut non sequamur literam occidentem, & uiuificantem spiritum relinquamus. Sic enim Apostolus ait: Litera enim occidit, spiritus uiuificat. Si enim hoc tantùm uolumus intelligere quod sonat in litera, aut paruam aut propè nullam ædificationem de diuinis lectionibus capiemus. Illa enim omnia quæ recitantur typus erant & imago futurorum. In Iudæis enim figurata, in nobis gratia Dei donante completa sunt. Beatus enim Helias typum habuit Domini saluatoris. Sicut enim Helias à Iudæis persecutionem passus est, ita uerus Helias Dominus noster ab ipsis Iudæis reprobatus est & contemptus. Helias reliquit gentem suam, & Christus deseruit synagogam. Helias abijt in desertum, & Christus uênit in mundum. Helias in deserto coruis ministrantibus pascebatur, et Christus in deserto mundi huius gentium fide reficitur. Corui enim illi qui beato Heliæ iubente Domino ministrabant, gentium populum figurabant. Propterea & de gentium ecclesia dicitur: Nigra sum & formosa filia Hierusalem. Vnde est ecclesia nigra & formosa? Nigra per naturam, formosa per gratiam. Vnde

2.Cor.3.

Cant.1.

B nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Vnde formosa? Asperges me isopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor. Vnde nigra? Apostolus dicit: Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Vnde formosa? Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Verè ecclesia gentium coruis similis erat, quando uiuentem Dominum contemnebat, & ante acceptam gratiam uelut morticinis cadaueribus idôlis ministrabat. Post hæc iubetur Helias proficisci in Sareptam Sidoniorum, ut ibi pascatur à uidua. Sic enim ad eum Dominus dixit: Vade in Sareptam Sidoniæ, ego mandaui uiduæ, ut te pascat ibi. Quomodo & per quem mandauit Deus uiduæ cùm propè nullus tunc alius esset propheta, cum quo Deus manifestius loqueretur nisi beatus Helias? Quia licet essent eo tempore aliqui de filijs prophetarum, ita persecutionem Iezabel metuebant, ut uix uel abscondito euadere possent. Ego, inquit, Dominus mandaui uiduæ. Quomodo mandat Dominus, nisi inspirando quod bonum est intùs in anima per gratiam suam? Ac sic omnis homo qui boni aliquid operatur, Deus illi loquitur intùs. Nemo ergo de se sed de Domino glorietur. Nunquid tunc in Iudæa non erant multæ uiduæ? Et quid fuit quòd nulla Iudæorum uidua beato Heliæ cibum meruit ministrare, sed ad uiduam gentilem mittitur, ut ab ipsa pascatur? Vidua enim ista ad quam propheta mittitur, typum ecclesiæ gerebat, sicut & corui illi qui Heliæ ministrauerant, figuram gentium habuerunt. Vênit ergo Helias ad uiduam, quia Christus uenturus erat ad ecclesiam. Sed uideamus fratres dilectissimi, ubi beatus

Psal.56.

Rom.7.

Helias uiduam illam inuenit. Exierat enim ut aqua se lauaret, & ligna colligeret. C
Quid enim aqua & quid ligna significent, uideamus. Satis enim ista duo ecclesiæ & amica & necessaria esse cognoscimus, id est, lignum & aquã. Denique sic scri-
Psal. 1. ptum est: Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Nam in ligno crucis mysterium, in aqua ostenditur baptismatis sacramentum. Exierat ergo ut colligeret duo ligna. Sic enim respondit beato Heliæ, cùm ab ea cibum peteret. Dixit enim: Viuit Dominus, quia non habeo nisi pugillum farinæ, & modicum olei in uase, & ecce ego exeo ut colligam duo ligna, & faciam mihi cibum & filio meo, & manducabimus & moriemur. Sicut ergo suprà dixi: uidua illa typum habebat ecclesiæ, filius uiduæ figuram gerebat populi Christiani. Veniente ergo Helia, exijt uidua colligere duo ligna. Videte fratres, quia non dixit tria, nec quatuor, nec unum tantummodo lignum, sed duo ligna colligere uoluit. Ideo duo ligna colligebat, quia in typo Heliæ Christum excipiebat. Duo ligna uolebat colligere, quia crucis mysterium desiderabat agnoscere: Crux enim Domini saluatoris duobus lignis aptata est. Ideo duo ligna colligebat uidua illa, quia in illum qui in duobus lignis pependit creditura erat ecclesia. Dixit ergo uidua illa: Colligo duo ligna ut faciam cibum mihi & filio meo, & manducabimus & moriemur. Verum est fratres dilectissimi. Nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic seculo moriatur. Nam quicunque corpus Christi dignè manducare uoluerit, necesse est ut moriatur præteritis & uiuat futuris. Vidua ergo illa, sicut diximus, ecclesiam figurabat, filius uiduæ typum gentilis populi præferebat. Filius uiduæ defunctus iacebat, quia & filius ecclesiæ, id est, populus gentium D
multis peccatis & criminibus mortuus est. Orante Helia filius uiduæ suscitatur, ueniente Christo filius ecclesiæ, id est, populus Christianus de carcere mortis reducitur. Helias inclinatur in oratione & uiuificatur uiduæ filius, & Christus procumbit in passione, & suscitatur populus Christianus. Quòd autem tribus uicibus beatus Helias ad resuscitandum puerum incuruatus est, hoc etiam antequam ego dicam, credo quòd charitatis uestræ præuenit intellectus. Nam quòd tribus uicibus inclinatur, mysterium trinitatis ostenditur. Viduæ enim filium, id est, populum gentium, nec solus pater sine filio, nec pater & filius sine spiritusancto, sed tota trinitas suscitauit. Denique hoc etiam in sacramento baptismatis demonstratur, dum tertia uice uetus homo mergitur, ut nouus surgere mereatur. Post hæc ostendit se beatus Helias regi, & ascendit in montem Carmeli, & posuit caput suum inter genua sua, & orauit ut Dominus daret pluuiam super terram. Et dixit ad puerum suum: Respice contra mare. Et renũtiauit puer se penitus nihil uidisse. Et ait illi, Vade & considera septies. Septima autem uice renuntiauit & dixit: Video nubeculam paruulam quasi uestigium hominis ascendentem de mari. Et subitò contenebrati sunt cœli, & facta est pluuia magna. Helias ergo sicut diximus figuram habuit Domini saluatoris. Helias orauit & sacrificium obtulit, & Christus pro uniuerso mundo seipsum immaculatum sacrificium tradidit. Helias orauit in monte Carmeli, & Christus in monte Oliueti. Helias orauit ut pluuia in terram ueniret, & Christus, ut in cordibus humanis gratia diuina descenderet. Quòd autem dixit Helias ad puerum suum; Vade & considera septies, septiformem

A mem sancti spiritus gratiam quæ danda erat ecclesiæ designabat. Et quia ipse dixit se uidisse nubeculam paruulam ascendentem de mari, carnem Christi figurabat, quę in mari mundi istius nascitura erat. Quamobrem ne fortè aliquis dubitet nubem illam uestigium hominis habuisse, dixit: illius utique hominis qui dixit: Quem dicunt homines esse filium hominis? Sicut ergo orante Helia post tres annos & sex menses pluuia de cœlo descēdit: ita & in aduentu saluatoris tribus annis & sex mensibus quibus prædicare dignatus est, pluuia uerbi Dei totum mundum fœliciter irrigauit. Et sicut tunc in aduentu Heliæ omnes sacerdotes idolorū interfecti sunt & deleti. Ita in aduentu ueri Heliæ, id est, domini nostri Iesu Christi obseruatio sacrilega Paganorum destructa est. Matth. 16

Ad Simpl. lib. 2. Quæst. V. Tomo IIII.

O *Domine testis huius uiduæ, cum qua habito &c.* In his uerbis nihil moueret, si uera pronuntiatio seruaretur. Vox est enim non credentis quòd tam malè faceret Dominus cum ea uidua, quæ tam piè prophetam susceperat, eo præsertim tempore, quo ibi erat, cui protulerat totum uictum suum tam exiguum in tam magna & summa inopia. Ita ergo dictum est, ac si diceret: O Domine testis huius uiduæ cum qua ego habito apud ipsam, tu malè fecisti ut occideres filium eius: ut intelligatur quòd utique Dominus qui testis cordis illius mulieris, uidebat quanta esset pietas, unde etiam Heliam ipse ad eam miserat, non malefaciendi causa mortificauerit filium eius, sed exhibēdi miraculi ad gloriam nominis sui, qua tantùm prophetam & tunc uiuentibus & posteris commendaret. Sicut dicit Dominus, non B ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed ut glorificaretur Deus in filio suo. Et ideo consequentia probant, & ipsa etiam fiducia qua credidit Helias, non ad hoc illud cōtigisse ut acerbo luctu hospita eius affligeretur, sed potius ad hoc factum esse, ut Deus magnificentius ostenderet uiduæ qualem Dei famulum suscepisset. Sequitur scriptura & dicit: Et insufflauit puero ter, & inuocauit Dominum & dixit: domine Deus meus reuertatur nūc anima pueri huius in eum. Et factum est sic. Hæc ergo deprecatio qua petit Helias tam breuiter & tam fideliter ut resurgat puer, satis indicat quo affectu dicta sunt superiora. Et ipsa mulier ostendit ad hoc mortificatum filium suum fuisse, ad quod Helias factum esse præsumpserat, cùm illa uerba non confirmando, sed renuendo enuntiauerat. Cùm enim uiuum recepisset filium suum, ait: Ecce nunc cognoui, quoniam homo Dei es tu, & uerbum Domini in ore tuo certissimum. Multa sunt autem in scripturis, quæ nisi illo modo pronuntientur, in contrariam sententiam incidunt, sicuti est: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Si quasi confirmans respondeas, uides quanta peruersitas oriatur. Sic ergo pronuntiandum est, ac dicatur: Deus ne qui iustificat? & subaudiatur, non utiq;. Ac per hoc apertam puto esse illam Heliæ sententiam, quam non seruata pronuntiatio faciebat obscuram. Rom. 8.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN IIII LIB. REGVM COMMENTARIA.

CAPVT SECVNDVM.

De Gen.ad lit.lib 6.Cap.XVII. Tomo III.

Orieris enim tu & non uiues. Sed fortasis in mundo est, ut necesse sit istum hominem senescere. Si autem nec in mūdo est, in Deo est: hoc autem necessariò futurum est, quod ille uult, & ea uerè futura sunt, quæ ille pręsciuit. Nam multa secundū inferiores causas futura sunt, sed si ita sunt, & in præscientia Dei uerè futura sunt. Si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, sicut ibi sunt, ubi qui præscit, falli non potest. Nam futura dicitur senectus in iuuene, sed tamen futura non est, si antè moriturus est: hoc autem ita erit sicut se habent aliæ causæ, siue in mundo contextæ, siue in Dei præscientia reseruatæ. Nam secundum quasdam futurorū causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad uitam, id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, & in sua uoluntate seruabat. Non ergo id fecit quod futurum non erat: hoc enim magis erat futurū, quod se facturum esse pręsciebat. Nec tamen illi anni additi rectè dicerentur, nisi aliquid adderetur, quod se aliter in alijs causis habuerat: secundum aliquas igitur causas inferiores iam uitam finierat: secundum illas autem quæ sunt in uoluntate & pręscientia Dei, qui ex æternitate nouerat, quid illo tempore facturus erat, & hoc uerè futurum erat, tunc erat finiturus uitam quando finiuit uitam. Quia & si oranti concessum est, etiam sic eum oraturum ut tali orationi concedi oporteret ille utique præsciebat, cuius pręscientia falli non poterat: & ideo quod præscibat, necessariò futurum erat.

Fiat spiritus tuus duplex in me. Vide infrà in Luca.Cap.22 in hæc uerba: Hodie mecum eris in paradiso.

Raptus igneo curru. Vide Malach. Cap.4. in hæc uerba: Quia ecce dies uēnit ardens sicut clibanus.

Et ascendit Helias per turbinem in cœlum. Vide Gen.Cap.2. in hęc uerba: Faciamus ei adiutorium simile.

Spiritus Heliæ requieuit super Helisæum. Vide Num.Cap.11. in hęc uerba: Et auferam de spiritu qui in te est.

Ex lib.Sermon.de Temp.Serm.204. Tomo X.

Ascende calue, ascende calue. Cùm diuina lectio legeretur, audiuimus quòd prętereunte beato Helisæo pueri irridentes clamauerunt: Ascende calue. Ob quā rem orante Helisæo, egresi sunt duo ursi de saltu, & lacerauerunt quadraginta duos pueros. Inimici Dei & hostes, animæ suæ immundissimi Manichæi, qui scripturam ueteris testamenti non solùm recipere nolunt, sed etiam rabido ore blasphemare præsumunt, solent dicere: Quæ fuit tanta crudelitas in Helisæo, ut propter iocularia

A ria uerba infantum, quadraginta duos pueros fecerit lacerari? Et ideo qualiter eorum insaniæ respondendum sit, breuiter charitati uestræ suggeremus. Tempore illo quo beatus Helisæus in Iudæa fuit, tam ille quàm reliqui prophetæ, non solùm non honorabantur ex maxima parte populi, sed etiam irrisui & opprobrio habebantur, & ueluti insani atque arreptitij credebantur, intantum ut eo tempore, quo beatus Helisæus unum de filijs prophetarum mitteret, ut Iehu ungeret in regem, principes qui sedebant cum Iehu dixerunt: Quid ad te uênit insanus iste? Prophetam Domini uidebant, & eum esse arreptitium blasphemabant. Nam illo tempore sancti prophetæ ita in grandi contemptu & opprobrio habebantur, ut etiam beato Helisæo qui tanta miracula faciebat, sicut suprà diximus: pueri indisciplinati clamarent: Ascende calue, ascende calue. Quam rem etiam parentibus suis instigantibus fecisse credendi sunt. Manifestè pueri illi non clamarēt, si hoc eorum parentibus displiceret. Dolens ergo beatus Helisæus de interitu populi, imò sanctus spiritus per beatum Helisæum uolens reprimere superbiam Iudæorum, fecit uenire duos ursos, & lacerauerunt quadragintaduos pueros, ut percussis paruulis, maiores reciperent disciplinam, & mors filiorum fieret disciplina parentum, & prophetam quem mirabilia facientem nolebant amare, discerent uel timere. Sed ita perseuerauerunt Iudæi in malis suis, ut sibi de medicamentis uulnera facerent, & inde acquirerent mortem, unde poterant obtinere salutem. Conuerterunt enim sibi lucem in tenebras, & dulcedinem in amaritudinem commutauerunt. Denique impletum est in illis quod scriptum est: Percussi filios uestros, & di *Hiere. 2.*
B sciplinam non recæpistis. Nemo ergo beato Helisæo ore uipereo derogare præsumat, quia hoc quod de pueris illis factum est, non tam ipse propria uirtute quàm per illum spiritussanctus fecisse credendus est. Sed hoc sicut dixi, pro grandi pietate & ineffabili misericordia factum est, ut quia Deo humiliter prædicātibus prophetis Iudæi nolebant credere, uel cum seueritate uindictam irrogantem metuerent, & timentes mortem corporum uel sic salutem requirerent animarum. Quā rem non solùm in ueteri testamēto, sed etiā in nouo per beatum Petrū apostolum in Anania & Saphyra legimus fuisse completam. Quos ideo Petri sententia damnauit, ut nullus in oblationibus uel muneribus suis spirituisancto mentiri præsumat. Et quidem fratres charissimi, secundum literam ita credendum est, ut suprà suggessimus, quòd beatus Helisæus non iracundiæ morbo commotus, sed zelo Dei succensus, ad corrigendum populum Iudæorum, paruulos permisit lacerari, non ut uindicaret, sed potius ut illos corrigeret: tamen in hoc facto etiam passio Domini saluatoris præfigurata fuisse euidenter ostenditur. Nam quomodo pueri illi indisciplinati clamauerunt beato Helisæo: Ascende calue, ascende calue: ita & insensati populi Iudæorum Helisæo Christo tempore passionis uoce sacrilega clamauerunt: Crucifige, crucifige. Quid est, ascende calue, ascende calue, *Luc. 23.* nisi ascende crucem in loco caluariæ? Et hoc attendite fratres, quia sicut sub Helisæo quadragintaduo pueri lacerati sunt, ita & post quadragintaduos annos passionis Dominicæ, uenerunt duo ursi, Vespasianus & Titus. Et hoc considerate fratres, quia in solennitate paschali facta est obsidio Iudæorum, ut iusto Dei iudicio ex omnibus prouincijs congregati Iudęi, in ipsis diebus pœnam sibi debitam sustinerent,

sustinerent, in quibus uerum Helisæum Dominum & saluatorem nostrum in crucem suspenderant. Illo enim, id est, quadragesimo secundo anno à die passionis Domini nostri, quasi diuina manu acti Iudæi, Hierosolymis sicut solebant ad celebrandum pascha conuenerant. In historijs legimus, quòd tunc tricies centena milia hominum ex Iudæis Hierosolymis fuerint congregata, ex quibus ferro & fame undecies centena milia leguntur esse consumpta, & centum milia iuuenum Romam perducti sunt in triumphum. Duobus enim annis obsessa est ciuitas illa, & tanta multitudo mortuorum de ciuitate proiecta est, ut muris ipsa cadauera coæquarentur. Istam ergo uastationem figurabant illi duo ursi, qui quadraginta duos pueros propter irrisionem beati Helisæi lacerasse dicuntur. Et impletum est quod dixerat psalmus: Exterminauit eam aper de sylua. & singularis ferus depastus est eam. Quia sicut dictum est, post quadragintaduos annos à duobus ursis, Vespasiano & Tito, gens illa sacrilega quod merebatur excæpit. Et quia infœlices Iudæi propter superbiam repudiari & despici, ac per totum mundum dispergi meruerunt, nos quibus tanta beneficia pietas diuina concesit, cum omni humilitate fidem rectam tenentes, & ut superbia in nobis locum inuenire non posit, charitatem integram cum omnibus hominibus conseruantes usque ad finem uitæ nostræ mundo corde & casto corpore seruire Domino laboremus &c.

C

Psal. 79.

CAPVT QVARTVM.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 206. Tomo X. D

Vir meus mortuus est, et ecce creditores ueniunt. Sicut de beato Helia diximus fratres charissimi, quòd typum habuerit Domini saluatoris, ita & sanctum Helisæum confidenter & securè asserimus saluatoris nostri imaginem prætulisse. Clamauit enim ad beatum Helisæum, sicut in lectione diuina audistis, uidua quædam, & uoce flebili supplicauit dicens: Vir meus mortuus est, & ecce creditores ueniunt & uolunt mihi tollere filios meos. Ille autem interrogauit eam, quid haberet in domo sua: Respondit mulier & ait: Viuit Dominus quia non habeo nisi modicum olei quo ungar. Et dixit Helisæus: Pete uasa à uicinis tuis, & clauso ostio, mitte ex illo oleo in omnia uasa, & cùm plena fuerint, uende & redde creditoribus tuis. Vidua ista fratres charissimi, typum ecclesiæ præferebat, sicut & illa quæ meruit beatum Heliam excipere. Vidua ergo ista. id est, ecclesia debitum graue contraxerat non solidorum, sed peccatorum. Debitum habebat, & creditorem crudelissimum sustinebat, quia se diabolo multis peccatis obnoxiam fecerat. Sic enim & Propheta prædixit: In peccatis uestris uenditi estis, & in sceleribus uestris dimisi matrem uestram. Vidua ergo illa pro tam grandi debito captiua quodammodo tenebatur. Captiua erat, quia redemptor nondum uenerat. Sed posteaquam uiduam istam uerus redemptor Christus dominus uisitauit, ab omnibus debitis liberam fecit Vnde enim illa uidua liberata sit uideamus. Vnde, nisi de augmento olei? In oleo misericordia intelligitur. Ergo uiduæ illi ideo debitum creuerat, quia oleum misericordiæ peccando perdiderat. Considerate fratres, defecit oleum, & debitum creuit. Creuit oleũ, & perijt debitũ. Creuerat cupiditas, & perijt

Esa 50.

A perijt charitas. Redit charitas, & perit iniquitas. Veniente uerò Helisæo Christo domino, uidua, hoc est, ecclesia per augmentũ olei, id est, donum gratię & misericordiæ, uel charitatis pinguedine, de peccatorum debito liberatur. Quid tamen ei beatus Helisæus dixerit, uideamus? Pete uasa multa à uicinis & proximis tuis, & clauso ostio infunde in uasculis uicinorũ. Qui erant isti uicini nisi gẽtium populi? Et licet uidua illa ecclesię typũ habuerit, tamen uidua erat, & ideo uicini illi unde uasa petebãtur, populũ gentium figurabant. Quæ tamen uasa uacua exhibebantur, ut oleum misericordiæ accipere mererentur, quia omnes gentes antequã donum gratiæ consequantur, fide & charitate, & bonis operibus uacuę esse probantur. Deniq; omnes qui ad salutare baptismũ consequendum ecclesiæ offeruntur, & chrisma & oleũ benedictionis accipiunt, ut iam nõ uasa uacua, sed Deo plena, & templum Dei esse mereantur. Considerate ergo fratres charissimi: Quamdiu uidua illa oleum in uasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitũ reddere poterat. Verùm est charissimi. Qui se solùm diligit, nec sibi sufficit, nec peccatorum suorũ debitum reddit. Cùm uerò in alienis uasculis, id est, omnibus uicinis & propinquis, & omnibus omninò hominibus cœperit oleũ charitatis infundere, tunc & sibi sufficere, & ab omnibus se debitis poterit liberare. Et uerè fratres, talis est natura sancti amoris & ueræ charitatis, ut erogãdo crescat: & quantùm in alijs plus expenditur, tantùm in se abundantius cumuletur. Cibum corporis, si uolueris egenti tribuere, ad pręsens quod illi dederis tu habere non poteris. Panem charitatis si dederis centũ hominibus, integer manet. Si uniuerso mundo

E largiri uolueris, tibi nihil deficit, imò non solùm non deficit, sed omnium illorum, quibus largitus fueris, lucrũ tibi multipliciter crescit. Verbi gratia. Vnũ panem charitatis habebas: Si nemini dedisses, ipsum solum haberes. Mille hominibus dedisti, mille panes acquisisti, quia tanta est possessio charitatis, ut & singulis tota sit, & omnibus integra esse possit. Ergo & alijs dedisti, & tu nihil penitus perdidisti. Imò non solùm non perdidisti, sed sicut iam dixi quicquid alijs à te collatum est, tu centupliciter acquisisti. Ergo fratres charissimi, agnoscite uiduam non alio nisi de oleo à suis creditoribus absolutam, & intelligite ecclesiam catholicam nõ aliunde, nisi per oleum misericordiæ Dei de suis fuisse criminibus liberatã. Sed hoc attẽdite fratres, quòd mulier illa quãdiu habuit uasa ubi oleum infunderet, tandiu oleum creuit. Nam dixit filio suo: Affer mihi uas. Et ille respondit: Non habeo. Et ait scriptura stetisse oleum, posteaquam ubi poneret non inuenit. Sic dilectissimi fratres, tãdiu charitas augetur quamdiu tribuitur. Et ideo etiam ex industria debemus uasa quærere ubi oleũ possimus infundere, quia probauimus quòd dum alijs infundimus plus habemus. Vasa charitatis, homines sunt. Si charitatis oleo uolumus abundare, non solùm bonos, sed etiam malos debemus diligere. Bonos, quia boni sunt: Malos, ut boni fiant. Habet enim hanc uirtutem oleũ charitatis, ut & bonos meliores faciat, & malos de peccatorum tenebris ad lucem ueritatis reducat. Quòd autem ait scriptura clauso ostio uiduam illam oleum in uasculis infudisse, hoc significauit, ut unusquisq; eleemosynam clauso ostio faciat, id est, pro solo Dei amore: non ideo ut laudetur ab hominibus, sed ut apud Deum inuenire gratiam mereatur. Qui enim pro laude humana eleemosynam facit, aperto ostio facit,

cit,quia apertum omnibus patet.Qui uerò pro sola uita ęterna, & pro remissio- C
ne peccatorũ bona opera fecerit,etiam si publicè faciat,clauso ostio facit: quia de
illa eleemosyna non hoc quærit quod uidetur, sed quod non uidetur. Laus enim
humana uidetur,æternum pręmium non uidetur.Sed audi quid dicit Apostolus:
2.Cor.4. Quæ enim uidentur temporalia sunt, quæ autem non uidentur æterna. Securus
ergo unusquisq; eleemosynam faciat, tãtùm est ut pro illa gloriam humanã non
requirat. Post hæc audiuimus, quòd dum beatus Helisæus transiret per Sunam
quædam mulier magna susceperit eum,& dixerit ad uirum suum:Animaduerto
quòd homo iste uir Dei sit,faciamus illi cœnaculum,& ponamus ei in eo,lectum,
mensam,sellam,& candelabrũ,ut quando uenerit maneat ibi. Et mulier illa steri-
lis erat,sed orante Helisęo genuit filium.Sic & ecclesia antequam Christus ueniret
sterilis fuit.Et sicut illa orante Helisæo genuit filium, ita & ecclesia ueniente ad se
Christo,genuit populũ Christianum.Sed filius mulieris illius dum Helisęus absens
esset,mortuus est.Sic & filius ecclesię,hoc est,populus gentium antequã Christus
ueniret,peccatis mortuus erat.Descendente de monte Helisæo, filius uiduæ huic
uitæ redditur:descendente de cœlo Christo,filius ecclesiæ,id est,populus gentium
suscitatur.Sed hoc qualiter factũ sit,uideamus. Mortuo enim filio suo mulier illa
abijt,& uestigijs se sancti Helisæi prostrauit. Beatus uerò Helisæus dedit baculum
suum puero,& dixit ad eum:Vade & mitte baculum meũ super faciem pueri. Si
te salutauerit homo,non resalutes eum.Hoc loco fratres uidete,ne alicui surrepat
impia cogitatio,& dicat quòd augurium beatus Helisæus obseruare uoluerit, &
ideo iusserit puero suo ut salutatẽ se in uia non resalutaret.Frequenter hoc in scri D
pturis legimus,sed pro celeritate est dictum,non pro aliqua superflua & sacrilega
obseruatione præceptũ. At si diceret: Ita uelociter ambula, ut nullis fabulis in uia
occupari aut retardari præsumas. Abijt ergo puer, & misit baculũ super faciem
pueri,& penitus nõ surrexit.Puer iste typum habuit beati Moysi.Misit enim eum
Deus cum baculo in Aegyptũ,sed baculus sine Christo flagellare Aegyptum po-
tuit,de originali uerò uel actuali peccato liberare uel resuscitare nõ potuit.Nihil
enim,dicente Apostolo,ad perfectum adduxit lex.Opus erat ut qui baculum mi-
serat,ipse descenderet.Baculus sine Helisæo nihil ualebat, quia crux sine Christo
nihil poterat. Venit ergo beatus Helisæus,& ascendit in cœnaculum,quia uentu-
rus erat Christus,& ascensurus crucis patibulum.Inclinauit se Helisæus, ut pue-
rum resuscitaret:humiliauit se Christus, ut mundum in peccatis iacentem erige-
ret.Misit Helisæus oculos super oculos,manus super manus. Videte fratres, quan
tùm se uir ille perfectæ ætatis contraxit, ut paruulo mortuo & iacenti congrue-
ret.Quod enim Helisæus in puero præfigurauit,hoc in toto genere humano Chri
Phil.2. stus impleuit.Audi Apostolum dicẽtem:Humiliauit semetipsum,factus obediens
usque ad mortem.Quia paruuli eramus,paruulum se fecit.Quia mortui iaceba-
mus,pius se medicus inclinauit,quia & reuerà fratres nemo potest iacẽtem erige-
re,si se noluerit inclinare.Quòd autẽ puer oscitauit septies,septiformis gratia san
cti spiritus ostenditur,quæ humano generi ut resuscitetur in aduentu Christi tri-
Rom.8. buitur.De ipso spiritu dicit Apostolus:Si quis spiritũ Christi nõ habet, hic non est
eius.Ipsum etiam spiritũ Dominus dedit discipulis,quãdo insufflauit & dixit:Ac-
cipite

A cipite spiritum sanctum. Os enim quodammodo super os posuit, quando insufflando spiritum dedit.

CAPVT QVINTVM.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 207. Tomo X.

Naaman princeps militiæ regis Syriæ &c. Cùm Naaman regis Syriæ princeps perfusus lepra fuisset, & sibi uel cunctis horreret, dolebat rex Syriæ uirum, per quem plurima confecerat bella, gentes domuerat, & uictorias perpetrarat. Tunc audit Naaman apud Israël esse prophetam Helisæum mirandis uirtutibus præditum, & stupēdis operibus nominatum, per quē posset & causæ periculo liberari, & perniciosa uarietate tergi. Mox suum pergit ad regem, & commendatitias literas ad Israëlitarum regem deposcit. Confestim rex ad regem literas mittit dicens: Misi ad te Naaman seruum meum ut cures eum à lepra ipsius. Cùm rex à rege literas accæpisset, scidit uestimenta sua dicens: Videte quoniam malitiam quærit iste, qui misit ad me hominem ut curem eum. Nunquid ego Deus? O fides, Naaman princeps fideliter festinat ad Deum, & rex perfidus suum dissipat uestimentum. Rex Syriæ credit posse fieri quod audierat, & rex Israël nō credit fieri posse quod nouerat. Tunc ad Helisæum cùm regis commotio perferretur: Mitte, inquit, ad me Naaman Syrum, ut sciat quia est Deus in Israël. Adducitur itaque ad ostium hominis Dei cum quadrigis & equitibus: Ad quem ait: Vade baptizare in Iordane septies, & mūdaberis. Quo audito Naaman B commotus dixit: Ego putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen domini Dei sui, & tangeret locum lepræ, & curaret me. Si enim aquis me mundari oportet, nónne meliores sunt apud nos aquæ? Tunc unus ex suis ait: Nunquid hoc difficile uerbum est quod locutus est propheta ad te? Quare non facis quod dixit? Tunc Naaman reuersus & in Iordane septies baptizatus, ascendit inde mundatus. Tunc miratur Naaman, tunc stupet, tunc prohetam cōspicit, tunc cœlum attendit, miratur uno iussu affuisse uirtutem, miratur operatum Domini, miratur detersum tanti temporis uitium. Miratur Naaman se mutatum corpore & mente perniciosa, ab illo contagium pellitur, & optata sanitas reparatur. Gaudet Naaman, propheta lætatur, & ab utrisque Dominus collaudatur. Gaudet Naaman, quod optauerat se percępisse, & quod crediderat inuenisse. Gaudet Propheta in opere, lætatur populus in uirtute. Gaudet Iudæa quòd uenientibus pręstentur auxilia, discunt in Israël quod apud se inuenire non poterant. Qui curatus est prędicat, qui sentit nuntiat, nemini dubium habetur quòd in Naaman mirabilia protestātur. Tunc lætus Naaman Helisæo offert munera, tunc sanitatis uoto obtulit dona. Non enim pretium curationis est quod offero, nec sanitate percæpta isto munere redimo sanitatem quam merui. Nec pretio poterit redimi, nec ullo munere inueniri. Mihi, inquit Helisæus, quod offers non accipio, quod ingeris ut alienum recuso. Nec enim tibi sanitatem præstiti, nec perniciosum in te uitium ego ipse correxi. Est potens in cœlestibus Deus, cuius imperium seruo, officio pareo, seruituti insisto, cui soli præparandus est sensus, dicandus animus, tribuendus in omnibus famulatus. Huic enim si soli seruieris, aut obsequia debita mancipaueris,

mancipaueris, ante quàm reddas seruitia, ante meliorem mereberis medicinam. C
Mox Naaman diuinam sibi disciplinam indicit, superstitiosa abscidit. Continuò se Deum uenerari testatur, & detestari idôlum profitetur: Nunc, inquit, cognoui, quia Deus colendus est solus, nūc primùm addidici quia unus uenerandus est Dominus. Cæterum dij gentium nec saluare poterunt, nec nocere merentur, aut sanum quēpiam facere, qui se non possunt de non colentibus uindicare. Tunc Naaman proficiscitur in Syriam lætus tunc ad suos properat sanus. Lętantur omnes qui cum eo tristes aduenerant, gaudent cuncti qui eius inualetudinem exhorrebant. Magnalia Dei cuncti loquuntur, & uirtutes eius uniuersi inuicem fabulantur. Statim prophetæ puer secum loquitur dicens: à Naaman Syro noluit quicquam accipere, pergam ut quod ille noluit suscipere ego sumã. Nec cessauit, pergit festinanter. Quem cùm puer uideret concurrentem, ut Domino nuntiaret, mox Naaman suorum statuit currus, in obuiam redit, causam exquirit. Ille auarus iactat mendacium. Dicit à Propheta esse mandatum, ut argenti aliquid mitteret, quod aduenientibus ad se prophetarum liberis tribuisset. Continuò Naaman puero duplum quàm petierat dedit, quod prophetæ ipse supplex ut acciperet extorquere non meruit. In sequestri ergo deposito, in Helisæi conspectu solito more consistit. Vbi, inquit, fuisti, uel quid negotij gessisti? Nusquam, inquit, discessi. Tunc Propheta sanctissimus ait: Nónne cor meum tecum fuit, quando Naaman tibi in obuiam properauit? Argentum accępisti, & eius lepram sumpsisti. O meritum Helisæi. Vno tempore duplex uirtus ostenditur & gemina potestas prophetæ sanctissimi demonstratur. Curatur Naaman Syrus, & lepra Giezi perfunditur. Seruo Syro fideli gloriam attollit, & seruo perfido intulit pœnam. Ille de Syria ueniens quod desiderauit accæpit, hic puer prophetæ plagam sibi de perfidia sumpsit. In aquis Naaman curatur & gaudet, Giezi uulneratur & deflet. Alius suis redditur sanus, alius cunctis ostenditur maculatus. Deus in Naaman laudatur, quòd deposita lepra integer reuersus est & sanus. D

Sequens sermo de eadem re.

Frequenter charitati uestræ suggessimus fratres charissimi, beatum Helisæum typum habuisse Domini saluatoris: Giezi autem discipulus non incongruè Iudam traditorem, uel Iudæorum populum intelligitur figurasse. Sicut enim Giexi ideo seruiebat beato Helisæo, ut pecuniam posset acquirere, ita & Iudas propterea adhæserat Domino saluatori ut fraudem faceret, & terrenas diuitias congregaret.
Ioan. 12. Denique sic in euangelio scriptũ est: Quia fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur asportabat. Nam Giezi qui gratiam magistri poterat promereri, sicut & dominus suus cõsecutus fuerat beati Helię, cupiditate uictus meruit in ęternum crudeli lepra perfundi: Iudas uerò pro amore pecuniæ & apostolatus gratiam perdidit, & laqueo uitã finiuit. Ac sic intelligimus omnes auaros & cupidos, intùs in anima peccati lepra esse perfusos. Naaman uerò princeps militiæ, qui leprosus erat, & suggerente ancilla ad beatum Helisæum sanandus aduenit, populum gentium figurauit. Puella illa quæ captiua fuerat de Iudæa ducta & suggesserat dominæ suæ, quòd si ad beatum Helisæum suus dominus pergeret, sanitatem reciperet, puella, inquam, illa prophetiæ imaginem gessit, quia licet tempore illo in

A In sola Iudæa gratia prohetię floruerit, tamen non potuit fieri, nisi ut etiam ad uicinas gentes beata eius notitia perueniret. Audiuit ergo Naaman puellam, & uenit ad Helisæum. Audiuit populus gentium prophetiam, & uenit ad Christum. Naaman ueniens ad Helisęū sanatur à lepra: & populus gentium ueniens ad Christum, ab omni peccatorū lepra purgatur. Potest tamen, sicut iam dixi, Giezi etiam Iudęorum populum figurare, qui eo tempore peccati lepra percutitur, quo ab ea gentium populus liberatur. Deniq; sic infœlices Iudæi in passione Domini clamauerunt: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Tunc enim peccati lepra perfundi meruerunt, quando contra cœlestē medicū ore sacrilego clamauerunt: Tolle, tolle, crucifige eum. Ergo eo tempore in illis remansit lepra, quo ad gentes Domini transijt gratia. Denique sic & apostolus Petrus ad eos locutus est dicens: Vobis, inquit, oportuit primùm loqui uerbum Dei, sed quia uos indignos iudicastis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Quando doctrina apostolorum ad gentes transijt, tunc in miseris Iudæis peccati lepra remansit. Quid tamen mandauerit beatus Helisæus Naaman Syro uideamus. Vade, inquit, & lauare septies in Iordane. Quòd autem audiens Naaman, ut lauaretur septies in Iordane, indignatus est & nolebat annuere, & ab amicis suis consilio accæpto, acquieuit ut lauaretur, & purgatus est: hoc significauit, quia populus gentiū antequā Christus crucifigeretur, ipsi per se Christo loquenti nō credidit, sed postea prædicantibus apostolis ad sacramentū baptismi fideliter uênit. Naaman munera obtulit beato Helisęo, & ille accipere noluit, Christi in hoc gratiam figuratā intellige, quæ ideo gratia dicitur, quia gratis datur. Sic enim Dominus in euangelio discipulis dixit: Infirmos

Matth.27. *Ioan.19.* *Act.13.*

B curate, mortuos suscitate, dæmones expellite: Gratis accæpistis, gratis date. Et quia omnia sacramēta & mysteria Domini nostri, quæ in Iudæis erāt pręfigurata, in nobis uidemus esse cōpleta, quantas possumus Deo gratias referamus, ut cùm dies iudicij aduenerit, ab auditu malo liberati, illa ad nos uox desiderabilis dirigatur: Venite benedicti, percipite regnū, quod uobis paratum est ab origine mundi.

Matth.10 *Matth.25.*

CAPVT SEXTVM.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 210. Tomo X.

E *Cce locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis &c.* Cùm diuina lectio legeretur fratres charissimi, audiuimus quòd eunte beato Helisæo cum filijs prophetarum ad Iordanem fluuium, dum sibi ligna conciderent cécidit securis in aquam. Et ille de cuius manu ceciderat clamauit ad beatum Helisæum: Heu domine mi, & ipsam mutuo suscæperam. Post hæc in loco ubi securis illa corruerat, beatus Helisæus misit lignum, & natauit ferrum. Helisæum fratres charissimi, typū habuisse Domini saluatoris frequenter charitati uestræ suggessimus. Sed & in puero, qui erat de filijs prophetarū, cui securis de manu lapsa est, non incongruè Christus dominus intelligitur. Securis illa quæ cécidit Adam, siue totum genus humanū significasse dicitur. Tenebat ergo filius prophetarum securim in manu sua, & Dominus ac saluator noster humanum genus, quod creauerat in manu potentiæ suæ. Sed quomodo securis illa de manu prophetæ in profundum corruit, ita & genus humanum de manu Domini omnipotentis per superbiam

ſuperbiam ſe excuſsit & cécidit, & in fluuio luxuriæ, uel omnium peccatorum C
gurgite ſe ſubmerſit. Securis illa in profundo iacebat, quia genus humanum in
Pſal.68. omnium criminum abyſſum infœlici ruina corruerat, ſicut ſcriptum eſt: Infixus ſum in limo profundi. Et iterum: Deueni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Fluuius enim ille ubi ſecuris cécidit, ſignificat præterfluentem & fugitiuam, & in abyſſum deſcendentem uoluptatem, uel luxuriam ſeculi huius. Fluuius enim à fluendo nomen accæpit. Et quia omnes peccatores tranſitorijs uoluptatibus inhærentes fluere dicuntur, ideo ſecuris illa in fluuio & in limo iacebat oppreſſa. Veniens uerò Heliſæus, miſit lignum & natauit ferrũ. Quid eſt lignum mittere, & ferrum in lucem producere, niſi patibulũ crucis aſcendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per crucis myſterium liberare? Poſtquam uerò natauit ferrum, miſit manum propheta & recæpit illud, & redijt ad utiles uſus domini ſui. Ita & de nobis factum eſt dilectiſsimi fratres, qui de manu Domini ſuperbiendo cecideramus, per crucis lignũ iterum ad manum uel ad poteſtatem Domini redire meruimus. Et ideo quãtùm poſſumus cum ipſius adiutorio laboremus, ne iterum ſuperbiendo de manu Domini corruamus. Et quia nullis præcedentibus meritis de tenebris producti ſumus ad lucem, de morte ad uitam reuocati, de multis erroribus in uiam reducti, curramus dum lucem habemus, nec prætereuntia ſalutis tempora negligamus, nec delectet nos mundi huius mali dulcis & nimium periculoſa lætitia, ne iterum de operibus ſanctis, & de iuſtitiæ uia quaſi de manu Domini corruentes, ad luxurioſum mundi huius fluuium recurramus, & in omnium peccatorum limum infœlici iterum ruina mergamur. D

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 211. Tomo X.

Et facta eſt fames magna &c. Dum à cultu Dei gens iniqua diſcedit, horrenda fame comprimitur, & iuſta neceſsitate turbatur. Vênit, inquit, filius Adadezer regis Syriæ in Samariam & obſedit eam, & facta eſt fames magna, ita ut uenundaretur caput aſini quinquaginta ſiclis argenti, & quinq; ſiclis argenti quarta pars cabi ſtercoris columbini. Cur famẽ ô miſerrime pateris? Cur inopiam teterrimam ſentis? Cur tanta penuria laceraris? Creſcit famis quotidie pœna, quia quotidie creſcit & culpa. Perſeuerant flagella, quia in populo perſeuerant & delicta. Propter te enim hoſtis irruit, inimicus obſedit, aduerſarius tua pabula deuorauit. Tu eſuris, & ille pingueſcit. Tu famem horridam pateris, & ille de tuis pabulis ſuis uacat epulis. Tu aſinorum cadauera & ſtercora columbarũ argento mercaris. Callida deinceps uitâ, damnâ peccata, delicta cõpeſce, ad Deum conuertere, relinque idôlum, abominare figmentum, tunc poteris hoſtes diuino adiutorio uincere, & cœleſti prælio ſuperare. Nec quiſquam tibi poterit nocere ulterius, ſi damnato ſcelere diuinus in te germinauerit cultus. Proch nephas. Horrẽda cadauera & columbarum ſtercora peccator populus ueſcitur, nec Dei cultum quærit. Inquinatas carnes & horrendas eſcas fames & neceſsitas poſcit, & adhuc figmentum hominum duritia colit. Pabula denegantur, & illicita à peccatoribus exhibentur. Deus à populo peccatore nõ quæritur, & idôlum adoratur. Mutatur in figmentum Dei cultura, mutatur religio, mutatur & eſca, mutatur Dei ſancta cultura, mutantur &

hominibus

A hominibus pabula,interdicta uescuntur. Vt enim alienum est quod colitur, ita alienum est quod cōtra regulam esuritur. Nec enim difficile est populum famem posse sentire, quem malè uiuendo constat spiritaliter esurisse. Interea crescunt cum uitijs augmenta famis, & peccata matrum cadauera appetunt filiorum, & alternis uicibus mulieres duæ suos natos deuorare disponunt. Proch dolor. In cibum pietas uertitur, in pabulum suscæpta soboles commutatur. Antè parricidium geritur, quàm ad funestas epulas ueniatur. Anima artubus elicitur, & matrū uiscera polluuntur. Innocens sanguis effunditur, ut parentum fames rabida saginetur. Apud illas enim totum crudele, nefandum est, inquam, insontis sanguinē fundere, innocentis carnes concoquere, decoctos artus auidis faucibus transuorare, ut natum conuertat in cibum, quem Deus cōdidit in solatiū. Sed postquam ad funestas epulas uentum esset, altera mulier alterā exhortatur: Recipe, inquit, recipe miseranda mater in uiscera filium, nuper uisceribus procreatum. Esto tui nati sepulchrum, esto eius corporis diuersorium. Esto eius, ut ita dixerim, monumentum. Intra te paululum commestus infans redeat, qui præ fame uiuere iamq; non poterat. Materni sinus qui uitalem intra se enutrierant, & nutritum in luce protulerant, particulatim sibi redditum recognoscant. Recipiat nunc comestum uterus, quem uiuum ediderat partus. Repetat habitaculū mortuus, unde nuper exierat uiuus, quoniā fames urget, necessitas cogit. Cur enim nato superstite moriar, & non magis natum ego mater consummam? Igitur cùm hæc mulier comestum iam conspiceret puerum, suum ab ista clade subtrahit filium. Negat se facturam in proprio, quod cum matre fecerat in alieno. Sufficit, inquit, mi-
B hi, sufficiat tuo sceleri mulier consensisse, sufficit me funestas epulas degustasse, et innocentis carnibus mea uiscera polluisse. Crudele enim tecum participaui consilium, ut nefandum exercerem de meo filio parricidium, quod tecum admisi expiare non possum, nefandum scelus recusare non ualeo. Esto saltem releuata in meo, quæ sic grauaris in tuo. Desine meo scelere, desine tuo grauiore commisso. Vtinam nec tu faceres quod fecisti, nec ego scelus admitterem quod incurri, ut homicidium facerem, & parricidium perpetrarem. Ex me disce quid feceris, quia & ego per te merui quod amiserim. Quare istud quod cogis nō facio, quod suades effugio, quod ingeris perhorresco. Tunc ad regē altera alteram pertrahit, ad iudicium ducit, causam tāti sceleris publicauit, quod enormitas facinoris publicare coēgit. Tunc, inquam, sceleratum factum prodidit dolor, tunc immane facinus pietas perfida denudauit. Ardet insana mulier, quia parricidium fecit, ardet quia filium suum deuorauit, sed plus ardet, quia in illa clade filium suum alia non immolauit. Aut ego cum hac, inquit, moriar, aut certè ut hæc meum, ita illius natum inuadam. Pactum nostrum, iustitia iniqua rex iustè confirma, quia ego nunquam meum natum occiderem, nisi suum occidēdum amaro placido locauisset. Ergo Domine rex, aut meum qui comestus est reddat, aut suum qui est absconditus prodat. Certè ut dignum est utrasque nos pari sententia percute, ne aut ego post tantum facinus uiuam, aut hæc sese gaudeat non fuisse in suum filium parricidam. Quo audito, rex uestimenta conscidit, uultum mutauit & continuò propheta ad regem mandauit. Hæc dicit Dominus: Hac hora crastina die mensura si-

milaginis ficlo emetur,& duæ mensuræ ordei ficlo in porta Samariæ ementur. C
Nuntiat in locum famis futuram abundantiam similaginis,nuntiat cessaturam famem,successuram ubertatem. Nuntiat subitò magnalia Dei successura,uirtute altissimi,& additur proprio sceleri perfidia hominis.Tunc homo qui missus fuerat à rege ait:Nec si cataractæ cœli aperiantur possunt fieri quæ narrãtur.O perfidia hominis.Non credit promissam fieri ubertatem,qui horrendã senserat egestatẽ.Nec considerat Deum promisisse abundantiam,qui populo irrogarat penuriam.Scelestissime homo & cur mirabilibus non credis? Cur farra non accipis? Cur promittentem Dominum perhorrescis?Crede quod credentibus datur,crede populo futurum cuius te iã negaueris socium.Et quia bonis tantis indigenus es,hæc tibi uidere conceditur,& posse perfrui denegatur.Igitur dum hæc geruntur,auditum fecit Dominus in castris Syriæ,ut populo promissam tribueret ubertatem,quadrigarum strepitus,& curruum sonitus,& armatorum tumultus inimicorum auribus maluit resonare,ut posset iam suum populum liberare. Quo strepitu perculsi inimici fugiunt,sine pugna terga uertunt, utensilia relinquunt, & Israẽlitæ egressi ciuitatem castra hostium inuadunt deprædantes. Reuertente ergo populo onerato,ille qui non crediderat cécidit lapsus, & ubertatem uidens in populo cécidit,pressus est.

CAPVT DECIMVM.

Cont.Mend.ad Consf.lib.Cap.II. Tomo IIII.

Porro Hieu faciebat hoc insidiose, ut disperderet cultores Baal &c. Si enim Hieu,quem sibi inter cæteros ad exemplum mentiendi prudenter uidentur intueri,seruum Baal se esse mentitus est,ut seruos eius occideret:quantò iustius secundum istorum peruersitatem tempore persecutionis seruos dæmonum se mentirentur serui Christi, ne serui dæmonum seruos occiderent Christi: & sacrificarent idôlis ne interficerentur homines,si sacrificauit ille Baali,ut interficeret homines?& cætera.Illum uerò Hieu mendacio impio & sacrificio sacrilego occidendos impios & sacrilegos inquirentem,non imitaretur,nec si de illo qualis fuisset,eadem scriptura tacuisset.Cùm uerò scriptum sit,eum rectum cor non habuisse cum Deo,quid ei profuit quòd pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omninò delenda,pro cupiditate suæ dominationis exhibuit,aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accæpit? Ad sententiam potius ueridicam martyrum defendendam,te frater exhortor,ut sis aduersus mendaces,non mendacij doctor,sed ueritatis assertor: nam diligentius obsecro attende quod dico,ut inuenias quàm sit cauendum,quod zelo quidem laudabili aduersus impios,ut possint comprehendi & corrigi uel uitari,sed tamen incautius docẽdum putatur. D

A D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN LIB. II PARAL. COMMENTARIA.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Ex lib.2.Cont.Epist.Parmen.Cap.XVIII.Tomo VII.

Rex *Iosaphat, si peccatorem &c.* Quis enim uestrum dicit peccatorem adiuuandum, ad hoc utique in quo peccare uult, sicut ipse Achab quan
O do adiuuit Iosaphat, eundo cum illo in prælium, cùm ille Micheæ prophetæ ueracia uerba contemneret? Et tamen nec sic obfuit innocentiæ regis Iosaphat pessimum meritum regis Achac, quia illum ad se Dominus clamantem à periculo bellico liberauit, illum autem sacrilegum contemptorem in manus hostium uenire permisit. Et si quid Iosaphat periculi expertus est, quod ei propheta indicat ab ira Dei fuisse, non alieno meruerat peccato sed suo, quia sicut ei dictum est, peccantem adiuuabat, sed apud Deum cætera eius bona facta præualuerunt. Sic enim dicitur ei: Peccatorem adiuuisti, & ei contra Dominum amicus es, & in hoc super te ira à facie Dei. Sermones Dei boni in uniuersis sunt tecum, quoniam abstulisti lucos de terra, & parasti cor tuum ad requirendum Deum. Qui autem uersatur in ecclesia Dei, ubi sunt & illi qui sua quærunt, *Phil.2.*
non quæ Iesu Christi, qui per inuidiam & contentionem Christum annuntiant,
B non castè: & dicit, siue per occasionem, siue per ueritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo: impollutus inter eos atque integer permanet, quia non eis ad sua quærenda consentit, cùm hoc culpet, atque reprehendat, nec eos ad peccandum, sed ad hoc adiuuat unde Christus latius prædicetur, & ab his qui audiunt & faciunt, per eos qui quod dicunt non faciunt, Christo credatur, in Christo speretur, Christus diligatur. Talibus enim præcipit idem Apostolus di- *1.Cor.9.*
cens: Nolite iungi cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ communicatio est luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infidelibus? qui autem consensus templo Dei cum simulachris? uos enim templum Dei uiui estis. Dicit enim: quia inhabitabo *Leuit.26.*
in eis, & ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, propter quod exite de medio eorum, dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam uos, & ero uobis in patrem, & uos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipontens &c.

CAPVT QVARTVM.

Ili, eleemosynæ non sinunt ire in tenebras. Vide Matth. cap. uicesimo in hæc
F uerba: Domine miserere nostri fili Dauid.

CAPVT OCTAVVM.

Tu scis quoniam non luxuriæ causa accipio sororem meam. Vide Gene. Cap.
30. in hæc uerba: Dedítque Balam in uxorem.

CAPVT DVODECIMVM.

Ex lib. 13. de ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XXII. Tomo V.

Videbatis me manducare, sed ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus &c. Quòd angeli quoq; uisibiliter & tractabiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia uolebãt, & poterãt: ut hominibus cõgruerẽt sui ministerij quadã humanitate fecerunt. Neq; enim in phantasmate angelos edisse credendum est, quando eos homines hospitio susceperunt: quamuis utrùm angeli essent, ignorãtibus, consimili nobis indigentia uesci uiderentur. Vnde quod ait angelus in libro Tobiæ: Videbatis me manducare, sed uisu uestro uidebatis, id est, necessitate reficiendi corporis, sicut uos facitis, me cibum sumere putabatis. Sed si fortè de angelis aliud credibilius disputari potest: certè fides Christiana de ipso saluatore non dubitat, quòd etiam post resurrectionem iam quidem in spiritali carne, sed tamen uera, cibum ac potum, cum discipulis sumpsit. Non enim potestas, sed egestas edendi, ac bibendi, talibus corporibus auferetur. Vnde & spiritalia erunt: non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu uiuificante subsistent.

Ioan. 22. D

Bona est oratio cum ieiunio. Vide in Matth. Cap. quarto in hæc uerba: Et cùm ieiunasset quadraginta diebus.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. CCXXVI. Tomo X.

Ili dimittamus istum hominẽ adijcientes &c. Beatus Tobias qui panẽ suũ nouerat frãgere esurieti, mercedẽ celerem mercenario præparat laboranti. Patienter lectione percepta quæ nuper est recitata, admirabamur patris filijq; tractatum, quemadmodum angelus monet, quem æstimabant terrenũ sub cœlesti gloria mercenariũ. Ad hoc enim cæcitatis incurrit exitium, ut angelũ susciperet medicũ, qui diuinis facibus incensus sic anhelauit: Honesta est oratio cũ ieiunio & eleemosyna. Oratio iusti clauis est cœli. Ascendit præcatio, & descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altũ cœlũ, audit tamen Deus hominis linguã, si mundã habeat conscientiam. Cum sensibus loquitur, si sit solus noster gemitus. Sufficit auribus imber oculorum, fletus citius audit quàm uoces. Oratio inuidi solet de auribus propulsari. Erat patris & filij anima una, dum esset proprietas mẽbrorum, erat illis singularis germanitas animorũ. Fili, inquit, dimittamus istũ hominem adijcientes ad mercedem placitam, quia nobis multa opere suo contulit bona. Et filius relato tractatu alloquitur patrem: Pater, nunquid nam isti tã benedicto

F

A dicto operario merces tantùm placita debet pensari,cuius bonus ducatus nō potest æstimari?Parum illi honoris reddemus,si eius meritis mensurā figamus.Nun quid ipse id tantùm exhibuit quod placuit?Hoc placuerat,ut mihi regionē & uirum cui argentū cōmendasti demonstraret. Primò iter quasi cœleste carpens,& mihi & tibi parauit necessarium de pisce collyrium.Me deduxit,argentum recæpit,Sarā mihi uxorem desponsauit. Mercede placita tantùm est dignus,qui mihi tanquam cœlestis extitit paranymphus,& quod plus est bone pater oculorū tuorū maculas albugine detracta curauit,& totā domum nostrā illuminatis oculorū tuorum lāpadibus illustrauit.Clarius modo uideo,quia te uidentem aspicio.Nónne iste optime pater,dignus est media substantia?Iste talis ductor atque prouisor, medicus atq; custos,ut dixi,mediæ substantiæ quā ipse mecū pertulit accipiat portionē,qui mihi ducatu suo tantā præbuit pietatem.Placet bono patri sapientis filij responsio.Rogare cœpit mercenariū,ut mercedis suæ sumat effectum.Frater,inquit,accipe quod tuum est,& tunc uade saluus.Recipe mercedem tuā,quia præbuisti mihi & filio meo bonam misericordiā.Tolle ut dixi,mediā substantiā, quā cum meo filio reportasti,nā gratia quā tibi debemus non potest ponderari. Cōtinuò angelus gaudet,de cogitata mercede,qui missus fuerat gratis facere pietatē. Tobis,inquit,uel Tobia quid de mea mercede satis superfluè cogitatis? Habete quod uobis donauit pater ille cœlestis:Ego minister sum curationis,ille est author sanitatis.Nescitis cuius mercenarij ope perfrui meruistis. Defunctos captiuitatis sepelire nō timuisti Tobis,ascenderūt ad Dominū opera tua, quia relicto prādio

B reddidisti mortuū sepulturæ.Ego Domino medullata intuli sacrificia pro uenerabili sepultura,ego directus sum operarius fori cœlestis.Mortuū sepelistis,& mortis aculeū nō timuistis.Ipse sepultus pro uobis uoce tacita proclamauit.Probationis fuerat cęcitas oculorū.Vnde patiētia tua clarius meruisset de cœlestibus ornamentū.Ego sum Raphaël,unus ex septē angelis qui assistimus ante claritatē Dei. Nō indigeo fructu humanæ mercedis,diuitem me facit cōuersatio maiestatis.Diues est ille qui me misit,gratis iussit impendi,qui gratis ipse concessit.Nec ipsum honorem gratiarum mihi deputetis,quia nihil meis uiribus percępistis.Deum benedicite & illi confitemini,& ipsum glorificate,quia uobiscum fecit bona.Subitò patefacto mysterij cœlestis honore,uoce Raphaëlis angeli attoniti,Tobis & Tobias,collapsi in terram proruerunt,uocem tremulam penitus occultarūt,quia uocem insolitam audierunt.Quid meruistis pater Tobis filiúsque Tobia?Mercenarium habere cœlestem,& tanquam operarium locare terrestrem? Celauit uobis angelus nomen.Azarias sum,inquit,Ananiæ magni filius,& non dixit:Ego sum Raphaël angelus.Celauit in primo nomine dignitatē,ne faceret locatori terrorē. Si enim diceret:Ego sum angelus,non esset Tobię mercenarius.Seruata est dignitas nominis,ut postremò magnitudo claresceret dignitatis. Videte charissimi quantùm sit eleemosynæ meritum.Angelum meruit habere operarium. Videtis quantùm proficit mortuos sepelire,ut oblatio eius per angelum Raphaëlē ad cœlestem ascenderet maiestatē.Videtis quia eleemosyna à morte liberat,& ipsa purgat peccata.Facit purgationem oculorum,liberat à tenebris peccatorum. Tobis uia sua deducitur.Sara tot uiris contristata per angelum matrimonio copulatur.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN LIB. IVDITH COMMENTARIA.

CAPVT VNDECIMVM.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. 228. Tomo X.

Cce ancilla tua, misit me dominus Deus &c. Non sufficit mortalis eloquentia iustorum omnium orationes eximias atque triumphos grauidásque referre uirtutes, quas omnipotens Deus dedit eis quibus solet conferre uictoriam, qui uiros ac fœminas uigere permisit, qui & flammam camini refrigerio dispersit, & insidiosos exercitus capite sublato nudauit. Nam cùm Holofernes ille filiorum Israel, imò sui capitis inimicus exterarum gentium sibi ius uendicaret atque obsidione, armis, ignibus quoque pugnaret, necnon & multarum gentium campos canis messibus oneratos in cinerem pascente flamma conuerteret, Iudith sanctissima cuius precibus patuit cœlum, orationis arte arma uictricia fabricauit, quibus aduersa confligeret, & pauescentes uiros fœmina uindicaret. Squalebat ciuitas obsidione barbaræ feritatis. Ita enim uniuersa langu ebant, ut in manibus hostium iam tradi com modius iudicarent, quàm perniciosæ famis populatione uexari. Ecce Iudith post precem & saccum, post cinerem ad cultus puellares redit, spes omnium populorum procedit, sollicitos populos reddi tura securos sua sapientia consolatur, quæ promittens uictoriam, quam omnis natio miraretur, portam sibi paululum remotis obicibus postulat aperiri. Prodijt secura unius puellæ comitatu contenta, & hostium securis gressibus properauit in castra. Intra muros sollicita fuit, secura fit dum ad timenda peruenit. In qua fœmina insidiosæ pulchritudinis nouitatem hostilis exercitus uehementer expauit, ut in eius obsequio uires amitterent, arma proijcerent, & colla curuarent. Deducitur ad prætorium subiectis ordinibus fraus Holofernis, & lugentis uictoria ciuitatis. Quam cùm uideret Holofernes solutus est sensibus, animam cum capite perditurus. Iacuit enim dedecus iuuenum mulieris uultu captiuus, licuit mulieri exarmare iuuenes & debellare uictores, sollicitam defendere ciuitatem, & barbarum subuertere bellatorem. Decępit syncera corruptum, fefellit casta pollutum, pudica perimit adulterum, sobria iugulat ebriosum. Illa enim tam barbaros animos insidiosi sui uultus fraude confuderat, ut eum ligaret multarum arte fabularum, ut redderet inter exercitus uictum, & inter arma captiuum. Paratur conuiuium regi, Iudith interesse iubetur. Illa consentit ut uincat, accedit ad conuiuium, nihil de cibis aut de poculis hostium gustatura, quæ suis utensilibus uoluit esse cõtenta. Quamuis ille bellator armatorum tam castissimæ fœminæ malè sanus attenderet uultum, illa tamen quæ uenerat de eius capite cogitabat, quo sublato defectis ciuibus subueniret, & multa capita tueretur, defenderet, uindicaret. At ubi conuiuij sagina fines excessit, & grauis calicibus somnus successit, uidens Iudith inimici corporis

A ris inclinatas ebrietate ceruices, surgens ipsius cruentum arripuit collū, comam quoq; barbari capitis manu occupauit, Domine, inquit, confirma brachiū meum. Et percussit tertio in collo eius, & amputauit caput eius. Exiēs foras, tradidit puellæ caput Holofernis, & misit illud in peram. Et post pusillum exiuit foras quasi ad orationem secundum consuetudinem. Ecce castitas. Orationis fauore castitas pudorem proprium seruauit intactum & quietum, decæpitq; alienum. Iacet inclusum cadauer, & iam foris est caput. Cùm palmifera castitate Iudith ad ciues sollicitè festinat, nec prohibetur regressu cui quasi ad orationem antè ire fuerat concessum. Iam recipit attonita ciuitas tantæ uictricis reditus triumphales, iam luctus conuertuntur in gaudium, iam portæ plenissima securitate panduntur, iam pendet muris uictoribus caput. Omnis erat in ciuitate uictoria, & in hostilibus castris tremor erat & fuga. Iudith in ciuitate securis secura. Vbi enim assiduis pulsatur orationibus cœlum, potētia semper calcatur armorū. Ecce gloriosæ fœminæ castitatē seruauit oratio, & hostem seruare non potuit multitudo. Lugentē ciuitatem una fœmina ualuit uindicare, & tantus exercitus regē non potuit custodire.

De eadem re, Sermo sequens.

Quotiescunque bellicus rumor terribili fama crebrescit, aut horrisono tubarum clangore, uel raucisono æris cantu increpuerit lætiferum murmur, fœminis ac debilibus formidolosa imago mortis occurrit, intrepida uirorum fortium pectora solent laudis amore flagrare, atque bellica sorte ubi funesto imbre densati præliantes mortifera obumbratione texerint partes consertas substridulo telo-
B rum cursu, euentu iam errantes lætifero, præcipiti ardore triumphales propinquant ad palmas. Iudith bellator animus alienum pectus obsedit. Illa abiecta formidine fœminarum, uictoriam in periculis quærens, nec mortem in periculis timuit, nec ambiguitatem formidauit. Cùm igitur Bethuliæ mœnia Holofernes hostili obsidione calcaret, & auertens tractus aquarum, prima indiceret certamina, siccitatem Iudith flens sui coniugis fœdera acerbo dissiduo rupta lugubri lamentatione seruabat. Quę ut repperit captiuandę ciuitatis inducias postulatas, mox ei priuatum dolorem congeminauit ciuitatis cōmunis dolor. Quę exorata consurgens abluit aqua corpus suum, imponens sibi ornamentum, pendulas aureas diuitias suspendit, & manibus lapillatos circulos splendentes induxit, fluentes sinus purpureæ uestis gemmato collegit pectore, casto uultu prius dimicatura quàm ferro. Monilium tela pudori semper aduersa hostem ferire didicerunt. Gentis suæ uindex sumpsit ornamentorū arma, non de bello nuptias subitura, sed de ciuitate bellatrix procedit sponsa. Nec fuit leuitas ornatus, qui ad homicidium tanti capitis aptabatur. Pergit diuino spiritu ducta, & singularis ancillæ solatio cōtenta. Species custodit quæ blanditur, & ne uiolenter pudicitia custodita lædatur. Holofernem alloquitur, ut desiderium inane concipiatur. Ego, inquit, ancilla tua, misit me dominus Deus facere rem in qua mirabitur omnis qui audierit eā, quoniam ancilla tua Deū cœli obseruo, & nunc ibo per noctē & orabo ad Dominū cœli, & nuntiabit mihi quādo faciet hæc, & ducā te per mediam Iudæā, & ponam sedē tuam in media ciuitate, & canis nō mutiet lingua sua contra te, quoniā hæc mihi ostensa sunt à Domino. Non decuit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit, perfecit

actibus quod promisit. Dum regi alto sermone imaginarijs uerbis blanditur, bellator animus lasciuia soluitur, in amore armorum torpent uires innumerabiles militum, luxu regifico nuptiarum pompa nullo nubente cõstruitur, cuncti ebrietate soluuntur. Non delicata matrona pugnauit, sed sopor tibi quem ferias præparauit. Constructo thalamo concitatur ad ducem pronum amore, uictum somno, elisum uirum in strato, bellatoris crines implicuit pulchritudine digitorum. post teneritudinem fusi, ebeni capulum quærit. Mucro matronam nõ terruit, sed armauit, quæ ita pugnauit. Coruscus ensis caput abstulit hosti, persoluitur in patrijs mœnibus, uictoria suspenditur. Armis stupentibus cuneis densantur, præpostero ordine triumphant. Sequitur bellum, uino fusi, soluti somno, in certamen nec clamore prouocante consurgunt, teguntur armis coruscantibus montes. Quid alienigena fremis? Quid bella componis? Quid aciem paras habens quem in cubiculo quæras? Omnem uarium furoris impetum retine, tantum uobis reliquimus ducem, agnoscendam partem habemus in porta pendentem. Tantam animus de Deo suscæpit largitatem, quantam credulitas sibi poterit uendicare.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN LIBRVM IOB COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Ex epiſtola. 112. Tomo I I.

Fuit inter eos & ſatan. Nec in loco Deus uidetur, ſed mundo corde.
A Quid euidẽtius, quid expreſsius dici potuit? Ab hac igitur uiſione diabolus & omnes angeli eius, & omnes cum eis impij ſine ulla nebula dubitationis excluſi ſunt, quoniam mundo corde non ſunt: ac per hoc quod ſcriptum eſt in libro Iob, ueniſſe angelos in conſpectum Dei, non Deus in conſpectum eorum. Veniunt autem in conſpectum noſtrum quæ uidemus, non à quibus uidemur. Venerunt ergo ſicut in multis codicibus legitur, ut aſsiſterent coram Deo, non ut coram ipſis Deus. Nec eſt opus hoc loco immorari, ut pro uiribus noſtris conemur oſtẽdere quomodo & hoc temporaliter fiat, cum in Dei conſpectu ſint omnia ſemper.

Item, Vide Matth. Cap. 6. in hæc uerba: Et ne nos inferas in tentationem.

Ex lib. 2. de Peccat. merit. & remiſſ. cont. Pelag. Cap. XII. Tomo VII.

Non enim eſt illi homo ſimilis ſuper terram, &c. Non igitur præclarum illud teſtimonium Dei quo laudatus eſt Iob, contrarium eſt ei teſtimonio, quo dictum eſt: Pſal. 142.
B Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens, quia non id perſuadet prorſus in illo nihil fuiſſe, quod uel ab ipſo ueraciter, uel à domino Deo rectè reprehenderetur, quamuis iam iuſtus & uerax Dei cultor & ab omni opere malo ſe abſtinens, non mendaciter diceretur. Hæc enim de illo uerbo uerba Dei ſunt: An non aduertiſti in puerum meum Iob, non enim eſt illi homo ſimilis ſuper terram ſine querela, iuſtus, uerus Dei cultor, abſtinens ab omni opere malo. Primis uerbis ex hominum qui ſunt in terra comparatione laudatur. Proinde omnibus qui tunc in terra iuſti eſſe poterant excellebat. Non ergo ipſe propterea nullum peccatum omninò habebat, quia in profectu iuſtitiæ cæteros anteibat. Deinde adiungitur, ſine querela, de cuius uita nemo iuſtè quereretur. Iuſtus qui tanta morum probitate profecerat ut nullus ei eſſet æquãdus. Verus Dei cultor, quippe etiam ſuorum peccatorum uerax humiliſq; confeſſor, abſtinens ſe ab omni opere malo, mirum ſi ab omni etiam uerbo & cogitatu malo. Quantus quidem Iob fuerit ignoramus, ſed nouimus iuſtum, nouimus etiam in perferendis horrendis tribulationum tentationibus magnum: nouimus nõ propter peccata, ſed propter eius demonſtrandam iuſtitiam illa omnia fuiſſe perpeſſum. Veruntamen hæc uerba quibus à Domino laudatur, poſſunt etiam de illo dici, qui condelectatur legi Dei ſecundum interiorem hominem: uidit autem aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, præſertim quia dicit: Non quod uolo facio bonum, ſed Rom. 7. quòd odi malum, hoc ago.

Ex lib. Annot. in Iob. Tomo IIII.

Et opera magna erant ei ſuper terram. Quia operabatur de ipſis operibus. Faciebant

bant conuiuium quotidie, donec eorum numerus impleretur) Signum est charitatis. Et offerebat pro eis uictimas secundum eorum numerum) Intelligendum alias esse peculiares confessiones quasi singulas uictimas Aliud uerò sacrificium pro omnium & pro omnibus peccatis, quod significat Dominum. Ne fortè peccauerint filij mei, & maledixerint Deo in cordibus suis) Bene additur, ne fortè, quia in corde eos maledixisse suspicabatur. Et ecce uenerunt angeli Dei ut starent coram Deo) Affectio animæ ad ueritatem non potuit aliter narrari, nisi temporaliter & localiter quodammodo diceretur. Et uênit equidem diabolus cum eis) Vtrùm quia non potuit nisi per eos audire, dictum est: cum eis. Et dixit Dominus diabolo: Vnde ades?) Collatio præteritæ actionis cum eo, unde præmittitur aliquid deinceps agere, responsio ad interrogationem est. Ipsa uerò in- C
Sap.1. terrogatio uis diuina est, in qua non permittitur agere quod libet. In cogitationibus enim impij interrogatio erit ad manifestandum eum nobis. Sed mitte manum tuam, & tange omnia quæ habet, da potestatem, nisi in faciem tuam benedixerit tibi) Pendens locutio, Id est, si non tibi in faciem benedicit tactis rebus suis, quasi subaudiretur, quid iubes. Et discessit diabolus à facie Domini) A consultatione ad actionem. Et uenerunt hostes & cæperunt eos) Secundum illud
Ephe.2. quod inoperatur in filijs diffidentiæ, etiam istos excitauit. Notandum autem quomodo in hominibus habuerit potestatem, & in elementis, sed tamen datū à Deo. Nudus exij de utero matris meæ) Notandum quàm consolatoriè loquatur, quamuis secundum consuetudinem luctum fecerit.

CAPVT SECVNDVM. D

Ex lib. Annot. in Iob. Tomo IIII.

Ecce trado illum tibi tantum animam eius custodi. Ne uitam eripere posse præsumeret. Et tulit sibi testam ut raderet saniem) Per passionem Domini significat radi peccata confitentium.

Dominus dedit Dominus abstulit. Vide psal. 21. in hæc uerba: Deus deus meus respice in me.

CAPVT TERTIVM.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. 222. Tomo X.

Blasphema Deum & morere.) Beatus Iob fratres dilectissimi, de quo nobis hesterna lectio recitata est, tam sanctus fuit, ut in illo compleretur il- B
Psal.97. lud quod in psalmo spiritussanctus dixit: Psallite Domino in cithara, & uoce psalmi. Non uocem solam sed opera assumite, ut non tantùm cantemus, sed & manibus operemur. Qui cantat & operatur, psallit in psalterio & cithara. Qui psallit in psalterio, diuina de cœlo uerba canit. Qui autem operatur manibus, humana opera perficit. Extende manus & da pauperi, nudum uesti, hospitio recipe peregrinum. Sed cùm facis, piè & hilariter fac. Recole illi te facere, qui dicturus est: Esuriui & dedistis mihi manducare. Videte qualia organa adiungantur in similitudinibus. In tubis, inquit, ductilibus. Beatus Iob fratres dilectissimi, ita Dei spiritu plenus erat, ut uelut ductilis tuba laudes Domini dulciter decantaret. Sic enim de talibus sonitus est: In tubis ductilibus & in uoce tubæ corneæ. Ductiles

æreæ

A æreæ sunt tubæ, & tundendo producuntur. Quando enim producuntur? quãdo malorũ hominũ persecutionẽ patimur, si patienter omnia sustinemus, & nunquã contra dispensationem Domini murmuramus, uapulando erimus tubæ ductiles ad laudem Domini productæ, si cum tribulatione proficimus. Tribulatio tunsio est, profectus productio est. Tuba ductilis erat beatus Iob, quando à diabolo percussus tantis damnis, orbitate etiam filiorum afflictus, in nulla contra Dominum murmurauit. Tunsione illa tantæ tribulationis factus est tuba ductilis. Ergo audiamus si ipsa tuba bene sonuit. Audi: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Videte fratres quomodo & quàm diligenter sonuit, quàm suauem sonum dedit. Nec hoc solùm sufficit, nisi adhuc tundatur. Datus est autem in potestatem satanæ, ut caro percuteretur. Percussus est, cœpit putrescere, ita ut eum scatentes globi uermium exararent. Ipse tamen beatus Iob quamlibet esset iustus, non tamen fuit sine peccatis. Neque enim melior erat sancto Ioanne euangelista, qui ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Per illam enim crudelissimam pœnam minuta peccata purgabuntur. Quam rem etiam ipse intelligens, Deo gratias referebat, & negligentiarum suarum quasi uerissimus iudex nõ molli linteo, sed testa radebat saniem fluentem. Ex omnibus tamen bonis suis, sola ei à diabolo mulier reseruatur. Supposita est uxor Eua, quasi ad seductionem. Hoc erat necessarium, ut uxor ei reseruaretur, equidem non ad solatiũ mariti, sed ad ministerium diaboli. Suggessit mulier blasphemiam, sed Iob non obtẽperat, sed recusat. Euam *1. Ioan. 1.*

B Adam in paradiso non repulit, repulit Iob Euam in sterquilinio. In stercore sedebat Iob cùm flueret uermibus atque putresceret, sed melior Iob uulneribus plenus in stercore, quàm Adam integer in paradiso. Equidem adhuc uxor sua Eua erat, sed iam ille Adam nõ erat. Quid ergo dixit mulier? Blasphema Deum & morere. Ecce audiuimus quomodo tunditur tuba ista. Percussit eum diabolus à capite usque ad pedes graui uulnere, & putrescens uermibus sedebat in stercore. Audiuimus quemadmodum tunsus est, tubæ huius ductilis uocem dulcem si placet audiamus. Respondit enim uxori: Locuta es, inquit, quasi una ex insipientibus mulieribus, si bona suscẽpimus de manu Domini, mala quare non toleremus? O sonum fortem, ô sonum dulcem, quem non dormientem excitet sonus iste? Quem nõ excitet præsumptio in Domino, ut aduersus diabolum securus procedat in prælium, & non se suis uiribus obtecturus, sed Dei auxilio protegendus? Ipse enim adiutorium dedit, qui eũ tentari permisit. Non enim tunderet diabolus de seipso, nihil enim facere poterit, nisi quod dispensatio diuina permiserit. De illius enim diaboli pœna futura propheta commemorans ait: Cõtritus est malleus uniuersæ terræ. Malleum uniuersæ terræ, diabolum uoluit intelligi. De ipso malleo in manu Domini posito, id est, in potestate Dei, tunduntur ductiles tubę, id est, animæ sanctæ, ut resonent Dei laudes. De isto malleo & iustus tunditur & peccator. Ille ut probetur, ille ut puniatur. Aut certè ut iustus augeatur in bonis & peccator corrigatur à malis. Sub isto enim malleo in manu, id est, in potestate Domini cõstituto, tunduntur nõ solùm humiles sed & superbi. Sed humiles producuntur, superbi comminuuntur in uitrum. Vna eademq; tunsio bonos producit ad gloriam, *Hier. 50.*

gloriam, malos redigit in fauillam, ut impleatur in eis illud quod scriptum est: Et C
erit tanquã puluis quem proijcit uentus à facie terræ. De ipso enim malleo quoties animæ sanctæ Deo dispensante uel permittente tunduntur, in nullo murmurant, in nullo penitus contradicunt: magis humiliter uelut ductilis tuba perclamant: Iustus es Domine, & iusta iudicia tua, adhuc minus patimur quàm meremur, & hæc quidem dicunt animæ sanctæ. Animæ uerò superbæ & peccatis obnoxiæ, quoties aliqua aduersitate pulsantur, rebelles contra Dominum murmurare præsumunt dicentes: Deus quid tibi feci? Quare tanta patior mala? Quibus in conscientia respondet diuina iustitia: Bene dicis, ô Deus quid tibi feci? Verum est, quia nihil mihi fecisti, sed totum tibi. Si enim aliquid boni fecisses, mihi feceras. Cùm uerò peccata & crimina commisisti, tibi omnia fecisti, non mihi. Et quia quæcunque seminauerit homo hęc & metet: Non est iniustum quòd spinas & tribulos peccatorum colligat, qui nequitiam seminauit. Nos uerò fratres charissi-
Gal.6. mi, audiamus Apostolum dicentem: Seminemus quod bonum est ad omnes, maximè ad domesticos fidei. &c.

Ex lib. Annot. in Iob. Tomo IIII.

CAPVT TERTIVM.

ET *nox in qua dixerunt, conceptus est homo*) Aliquæ superiores potestates quæ hoc scire potuerint. Dies illa sint tenebræ.) Ne patiatur iam quæ passus est: hoc est, sint tenebræ, id est, sit obliuioni. Neque requirat eam Dominus désuper) Non reparetur per immorta- D
litatem, id est, pereat mortalitas. Nec ueniat in eam lumen) Lumen memoriæ. Sed excipiant illam tenebræ & umbra mortis) Vita ista quæ umbra est futuræ uitæ, ut sit sensus, Iustus qui lumen est, non eam uideat, sed tenebræ, hoc est, peccatores & carnales tribulationes de uita ista. Et conturbent eam quasi amaritudines diei) præcepta bonæ uitæ uel dies iudicij, quibus perturbantur car-
1.Cor.3. nales. Et noctem illam accipiant tenebræ perpetuæ: Non sit in diebus anni) Iustis spiritalibus qui sole fruuntur, & maiores sunt. Sed nox illa sit dolor) quia dolorem facit diligentibus se. Neque numeretur in diebus mensium) Iusti in ecclesia propter lunam tanquam minorem, Ad quos dicitur: Et ego fratres, non potui uobis loqui quasi spiritalibus, ut ipse Paulus sit de diebus anni. Sed maledicat illam maledicens illi diei Dominus) Qui maledicit amantes carnalia. Tenebrescant sydera noctis illius) Eminentes in peccatis. Permaneat, & in lucem non ueniat) Quia non conuertentur, dicit per prophetam. Quia non conclusit portas uentris matris meæ) Ciuitatem terrenam, quam significat Ba-
Psal.9. bylon. Concluderentur enim portæ si non laudaretur peccator in desiderijs animæ suæ. Quare enim in uentre non obij?) Antequam eminerem ibi per aliquam actionem. Conceptus enim ad spem pertinet. Ex utero exij, & non protinus perij) Huius ergo figura intelligenda est in his uerbis, qui in talibus concupiscentijs fuerat inueteratus. Et ut quid constiterunt mihi genua) ut ibi confirmarer. Quare ubera suxi?) doctrinæ nutrientes ad nequitiam. Nunc utique dormiens quiescerem) moriendo huic mundo. Cum regibus honoratis terræ)

A terræ)in ecclesia,qui gloriabantur in gladijs. Vnde est:Et gladium spiritus, quod est uerbum Dei. Aut cum principibus quibus multum fuit aurum) sapientia. Qui compleuerunt domus suas argento)eloquio Domini. Aut tanquam abortiuum prolapsum de uulua matris) ut nunquam emineret. Aut tanquam infantes qui non uiderunt lucem) Ad nobilitatem aliquam non peruenerunt. Ibi impij deposuerunt furorem suum) In morte ab hoc mundo. Ibi requieuerunt fatigati corpore) Aut fatigati corpore,non animo , aut finem corporalium consecuti. Non audierunt uocem exactoris)Iudex tradet te exactori,inde est:hoc est,donata illis esse peccata:de impijs quippe dicebat. Pusillus & magnus ibi est) De uno dictum puto bene intelligi , secundum illud , quòd qui se humiliat exaltabitur. Et seruus non timens dominum suum)Siue secundum illud:Vis non timere potestatem,bonum fac.Siue secundum illud: Consummata dilectio foris mittit timorem. Vt quid enim datur eis qui in amaritudine sunt lux?)peccatorum honor. Et uita in animabus quæ sunt in doloribus?)In dolorum materia,hoc est,in peccatis. Qui desiderant mortem,& non contingit illis) Adeptionem fructus peccati. Mors uiro requies,cuius uita abscondita est) uel quia coram Deo , uel quia paucis nota . De ea uerò morte accipiendum est,per quam morimur mundo,In illa enim non est requies. Conclusit enim Deus aduersus eum)non eum dando in desideria cordis sui. Ante escas quippe meas gemitus adest) Ante gaudium ciborum Dei tribulationes præcedere. Et fleo coartatus timore)uidens quia euitare non possum quæ timui. Timor
B quem uerebar , uênit mihi) Aduersa quæ de misericordia Dei ad correptionem fiunt. Neque in pace , neque in silentio , neque in requie) Falsa enim fuerunt propter quæ timebat. Venit enim mihi ira)uindicta,secundum quam iustus uix saluus fit.

Ephe.6. *Luc.14.* *Rom.13.* *1.Ioan.4.*

CAPVT QVARTVM.

P*ondus autem uerborum tuorum quis sustinebit:*) Hîc ergo dicit se cogi ad loquendum,quia nõ sustinet dicta eius. Nónne timor tuus stultus est?) Paratus enim ad hæc esse debueras , si alijs ueraciter suadebas.Nec talia bene timuisti,cùm diceres : Timor enim quem uerebar uênit mihi. Et spes tua & simplicitas uitæ tuæ quasi stultitia) Quia ista bona putantur. Fremitus leonis & uox leenæ)Ipse diabolus & superbiæ ciuitas,quæ sæpe etiam bestię more à prophetis ponitur. Et gaudium draconum extinctum est) superborum & insidiosorum. Myrmicoleon perit,eo quòd non haberet escam)Quia in nouissimo non erunt,quos inducens comedat : Separabuntur enim pij ab impijs. Hîc autem errat , quòd ea quæ de diabolo audierat prophetata , de Iob intelligebat.Myrmicoleon uerò accipiendus est , uel quia utrumq; in eo est , cùm & rapit & occultè prosequitur frumenta,quæ sublato oculo facit nõ germinare:uel quia auaris & in terra thesaurizantibus dominatur:uel quia iustos persequitur , quasi formicas præparantes sibi escas æstate ad hyemem , quibus tum pascentur, cùm boni ab impijs fuerint separati. Et catuli leonum diuisi sunt abinuicem) Conspiratio principum ciuitatis illius dissipata est, qui nati sunt de illa societatis ciuitate

Verba Eliphaz Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

te & diabolo: uel quia ſeinuicem uaſtauerunt. Inde eſt: Exurget gens ſupra uel C
Mar. 13. contra gentem. Nihil horum tibi accidiſſet) Vel illa damna & torpedinis & plaga uulneris, Vel te non penetraret dolor animi, quia & te conſolareris, ſi alijs ex corde dixiſſes. Nunquid non capit auris mea ab eo magnifica?) Quia iſta quæ dicit, ex reuelatione ſe dicit dicere. Et ſpiritus in faciem mihi occurrit) Quaſi flatum ſenſiſſe uult intelligi, nam negat in conſequentibus fuiſſe figuram. Reminiſcendum ita etiam ſpiritum in Apoſtolos deſcendiſſe. Quid enim? nunquid homo coram Domino mundus erit?) Aut hæc audiſſe ſe dicit, aut dicit ideo ſe horruiſſe, quia nemo mundus coram Domino, ut Deum, ut eſt, uideat. Modo mundus ſecundum perfectionem accipiendus, ut quod ſuperius negat mundum hominem perire, ſecundum quendam modum intelligamus. Si contra ſeruos ſuos non credit.) Quod euenit cùm diceret Helias: Domine, prophetas tuos occiderunt. Et dicit illi, Reliqui mihi ſeptem milia uirorum. Non enim inde ſeptem milia uirorum iam munda erant, Nam angeli dicti ſunt & prophetæ. Et aduerſus angelos ſuos prauum quid reperit,) Vel quod aduerſus eos dicitur, uel quod ipſi dicunt. Hoc tamen poteſt etiam de ueris angelis accipi. Habitantes etiam domos luteas, quorum conuerſatio non eſt in cœlis, percuſsit illos tanquam tinea,) Aut aliqua corruptio percuſsit eos tanquã tinea: aut Deus eos percuſsit, uel hac tinea, uel ſicut percutit tinea: hoc eſt, latenter intrinſecus corruptione ab eiſipſis exorta per concupiſcentias carnales, hoc eſt, habitatione in domibus luteis. Et à mane uſque ad ueſperam ultrà non ſunt,) Aut ultrà ſecundum hoc non ſunt, aut à proſperis rebus uſque ad tribulationem, pœnam enim D
conſecuti ſunt. Et quòd non poſſent ſibijpſis ſubuenire, perierunt,) cùm in ſe habent ſpem. Interierunt, quia non habebant ſapientiam,) in ſe ſperando.

CAPVT QVINTVM.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

I Nuoca autem ſi quis tibi reſpondeat.) Illis enim reſpondetur, qui mundi ſunt coram Deo. Etenim ſtultum perimit ira.) Indignatio qua quiſque angitur tanquam iniquè ſibi aliquid acciderit: dum non cogitat uſque adeò ſe immundum eſſe coram Deo, ut inuocanti non angeli reſponderе, aut ſe demonſtrare dignati ſint. Qui enim hoc non cogitat, ſtultus eſt, & ira irrationabili interimitur. Aut idcirco angelos non audire, non uidere poteſt ſtultus, quia ira interemptus eſt, & à zelo occiſus. Errantem autem occidit zelus.) Ad imitandum peccatores. Ego autem uidi ſtultos, radicem mittentes.) Stultos nunc impios accipiendum, ut econtrariò ſapientia hominis pietas ſit, ſicut in conſequentibus dicitur. Et conterantur ſuper ianuas infirmorum humilium,) recæpti fuerint in cubiculum à ſponſo, & ſtulti foris remanſerint. Quæ enim illi congregauerunt, iuſti comedent.) Et de Iudæis poteſt intelligi, congregantibus prophetias, quas gentiles congregatas potius comederunt: Et de his qui facientes comedunt, quæ alij præcipiunt & non faciunt. Ipſi uerò de malis non liberabuntur, quamuis prædicent non eſſe facienda. Exhauriatur fortitudo eorum) qua ſuperbiunt aduerſus infirmos, Exhauriatur autem ut iam incipiat laborare. Non enim prodiet de terra labor,) Id eſt, de creatura non conquerantur,

A rantur, ita de se. Sed homo in labore nascitur) Secundum id dictum est, nascitur, secundum quod in laboriosam uitam ex quieta quisque conuertitur. Pulli autem uulturis altissimè uolitant) Vultur bene intelligitur Dominus, quia altitudine prophetiæ uidit mortalitatem nostram, qua descendens pasceretur, conuertens nos in corpus suum. Pulli ergo uulturis, filij sponsi dicti sunt. Altissimè autem uolitantes, conuersationem in cœlis habentes, ut à labore liberentur in quo homo nascitur. Secuti sunt quippe uocem dicentis: Venite ad me omnes Phil.3. qui laboratis. Possunt & pulli uulturis in malo intelligi aëreę potestates, quę mor Matth.11. tibus, hoc est, peccatis pascuntur. Quoniam huiusmodi præuaricatores angeli non sunt perducti ad humilitatem mortalitatis multùm laboriosam, in qua homo nascitur, ualde illi superbiût, hoc est, altissimè uolitant. Qui dat pluuiam super faciem terræ) Tanquam confitentibus faciat misericordiam. Vt non faciat manus eorum ueritatem) Non faciant quod promittunt. Inhiantes dominari infirmis, in die occurrent tenebræ) Vt Iudæis qui Dominum non cognouerunt quis esset. An tanquam in nocte palpabunt in meridie) Sicut uidentes signa, tamen dubitabant dicentes: Propheta est: Alij: Seducit populum, quan- Ioan.7. do nec ad lucernam uidere uoluerunt. Et pereant in bello) In tentationibus. Et egrediatur de manu potentis) diaboli, infirmus. Sic autem infirmo spes) Illi enim fortes rem hîc quærunt. Beatus autem uir quem arguit Dominus) In hoc enim errat, quia uidetur sibi, quòd Iob iniquitatibus suis hæc patiatur, cùm ex hoc beatus sit, quia in hac uita cùm arguitur, habet arguendi possibilitatem. Et in septimo non te tanget malum) Sacramentum sabbati. In fa-
B me te liberabit à morte) Verbo enim alit & facit firmum ad tentationes. In prælio uerò de manu ferri soluet te) De potestate uinculorum. A flagello linguæ abscondet te) Ne sentias contumelias. Nónne patiêris iniustos, & iniquos deridebis?) Vt sapientia perditioni iniquorum irridebit. Et feroces bestias non timebis) id est Iudæos non timebis: quia gentes tibi obaudient) Hæc autē de Domino accipienda sunt. Eliphaz hîc errat, quia putat de Iob intelligenda quæ ei reuelata sunt, cùm totum Domino competat. Quia cum lapidibus agri habebis fœdus) Lapides agri, quia in gentibus nulla ordinatio legis fuit, ut quasi de ædificio lapides essent. Bestiæ enim feræ pacatæ erunt tibi) Siue de Iudæis, siue de gentibus. Deinde scies quòd in pace erit domus tua) id est, ecclesia. Et filij tui erunt quasi omnis hærba in campo) sine ariditate. Et uenies in sepulchrum tanquam frumentum maturum) post passionem. Ecce hæc ita exquisiuimus) Hîc authoritas huius prophetiæ confirmatur. Tu uerò scito temetipsum) quid egeris, Non enim iniustè hoc tibi Deus permisit accidere.

CAPVT SEXTVM.

Verba Iob Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

S*ed ut uidetur, uerba mea sunt mala.* Non enim uerba Iob de impatiētia sunt flagellorum, cùm significent dolorem, non peculiarem Iob, sed quem habuit de omni genere humano. Sagittæ enim Domini in corpore meo sunt) Verba Dei quibus anima transfigitur, cùm cogitur ad confessionem.

Quarum

Quarum furor bibit sanguinem meum) Tollunt enim peccatum. Cum enim C
incipio loqui, stimulant me. Quòd enim loquor illi cogunt. Quid enim? Nunquid frustra onager clamabit nisi escam requirēs?) ne inde famem patiatur, quia liber esse uoluit. Aut bos mugiet cùm habeat in præsepi cibos?) Asino cibaria labore bouis præparantur: sicut gentibus labore Prophetarum & Apostolorum, qui utique Iudæi fuerunt. Itaque hæc uerba cibum desiderantis sunt, id est, auxilium, nō impatientis ad dolorem. Nunquid potest sine sale edi panis?) Quasi ei diceretur: Cur sic ea per figuras dicis? Respōdit, quia si ex persona sua ea diceret, insulsa essent. Aut est sapor in sermonibus uanis?) Vanos sermones hominū dicit, quia panis uerba Dei sunt, sed panis cœlestis. Sic nec anima mea potest cessare.) Quomodo non sine sale edi panis, sic nunc ministerium præbeo uerbo
Rom. 10. Dei, propter illud: Quomodo audient sine prædicante? Fœtidas enim escas meas uideo, sicut est odor leonis.) Nam uerba mea fœtida sunt sicut leo, uel propter superbiam, per quam iactantes putent, uel propter quod amplexantes carnalia, fœtorem leonis habent, qui proprijs uerbis gaudent. Quis det ut ueniat postulatio mea?) Postulationem dicit rem quam petebat. Et spem meam det Dominus.) Sic enim confidens ob spem post tribulationem uenturæ consolationis, oportunè tentatur. Bene autem spem dicit, quia cùm res uenerit, iam tentatio non erit necessaria. Sit mihi ciuitas sepulchrum, super cuius muros saliebam.) Societatem illam Babylonij uult sibi sepulchrum, non ut eum obruat, sed ut sciat quia mortuos teget quicunque in illa fuerunt, de cuius tanquam firmamento & munimine superbiebat. Non parcam. Non enim mentitus sum: uerba sunt sancti Dei mei.) Quia non alia dixit quam audiuit à Deo, id est, de homine D
generaliter prophetat, quia auxilio indiget in confessione. Quæ enim uirtus mea ut sufferam?) Quod significabat uulnus eius. Aut quod tempus meum ut sustineat anima mea?) Quia imminente morte terrentur homines ut conuertantur & confiteantur Deo putredinem peccatorum, cuius consideratione se dicit cogi ad confessionem. Nunquid uirtus lapidum uirtus mea?) Duros & impenetrabiles iaculis uerborum Dei, qui non mouentur ad confitendum. Aut non in ipso confidebam cùm mihi bene esset?) Id est cùm essem immortalis ad imaginem Dei. Sed adiutorium à me recessit.) Factus mortalis uolens in me
Psal. 8. confidere. Et uisitatio Domini me despexit.) Secundum quod dictum est: Aut filius hominis, quoniam uisitas eum. Propinqui mei non respexerunt me.) Horrui angelis. Tanquam torrens deficiens.) Misericordia enim aliquando inundauit me. Et siccauit & non fui mihi fons. Aut sicut fluctus trāsierunt me.) Tanquam sint consolationes potus. Qui me metuebant, num irruerunt super me.) Diabolus cum angelis suis. Perij, & exul de domo mea factus sum.) Aut de habitatione cœlesti, aut de conscientia. Idcirco foras extra domum suam sedebat. Vias Themanorum uidete, semitas Sabeorum intuemini) Illos significat, qui in temporalibus fidunt, de quibus se, id est hominem quem significat, dicit non præsumere. Nunc autem & uos insurrexistis in me sine misericordia) Putantes beatitudinem hominum si carnalibus abundent, quia insultabant potius quàm compatiebantur. Sed uidentes uulnus meum, timete.) Intelligentes quid

A quid significet,timete futuras pœnas. Quid enim,nũquid aliquid uos petij,aut fortitudine uestra indigeo?) Quia coram eo infirmus est,qui potest eum saluare. Docete me,& ego obmutescam,)Idcirco enim patientes debuerunt esse ad doctrinam eius,quia ipsi eum docere non poterant. Sed ut uideo,parua ueri hominis uerba dicitis,) Eum dicit uerum hominem qui personã significat agentis pœnitentiam,conuersione ad Dominum,cuius parua uerba dicebant. Non enim à uobis auxilium peto.) Verus enim homo à Deo petit auxilium,Ille enim uerus est qui confitetur.Vnde est:Qui facit ueritatem uenit ad lucem. Neque enim elocutionem sermonis uestri sustinebo,) Dei enim locutionem se dixit sustinere qua instruatur. Veruntamen super pupillum irruistis.) Quod ad uos pertinet,insultare mihi uoluistis,quamuis nõ intellexeritis quid significet,quia neq; Iob quem uidebant,insultare debuerant.Ideo ueniunt tamen. Nunc autem aspicientes uacate mihi:) Non habentes quod me doceatis. Et rursum iustitiæ adestote.)Quia primò uidebantur sibi iustitia cogi ad loquendum. Non est enim in ore meo iniquitas,& fauces meæ nõnne sapientiam meditabantur?) Dicit se non Deum accusasse,sed hominem induxisse accusantem iniquitates suas, sicut superiùs sermo eius intellectus est.Hanc dicit meditationem sapientiæ. *Ioan.3.*

CAPVT SEPTIMVM.

N*unquid non tentatio est uita humana super terram?*) Hîc iam apertius ostendit,ex cuius significatione superiùs loqueretur: Tentationem uerò dicit tãquam studium certaminis,ubi uincit homo uel uincitur. Et sicut quotidiani mercenarij uita eius:)Temporalem mercedem expectantis,ut iam eorum qui iustitiæ suæ fructum in futuro expectant,nõ sit uita super terram. Aut tanquam seruus metuens dominum suum & consecutus umbram.)Quod significat absconditio Adæ à facie Domini,& tectio foliorum de quibus umbra fit,quã relicto Deo consecutus est homo. Aut tanquam mercenarius qui expectat mercedem operis sui.) Iste à superiori in hoc differt,quòd superior habuit, hîc autem habere desiderat ipsa temporalia. Sic & ego expectaui menses uanos.) Iam ad umbram dixit uanos,id est,temporalia bona. Et noctes dolorum datæ sunt mihi.) In quibus & lux amittitur sapientiæ,& materies est pœnarum. Si dormiero,dico,quando dies est?& si surrexero,rursum,quando uesper?) Quando cupiditatem negotij patitur homo in otio,& otij in negotio. Repleor autem doloribus à uespere usque ad mane.) Quo occidit à Deo. Vnde & ad uesperam deambulans Deus eos dimisit:quod significat uolentes, quibus nulla expectatio est remedij,nisi manè.De quo dicitur:Manè astabo tibi,id est,quando post iudicium manè Deus reuelabitur iustis.Vnde & Dominus uespere sepelitur,& manè resurgit. Hanc ergo uitam tanquam lucifero potest comparare. Et concrescit corpus meum putredine,) uermium multitudine. In fundo globos terræ,radens saniẽ.) Expresio cupiditatum uel curarum confesionis,in qua gaudent iniqui,quòd ad occasionem redigunt peccandi,quæ alij per pœnitentiam confitentur, unde sunt canes qui Lazari uulnera lingebant. Et uita mea exilior est quàm loquela.) Minus enim facio quàm loquor. Recordare ergo quia spiritus est uita mea,) id est,

Ex lib. annot. in Iob tomo 4 B *Psal.5.*

in uita spiritali. Et non reuertar ad uisibilia: Non me cognoscet oculus uidentis,) quia mutabor, ut uidentem hic diabolum accipiamus inuidentē. Oculi tui in me, & nō subsisto.) interficis enim in me uitam carnalem in qua fui. Tanquā nubes expurgata de cœlo.) Aut per cœlum turbata, quomodo dicimus de ferro purgato, ut hic significauerit auxilium sibi fuisse de cœlo, ut purgaretur: Aut certè ut iam non sit nubes, sed in aërem purum extenuetur, tanquam radijs solis ex purgata, ut obscuritas carnis, & sanguinis non sit in cœlo: Non enim caro & san C
1.Cor.15. guis regnum Dei possidebunt, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & absorbebitur mors in uictoria. Si enim homo descenderit ad inferos, ultra non ascendet.) Ad hoc ergo recordare, ut non descendas. Et non reuertetur amplius in domum suam,) id est, ad requiem suam. Propterea itaque & ego non parcam ori meo:) Confitendo cùm tempus est. Vtrùm ne mare sum ego, aut draco?) Non enim sicut impios aut diabolum repulisti: quia statuisti super me custodiam,) ut non me moueam ad perturbationem, ut sunt maris termini. Quia dixi consolabitur me lectus meus,) Carnalia in quibus requiescebat. Et referam ad meipsum consolationem in thoro meo.) Ad te enim debeo referre consolationem meam. Exterres me per somnia, & per uisionem me obstupefacis,) per tribulationes uitæ huius, quæ ita somnia sunt, quomodo & bona uitæ huius somnia. Absolues à spiritu meo animam meam,) propter uisibiles terrores à quibus liberabitur anima metuens uenire ad eos. Et à morte ossa mea repuli, nam ierant in mortem ossa mea:) nisi his exterritus fortior essem, & patiens,) quod est ossium firmitas. Non enim in sempiternum uiuam,) ut patienter feram breuitate uitæ. Et metu mortis me correxi.) Vnde inconuertibilis D
Eccl.1. diabolus, quia non moritur, sed damnatur, Initium sapientiæ timor Domini est. Discede à me, uana est enim uita mea:) Quia non suffero tentationes. Aut
1.Cor.2. quia sensu tuo intendisti in eum) propter quod rationalis est. Vnde illud: Nos autem sensum Domini habemus. Rationis uerò munus dicit extensionem intellectus. Et in requie iudicabis eum,) dignum requie. Vsque quo me non dimittis,) uinctum tribulationibus, neque deseris donec deglutiam saliuam meā?) In dolore ac flagellis contineam & absorbeam uoluptatum fluxus, per tribulationes admonitus. Si ego peccaui, quid possum tibi facere?) Sensus hic est, Si peccaui, nihil possum facere. An fortè loquendo molesti tibi sunt homines?) Tu ergo qui scis sensum: Quare constituisti hominem ut loqueretur aduersus te, ut esset tibi oneri?) Si autem peccatum hominis, nec facto nec dicto tibi nocet: Quare non obliuisceris peccatum eius.) Sed purgas illud potius: Nisi quia illa quæ suprà dicta sunt, ad bonitatem tuam referuntur. Quid est enim homo quòd exaltasti eum &c.) Quæ non intelligentes amici eius, putauerunt ab eo Deum reprehendi. Si enim non propterea facis mihi tentationes ut cohibeam fluxos motus meos, ut mihi ita consulas, quæ alia causa est, ut corripias hominem? Non enim nocere tibi potest quia peccat: Aut sentis quasi aduersitatem loquelæ eius, cùm scias sensum humanum, & utique posset, quod tibi aduersarium, est, non constituere. Et quare non es oblitus inquitatis meæ?) Si non ea causa ut mihi prodessent tentationes istæ, ut bonitatis tuæ sit totum, & quod me corripis?

A ripis? Nunc autem in terram ibo.) Cùm enim purges peccatum meum, restat mihi adhuc in terram ire per mortem corporalem. Nam euigilabo, et ultra non ero,) in hac terra.

CAPVT OCTAVVM.

M Isit in manum iniquitates eorum. In manum misit, aut in uindictam, aut supplantationem: Debitores eos,) id est, peccatores demonstrauit. Et restituit tibi uitam,) iustitiæ, quæ debetur iustitiæ, id est, beatam. Et erunt priora tua minima,) in comparatione posteriorum, quæ infinita erunt. Aut nunquid non hi docebunt te & referent tibi?) Quoniam nonnullorum maior est authoritas. Iam & hic de Christo dicturus audita narrat, quomodo Eliphax reuelationem. Nunquid uiret scirpus sine aqua?(Ita ergo & impij arescent sine misericordia Dei. Adhuc in sua radice consistit, & non metetur:) Si aquam non habeat. Antequam uiuat omnis hęrba, nónne arescit,) nisi bibat? Non enim aliquando uiruit impius, atque araneis implebitur tabernaculum eius.) Opera inutilia. Iam uerò de Iudæis & Domino uidetur dicere. Quòd si & suffulserit domum suam, non stabit) Aut scripturis sanctis, aut spe promissionis Domini, aut regnum ipsum. Et cùm cœperit, non permanebit sequi Deũ.) Quod Iudæis euēnit, qui secuti non sunt incipientes. Humidus enim est ante solem,) carnalium fluxu putrescens. Ante solem uerò sub tribulationibus, ut antè, sub, significet, sicut dicimus, ante me fac. Et de putredine eius germen eius ascendet.) Nisi enim illi tam mali essent, nõ per passionem exaltaretur Dominus, qui de illis secundum carnem natus est. In congregationibus lapidum dormit.) Maiores enim illum crucifigent, & in medio lapillorum uiuet humilium, de quibus fuerunt Apostoli. Si deglutietur locus, mentietur eum.) Si abscõderit quòd filius Dei sit, dicetur, quia non est filius Dei. Opus est ergo ut ipse sese indicet: in hoc enim loco non possunt diuina cognosci. De terra autem alterum germinauit,) uel Dominus resurgendo, uel alterum genus piorum, id est, Christianorum.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

B

Dominus enim non probauit innocentem:) An non reprobauit? Vel illud. Impium non probauit innocentem. Nec ullum munus:) Id est, sacrificia quæ habebant Iudæi. Veracium autem os impleuit risu,) confitentium. Et tabernaculum impij non permanebit,) uel ipsum templum, uel regnum.

CAPVT NONVM.

V Ere scio quia ita est:) Id est, quia secundum iniquitates meas hoc mihi restituit: Sed non sicut uos arbitramini. Sed quia nemo est in conspectu eius iustus, non respondebunt ei unus de mille.) In omnibus quippe conuincet. Qui in uetustatem perducit montes & nesciunt:) Id est, ad infirmitatem. Vt est, Inueteraui in omnibus inimicis meis. Qui uertit eos in ira.) Irascendo eos uertit, id est, ut aliud inueniant quàm appetierant, cùm qui se exaltat, humiliabitur. Qui commouet orbem à fundamentis,) per uocationem quæ facta est, per quam commoti sunt excellentes in mundo. Et columnæ eius mouebuntur. Qui præcipit soli & non oritur:)

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

Dan.12. Vt aut sapientia non intelligatur, aut qui scripserunt. Vt est, Signa librum. Qui C
extendit cœlum solus.) Ecclesiam, quæ propriè Dei sedes est, quam extendit per totum orbem solus, ad significandam unitatem trinitatis. Nam utique per filium in spiritusancto omnia facta sunt. Et ambulat super mare tanquam super terram.) Super terram, id est, firmiter confirmans ecclesiam in seculo. Vel subijciendo sibi peccatores, in quibus non mergitur, non cedendo tentationibus eorum.

Si transgressus me fuerit, non uidebo. Si altior me fuerit, aut celeritate perstrinxerit me, non eum agnoscam.) Opus est ergo, ut & congruat infirmitati meæ, & non me deserat. Si enim morti tradiderit, quis auertet?) Morti enim tradit, cùm uel transgreditur, uel transit ut nesciatur. Hæc est mors animæ ut Deum nesciat. Ipsius enim inauertibilis ira:) Aliorum enim potest auerti.

A potentiore ab ipso subdita sunt cætera sub cœlo.) Excæpto ipso cœlo, id est, rationali creatura, quia si ipsa sibi cætera subdidisset, nunquam per ea quæ sibi subdiderat puniretur. quia uerò Deus ei illa subdidit, punitur per ea quando offenderit eum qui subdidit. Quòd si etiam iustus fuero, non exaudiet me.) Rogans eum, præsumens de mea iustitia. Comparans enim ea his quæ apud se sunt incommutabilibus & perpetuis, tanquam iniustum me non exaudiet. Ergo eius mihi misericordia necessaria est. Iudicium eius rogabo:) Quia ego iudicare non
1.Cor.4. possum me iustum esse. Vnde est: Sed neque meipsum iudico, qui autem iudicat me, Dominus est. Si uerò inuocauero, & non exaudierit, non credam, quoniam exaudiuit uocem meam.) Cùm iudicium eius rogo, si non exaudierit, non D
credam quòd aliquando exaudierit me: Occultis enim causis me audiuit, non merito deprecationis meæ, aut certè non credam non me exauditum nunc: Aliquando enim exauditus sum. Aut ita, Quia si exaudierit quod peto, credam etiam exauditum me: Nam si non credidero, quamuis fiat quod peto, tamen non exauditus sum, ut signum exauditionis credulitas postulantis sit. Ne fortè in turbine me conterat.) Propterea quæro iudicium eius, ne in turbine me conterat.

Multas enim tribulationes meas fecit sine causa.) Quorum causa me latuit; Aut certè confitentis uox est, flagellis Dei confitentis, non se esse correctum, & idcirco posse turbine conteri quasi maiori supplicio. Non enim sinit me respirare.) Tam multæ sunt tribulationes meæ. Etenim quia potest, obtinet, & uincit:) Vt uoluntatem eius faciam, non meam. Quòd & si fuero iustus, os meum impia loquetur: Si me iustum putauero, ueruntamen auferetur uita mea.) Quamuis nesciam si impiè egi, tamen auferetur uita mea, ut patiar quæ nolo, aut non faciam quæ uolo. Vnum est quod dixi, magnum & potentem disperdit ira:) Id est, propter hoc unum fiunt tribulationes hominibus, ut magnus sibi poténsque nemo uideatur, præsumens de uiribus suis. Quia nequam homines in magna morte erunt.) Non in mediocri in qua sunt etiam iusti cùm tribulantur, & ab eis deridentur. Terra tradita est in manus impij:) Aut corpus iustorum non anima, cùm eos persequuntur, aut quando impius dominari permittitur. Potest & accipi homo peccator in manus diaboli secundum mortalitatem suam. Faciens iudicium eius operit:) Aut ipsius impij iudicium, aut iusti: In hoc enim tempore opertum est. Aut certè hoc ipso facit iudicium eius,

A id est, eo ..um punit, quo occultat ei prouidentiam suam. Vt est, Præ magnitudine iræ suæ non requiret. Vel eo iustum uindicat quo occultat. Persecutori eius iudicium suum:) Id est, prouidentiam suam, ut arctius peccatorum laqueis per impunitatem capiatur. Quod si non est, quis ergo est?) Potest hoc de Domino intelligi, qui & derisus est, & cuius terra, hoc est corpus, traditum est in manus Iudæorum, & cuius iudicium faciens occultauit maiestate ipsius. Quòd si ipse non est, quis ergo est, qui maiora facit quàm fecit ipse? Vel sic, Quòd si non facit Deus iudicium iusti uel impij, quis potest facere? Vita autem mea leuior est cursore.) Tanquam fugitiuos dicit homines à iustitia discedentes, ut ille filius minor profectus in regionem longinquam. Aut quasi aquilæ uolantis & quærentis escam:) De superioribus in quibus animæ rationales naturaliter beatæ sunt, id est, operibus iustitiæ, inclinauerunt se ad terrenas uoluptates. Quòd & si locutus fuero, obliuiscor dum loquor.) Locutio quemadmodum affectum habuit ad exteriora, sic anima dum progreditur ad ea quæ foris sunt cupiditate fruendi creatura, obliuiscitur interiorem creatorem. Declinans in faciem ingemiscam.) Illam enim declinationem dolores sequuntur. Commoueor omnibus membris,) Timor quo incipit recurrere. Et quia sum impius, quare non sum mortuus, & laboro?) Scio subaudis: Aut dicit se laborare, quia impietati mortuus non est. Et mundatus fuero mundis manibus.) Aut Dei manibus, aut suis, id est, bonis operibus per regenerationem. Satis in sorde me tinxisti,) in istam mortalitatem perdu-
B ctum. Et execratum me est uestimentum meum.) Immortalitas qua cupimus superuestiri. Sed quia non possumus in hac corruptione, ideo dicit: Execratum me est uestimentum meum. Non est enim homo sicut & ego cui contra dicam.) Homini enim possem demonstrare iustitiam meam, in tuo autem iudicio inuenior iniustus. Vtinam esset nobis arbiter.) Videtur blasphemare, nisi illum mediatorem Dei & hominum optare intelligatur, ut per eum alleget preces suas. Hoc modo enim ille audit inter utrunque positus, et arguit hominem: Filio enim omne iudicium pater dedit, & qui argueret, & qui audiret inter utrunque. Auertat à me uirgam suam.) Transeat timor legis, ut adoptionis libertate & charitate illi coniungar.

CAPVT DECIMVM.

N On enim sum mecum,) quia his hæreo quæ foris sunt. Proferam contra me sermones.) Hæc confitentis sunt. Et dicam ad Dominum: Noli me docere impium esse.) Noli me tentare ultra quàm possum ferre, nec mihi sinas accidere quibus mihi impietas persuadeatur. Aut bonum est tibi si iniquè egero?) Non est autem tibi bonum si iniquè egero. Non ergo iniustè me ita constituisti, quia despicis opus quod manus tuæ fecerunt. Si quod despicis opus manuum tuarum, ad consilium impiorum animaduertisti? Sed non eius impietatis quæ hominibus apparet. Et ad consilium impiorum aduertisti?) Non quia placent illi, ut iniquè agant. Aut sicut homo perspicis?) quia utiq; non sicut homo perspicis: Ideo in consilio impiorum animaduertisti. Est enim impietas quã

Ex lib. annota. in Iob tomo 4.

tu solus uides,& ab hominibus nõ uidetur. Aut humana est uita tua,,id est,breuis,ut nõ posis de perpetuitate iudicare. Et peccata mea inuestigasti.) Nõ enim te latere potuerunt quæ latent homines. Scis enim me nihil impiè fecisse.)Nam quantùm ad homines nihil impiè feci. Sed quis est qui de manibus tuis eripiatur?)iudicãtis.Sicut Deus iudicas,cùm uides etiam eas impietates quas homo nõ uidet. Postea uerò mutatus percussisti me:)Me scilicet mutato:non Deo,quia mutatus homo mutatum Deum sentit,ut per tenebrarum diuturnitatem mutati oculi mutatum solem sentiunt. Memor esto quia de luto finxisti me.)Tua ergo misericordia indigeo. In terram me iterum conuertes.) Morte quæ pœna est peccati. Nónne tãquam lac mulsisti me?)Quia etiã iam mortalibus præbuit misericordiam,cùm homines de hominibus informi primordio formauit.Hęc ergo cùm in te sint,scio quia omnia potes, quia tantæ bonitatis sunt,ut carnalẽ quoq; substantiam operentur. Quòd si & peccauero,custodies me,)aut ut me nõ perdas,aut ne lateat peccatum meum. Et si iustus fuero,non possum respirare,)in conspectu hominum:Nam tu uides peccata quæ homines latent. Plenus enim sum opproprio,)in conspectu tuo. Et capior sicut leo,)ad occisionem: Est superbiæ peccatum quod homines latet,quando etiam in factis laudabilibus possit obrepere. Iterum autem commutatus sæuissimè crucias me,)post pœnam peccati qua mortalis factus est homo.Secundũ has dicit tribulationes,quas in hac uita homines patiũtur,quia repentè pleraq; accidũt tribulationes,quæ turbãt quietem ipsius uitæ mortalis,cùm in salute est,uel in securitate rerum,quamuis tẽporalium,quã misericordiæ Dei deputauit. Instauras in me tormẽta mea:)Quia iam ipsa mortalitas tormentũ est,de qua tribulationes aliæ fiunt. Quare ergo de uentre eduxisti me?)De obscuritate ad notitiam,quæ sola maioris miseriæ est materia cùm subuertitur.Hanc generationem superiùs etiam commemorauit. D

Rom.4. Et essem tanquam non fuissem,)penitus ignotus.Vnde est:Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt,id est,secundum ignobilitatem. Aut nunquid non est tempus paruum uitæ meæ?)Non enim propter longitudinem uitæ meæ mortuus non sum,cùm utique paruũ sit quod uiuo. Pátere me donec requiescã pusillũ.)Post misericordiam qua de limo fecisti me,& mutatũ mortalitate percussisti me,& ipsa mortalitate consolatus es me,deinde exercuisti me tribulationibus: Pátere ergo me,ut requiescam in te. Antequã eam in pœnas unde reuerti non licet.) Ab his enim quas suprà cõmemorauit licet reuerti,si se homo ad Deum cõuerterit. Vult autem requiescere antequam eat in pœnas æternas,ad hoc utiq;,ut non eat.Quemadmodum si dicamus alicui:Corrige te,antequam damnêris: Nõ enim cùm se correxerit,damnabitur. Vbi non est lux,nec est uidere uitã hominum.)Illa est enim uita hominum,ubi est lumen uerum,quod illuminat omnem hominem, Alia est terra uiuentium,alia terra morientium. (Ioan.1.)

Sophar Naamathitæ uerba.

CAPVT VNDECIMVM.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

A *Vt nũquid uidebitur eloquẽs iustus esse?* Putat enim Iob uerbis magis quàm operibus abũdare. Beatus natus homo,breuis uitæ.)Sententiam suam illi replicat,quã uult intelligi loquaciter dictam & inaniter. Cùm nemo

A nemo sit qui contradicat tibi:) Quia quando dicebat, nemo ei contradixit. Sed quomodo Dominus loquatur ad te:) Ea loquere potius, quibus misereatur tui Deus, quia duplex erit super te, corripiendo, & consolando. Et tunc scies quia dignè reddita sint tibi à Domino quæ peccasti.) Post correctionem sequēte illumi natione. Aut uestigium Dei inuenies,) ut uelis Deum reprehendere. Sublime est cœlum: Et quid facies?) ut inuenias sacramēta cœli: Nō enim debes eum reprehendere cuius opera non comprehendis. Quis dicet illi, quid fecisti?) Et hoc enim rectè erit factū si Deus hoc fecerit: Quia facere aliquid ille nisi rectè nō potest. Ipse enim nouit opera hominum iniquorum:) Non iniqui operis est. Vnde uult intelligi, quia stultè hic quem iniquum putat reprehēderit Deū: Sic enim eū loqui existimauit. Homo uerò aliter nutat sermonibus:) Modo illi placet Deus, modo illi displicet, cùm apud Deū sit firmitas. Et uir natus mulieris tanquā onager erit in deserto:) Cupiditate libertatis impatiens dominatoris atq; domitoris. Et extendens ad eum manus tuas ut acciperet opera tua. Si iniquum quid est, in manu tua est.) Ipsa duo repetiuit, sed ordine mutato. Et iniquitas in domo tua non maneat.) Hoc dixit cor. Sic enim fulgebit facies tua tanquā aqua pura,) cō scientia. Tanquam fluctus qui non præterit, & non terrēris,) nisi omnes tangat in hac uita. Et oratio tua tanquam lucifer erit, ante illuminationem præibit.) Quasi & ista ad prophetiam sanctæ ciuitatis uel ad populum Dei pertinentia, audita uel reuelata dicuntur, sicut à superioribus amicis eius dicta sunt. Et rogaB bunt faciem tuam multi.) Omnia ista de Ecclesia.

CAPVT DVODECIMVM.

Ed iustus uir & sine crimine uenit in derisum. De Domino intelligendus est S sensus. Nō ergò mirū si & ego uobis in derisum uēni. Et domus eius ut deuastaretur ab iniquis.) Ecclesia à persecutoribus: Imò uerò nullus confidat, cùm sit nequam, se impunitum futurum: Quia iudicium à domo Dei. Tanquam inquisitio in eos non sit futura,) nō confidant. Sed tamen interroga quadrupedia si tibi respōdeant.) Ideo rectè inquirit iniquos, quia ex operibus potuerūt cognoscere creatorē, & colere debuerunt. Non enim creaturarum responsione doceri nō debuerant, cùm acceperint rationē qua ista cognoscerent. Si non in manu est anima omnium uiuentiū.) Hinc ergo scitur quia ipse omnia creauit, quia anima omnium uiuentium in manu eius. Et spiritus omnis carnis hominis:) Omnis carnis humanæ, id est, rationalis anima. Auris enim sermones dijudicat.) Quemadmodū sensus sensibilia dijudicat, ita spiritalia spiritus, quę debuit cognoscere, quoniam in manu Domini est opera Domini. In multo tempore sapientia est.) Non utique in multo tempore. Sed apud Dominum,) à quo petenda est. Si destruxerit, quis ædificabit?) propter uirtutem destruxerit, et propter sapientiam clauserit, ut ad eam nō perueniat. Si prohibuerit aquam, siccabit terrā.) Sapientiā ipsam, terrā uerò hominē. Quòd etsi emiserit, perdet euertens terram. (Multis enim sapientibus factis turbabuntur peccatores. Qui ducit consultores captiuos.) Subiugat enim sibi eos qui se consulunt. Iudices enim terræ in pauorē misit.) Aut Iudæos, aut Pilatum, aut sensu terreno iudicantes.

Verba Iob Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

1.Pet.4.

Qui collocat reges super sedes,)id est apostolos. Et circundedit balteo lumbos eorum,)id est,continentia. Qui emittit sacerdotes captiuos,)ut ab hominibus ducantur:Et significantur Iudæi. Qui permutat labia fidelium.)Permutat in bonum,ut non de iustitia sua,sed de gratia eius præsumant. Et intelligentiam senum cognouit.)Cui placet intelligẽtia senum. Vnde est:Cogniti estis à Deo. Cui aduersarium est:Non noui uos.Et bene cœpit à fide, & peruenit ad intelligentiæ canos. Qui reuelat profunda de tenebris,)Aperiendo prophetias. Et produxit in lucem umbrã mortis,)id est,fecit ut agnosceretur uita ista,quia umbra mortis est. Decipiens gentes & perdens eas,)putantes quòd nocerent ecclesiæ Dei cùm sibi nocerent:quod de impijs intelligendum est. Sternens gentes,& in uiã ducens eas.)ad humilitatem tanquam illum asinum. Reconcilians corda principum populi terræ.)Sibi reconcilians uel Iudæos uel reges terræ,qui primò persequebantur ecclesiam. Eduxit autem eos in uiam quam non nouerant:)Subruendo legis opera,ut simpliciter intelligerentur:Hinc eis uisus est peccator. Quo errore tenebrati sunt tanquam ebrius.

Gal.4. Matth.25.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

ET *arguam in conspectu eius si uoluerit,* ut arguat seipsum,quod est cõfessionis. Et curatores malorum omnes uos:) Bonos enim non potestis consolatione curare. Audite ergo obiurgationem oris mei:) in uos. Et ante conspectum eius profertis dolum:)cùm uultis uos uideri iustos quod non estis. An subtrahitis uosipsos iudices fieri?Nunquid potestis dissimulare, & non peccare?) Iudicate, quia de uobis uerum dico. Si enim omnia facietis adijciemini ei:)Id est,etiam si omnia præcepta faciatis, inuenietur in uobis quod arguat. Nemo enim iustus in conspectu eius. Quòd & si occultè personas mirati fueritis suas,)seipsos iustificando,non solùm ad homines,sed etiam ad seipsos. Corpus autem luteum,)ut fragilitatis saltem uestræ consideratione timeatis. Apprehendens meas carnes dentibus meis,)Non mihi parcam, ut non solùm uos arguam,sed etiam me. Et animam meam ponam in manu:)inspiciẽdam,ut nihil celem,siue ut computem peccata mea. Licet occidat me ille qui potens est, qui & cœpit.)Quãuis occidat peccata mea: Tamẽ loquar,& coram eo arguam me,)non me iustificabo abscondens peccata mea. Ecce enim appropinquo iudicio meo:)ut iudicem de me.Quasi ipsa sit hominis iustitia in confessione sibi non parcere. Tunc à facie tua non abscondar,)quemadmodum absconduntur peccatores. Manum aufer à me,)ut nihil in me sit castigandum,& sit in me charitas. Et timor tuus non me terreat:Quot sunt iniquitates meæ?)Hinc potest uideri illud dixisse:Animam meam ponam in manu mea ad computandum. Aut putas me esse contrarium tibi?)Cùm utiq; infirmus sum,& quasi hoc metuis,ne si iustificatus fuero,par tibi sim: Cùm folium sim.)Ergo est aliqua latens causa quãdo hoc non est. Et imposuisti mihi peccata iuuentutis:)Vt hæc sit causa quare dicat abscondi à se peccata sua,quia superbierit,quod est peccatum iuuentutis. Et posuisti in compede pedem meum,)in uinculo mortalitatis. Et radices pedũ meorum contemplatus es:)Cupiditates meas. Qui ueterasco sicut uter,) ut uinum

A nouum portare non possim: Aut panno nouo consui, uelut uestimentũ quod à tinea comestum est: Homo enim natus ex muliere, breui uiuens tempore, & plenus iracundiæ plenæ: Et hunc fecisti uenire in iudicium coram te.) Quamuis enim ita mortalis sit, & ipse habet tamen unde rationem reddat: Exigitur tamen de illo quod potest, quãuis perparũ possit. Dinumerati enim sunt mẽses eius apud te.) Eo enim quòd tẽporalis est, de peccato cõuincitur: Nã æternũ illũ tu feceras. Discede ab eo, sine requiescat:) Secũdum opinionẽ carnalis & animalis hominis, cui totũ bonum hæc uita est. Et ideo sibi uult parci ut fruatur hac uita. Est enim arbori spes.) Irridenter hæc pronuntiãda: Vtiq; enim magna est spes hominis, quod carnales nolunt credere. Vir uerò cum mortuus fuerit, abijt.) Et hîc ironia est.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

TEmpore enim minuentur mare, nam post impletur.) Dicit autem de his locis ubi accessus & recessus fit, uel quòd omnia litora latenter minuuntur & augentur, horis lunaribus scilicet, cùm oritur luna uel nobis uel alijs usque ad medium mensem crescit, & inde minuitur. Vsque quò cœlum est, non consuetur ad nouum: id est ipsi cœlo. Atque utinam apud inferos me custodisses:) Vsqueadeò est spes resurrectionis, ut iam & his carerem uitæ incertæ. Et absconditisses me donec requiesceret ira tua.) Hinc est abscondere pusillũ donec transeat ira Domini, id est, donec transeat ista mortalitas, & ad resurrectionẽ ueniatur. Si enim mortuus fuerit homo, uiuet.) Nam hæc non est uita: Consummatis diebus uitæ suæ, tunc uiuet. Deinde uocabis, & ego respondebo tibi.) Obediens tibi sine impedimento mortalitatis. Signasti in sacculo iniquitates meas,) ut redderes mihi. Annotasti si quid inuitus erraui:) Etiam hoc annotasti. Inuitum autem errare pœna peccati est. Et quidem mons cadẽs defluit:) Ita & homo ex altitudine & firmitate sua cécidit. Et petra ueterascit in loco suo,) ut homo in genere suo & conditione sua. Et alluuione frequentium gurgitum, quasi & homo ita ad exilitatem perductus sit,) cùm crebris cupiditatum alluuionibus atteritur.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

B

Spem uerò hominis perdidisti.) Gradus fecit de monte ad petram, à petra ad lapides, à lapidibus ad arenam, quia has mutationes carnales patiuntur: Et bene iam perdidisti dixit: Impulisti enim in finem,) in consumptionem, ut pereat spes ista,) qua carnales gaudent. Mutasti faciem eius, dimisisti eum,) cùm imago Dei in eo exterminata est: Et cùm multi fuerunt filij eius nescit.) Quià moritur, quamuis propagetur soboles. Sed carnes eius super eum doluerunt,) id est, talem conditionem suam homo carnaliter dolet, & animaliter luget. Spiritalis enim nouit, quia & si exterior homo corrumpitur, sed interior renouatur de die in diẽ, quia hoc fieri sentit in seipso. 2. Cor. 4.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Elephaz Themanitis uerba.

ET impleuit dolore uentrem.) Spiritus enim scientiæ per consolationem sanat potius à doloribus: Tu autem qui imples uentrem dolore, non spiritu scientiæ respondes. Nónne tu repulisti timorem?) Deum non timuisti in eum talia dicens. Et elegisti linguam malorum,) qua homines maledicunt.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

Quid

Quid enim? Nunquid primus homo natus es?) Quia tantùm superbus: Aut ante colles concretus es?) Etiam montes nomine collium accipiendos, id est, ante omnes uirtutes spiritus potentes. Sed & senex & decrepitus in nobis est:) Qui sciat etiam quæ nos nescimus, est inter nos. Quid ausum fuit cor tuum, & quid sustinuerunt oculi tui? Sperauerunt, quid est cur homo ut sit sine crimine.) Quod tu dixisti. Si in sanctis eius nō est fides,) propter incerta temporum, quibus plerunque falluntur, ut multa dicant, & non faciant. Et cœlum nō est mundum ante eum,) pro his qui habitant in cœlo. Aut certè cœlū pro ipsis sanctis ponitur, quia in his habitat Deus. Quæ sapientes dixerunt, & non celauerunt parentes suos:) Quia etiam Iudæis apostoli prædicauerunt: Ipsis solis data est terra.) In hac tantùm. Nec superueniet illis quisquam extraneus,) nec sanctus homo uel angelus, id est, in securitate possidebunt. Cùm putauerint se esse iam in pace.) Ita dicit quasi hoc putet ipsi Iob euenisse. Non credit conuerti à tenebris,) non credit ut conuertatur à peccatis. Et decretus est in escā uulturum,) aërearū potestatum, quæ mortibus peccatorum pascuntur. Sicut dux in prima acie decidet.) Audax est & non fert tribulationes. Quia eleuauit manus contra Deum.) An quia eleuauit, & currit contra eum cōtumeliosè, aduersario faciendo quàm præcepit? In crassa ceruice scuti sui,) præsumens de protectione sua. Quia operuit faciem eius in adipe suo.) Per adipem, id est, per exaltationē superbiæ suæ abscondit à se Deum. Et fecit capistrum super femora:) Vt libidinibus suis colligaretur, quo uinculo duceretur ad mortem. Quæ enim illi parauerūt, alij auferunt,) Ipsum etiam regnum terrenum uel quamcunque spem temporalem, quam cum toto mundo iusti accipient. Et non ditabitur, nec permanebit substantia eius,) impij scilicet. Non immittet super terram umbram,) id est non uiret, Sed stirpem eius arefaciet uentus:) Tentatio. Præcisio eius ante horam:) Corrumpetur priusquam sperat. Decidat tanquam flos oliuæ.) Decidat à pace, uel quia meliora hos sequuntur quemadmodum florem fructus. Testimonium enim impij mors:) Signum. Et ignis comburet domus eorum qui munera accipiunt.) Hi sunt enim impij qui munera temporalia præponunt iustitiæ. Concipiet & in uentre gemitus.) Ea quæ sperat, in pœnam illi proficiunt.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Verba Iob Ex lib. annot. in Iob tomo. 4.

Audiui alia multa.) Non solùm quæ uos dicitis, Consolatores malorum omnes,) Malos potestis consolari, quia ipsi uos imitantur, non bonos: Et est uocatiuus, A nullo enim uestrum audiui aliquid boni. Quid enim? Nunquid ordo in sermonibus est?) Spiritus superbiæ. Aut in quo molestum tibi erit?) Quamuis non ames quod dicis. Et ego secundum uos loquor:) Quomodo digni estis. Si subiecta esset anima uestra pro mea) Si uos pateremini quod ego, loquerer sermonibus, non factis: ita nihil est loqui quod nō facitis. Si enim loquar non dolebo uulnere.) Ostenditis uos neque in loquendo, neq; in tacendo prudentes esse: Nam sapientes & cùm loquuntur, consolationibus condolescunt, uel in confessione sua loquentes dolent uulnus suum: uel cùm tacent prudenter tacent. Nunc autem lassauit me, & fecit stultum & putrem,) ut non contra uos loquar

A loquar. Deus fregit superbiam,)ut stultus factus sapiens fiam. Apprehendisti me,& in testimonium factus sum.)Cōuicisti me de peccatis meis,& aduersum me ego sum testis. Et surrexit super me mendacium meum:)cùm mihi iustus uidebar. Contra faciem meam respondi,)hoc est,statuam te ante faciem tuam. Iracundiæ usus deiecit me.)Benedixit,usus iracundiæ,nòn enim eam patitur. Deiecit me tanquam superbum,fremuit super me dentibus.) Obiurgauit me, ut dentes pro uerbis intelligantur. Sagittæ piratarū eius super me deciderunt.) Aëreas potestates quibus utitur Deus, & eis permittit ut aut exerceantur boni, aut puniantur mali.Piratæ qui in hoc mari nauigantibus insidiantur. Acie oculorum irruit:)Non dissimulauit à peccatis meis,tanquam innuit ut punirer. Acie enim tanquā lumen est punitoribus,ostēdens puniendos. Ruina mihi fuit ... ctio eius.) Aut ita fecit ut uiderē peccatum meū,antè enim nō sic mihi ad sensum perductū fuit. Acriter percussit me ingens Dominus,& simul concurrerunt in me.)Deo enim percutiente,illi concurrerunt angeli sathanæ. In pace cùm essem,discerpsit me.)Ab ipsa pace aut à memetipso discerpsit, ut ab aduersarijs & sibi aduersantibus dilacerer. Et tenens comam eam diuellit,)per peccata mea me aduersum me diuisit. Statuit me sicut signū,)in quē iacularentur,ut solet signū poni iaculātibus,quò iacula dirigantur. Circundederunt me lanceis, emittentes in renes meos,non pepercerunt,)propter desideria carnalia, quæ sibi impacta dicit per malas persuasiones ab angelis malis. Effuderunt in terram fel meum,)ut terrena bona zelarer in his qui his abundant.. Deiecerunt me pro-
B stratione magna,)ne carnalem prostrationē intelligeremus Cilitium assuerunt corio meo,)peccata interiora quibus reminiscitur se fuisse in bonis. Et super palpebram meā umbra mortis.) Volo uidere, & impedit me cōsuetudo carnalis. Terra ne operiar super sanguinē carnis meæ,)id est,ne si immunda fuerit oratio mea,optando terrena,accedat cumulus terræ super uinculū mortalitatis meę, quod significauit nomine sanguinis, id est,ne cupiditate terrena maioribus calamitatibus uoluntarij peccati operiar,quod est illud naturale peccatū de conditione mortali. Nec sit locus clamori meo:)Intercludatur meritū orationis meæ. Et ecce nunc in cœlis est testis meus.) De Domino uidetur dicere, quia nondum in terram descenderat.Et conscius meus in excelsis,)propter participationē mortalitatis. Dijudicetur uir cum Domino,)Veniat Dominus ut cum eo uir iudicetur,tanquā Ioannes cum Christo: In quorū dijudicatione intelligitur quid distet inter hominē perfectum, & Deum hominem factū.Sicut filius hominis ad proximum suū,)Dominus homine suscæpto ad eum qui inciderat in latrones. Anni enim dinumerati uenerunt mihi:)Quòd mihi per Christū subueniatur plenitudine temporū. Et uiam per quā non reuertar,ingrediar,)uia renuntiandi seculi. *Luc.10.*

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

D *Efeci agitatus spiritu.*) Ordo,defeci spiritu laboribus concussus. Oro ut sepeliar,& non contingit mihi,)ut absorbeatur mortale à uita; Ingemiscimus enim grauati, in quo nolumus spoliari, sed superuestiri, id est,mutemur potius quàm moriamur.Quod utique quamuis hîc homo cupiat, *Ex lib. annot. in Iob tomo 4.*

non

non contingit: Debet enim mortem condemnatione peccati. Preces adhibeo C
cum labore,& quid feci non mihi feci,)impetrans. Furati sunt externi bona
mea:)Ipsam immortalitatem qua spoliatur significat, qui semiuiuus à latronibus
est relictus. Quis est iste,ad manum meam ligetur?)qui mihi subuenturus est
Dominum significans. Sed ideo dicit,quis est,quia inter homines futurus erat, ut
uix ab eis discerneretur,uinculo charitatis,ut custodiat me & ducat quò uult.
Quia cor eorum abscondisti à prudentia:) Qui eum non cognouerunt abscondi
sti,propter hoc nō exaltabis eos,)quia humiles non fuerunt. Ideo cæcati sunt,)
& non potuerunt humilitate Christi exaltari. Partim annuntientur mala :)
Quòd cæcitas ex parte in Israël facta est,siue quia eis mala uidebantur quę Chri-
Ioan.7. stus annunciabat,ut dicerent:Seducit turbas:Siue per prophetas quæ annuntiata
sunt de cæcitate Israël non utique toti,sed parti acciderant. Et oculi super filios
eorum tabuerunt,)admiratione miraculorum quibus dictum est: Si ego in Beel-
Matth.12 zebub eijcio dæmonia,filij uestri in quo eijciunt? Posuisti autem me in loque-
lam nationibus,)hominem quē redemit,id est,Ecclesiam de qua loquerentur na-
tiones,siue quæ loquerentur nationibus. Et in risum illis deueni,)aut nationi-
bus cum eis detraherent, aut Iudæis qui loquebantur nationibus. Obscurati
sunt ob iram oculi mei)Obscurati sunt oculi Ecclesiæ,id est,apostoli, cùm intelle-
cti non sunt ab his qui hac pœna erant puniendi. Et expugnatus sum ualde ab
omnibus:)Tam Iudæi quàm gentes expugnauerunt Ecclesiam. Et numerati
sunt super hoc ueraces.)Vel quare potestas data sit impijs in Ecclesiam,uel quare
ab impijs euangelium agnitum non sit. Iustus autem super inimicum consur- D
git:)Qui temporaliter cadit persecutionibus,ut postea infidelibus dominetur.
Et purus membris sumat audaciam:) Spei audaciam,ut confiteatur Christum in
persecutione. Non enim inuenit in uos ueritatem.) Omnibus enim tam Iu-
dæis quàm alijs gratia necessaria est. Et conuulsæ sunt compages cordis mei:)
Vt non celem peccata mea. Noctem in diem uerterunt impij.) Vnde est: Væ il-
lis qui dicunt quod bonum est malum,& malum bonum,qui ponunt tenebras lu
cem,& lucem tenebras. Si sustinuero,inferi domus mea erunt:)Pertulero pec
cata mea,ut non confitear. Interitum appellaui patrem meum:)Non ero filius
uitæ. Appellauit autem Deus matrem meam & sororem tabem:) Ex eo quòd
inseparabiliter hæreant tanquam cognati. Quæ est enim mihi iam spes?)Sub-
auditur,Si sustinuero,inferi domus mea erunt. Aut bona mea uidebo.) Quis
seductus conuerti noluit,& sustinuit peccatorem?

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Baldath sui tis uerba. Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

ET *lumen impiorum extinguetur.*)Noli ergo mirari,si & tuum tanquam im-
pij lumen extinctum est. Lux eius fuerunt tenebræ,in domo claritas
domus eius:) Id est,aut diabolus aut antichristus. Et lucerna super
eum extinguetur.)Exiguum & terrenum lumen. Accipiant infimi substan-
tiam eius:)Quæ habere ille noluit,habeant humiles. Immissus est pes eius in
laqueum.)Ipse enim captus est,Dominū persequendo. Confortauit super eum
sitiens:)Vt uincant eū esurientes & sitiētes iustitiam. Absconditus est super ter-
ram

A ram funiculus eius:) Quo capiatur: Hoc est, ea quæ illi quasi conceduntur: Et captio eius in semitis,) quà transit: Per circumitum perdant eum dolores,) undiq;. Et multi circa pedes eius ueniunt in angustia famis.) Multi qui eum sequuntur, uel qui ei obsequuntur, Comedātur rami pedum eius,) doctrinarum eius, id est, quà it: Rumpatur de habitaculo eius sanitas,) tranquilitas huius uitæ: Et teneat eum necessitas causæ regalis.) Oportunitas punitionis eius, quæ ualebit ad gloriā Dei, propter quod modo illi permittitur cupiditas sua. Causam regalē dicit, quia se Christū iactabit. Habitet in tabernaculū eius in nocte eius, necessitas causæ regalis cruciet conscientiā eius.) Appetitio tyrannidis, in nocte in supplicio cæcitatis eius quando damnatur. Aspergentur speciosa eius sulphure,) quibus placebat igne fœtido cōcremētur. Et de sursum irruet messio eius,) à Deo. Et non sit nomen eius in facie plateatū ubi erat:) Tollatur de memoria populi. Et non sit cognominatio in populo suo.) Ad tantam deiectionem ueniat, ut à suis non agnoscatur. Neque resaluetur sub cœlo domus eius. Aliqui enim resaluabuntur. Sed in populo eius uiuant alteri.) Alij subiugetur populus eius.

CAPVT DECIMVMNONVM.

ET *destruitis me uerbis*:) Infirmatis me, qui me consolari debuistis. Scitote tantùm, quia Deus fecit mihi sic,) apud quem possum de peccato conuinci, non apud homines. Et uallum suum circa me circundedit, fossa circa muros est.) Coactus sum ad confessionem. Ecce rideo opprobria, & non loquor.) Vtilitatem dicit confessionis, quia si uellet ridere peccatum suum, & non illud proloqui, clamaret, & non exaudiretur. In uultu meo tenebras posuit,) Illuminationem uultus mei abstulit à me, quod contingit aduersis. Et abstulit coronam de capite meo.) Dignitatem spiritalem quam dat sapientia. Et dirupit me undique, & abij.) Omnia tenebam, & abstulit illa à me, aduersus illud quod acceperat uirtutem continendi omnia. Et arbitratus est me tanquam inimicum.) Sic me iudicauit, quasi ei nocerem, si ei par essem. Et circundederunt tabernaculum meum:) Cor & conscientiam. Fratres mei recesserunt,) in spe correctionis, quia fratres sunt, quamuis primò correctionem meam aspernati sint. Et eos secuti qui sibi aliena,) hoc est perniciosa suaderent. Et amici mei immisericordes facti sunt:) In malis spiritalibus, qui non condolent proximis suis, sed potius eos irrident quos non irriderent in malis carnalibus constitutos. Et scientes nomen meum, obliti sunt me:) Non me cognoscentes quòd mutatus sum. Vicini domus & ancillæ meæ cum quibus secreta communicabam.) Adulatores qui recedunt ab eo, qui confitetur Deo: Ipsi enim dicuntur ancillari. Seruum meum uocaui, & non respondit.) Aut corpus, aut eos qui ei ad mala seruiebant. Os meum deprecabar, & rogabam uxorem meam,) tanquam dicens, Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me, id est, cupiens, ut ei consentiat. Inuocaui blandiens filios uteri mei, quos genueram,) persuadens eis spem seculi. Et quos dilexeram, consurrexerunt in me,) in illa uita. In cute computruerunt carnes meæ:) Amore eorum quæ forinsecus sentiuntur, computruerunt interiora mea: Nam utique

Verba Iob
Ex lib. antnota. in Iob tomo 4.
Psal. 42.

utique leue est si ad literam accipiamus tanquam scabiem habuerit. Et ossa mea in dentibus meis sunt.) Firmitas & fortitudo mea in uerbis est, non in factis. Miseremini mei miseremini mei, ô amici.) Angelos uidetur postulare, ut pro eo deprecentur, aut certè sanctos, ut pro pœnitente orent. Manus enim Domini est quę tetigit me.) Manu Domini se tactum dicit, ut doleret uulnus suum, quod sine sensu eius fuit. Quare me persequimini sicut & Dominus?) Detestamini & horretis sicut Dominus, uel obiurgatis, cùm iam confitear. De carnibus meis non satiamini.) Non gaudetis si carnaliter uiuam. Stylo ferreo & plumbo,) ut quemadmodum cedit plumbum stylo ferreo, sic cedant sermonibus meis corda hominum. Aut in testimonium in petris sculpantur,) ut illi ea discant qui firmi sunt ad euangelizandum. Scio enim quia æternus est qui me resoluturus est,) quia potest me reparare. Quorum ego mihi conscius sum,) quia merui illa. Quæ oculus meus uidit & non alius.) Hoc est, Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus qui in ipso est. Et omnia mihi consumpta sunt in sinum.) In interioribus ubi nemo uidet, id est, in conscientia. Quòd si & dixeritis, quid dicemus contra eum?) Secundum quod dictum est spiritalibus, Intédens teipsum, ne & tu tenteris. Et radicem sermonis inueniemus in eo,) ut de ipsis eum conuincamus. Ira enim super iniquos ueniet:) Qui se extollunt super pec- *Gal.6.* catores, & putant se tales esse non posse, ipsos dicit iniquos.

CAPVT VICESIMVM.

Verba Sophar. Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

Non enim intelligitis magis quàm ego.) Ad alios se conuertit, qui cum eo Iob consolabantur. Eruditionem confusionis meæ audiam.) Obliquè D uult ut Iob audiat eruditionē confusionis suæ: Tunc enim potest etiam spiritum sapientiæ cōsequi. Hæc autem locutio solennis est, cùm dicimus, Bonum est mihi ut caueam, nam malum mihi erit, cùm uolumus ut alius caueat. Nunquid hæc nostis à seculis?) Ex quo sunt secula, sic est. Et hoc putat, quod Iob ignoret tanquam impius. Oculus uidebit, & non adijciet.) Non enim uidebitur. Filios eius disperdat impius:) Siue imitatores eius, siue seductos ab eo diabolus. Et manus eius succendantur doloribus:) Operibus eius crucientur. Ossa eius impleta sunt iuuentute eius,) Superbit de firmitate sua. Abscondet ea sub lingua sua.) Non illam demonstrabit tanquam dolosus, ut tacitè illa utatur. Parcet ei & non relinquet eam:) Amans eam & nolens ea carere, non eam persequitur. Aut parcit ei, Dominus, & hac impunitate non eam relinquet. Et tenebit eam in medio gutture suo:) Tanquā quod eum delectat. Et non poterit subuenire sibi:) Non ideo se liberabit. Fel aspidis in uentre eius:) in interioribus, in occultis habens nocendi malitiam. Diuitiæ iniquè congregatę euomentur:) Cum tormento interiorum & pressura cordis. De domo eius protrahit eum angelus.) Quandocunq; manifestabuntur occulta eius per tribulationes. Et furore draconū fulgebit,) ut ille qui primò occultus fuit, tribulationibus proditus, furore draconū fulgeat iam palàm. Interficiat illum lingua colubri:) Seducat eum diabolus. Et non uideat mulctram pecorum.) Fructus ouium, id est, iustitiæ opera non faciat, ut se inde intelligat posse redimi. Neq; pabula mellis & butyri:)

Opera

A Opera bo... cum charitate & hilaritate cordis, & largitate præbentis: Butyrum enim, lac pingue est. Inuanum & frustra laborauit:) Quia non intelligit hęc de his operanda quæ ad misericordiam pertinent. Vnde & Dominus butyrũ & mel dicitur manducare, quia hæc illi in humilibus eius præbentur. Quæ egerunt ut durum quid:) quod mandi non potest, nec glutiri. Durum nescio quid est, puto, iniquitas uel superbia. In desiderio suo non saluabitur,) quia iniqua desiderauit. Non erunt reliquiæ de cibis eius:) Transierunt cupiditates eius. Cùm putauerit se repletum esse, coartabitur.) Non tam satietas est de plenitudine cupiditatum quàm pressura. Si quomodo impleat uentrem suum.) Talis necessitas ei uenit, ut dubitet utrùm impleat uentrem suum, cùm utique ista ideo quærantur, ut pellatur necessitas. Hoc autẽ dixit, quia tantò plus cupit, quantò plus habuerit. Et emittet super eum furorem iracundiæ:) Quia non uidit facere opera bona. Vulneret eum sagitta ærea,) perpetua. Pertranseat corpus eius iaculum:) Penetret eum tentatio, ut & de his quæ sperat, & de his quæ relinquit. Vulneretur tanquam à pectore,) per tergum traiectus. Fulgura in tabernaculis eius:) terrores repentini, in cogitationibus eius. Lædat aduena donum eius:) Diabolus qui aduentitius est ad tendandum, si quidem habebat homo etiam proprias tentationes. Et detegat cœlum iniquitates eius:) Cœleste iudicium. Et possessio bonorum eius ab ipso:) Hæc illi largietur Deus.

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

Verba Iob Ex lib. annot. in Iob tomo.4.

B ET *non sit mihi à nobis hæc consolatio:*) Qua putatis bonis temporalibus gaudendum, cùm communia sint pijs & impijs. Et si quando quis iniquus esset, hinc in eum uindicari.) Cùm Iob dicat usque ad sepulchrum permanere bona ista impijs, & nõ in eos per ea uindicari. Quid enim? Nunquid humana est castigatio mea? A Deo mihi est castigatio. Itaque & ipse potest consolari non uos. Aut quare non irascar?) Nolite ergo me ita consolari: Nam impiorum utique fœlicitatem uideo. Respicite ad me & admiramini,) tanquam inania dicentem. Si enim recordor, perturbor.) In dignitates humanæ uitæ rediẽs ad affectum perterritum ab eo quo nunc est, cùm confitetur. Et tenentur carnes meæ doloribus:) Carnaliter doleo. Quare impij uiuunt?) Quærit ab eis causam, quia dicebant hîc in impijs uindicari. Et permanent sicut uetustate oues eorum.) Quomodo possunt uetustate perseuerare? Non enim semper erunt. Erant autem in manibus eorum bona.) Non tulit eis bona ipsa cùm hæc dicerent: Imò uerò impiorum lucerna extinguetur,) claritas temporalis, etiam si non sicut isti intelligebant. Deficiant filij eius,) bona eius, bona quæ eis persuasit, temporalia scilicet, aut antichristi, aut diaboli. Videant oculi eius necem suam.) Significat & hanc prosperitatem ignorari ab his, qui hac gaudent, in futuro autẽ ad sensum etiam impiorũ perducetur. Quia nulla uolũtas eius in domo sua post eũ:) Quia in cõscientia sua Dominũ non cõsecuti sunt in tribulationibus: Licet numerus mẽsium eius dimidiatus sit.) Quãuis Dominum præsentẽ coluerit, tamen quia nõ futura sperauit, quod est plenus mensiũ numerus. Ipse enim homicidia iudicat.) Quia impij cùm persuaserint impietatẽ per dilectionẽ carnaliuum impie-

aut tatum,

tatum, futuro seculo utique occidunt: Non tamen talia homicidia iudicant homines, sed solus Deus. Hic morietur in robore simplicitatis suæ.) Videtur exequi occulta homicidia, commemorans largum unum, & alium auarum, quia homines abundantes & largi putantur & boni. Intestina eius plena sunt adipe,) habet lætitiam. Et medulla eorum diffunditur,) intestinorum, quia non tenet intra se bona sua,) sed impendit illa uel in se uel in alijs. Itaque scio uos audacter mihi insistere.) Non enim considerate dicitis. Quia dicitis, ubi est domus principis?) uel impiorum, uel superbi, quia putabant hic eis auferri bona, cùm plerique etiam pleni uitam finierunt per ea puniendi. Et ubi est uelamen in tabernaculis impiorum?) Honor. Interrogate eos qui transeunt per uiam,) qui non delectantur uia, sed transeunt per eam. Et signa eorum non ignorabitis,) uel impiorum quæ dant transeuntes, dicentes quid eis futurum sit, uel à quibus cognoscuntur impij. Quis annuntiabit coram eo uiam eius?) Coram impio uiam suam nemo, nisi Dominus qui annuntiat fiducialiter, quia ipse ei respondet. Et tamen ipse,) Dominus. In sepulchrum deductus est,) ita merces pietatis non hic speranda est. Et super aceruum uigilauit.) Antè enim ipse resurrexit, quàm aceruus resurgeret resurgentium. Dulces fuerunt ei lapides torrentis,) quos seculum non subuertit, id est, discipulos suos. Et post eum omnis homo sequitur, & ante eum innumerabiles.) Aut post eum omnis homo, id est, unus homo: Et ante eum innumerabiles, qui nunc in numero hominum deputati sunt. Aut post eum turba credentium, & ante eum patriarchæ & prophetæ. Quomodo ergo consolamini me?) inaniter præsentia bona uel mala suadentes. C D

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

Eliphax Themanitis uerba. Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

Numne Dominus est qui docet sensum & scientiam?) Quasi dixerit, Iob non eum rectè iudicat, cùm utique reprehendi Deus non possit, nisi per intelligentiam qua superior est, siquidem ab ipso detur homini. Et ueniet tecum in iudicium.) ut compareris ei? Lumen tuum in tenebras conuersum est,) dignitas. Et dormientē te aqua operuit,) securum inūdatio tribulationis. An per nebulam dijudicat?) Quasi per nebulam uidere non possit. Nubes latibulum eius & non uidebitur.) Latent eum quæ in terra sunt, Et ambitū cœli percurrit,) figuram & nō terram. Ergóne semitam seculi custodis?) Quasi Iob putarit à Deo res humanas non curari. Quia capti sunt immaturi,) secundum se immaturi. Putabant enim se in perpetuum permansuros, aut certè antequam peruenirent ad sapientiam, sed quia hoc audierant, non quia ista sentiebant isti amici Iob. Et cogitatio impij lōgè est ab eo, & implet domos eorum bonis.) Et longè est ab eo cogitatio impij, quia non sic facit sicut sperat impius: id est, aut quia placet ei impietas, aut nō uidet eā. Videntes iustiores erunt:) Intelligentes, quamuis isti non intellexerint, putantes quia hic redditur impijs. Et inculpabilis subsannabit eos,) impios. Esto durus,) si sustinueris patiēs, hoc est dura. Procul facies iniquitatem à tabernaculo tuo:) Conuersationem uel uitam tuam, quāuis hæc isti carnaliter dicant. Et ponens illud super aggerem in petram:) Aduersus

A sus id quod dixit: Flumen decurrens fundamenta eorum, quia humiliauit semetipsum ipsum lumen. Et dices, elatus es in superbiã,) aduersus superbos. Erue innocentem, & saluaberis mundicia manuum tuarũ.) Noli deficere in bonis operibus, quia curat Deus humana.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

ET *quidem scio quia de manu mea est increpatio.*) de peccatis meis, Et manus mea grauis facta est super gemitum meum,) Ideo me percussisti ut doleam. Et uenire usque ad solium eius,) ut sim tã sanctus, ut perueniam ad eorum numerum, qui sedes eius sunt. Tunc enim possum dicere uera & audire: Vnde & cœli dicuntur sancti. Et cognoscã causationes quas loquetur mihi,) Redditiones causarum, quibus se omnia iustè iudicare demonstrat. Et sentiam quæ annũtiat mihi, Iam proximus ei. An in multa uirtute dijudicabitur mecum?) ut per potentiam resistat mihi. Nequaquam tamen in terrore abutatur me,) propter peccata mea pro quibus timeo modo, cùm sum in terrore, non abutatur me. Cæterum cùm ad eum uenero,) in illa libertate qua ego annumerabor solio eius. Omnia amabo, & nõ mihi resistet uirtus eius,) quãuis modo possit me abuti, utpote peccatore: id est, faciat de me quod uult, etiã cum pœna mea, iustè tamen. Veritas enim & increpatio est ab eo,) id est, non iniustè increpat. Educit in finem iudicium meum:) Etiam si modo corripit, postea manifestabit. *Verba Iob Ex lib. an. not. in Iob tomo 4*

Nam si primus ambulauero, postea non ero.) Non arroganter sperem, non in-
B fideliter desperem: Hoc est, non declinare dextera aut sinistra: Inde est: Si ascendero in cœlum, tu ibi es. Quis me inde potest pellere &c. A leua quid aget? Non apprehendam.) Superiora repetit. A leua autem dicit non se apprehẽsurum deditum temporalibus. Conuertetur ad dexteram & non uidebo.) Ideo nõ debeo esse à leua. Cõuertetur autem dixit, quia ipse in spiritalibus est: Vnde ego me auerto, si à leua fuero? Scit ipse uiã meam,) ut etiã si per tribulationes duxerit, sequer. Probauit me sicut aurum) in tribulationibus. Ingrediar in præceptis eius,) De tenebris meis exeã, sed tamen in præceptis eius. Si autem ipse iudicauit,) sicut per tribulationes me tanquam aurum probet. Propterea ad eum festinaui:) Quia me tribulauit, ideo relictis temporalibus ad eum festinaui. Et cõmonitus sollicitus fui de eo,) ut his pœnis carnalibus æterna supplicia deuitarem. *Psal. 138.*

Idcirco à facie eius turbabor:) Modo turbabor, ut caueam cogitãs futurum iudicium, ubi erit eius manifestatio. Et Dominus molliuit cor meum,) Et ipsum timere, quo cauet futuras pœnas misericordię Dei, deputat. Non enim sciret superuenturas pœnas & tenebras malis, nisi Dominus molliret cor eius præsentibus tribulationibus, aduersus illud, quòd indurat Deus cor Pharaonis.

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

QVare *Dominum non latuerunt horæ: Quamobrem finem trangressi sunt.*) Christum. Et inclinauerũt pauperes à uia iusta,) ut uel imitarentur eos, uel inde arbitrarentur non esse diuinum iudiciũ, quia impunitam uidebant maliciã, qua eis nocebãt relinquẽtes iustitiã. Simul absconditi sunt mites terræ:) *Ex lib. an. not. in Iob tomo. 4.*

Cum his qui declinauerunt à uia iusta absconditi sunt mites,ne mihi [illegible] rent auxi C
lium.Nam tria sunt genera hominum in ecclesia cùm sit persecutio:alij enim con
sentiunt,alij fugiunt,alij patiuntur,quorum personam sustinet Iob. Et irruerũt
asini feri in agro super me,)stulti & indomiti, & ob hoc superbi irruerunt super
me confitentem,scilicet ecclesiam. Et exeuntes ad opus suum.) Hoc enim opus
est eorum ut in me irruant,id est,ad hoc deputati sunt à Deo. Suauis factus est
ei panis in adolescentes.)Impio & persecutori suauem panem dicit,id est, persecu
tionem,qua libenter fruebatur,cùm eam faceret adolescentibus:ut adolescentes,
aut pro amatoribus uoluptatum accipiamus, quia ipsi facilè talibus consentiunt:
aut pro eis qui tantùm in ecclesia profecerunt, ut pueritiæ quidem simplicitatem
transierint,sed nondum peruenerunt ad robur illud uirile,quo etiam persecutor
contemnitur. Agrum ante tempus non suum demessuerunt.) Aut genera di
cit persecutionum,ut aliquem agri damno terrerent:aut pro agro ecclesia intelli-
genda,quam ante maturitatem persecutionibus metere uoluerunt, id est, ante-
quam simul zizania crescerent,ut tempore messis separarentur. De stillicidijs
montium madescent.)Confugientes nudi ad speluncas,ubi saxa distillant.

Rapuerunt ab ubere pupillum.)Pupilli & uiduæ plerunque ex persona eccle
siæ accipiendi. Est populus sub tormento, & eum qui ceciderat, humiliaue-
runt.)Desertum uel auxilio Dei,uel alicuius,quod est magnæ sæuitiæ non talibus
parcere. In angustijs insidiati sunt iniquè,) in necessitatibus. De ciuitatibus
& de domibus eiiciebantur,)ab eis eiiciebantur alij. Anima uerò paruulorum
in gemitu,)ualde fuit. Ipse autem Deus eorum curam non habuit,) impiorum, D
quia eorum modo curam non habendo,fecit eos desperare de iudicio Dei. Quia
impunè mala faciebant: Et ideo in tenebris traditi sunt,)ignorantiæ iudicij Dei.

Et repentè eos ut fur occupabit dies ille. Oculus adulteri obseruat tene-
bras.) Ostendere uult in quas tenebras tradantur impij per impunitatem: Non
enim eas quas captant adulteri & cæteri qui malè faciunt per noctem, ne agno-
scantur per diem,sed illas quæ etiam malæ super eos sunt. Suffodit in tenebris
domos.) Alia mala facta commemorat: Per diem obsignauerunt semetipsos,)
occultauerunt. Non cognouerunt lucem, quia simul eis manet umbra mor-
tis.)Non quia nox recessit,propterea eos deseruit umbra mortis.

Leuis est super faciem aquæ:)Ad comparationem terræ splendidiores accipien-
di sunt quos lux penetrat & imago leuitatis,& ideo leuis est super eos umbra mor
tis:Nam & ipsi portant eam per cõditionem carnis. Vel leuis est super faciẽ aquæ,
dixit super eos qui in baptismo confitentur. Maledicatur pars eorum super ter-
ram:sterile sit quod delegerunt,)de sinu enim pupillorum rapuerũt. De ore in-
firmorum uerbum,)per malam suasionem. Deinde rememoratum est pecca-
tum eius,)quod putabat in obliuionem uenire. Conteratur sicut lignum insana
bile omnis iniquus,)quod non sanat. Sterili enim non fecit bene,)quæ sine con-
solatione filiorum est. Consurgens ergo non credit contra uitam suam.) Non
credit aduersus uitam suam,debuit enim credere malam se habere uitam,& eo ip-
so consurgere. Cùm infirmari cœperit,non speret sanitatem,)tribulari, sed ca
dit in languorem. Talis enim impius consolationes quærit in rebus aduersis, qui-
bus

A bus infirmior fiat. Emarcuit sicut malua in æstu altitudo eius,)quia nō tulit æstū tribulationis: Maluam autē propter infirmitatem. Aut sicut de stipula spica decidens,)sponte eius. Quia manè erat in culmine ipsius.)Ipse enim sibi elegit tales consolationes, quibus peius infirmetur. Alioquin quis est qui loquatur mendacium me dicere?)si & aliter sunt.

Ex Lib.ad Orosi.cont.Priscil.& Orig. Cap.IX. Tomo VI.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

Qvomodo erit homo iustus coram Domino, &c.) Hinc enim uolunt intelligi, rationalem spiritum habere stellas,& mundas non esse à peccato: sed ideo in cœlis esse, quia maiorem uel meliorem locum minor culpa promeruit. Non pro authoritate diuina istam sententiam recipiendam esse existimo. Non enim eam ipse Iob enuntiauit, cui singulare quodammodo testimonium diuinitus perhibetur, quòd non peccauerit labijs suis ante Dominum, sed unus ex eius amicis, qui dicti sunt consolatores malorum omnes, & diuina sententia reprobati sunt. Sicut autem in euangelio, quamuis uerum sit omninò quòd dicta sint, non tamen omnia quæ dicta sunt uera esse creduntur, quoniam multa à Iudæis falsa & impia dicta esse uerax euangelij scriptura testatur: Sic in hoc libro ubi multæ personæ locutæ esse narrantur, non solùm quid dicatur, sed à quo etiā dicatur considerandum est: ne passim quæ in sancto libro quolibet scripta sunt recipientes, cogantur fateri, quod absit, uera & iusta fuisse, quę marito sancto mulier insipiens suggerebat, ut aliquid aduersus Deum loquēs, ab illa intollerabili pœ-
B na moriendo liberaretur. Quod non ideo dixerim, quia illi amici à Domino reprobati, & ab ipso sancto Dei seruo meritò culpati, nihil ueri loqui potuerint: sed quia non omnia quæ locuti sunt uera putanda sunt. Quamuis ergo aduersus Iob nihil uerum dixerunt, potest tamen etiam ex eorum uerbis aliquam sanam sententiam in testimonium ueritatis assumere, qui nouit sapienter dicta discernere, sed quando inquirentes, probari nobis aliquid uolumus testimonio sanctorum eloquiorum, non nobis dicatur credendum esse etiam, quòd in euangelio scriptum est, si fortè euangelista eum hoc dixisse commemorat, cui fides habenda non est. Nam dictum est illic à Iudæis domino Christo: Nónne uerum dicimus *Ioan.8.*
quia Samaritanus es & dæmonium habes? Quam uocem tantò amplius detestamur, quantò nobis Christus est charior. Emissam tamen esse à Iudæis dubitare non possumus, qui euangelicam narrationem uerissimam credimus. Ita nec euāgelistæ derogamus fidem scribenti, & Iudæi uocem blasphemantis execramur: Nec solùm impijs & nefandis hominibus, sed nec ipsis in fide paruulis atq; adhuc rudibus & indoctis, qui fortè ibi loquentes commemorantur, tanquam canonicæ authoritati accōmodamus fidem. Neque enim quia ille, cuius cæci nati oculos Dominus aperuerat, ait: Scimus quia peccatores Deus nō exaudit, ideo istā sentē- *Ioan.9.*
tiam pro euangelica authoritate sic debemus accipere, ut ipsis in euāgelio uerbis Domini resistamus, qui eū qui dixit: Domine propitius esto mihi peccatori, magis *Luc.18.*
iustificatum descendisse de tēplo, quàm pharisæum sua cōmemorantē atque iactantē, diuina uoce firmauit. Nec succēseat iste recens illuminatus in carne, quòd

eum diximus in suę fidei tyrocinio, quando adhuc quis esset, qui eum lauauerat nesciebat, minus circumspectam protulisse sententiam, quia peccatores Deus nō exaudit: cùm ipsi apostoli Domini præ cæteris electi, & lateribus cohęrētes eiusq; ore pendentes, multa reperianturi mprobāda dixisse, quæ commemorare prolixum est, ita ut beatus Petrus de quibusdam uerbis suis, non solùm reprehendi, sed etiam, Satanas appellari meruerit. Quanquam in comparatione iustitiæ Dei, si nec sancti in cœlis angeli iusti esse dicuntur, non mihi uidetur importuna sentētia: non quia ut hoc essent, à iustitia lapsi sunt, sed quia facti sunt, & Deus nō sunt: tantúmque spiritalis luminis habere non possunt, quantùm habet ille à quo facti sunt. Ibi enim summa iustitia, ubi summa sapiētia: & hoc Deus est, de quo dictum est: Soli sapienti Deo. C

Quantò magis homo putredo & filius hominis uermis.) Vide psalmum 21. in hęc uerba: Deus deus meus respice in me.

Ex lib. Annot. in Iob Tomo IIII.

Quid enim exordium quàm timor ab eo?) Ista subiunctio uidetur illis uerbis consentire, quibus dicit Iob: Idcirco à facie eius turbabor, considerabo & timebo ab eo. Nemo putet esse moram piratis,) sine mora secundum permissum eius tentat. In quem enim non uenient insidiæ ab eo?) Hoc est, cùm ipse permittit. Insidias autem dicit tentationes. Aut quomodo erit homo iustus coram domino?) ergo iustè eum tentari permittit. Vel quomodo se mundauit natus ex muliere?) Nisi enim à Deo mundatus fuerit, immundus est. Si lunæ præcipit, & non lucet.) Quoniā si exigant rationes & ordo prouidentiæ ipsius ut luna non luceat, præcipiat ut non luceat, & non lucebit. Sed quare? Verùm inde uult uideri non mundam lunam coram eo, quia præcipit ei et non lucet: Aut fortè rationalis animæ natura figuratè hîc insinuatur, cui sol intelligibilis est, lumē illud uerum quod illuminat omnem hominem. Et quoniam tātò magis luna lucet terrenis aspectibus, quātò magis recedit à sole, cùm autem propinquat soli interimitur terris: intelligamus animæ diuinitus præcipi, ut superata natiuitate terrena atque mortali, qua splendor eius apparet, terreno sensu uidentibus appareat & propinquet, subiugeturq; sapientiæ, quo eius luce secretissima exultans, caueat facere iustitiā suā corā hominibus, ut uideatur ab eis, sed cùm gloriatur, in Domino glorietur: Quia & cùm apparet hominibus, dono creatoris apparet. Nec stellæ sunt mundæ apud eum,) in comparatione eius. D

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Vi addes? uel quem adituris es?) Cùm indignans tanquā iniustitiæ eorū putaret eos à Deo puniendos. Verùm sibijpsi loquens seipsum reuocat, ut Deo potius dimittat iudiciū eorū, ne aut adesse Deo uideatur, aut adiuuare eū uelle. Quasi inualidū ad coërcendos uel corrigendos homines:) Aut cōsiliū dare quid cū illis agat, aut sequi eū tanquā assecuturus causam, quare dolosos homines esse & uiuere patiatur. Cùm superet omnem animā quærentem,) uirtute incomprehensibili: Aut quasi annuntiarem illi aliquid de illis. Cùm ab ipso habeat homo & spiramen,) cùm aliquid enū tiat. Nūquid gigātes redigētur C

in

A in nihilum?)Non ergo mirandum si istis Deus parcit, quando gigantem non redegit in nihilū. Et ne diceretur: Sed ad inferos detrusi sunt, subiecit: Quia infernum uidet Deus, & tamen eos ibi ordinauit ubi esse meruerunt, sicut iustos siue nunc sicut sunt, siue postea sicut erunt, quamuis eos nunquam remoueat à facie sua, Quia omnia nuda sunt coram eo:) Ita ut de proximo gigantes etiam istos consolatores superbos accipias. Subter aquam & proximi eorum.) An subter aquam, subaudiendum, tenentur, uel aliquid tale. Et non est uelamen perditionis:)Etiam perditio eum non latet. Extendens aquilonem super nihilum.) Potest aquilo diabolum significare, & terra peccatorem, quoniam & illi & illis inanis est spes. Suspendens terram super nihilum,)in aërem. Ligas aquam in nubibus suis,)propter obscuritatem prophetiæ: Et nō est scissa nubes sub eo,) sub ueritate quam habuit nubes, quæ non scinditur, scripturas intelligentibus, non enim aduersa dicuntur sicuti putant non intelligentes. Qui tenet faciem solis,) ne agnosceretur ab impijs sol iustitiæ. Et extēdit super eū nubē suam.) carnem quā Dominus suscepit. Præceptū circūdedit super faciē aquæ,)populos, usq; ad cōsummationem lucis,)huius uitæ finē, hoc est, finem seculi. Aut quousq; cōsumentur,)id est, perficiātur homines, quibus dictū est: Fuistis anim aliquando tenebræ, nunc autē lux in Domino. Colūnæ cœli cōtremuerunt & obstupuerūt ab increpatione eius,)quod contigit Petro per Paulū. Virtute sua sedauit mare,)placauit seculū, à quo persecutionē patiebatur ecclesia. Vt etiam colūnas cœli cōtremuisse ab increpatione eius, potest hoc modo intelligi, ut robustissimi ecclesiæ cōtremuerint pro infirmis, ab increpatione Domini permittentis tentationes Ephes.5.

B persecutionis. Colūna enim clamat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scādalizatur, & nō uror? Prudētia eius uulneratus est cetus?) uulneratum dicit diabolū dolore, quo ei iusti nō cedebant. Et claustra cœli metuunt eū,)uel angeli uel qui accęperūt claues regni cœlorū. Pręcepto autē peremit draconē desertorē.)Eundē dixit & cetū: Sed nūc ostēdit quomodo sit uulneratus, cùm acceperūt præceptū qui ei renuntiauerūt. Ecce hæ partes uiæ huius,)qua ad Dominū uenitur. Virtutē autē tonitrus eius quis sciet?)quando faciet. Tonitruum dicit euidentissimam uocē manifestationis eius: Aut illā fortè uocem, quam dicit per filium tonitrus: In principio erat uerbū, & uerbum erat apud Deū, & Deus erat uerbum: ut sit ordo: Quando faciet, quis sciet uirtutem tonitrus eius? 2.Cor.11. Ioan.1.

CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

T *spiritus diuinus in naribus meis.*) Hîc ostenditur propheticè eum dicere,
E quæ dicit, & propheticè cognoscere, quia isti cōsolatores eius dolo pleni sunt. Absit à me iustos uos dicere donec moriar,)etiā si usque ad mortem persequamini me, quia uos liberè reprehendo. Nec enim separabo innocētem,)nec uos autē, nec enim conscius sum mihi iniquum quid commisisse.) Illi enim solent plerunque alijs parcere, qui metuunt sibi aliquid ueri obijci. Quæ enim spes est impio?) Quia expectat, ne quis putaret, malè eum optasse inimicis suis, hîc aperuit quo animo dixerit: Impietatem quippe illorū uult euerti, & perire superbiam, quod fit cùm soluitur ab impietate anima quæ tenebatur rea: solui-

tur autem per confeßionem pœnitentis hominis,& gratiam ignoscentis Dei. Ergo quæ enim spes est impio: Interrogatio & responsio. Quia expectat & cõfidit in Domino, si fortè soluatur, aut preces eius exaudiat Dominus.) Potest quidem & alius sensus occurrere in his uerbis, sed non ita contexitur & libro & fidei, ut quasi totum ex desperatione sit, quòd spem prorsus non habeat impius: C

Rom. 4. Cùm aduersus scriptum sit: Credenti autem in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam: Et ideo quod sequitur, gratia Domini dicere intelligitur. Aut si euenerit ei necesßitas:) Ideo debemus expectare gratiam soluentis. Nunquid enim in necessitate,) id est, in tentatione, habuit fiduciam?) merito rum in conspectu Dei. Aut si inuocauerit exaudiet eum?) si tãquam fiducia ope rum suorũ inuocat, quæ nulla sunt. Quapropter annuntiabo uobis quid sit in manu Domini,) quid disponat Deus. Ecce omnes nostis, quia uani uana loquimini,) ob hoc gratia iam expectanda est. Quomodo enim allegauit merita operum suorum uanè uana loquens? Possessio uerò potentium ueniet ab omnipotente super eos ut possideant eos potentes,) id est, diabolus & angeli eius. Potentes autem ideo dicit, quia isti infirmabuntur sequentes uanitatem, ut in eos illi præualeant duces & principes uanitatis, quomodo & Dominus fortem eum appellat, nõ ob aliud nisi quia tenet inualidos. Quòd si multi fuerint filij eius, in occisionem erunt.) Filios eius dicit qui eum ad seducendum imitantur, falsorum dogmatum persuasorem in damnationem. Si autem iuuenes facti fuerint, indigebunt,) id est, si confirmati fuerint in errore indigebunt: Num enim eos satiauit uanitas. Et qui circa eam sunt morte morientur,) qui simillimi ei sunt ad seducendum. Et uiduis eorum non miserebitur,) plebibus quas seduxit cum eis, uiri morte desertis, quasi fidem illis cõiugalem in erroris promißione seruauerit. Quòd & si collegerit ut terram argentum,) id est, si prudentes & sapientes, cùm adhuc terra & lutum sunt,) id est, cùm adhuc stulta & carnalia sentiunt, eis cõsenserint, postea correcti & cognoscentes ad iustos conuertentur. Erunt enim domus eorum sicut tinea & araneæ, quæ seruabat:) Cor uel conscientia. Aut domus dixit munimenta quibus se protegunt, uerũm astuta & latebrosa, sed inualidißima, sicut tineæ folliculus quo se abscondit, & araneæ cauerna, in quam se recipiẽdo cooperit, & claudit eam. Quam seruauit autem, intelligitur seipsam in illa cauerna: Quia non omnes araneæ hoc faciunt, propter spontaneam & interiorem corruptionem iniquæ cogitationis, & propter inutilia opera, quæ quasi diligenter in domo seruauit sibi impius. Diues dormiet & non adijciet,) quia post mortem non adijciet ad ipsas impietates diuitias. Oculos suos aperuit, & non est.) In resurrectione enim nõ inueniet seipsum diuitem quod putauerat. Tollet eum æstus et abibit:) Aut æstus maris tribulatio seculi: Aut æstus, quo arescunt hærbæ quæ radicem non habent. Et uentilabit eum de loco suo,) aut de spe sua, aut Deus eum uentilabit de loco suo,) ut non sit in loco Dei, hoc est, in populo quem inhabitabit Deus: Et proijciet super eum & non parcet, tanquam aggerem pœnarum plaudet super manibus suis.) sicut dictũ est: Et ego perditione supperridebo: non enim D

Prouer. 1. superlugebit perditionem impiorum.

CAPVT

A CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

Si enim argenti locus unde sit.) Prudentes qui magis in actione sunt: Lo
E cus autem auro ubi purgatur,)sapientes qui in contemplatione sunt.
Ferrum enim de terra fit.)Hæc metalla indifferenter in bono accipienda sunt. Nam ideo ferrũ dixit, quia nihil interest, quasi superiùs de ferro diceret, quamuis per ferrum possint fortes intelligi. Reuerà enim nulla distinctio est in sapientia hominũ quàm in ea sunt. Aes autem similiter ut lapides excluditur,) quia totum de terra separatur: Vt ostẽdat propterea esse bonos malis mixtos ad tempus, quia de ipsis malis seducuntur boni, & per illos purgantur tãquam metalla operi uel ædificio necessaria, cùm ipsa terra opus habeant eliquari ac formari, unde & separandi sunt, ut post hanc separationem habeat terra locum atque ordinem suum, sicut impij per damnationem pro meritis suis. Et omnem finem ipse inuenit,)Quid quò perduceret: Inuenit autem dixit, instituit. Lapides tenebræ & umbra mortis.) Lapis, id est, uetus testamentum, tenebris & umbræ mortis datum est, id est, carnalia sectantibus, quamuis ab uno Deo hoc expectarent. Vbi superbientes non descendebant torrentem, id est, non transibant per lapsum temporalium ad aliquam soliditatem, sed ipso lapso ferebantur. Et facta est discissio torrentis à cinere,)hoc est, à confitente peccata sua, & non superbiente de meritis operum, quod factum est per gratiam noui testamenti: discissio torrentis à cinere, ab hominibus: Et commoti sunt ab hominibus adulantibus nõ increpante Deo, ab ipsa quæ eis promissa erant perdendo primatum suum: Terra de qua egressus est panis,)subaudiendum, ipsos dico commotos, de qui
B bus tanquam de terra panis Domini exijt: & eam incensurus est,)infidelem cœlesti iudicio Dominus. Locus saphyri lapides eius.)Ordo, locus saphyri, id est, preciosi & necessarij ædificio ciuitatis cœlestis: Et aggeres aurũ ei.) Aurũ ei non modicũm est, sed aggeres. Semitã quam non cognouit auis,)humilitatem Domini. Nec uidit eam oculus uulturis,)diaboli. Non transijt super eam leo,)per fortitudinem superbiens. In durissimo lapide extendit manum suã.) Potens est enim Deus de lapidibus excitare filios Abrahæ: Et ripas fluminũ dirupit,)ut totum irrigaret. Flumina enim dixit prædicatores uerbi, uoluerunt quippe ripis suis cõtineri, ut tantũm circuncisioni prędicarent. Omne uerò preciosum uidit oculus meus.)Humanus, per uerbum carnem factũ. Altitudinem flu minum reuelauit.) Virtutes tolerandi persecutiones in martyrio. Occultæ & altæ sunt in homine,)donec tentatione persecutionis reuelentur: Ostẽditq; uirtutẽ suã in lumine:)In eis quibus dixit: Vos estis lux mundi: Per quos etiã pars Iudæorũ nõ parua conuersa est. Abyssus dixit, nõ est in me.)Ideo in abysso cõstituti homines eã inuenire nõ potuerũt, quia in ea nõ est. Non dabitur aurũ pro ea inclusum,)id est, thesaurus. Nõ erit deterior auro Ophir.)Tanquã si diceret, uel sic eã quęrite, siquidẽ deterior nõ sit auro Ophir. Nõ æquabitur ei aurũ et uitrũ.)Aut intelligẽdũ aliquod uitrũ speciosũ, aut quia sunt homines qui uitrũ plus diligãt quàm sapiẽtiã. Et cõmutatio eius uasa aurea,)nõ sunt, subaudis. Et excelsa et grauis nõ erũt in memoria,)obliuione erũt in cõparatione eius: Aut excelsa et grauis tãquã superba quæq; nõ sint in memoria, ut per humilitatẽ trahas de

Matth. 3.

Matth. 5.

abſconditis ſapientiam. Sapientia unde inuenta eſt?) Dicit,quia non potuit eam C
inuenire homo niſi per gratiam,ideo ad Deum conuertendum eſſe cor. Latet
ab oculis omnis hominis:) Quia non eſt in ſenſibilibus. Perditio & mors dixerunt.)Perditi & mortui,cùm in delitijs uiuunt. Dominus commendauit uiam
Ioan.4. eius,)humilitatem,quæ abſcōdita eſt uolucribus cœli. Et ipſe nouit locū eius.)
Locus ſapientiæ quis niſi pater eſt?Cùm enim dicitur:Ego in illo,& ille in me,inuicem ſibi quaſi loca ſunt. Ipſe enim omne quod eſt ſub cœlo perſpicit,)hoc modo ea nouit quo fecit,& non ſenſibiliter. Ventorum libramenta atque menſu-
Sap.11. ras,)tota creatura per partem ſignificatur.Et bene pondere,menſura & numero,omnia dixit facta in quibus intelligitur creator. Quando fecit,ſicut uidit numerauit.)Non extrà uidit ut faceret,ſed in ſemetipſo ſicut artifex: Et uim tēpeſtatum uocibus:)Tempeſtatum pro tentatione poſitum eſt. Tentationem autem pro his qui tentantur,quomodo diceretur uoces naufragij,pro uocibus naufragiorum. Tunc uidit eam & expoſuit eam.)In prædeſtinatione Dominus uidit uiam qua ſe conuertent tentati.

De Trinit.lib.12. Cap.XIIII. Tomo III.

Ecce pietas eſt ſapientia:abſtinere autē à malis eſt ſcientia.) In hac differētia intelligēdum eſt ad contēplationem ſapientiā,ad actionē ſcientiā pertinere.Pietatē quippe hoc loco poſuit Dei cultum,quæ græcè dicitur θεοσέβεια. Nā hoc uerbū habet iſta ſentētia in codicibus græcis.Et quid eſt in æternis excellentius quàm Deus,cuius ſolius immutabilis eſt natura?Et quis cultus eius,niſi amor eius,quo nunc deſideramus eū uidere &c.Abſtinere autē à malis,quā Iob ſcientiā dixit eſſe,rerū proculdubiò tēporaliū eſt.Quoniā ſecundū tēpus in malis ſumus,à quibus abſtinere D
debemus,ut ad illa bona æterna ueniamus.Quāobrē quicquid prudēter,fortiter, tēperanter & iuſtè agimus,ad eā pertinet ſcientiā ſiue diſciplinā,qua in euitandis malis boniſq; appetendis actio noſtra uerſatur,& quicquid propter exempla uel cauenda,uel imitanda,& propter quarūcunque rerū quæ noſtris accommodata ſunt uſibus neceſſaria documenta,hiſtorica cognitione colligimus.

De Trinit.lib.14. Cap.XII. Tomo III.

Ecce Dei cultus eſt ſapiētia.) Et non ſua luce,ſed ſummæ illius lucis participatione ſapiens erit,atq; ubi æterna ibi beata regnabit.Sic enim dicitur iſta hominis ſapiētia,ut etiā Dei ſit(tunc enim uera eſt,nam ſi humana eſt,uana eſt,)Verùm non ita Dei,qua ſapiens eſt Deus.Neque enim participatione ſui ſapiens eſt,ſicut mēs participatione Dei.Sed quemadmodum dicitur iuſtitia Dei,nō ſolùm qua ipſe iuſtus eſt,ſed quam dat homini cùm iuſtificat impium.

CAPVT VICESIMVMNONVM.

P*Arauit & inueſtigauit.*) In prædeſtinatione,nō in actione. Quiſnā me reſtituet in menſes priorū dierū?)Hæc ex perſona dici uidētur eccleſiæ ſimul in capite cum Chriſto,tanquā totus ipſe homo loquatur tempore abūdātiæ tribulationū,& tētationū,tanquā his diebus,de quibus Dominus dicit: Veniēt dies quādo optabitis uidere unū de diebus iſtis & nō uidebitis.Eo enim tēpore quo Dominus erat in terra,nulla erat ſollicitudo,quāuis adhuc populo paruo

A Christiano, qui constabat ex his qui in eum crediderant, ex quibus erant plusquã quingenti fratres, quibus etiam post resurrectionem apparere dignatus est, sicut Apostolus dicit: Nulla ergo erat tũc sollicitudo, ne aut è malis malè gubernaretur ecclesia, aut hæresum uel schismatum laniaretur insidijs: Nam nec ipsas corporales persecutiones passa est, nõ aliquas pertulit uel intrinsecus uel extrinsecus aduersitates. Loquitur itaque Iob ex persona hominis, hoc est, populi ad nouum testamentũ pertinentis, desiderantis illos dies, sicut prędixerat Dominus: Et fortasse ideo menses appellat, non annos, quia ex quo elegit Dominus discipulos, usque ad passionẽ, non anni, sed menses fuerunt. Cùm lucebat lucerna eius super caput meum.) Vel carnem Domini uisibiliter præsentem, uel uerbum ex ore præsentis corporaliter. Cùm uerbum Domini inspiceret domum meam,) ad diligentiã custodiendi conuersationem. Et circum me pueri mei,) qui obsequebantur humiliter necessaria ministrantes. Cùm flueret per uias meas butyrum,) per mores meos exultationem fidei & bonorũ operum. Cùm montes mei abundarent lacte,) Prophetę bene paruulis exponerentur. Cùm exirẽ matutinus in ciuitate,) aut cùm iã claritas lucesceret, trãsactis tenebris timoris, aut in exordio ecclesię, ut nõ satis occultus, nõ satis manifestus. Et in plateis ponebatur mihi sella,) à turbis deferebatur mihi docẽdi authoritas. Vidẽtes me adolescẽtes abscõdebãtur,) dediti cõcupiscentijs. Senes aũt assurgebãt,) prudentes. Et potentes cessauerunt loqui,) superbientes de doctrinis suis. Quia auris audiuit, & beatificauit me:) Populus quẽ nõ cognoui seruiuit mihi, in obauditu auris obediuit mihi. Et oculus uidens me, declinauit,) Iudæorũ nõ credentiũ. & os uiduæ benedixit me.) eius ani

1.Cor.17.

Psal.17.

aliàs,,mihi

B mæ quæ diaboli coniugio renũtiauit. Ecce ferebatur mortuus filius unicus matris quę erat uidua. Et uestiebar iudicio sicut chlamyde.) In præferẽdis spiritalibus, carnalibus, nesciat sinistra quid faciat dextera tua, id est, qua intentione operetur, operta enim sinistra dextra exerta est in uestitu chlamydis, quod facit qui rectè iudicat, quò sit referendũ quod operatur. Iudiciũ quod nõ nouerã exquisiui:) Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te, quid nobis erit? Dicit fœlicitatis suæ fuisse quòd habuerit à quo quæreret de futuro iudicio. Confregi molas iniquorũ,) ut iã nõ deuorarent plebẽ de cibo panis. Aetas mea senescet sicut arbor palmę.) Multo uiuã tẽpore: Prolongabitur enim, & ero sicut arbor palmæ in honore sempiterno, & celsitudine & rectitudine: Et ros morabitur in messe mea,) ex quo seminatur & germinat ager, messis dicitur. Gloria mea noua mecũ,) id est, noui testamenti, & arcus meus in manu mea gradietur,) faciã quod pręcipio. Et in sermone meo non adiecerunt,) perfectionem euangelij significat: Nã sermo synagogæ datus indiguit adiectione, sed gauisi sunt cùm loquerer eis,) quia prior locutio timorẽ habebat, sequens charitatem. Quòd & si riderẽ ad eos, nõ credebant,) de his quæ in parabolis ita loquebatur ut non intelligeretur: Nã non sicut uerba sonare uidebantur, uana dicere putaretur. Hic est risus Saræ, qui significabat omnia eos in prophetia fecisse, unde figuratè aliquid dicitur. Elegi eorũ uiã & sedi princeps,) aut suscipiendo mortalitatẽ, aut cũ publicanis & peccatoribus conuiuando, sed ita ut princeps essem ad salutem. Et habitabã sicut rex cinctus fortibus,) qui suis dimissis eum secuti sunt. Quasi consolans tristes.) Eos dicit qui spe gaudebant,

Matth. 19

Gen.18.

Matth.5.

Matth.5. bant, cùm de præsenti uita erant tristes: Beati lugentes, ut dictum est; quasi tri C
2.Cor.6. stes, semper autem gaudentes, qui non possunt tenere illam magnitudinẽ, de qua dictũ est: qui autẽ fecerit & sic docuerit, magnus uocabitur in regno cœlorum.

CAPVT TRICESIMVM.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4. *Nunc autem derident me infimi, nunc monent me minores tempore.*) Quia & postea nati sunt in ecclesia tales, & non proficiunt plurimùm. Monet me, autem dixit, quia honores ecclesiasticos accipiunt, potestatẽ prædicandi populo quæ ipsi non faciunt. Quorũ spernebã parentes.) Parentes eorum dixit, quorũ imitatione filij sunt, quibus tunc dicebatur: Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ. Et uirtus manuũ eorum quasi nihilũ mihi erat.) Parentum potestates qui tunc usqueadeò plurimùm poterant ut crucifigerent Dominum. In eis peribat omnis uita:) Quia non se uel in fine correxerunt. Egestate & fame instabiles,) à uarijs desiderijs insatiabiles. Qui fugiebant in desertũ heri,) cõferẽdo se ad excusationem legis, quã non simpliciter intelligebant. Et quia in deserto accæperant, fugientes in deserto heri: sicut enim hodie, pertinet ad nouũ testamentũ: sic ad uetus, heri. De nouo enim dictum est: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Et: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Qui radebant cortices arborũ,) quia figuras legis quibus utilia tegebantur, pro cibo habebant. quorum erat cibus radix hærbarum,) sacramenta quæ corporaliter iussi erant celebrare, tanquam terræ inhærentia, ex quibus tamen simplicis intelligentiæ fructus surgeret, & supra terrã in libertatem ferretur, quò illi peruenire non poterant. Inhonorati & abiecti, & egentes omni bono,) amisso primatus honore ab D spe promissionis, quia & ipsum terrenum donũ pro meritis suis amiserant, & regnum cœlorũ non tenent. Qui radices lignorum manducabant,) propter magnam famẽ, quod de radicibus hærbarũ dictum propter fructũ frumenti, hoc de radicibus lignorũ intelligendum est, & propter fructũ uini & olei: Nam omnes istos spiritales fructus accæpit ecclesia, quorum radices terræ implicatæ & sacramenta erant quæ corporaliter Iudæi obseruare cogebantur: Sabbatum, circuncisionem & uictimas, & cætera huiusmodi spiritalium ciborũ. Insurrexerunt super me fures,) qui ad honores indebitos qui iustorũ sunt proprij, per tenebrosas fallacias peruenerunt. Quorum domus erant cauernæ petrarum,) qui concupiscentias suas defendebant, & tegebant, quibusdam obscuritatibus diuinorũ librorum. Et inter arbores clamabant.) Manifesta erant peccata eorum, quamuis ea scripturarum obscuritate quasi umbris arborũ tegere conarentur. Hinc est, Clamor Sodomorum ascendit ad me. Et plerisq; locis pro manifestis peccatis clamorem ponit scriptura, ut uerbum sit quicquid corde concipitur, clamor cùm procedit in factum. Qui sub stirpibus terræ manebant,) non saltem in stirpibus, sed etiam inferiùs in stirpibus manere possunt intelligi, qui uel carnaliter præcepta custodiunt. Stirpes enim sunt nõ iam ipsi fructus, sed unde surgunt partes fructiferæ, uel arborũ, uel hærbarũ, si tamen fructiferum genus est, quia & non fructiferi generis stirpes dicuntur filij stultorum & ignobilium Iudæorum: Nam hos dixit superiùs parentes eorum propter imitationem, quia & isti sub Dei nomine ambulant,

Psal.94. / Psal.2. / Matth.23. / Gen.18. (marginal references)

A ambulant,quem non colunt. Stultos autem & ignobiles dicit Iudæos, qui econtrariò non solùm se cõfidebant esse duces cæcorũ,sed etiã filios esse Abrahæ,quo patre se esse iactabant nobiles: Sed cùm audiunt: Cæci sunt & duces cæcorũ, stulti demonstrantur. Et cùm audiunt: Si filij Abrahæ estis,facta Abrahæ facite: degenerando demonstrantur ignobiles. Nomen & honor extinctus à terra,)erat enim,sed extinctum est. Nunc autem cithara eorum ego sum,)horũ quorum illi patres sunt,qui me ad aurem habebant,non ad cor. Et me habent ad fabulam,)inanem & inutilem narrationem & auditionem, quãuis me & narrent & audiant. Abominati sunt enim me discedentes procul:) Longè facti sunt à iustitiis peccando,& præcepta iustitiæ malis moribus execrando. Nec in faciem meam pepercerunt spuere.) Execranda nanq; facies Christi est, his qui præcepta eius cum contemptu exhorrent:uel,malè me innotescere fecerunt morum suorum prauitate. Aperiens enim pharetram suam afflixit me,)secreta rerum, unde tentationes existunt. Et frenum in faciem meam miserunt,)ut eis inuitus cõsentirem,portans eos ducentes quò uellent ad ima sua. Et à dextris germinantes consurrexerunt,)& fauendo & bene monẽdo exorti sunt quidem ut suas cupiditates explerent non persequendos. Pedes meos uinxerunt compedibus,) officiorum ecclesiasticorum,ut non eos possent fugere. Contritæ sunt semitæ meæ,)ut non apparerent,per quas solent boni ambulare,non quærentes sua, sed Christi. Exuit enim me stola.)authoritate pristina,cui credi solet,quod contingit multitudine & consuetudine peccatorum præualente. Et iaculis suis uulnerauit me,)præceptis quibus uideo mala,& quia coërcere non possum,crucior.

B Abusus est me sicut uoluit,)etiam calamitate & miseria mea usus est ad iustitiam suam Deus sicut uoluit. Doloribus inuolutus sum,)& in me & in alijs patior. Foris pugnæ,intus timores. Quis infirmatur,& ego non infirmor? Et iterãtur dolores mei,discedit sicut spiritus spes mea.) Quasi inane aliquid cõuersi ad spem temporalium,habentes quod promitto. Et sicut nubes transijt salus mea,)non sperantes salutẽ promissam amore præsentis salutis. Et nunc super me effundetur anima mea,)peccando. Nocte uerò ossa mea cõfracta sunt,)firmitatẽ quam habuit,dixit sibi ereptam. Et nerui mei dissoluti sunt,)actiones præteritæ. In multa uirtute apprehendit stolã meam,)ad demonstrandã uirtutem suam, modo affligendo,& postea reparando. Et quasi ora uestimenti mei circundedit me.) Modicũ mihi reliquit authoritatis. In terra & in cinere pars mea,)in pœnitẽtia, quia extremum. Steterunt & considerauerunt me,)Et me iacente superbè steterunt,quærẽtes quid in me reprehenderent. Et proiecisti me à salute.)Illos dolet qui spem reparationis amiserũt. Domus enim est omni mortali terra.)Ideo se dicit mortẽ metuere,quia conuersatio eius non sit in cœlo,secundũ plures qui mali sunt in ecclesia,& terrenè uiuũt, Atq; utinã possem meipsum interficere,) ut morerer seculo. Aut rogarẽ alium & faceret mihi hoc,)uel angelũ meliorẽ, uel Deum per quẽ corrigerer. Ego bona præstolabar.)Dolet quia repentè sibi ista euenerunt. Venter meus efferbuit & non tacebit.)Interiora,uel memoria qua recordatur quid fuerit primò,& qũo afflicta est in gemitibus. Et steti in cœtu clamãs:) Quia non in frequẽtia audita est eorũ qui se nolebãt corrigere.

Matth.15. Ioan.6. 2.Cor.11.

Cutis

Cutis mea innigrata est ualde,)ex his quæ forinsecus patiebatur. Versa est C in luctum cithara mea,)opera bona quibus laudabat Deum gaudens.

CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

TEstamentum feci oculis meis:)Nunquid cœpi sperare uisibilia? ut non cogitẽ de uirgine,) ut suabudiatur absit. Hic iam incipit merita ecclesiæ cõmemorare,in his qui perseuerant in fine in tentationibus magnis, abundante iniquitate,& refrigescente charitate multorũ. Et non cogitabo de uirgine, in corruptione sapientiæ uel iustitiæ. Et quæ est alia pars Dei désuper?)subauditur,non cogitabo,aut ita,& quæ est,nisi illa? Si incessi cum irrisoribus?)Iam bonis qui sunt in ecclesia difficile est non talibus sociari. Vel si festinauit ad dolum pes meus,)hypocrisis. Seram,& alij fructus meos edãt.)Quomodo Iudæis contigit,id est,ea dicere quæ alij faciant magis quàm ipsi. Sine stirpe sim super terram,)ut facilè arescã.Ille enim in terra tanquã in petra firmus est, qui facit quod dicit. Si secutum est cor meũ mulierẽ,)ut suam quæreret gloriã in populo Dei potius quàm Dei,cui uni iure debetur. Aut si obsedi ianuas eius.)Insidiosè captaui desideria plebis eius,uel timorem, quibus ageretur,ut mihi potius seruiret quàm Deo. Placet quoq; uxor mea alteri,)fama mea diabolo,cui quando placemus,displicemus Deo.Ille enim malis nostris gaudet. Et filij mei humilientur,) facta,uel imitatores mei. Furor enim animæ meæ est indomitus, cõmaculare uiri uxorem,mihi eam uendicando. Quòd si & despexi iudicium famuli mei aut ancillæ cùm iudicarentur apud me,)secundum quòd dictum est:Secularia igitur

1.Cor.6. iudicia si habueritis.Famulos autẽ dixit laicos adhuc secularibus deditos. Quòd D si & uisitationem,quod responsum dabo?)In tribulatione quam conscientiam habeo,quia ista despexi? Nonne sicut ego concæptus sum in utero,& illi?) Eadem enim in sacramentis omnibus prædicantur,eadẽ credunt. Et fuimus similiter in uentre.)Non enim ille alitet renuntiat, quàm ille qui plenè seruiturus est Deo.

Et de uentre matris meæ dux eis fui.)Ab initio enim fui.Hęc operatur ecclesia.

Aut si despexi nudum pereuntem & non operui.)Si non fide remissionis peccatorum tanquam tunicam non habentem,uelaui à nuditate fœditatis, id est,peccati pereuntem.Iam enim désperat multitudine peccatorum. Et hinc est:Et quo-

Psal.31. rum tecta sunt peccata infirmorum. Si non benedixerunt mihi humeri,spe immortalitatis tanquam pallio désuper cooperti. Ne autem post fidem remissionis peccatorum sufficere putarent præteritarum pœnarum metu carere, & inciperent sperare temporalia bene adiecit. De tonsura ouium mearũ calefacti sunt.) Quòd à frigore spei terrenæ illorum uindicati sunt cõsideratione, si carnalia per renuntiationẽ posuerunt,exemplo gregis detonsarũ. Si leuaui super pupillum manũ meã,)qui non inueniẽdo patrẽ poterat creaturã uel hominẽ sequi. Fidẽs quia mihi est adiutoriũ multùm,)uolẽs ei dominari: Discedat humerus meus à iugulo meo:)Quod his cõtingit qui se ab ecclesia separant,dũ uolũt populis dominari,ut pręcisionẽ pręcisionis patiãtur.Per humerũ autẽ aut brachiũ significãtur actiones. Timor enim cõtinuit me,)ne leuaret manũ super pupillũ. & à põdere eius nõ sustinebo,)si hoc uelim ut pupillũ opprimã. Posui aurũ robur meũ,

nunquid

A nunquid præsumpsi,)de doctrina aut sapientia Dei. Quòd si & in lapide pretioso fidebam,)quasi de operibus meis. Si & lætatus sum cùm esset mihi census multus,)quasi de meo, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Si & in innumerabilibus posui animam meam,) subaudiendum ad omnia, discedat ab humero meo brachium meum,)quòd amaretur à multis. Et deceptum est clàm cor meum.) Ordo, si & in innumerabilibus posui animam meam, & deceptum est clàm cor meum, si consensi tali cogitationi, ut in me præsumerem. Quòd si & osculatus sum manum meam,)ponens ad os meum, gauisus sum tanquã de operibus meis. *aliàs quòd amarer*

Quòd si & gauisus sum super ruina inimici mei,)ecclesiæ, ut sunt persecutores ecclesiæ, audiat auris mea maledictionem meam,) perducatur ad sensum meum. Opprobrio sim in populo meo,)diffamatus plebi sanctorũ, ut separetur tanquã illusus. Quòd si sæpe dixerunt ancillæ meæ,)adulatores, quid det nobis ut carnibus eius satiemur,) cùm satis bonus essem ut imitarentur fœlicitatem carnalem in me. Non tamen hæc gessi ,) ne dicerent enim hæc, non me præbebam in talibus bonum. Foris non manebat hospes,)recipiebam peregrinum in seculo. Quòd si & sponte peccaui, abscondi peccatũ meum.) Voluntariè enim peccantibus nobis, postquã accæpimus scientiam ueritatis. Aut si dimisi in firmum sinu uacuo exire ianuam meam,)ut ideo exierit ianuam, quia sinu uacuo fuit, quis mihi tribuat auditorẽ?)quis mihi præstat ut audiar?) Manum Domini si non timui,)qua scripsit: Si non dimiseritis, nec pater uester dimittet uobis. Conscriptionem si quam habeo.)Ordo, Conscriptionem si quam habeo: Et si non dirupi eam super humeros meos & coronatus leuans super humeros meos, & *Aliàs, notitiam* *Matth. 6.*

B coronatus publicè legã.)id est: aduersus faciem meam statuã te ante faciem tuã: Quia populi corona cõfundar,) quia non feci mandatũ Domini, quod me fecisse iam dixerã, negando primò me habere conscriptionẽ quæ mihi postea obijcitur. Si super me unquã terra gemuit,)stipendiarij ecclesiæ quòd malus sum: Aut sulci eius plorauerunt simul,) quo semina recipiuntur, & unde fructus dantur, quia & malus sum, & mala semina seminabã: Ideo simul: Aut si & uirtutẽ eius comedi solus sine pretio:)Ipsa misericordia qua participat catechizãti qui catechizatur, hoc est, solus nõ retribuens ei qui daret: Aut si animã Domini terræ decipiens cõtristaui,)nõ me dignũ exhibẽs passioni eius, qui pro me animã fudit: Nolite cõtristari spiritũsanctũ in uos: Pro tritico germinet mihi urtica,)pro spiritalibus doctoribus magistri prurientiũ auditu, per cõfricationes hominũ mẽte corruptorũ & à ueritate destitutorũ: Et pro hordeo spina,)pro carnalibus obediẽtibus peccatores & resistẽtes. Erat enim Iob in cõspectu suo iustus in cõsciẽtia sua. *Eph. 4.*

CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM.

Verba Heliu Buzitis Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

D *Eus abiecit eum, et non uir.* Vt hanc dicam causam cur tacuerunt: Et sermonibus uestris non respõdebo ei.)Ego enim talia dicam, ut mihi quẽadmodum uobis respondere nõ possit. Quia ergo expectaui, & non sunt locuti,)quasi ad Iob conuersus, dixit: Venter meus sicut uter musto plenus.)Commendat hunc scriptura, quia in prophetia locuturus sit. Et ueluti follis ærarij diruptus,)ad duritiam soluẽdam. De ui loquor,)inde & iratus dicitur.

tur. Non enim opus esset ut ego loquerer, si uos ei responderetis, alioquin & me C
tineæ edent, aut sicut uos, aut sicut omnes qui mirantur personas.

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

MVndum est cor meum in uerbis.) Non duplex: Spiritus diuinus qui me fecit,) subaudis, est, ut sic: Spiritus diuinus est qui me fecit. Quomodo ergo dicis: Iustus sum, & nō exaudiuit me?) quasi aduersario dixerit Iob. Semel enim loquitur Dominus,) Quasi uocationem omnium iustorum semel fecit Dominus, & temporaliter circa singulos hoc agit diuina prouidentia. Per somnium aut in uisitatione nocturna,) aut in ignorantia, aut in tribulatione. Aut sicut incidit sæuus timor in homines cùm dormiunt in cubiculis,) securi. & corpus eius à ruina eruat,) translatè sicut ossa. Et pepercit animæ eius à morte,) Cùm enim conuerterit parcet ei: Quia uenturum est bellum, & iterum arguet eum in infirmitate in cubili,) post conuersionem iam probat ne de se præsumat. Et multitudo ossium eius emarcuit,) fiducia de se. omnemq́ escam non poterit sumere,) cōsolationem de temporalibus. Et renouabit corpus suū sicut litura in pariete,) mutationem uitæ, & hîc translatè propter ædificium in societatem. Et molliet carnes suas sicut paruuli,) ne sit durus superbia, secūdum quòd Heliu uidetur, tentatur Iob humilis per innouationem: Et intrauit facie hilari cū professione,) paratus ad tentationes. Salua animā,) ne ueniā in corruptionē, hîc tentatio mortis. Vices tres cum uiro,) conuersionis, probationis, mortis. Sed eruit animā meā de morte:) Quia adhuc hæc mortis restat: Vt anima mea in lumine collaudet eū,) Iam ergo orationes cessabunt, quia nulla erit indigentia. D

CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

REspondens autem Heliu dixit,) Quomodo dicitur, & adiecit? Et qui habetis scientiā, auribus percipite,) spiritalibus. Quia auris sermones probat, ista carnalis. Quid est bonum quia dixit Iob, iustus sum?) Quid boni dixit quia dixit? Et iudicio meo mentitus est.) Hinc est: Ego bona prǽstolabor: Ideo præter spem, quòd est, mentitus est. Quis est uir ut Iob?) Adhuc uerba Iob sunt. Dixit enim: Non uisitabitur qui ambulauerit cum Deo.) Hîc illum putat deceptum, quia hoc sperans illa omnia fecerit. Aut certè quòd in bonū non putat uisitari eū qui ambulauerit cum Domino. Absit à Deo impietas.) Aut ut non uisitet in bono qui cum eo ambulauerit, aut etiam si uisitauerit in tentatione, impiè & iniustè agat. Impius est qui dicit regi iniustè agis.) Tu autem nō debes illud dicere, qui non es impius. Bene, qui dicit, non qui dixerit, ne iam etiam Iob hoc esset: Quomodo dicitur, factū est, qui hoc facit. Impijssimè principibus,)
Dan. 10. tanquā angelis dicat: Nisi Michaël princeps uester, impijssimè agitis. Aut si ita impijssimè dicitur principibus, quantò magis regi. Abusi sunt enim iniquè cùm excluderentur infirmi.) Malè usi sunt exclusione sua, cùm propter infirmitatē excludentur ab ea uisione, qua uidetur omnia diuinitus ordinatissimè ordinari & administrari. In eo autem malè usi sunt, qui spiritum suū sequi maluerunt, Deum ista non curare: Ex hoc enim illis uanè ueniet, ut in necessitatibus suis clament & rogent

A rogent hominem, cùm Deum rogare debuerunt. Neque erit locus, & non est umbra mortis ut latitent qui faciunt iniqua.) Non ad hoc est umbra mortis ut lati tent, ut est: Non senes habent sapientiam, quia nõ senectus est causa sapientiæ: Et, Hæreticum ne salutes, ne inde, quia hæreticus est. Et euertet noctem & humiliabuntur, ut supra eos sit quod sub ipsis erat,) id est, premat eos quod subditum illis erat. Et extinxit impios, lucere sibi uidebantur, & iustitias eius non cognouerunt.) Dicit quòd bona Deus fecerit de iniquitate eorũ, ut perferatur ad eum clamor pauperis. Ipse quietem dabit, & quis poterit condemnare?) Nõ qualem quærunt homines, quæ illis tribulationibus turbatur: Si Deus iustificat, quis est qui condemnet? Et contra hominem,) simul aduersus gentiles & Iudæos. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peruersitatem populi.) Quoniam dicitur: Qui ergo doces alium, teipsum non doces. Absque me uidebo, tu ostende mihi, te reprehendens, meipsum fortè reprehendendum esse non uideo?) Interroganter pronuntiandum. Si iniquitates operatus sum, non adijciã,) correptus à te. Nunquid à te exigit eam quia repulisti?) quia reprehendisti. Et uir sapiens, audiet uerbum meum,) Deum omnia curare. Iob autem non in sapientia locutus est.) putando quòd aliquid sibi iniquè diuinitus acciderit.

Rom. 8.

Rom. 2.

CAPVT TRICESIMVMQVINTVM.

Verba Heliu

Ex lib. annot. in Iob tomo 4.

Q*Vare hoc existimasti in iudicio?*) Quare hoc iudicasti? Tu quis es qui dixisti, iustus sum ante conspectum Domini?) Ante conspectum Domini dixisti, iustus sum. Vtrumq; enim reprehensibile est in homine. Vnum, si

B aut superbè dicatur, aut falsum sit iustum eum esse, etiam secundum humanam iustitiam: Alterum autem, quia nunquã uerè ab homine dici potest. Quasi ante conspectum Dei sit iustus,) cui comparatus quilibet iniquus est. Aut dicis quid prodest tibi, aut quid faciam si peccaui?) Hoc enim ei uidetur Iob dixisse Deo, qua si aut Deo prosit peccatũ eius, ut isto dolore ad impietatẽ cogatur, ubi ait: Noli me docere impium esse: aut bonũ est tibi si iniquè egero, aut Deo noceat peccãdo, & ideo illũ sic insequatur Deus quasi hostem suũ premens, ne aliquid ab illo mali patiatur: Nã hoc etiam dixerat: Si ego peccaui, quid possum tibi facere? Aut si multa iniusta feci, quid poteris facere? Ad utrunq; ergo Heliu respondit, consequentibus uerbis. Ego dabo tibi respõsum, & tribus amicis meis: Aspice in cœlũ & uide, respice in nubes quàm altè sint à te, si peccasti, quid agis?) Cõfirmat quod ab eo dictum est: Si ego peccaui, quid possum tibi facere? Plus est, multa iniusta fecisti, quàm quod superius dixit, peccasti. Sed tamen quid poteris facere Deo?) quãdo ne nubes quidem poteris lædere. Et si iustus es, quid dabis ei?) Econtrariò qũo iustitia tua nihil ei prodest, sic iniustitia nihil nocet. Aut quid de manu tua accipiet?) etiã si dare uel propter sacrificia quæ stulti putant Deũ sumere uelut eis indigentẽ. Viro simili tui impietas tua, & filio hominis iustititia tua, uel illa nocet, uel hæc prodest.) Sed his uersibus confirmauit potius quàm refellit sententiã, quã dixit Iob: Si ego peccaui, quid possum tibi facere? Consequenter ergo oportet ut ostẽdat, quare in hac uita homines affligantur iniurijs malorũ, inter quos etiam diabolus cum angelis suis numeratur princeps iniuriarũ & iniquitatũ omnium.

Cùm

Cùm enim Deo non poſsint nocere peccantes, cur eos tradit in poteſtatem affli- C
aliàs, adhoc gendo malos? Et exponit deinceps, dicens: A multitudine clamabunt, uocifera-
buntur à brachio multorum, & non dixit, ubi eſt Deus qui fecit me.) A Deo enim patiuntur hæc, ut Dominum quærant, non ut inaniter uociferētur. Quòd autem ait: fecit me, pro documento eſt. Quia quærentem ſe non relinquet quem ipſe fecit. Qui diſtribuit cuſtodias nocturnas:) Tēpora huius ſeculi ſub certis poteſtatibus ordinata, quia nec in iſta erroris nocte relinquet hominē ſine cuſtodia qui eum fecit. Qui ſeparat me à quadrupedibus terræ, & à uolatilibus cœli ſapientiorem me fecit.) Sic enim quęrendus eſt Dominus in afflictionibus uitæ huius, ut non ab eo terrena bona deſideremus, quia iam beſtijs meliores ſumus antequam illa accipiamus, Ibi clamabunt & non audies.) Ibi dixit, in multitudine in afflictione clamantium, & à brachio multorum. Aut certè ibi, propter hoc, ſicut eſt:
Pſal.35. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: Et non audies quod dixit, de eo dixit, ab iniurijs malorum, ſubaudiendum clamabunt. Vana enim non uult Dominus uidere.) Non uult ſubuenire uana petentibus, & non ideo uociferantibus in afflictione ut bona ſempiterna percipiant, cùm propterea ſeparati ſint à quadrupedibus terræ, & ſapientiores facti uolatilibus cœli: Sed uociferantur, quia non ſunt in huius ſeculi iniquitate fœlices. Ipſe enim omnipotens perſpicit eos qui faciunt iuſtitiam, & ſaluum me faciat.) Sicut ipſe uidet facientes, qui cordis intima
1.Cor.2. perſpicit, ſic ea ſalute ſaluos facit, quam ipſe uidet in occulto. Quia nec oculus ui-
Eſa.64. dit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Ideo etiam ſi perturbetur uana ſalus hominis, dat tamen auxilium de tri- D
bulatione pater qui uidet in abſcondito. Iudicare itaque eum ſi potes,) collaudare eum ſicuti eſt. Hoc enim uiſus eſt Iob dicere, cùm ait: Vtinam eſſet nobis arbiter. Et nunc quia non eſt uiſitās iram ſuam, nec cognouit delicta uehemen
Pſal.50. ter.) Cognouit ad uindictam. Vnde eſt: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. Et in eodem loco: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Cognouit ergo delicta: Nam ideo patiuntur homines tribulationes in hoc ſeculo. Sed non uehementer, quia partibus corrigens das locum pœnitentiæ. Et Iob uanè aperuit os ſuum, in ignorantia ſua uerba multiplicat.

CAPVT TRICESIMVMSEXTVM.

Verba Helin. *Ex lib. annot. in Iob tomo 4.*

S*Vſtine me puſillum ut te doceam, adhuc enim in me ſunt ſermones, ſuſcipiens ſcientiam meam de longe.*) Quoniam quamdiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Operibus autem meis quæ iuſta ſunt loquar.) Ne dicatur ei quod peccatori dicit Deus: Quid tu enarras iuſtitias meas, & abſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu uerò odiſti eruditionem: Ergo hîc operibus loquendum eſt. Nā ſcientia de longe ſuſpicitur ex parte & in ænigmate: Cùm autem uenerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt, auferetur, & nō iam de longe erit, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. In ueritate & non iniuſta uerba iniuſtè intelliges:) Ea ipſa quæ patiebatur Iob, uerba Dei dicit eſſe in ueritate & non iniuſta, ſed ab iſto iniuſtè intelligi exiſtimat, quem putat conqueri ſe immeritò pa
1.Pet.4. ti, cùm etiam de iuſtorum tribulatione dictum ſit: Tēpus eſt ut iudicium incipiat à domo

A à domo Domini. Et ſcito quia Dominus non abijciet innocentem,)quāuis corripiat quem diligit,& flagellat omnem filium quem recipit. Fortis robore cordis non uiuificat impium,)quamuis ad tempus ei parcere uideatur. Et bene fortis robore cordis,quia tunc eum non uiuificabit:quando ſerò pœnitentiæ locum quærit cum lachrymis,& non inueniet,nec flectet ad miſericordiam fortiter iudicantem,quē modo miſericorditer admonentem cōtemnit. Et iudicium pauperibus dabit)qui iudicēt eos à quibus patiuntur iniquitatē.Et bene pauperē,ut ſuperiùs impiū diuitē intelligas,id eſt,ſuperbū. Nō auferet à iuſto oculos eius) etiā cùm eū uelut in fornace probat tentatione tribulationis. Non ei auferet intelligentiā,)qua cognoſcitur & colitur Deus.Ex quo ſatis oſtēdit impiorum pœnam eſſe ipſam cæcitatem,etiam cùm uidetur eis parci. Et cum regibus in ſolio,)ſubauditur ſedere eos fecit,hoc eſt iuſtos.Reges autē dicit qui carnē ſuam regunt,unde eſt illud:Quis eſt rex qui uadit cōmittere bellum cum alio rege &c. *Luc.*14.
Et ſedere eos fecit in perpetuum,& exaltabuntur.)Et hîc ſubauditur quod ſuprà dixit,cum regibus in ſolio.Exaltabūtur autem dixit,quoniā humiliati ſunt. Et qui compediti ſunt compedibus:)A quo uinculo dicit Apoſtolus ſibi bonum eſſe diſſolui & eſſe cum Chriſto,id eſt,retinacula huius uitæ,in qua corpus quod corrumpitur,aggrauat animam. Capientur in funibus in paupertatis.) Conuincientur longis conſuetudinibus delectationū carnalium,quæ ſunt de rerum indigentia,quibus mortalis uita ſuſtentatur & agitur. Et annuntiētur eis opera eorū.)Non utique bona,ſiue iſta ipſa concupiſcentialia,de quibus dicitur:Scio quia *Rom.*7.
non habitat in carne mea bonum,quæ etiā ſi non regnent in noſtro mortali corB pore ad obediendū eis,non tamen deſunt,ſiue quibus ad hæc homo uenire meruit ex traduce peccati. Et delicta cùm fuerint roborati.)Ipſa ſunt opera quæ ſuprà dixit:Non enim infirmis facilè poſſunt annūciari,id eſt,manifeſtari,ſed his qui iā ita profecerunt ut tranſierint omnem iſtā iniquitatē,quę uulgò nota eſt in apertiſsimis operibus flagitioſis & facinoroſis. Sed iuſtū exaudiet,) eū ſcilicet, qui ex fide uiuit,ut gratiæ Dei deputet,non meritis ſuis,nō ſolùm quòd ſecundū uitæ iſtius modū iuſtificatus eſt,ſed etiā quòd reſtat,ut ab uniuerſo delictorū malo liberetur. Quem annuntiat ueritas,)fidelibus cùm fuerint roborati: Quādo capietur in funibus paupertatis.)Adhuc enim cōpediti ſunt compedibus non dū exaltati,ut ſedeant in ſolio cum regibus in perpetuum. Et dixit qui conuertentur ab iniquitate.)Et dixit,ſubaudiendum eſt Deus, Si obaudierint, ſeruierint,cōplebunt dies ſuos in bonis,& annos ſuos in gloria.)Tunc uerò nullū peccatum erit in homine,quia nulla erit mortis contentio,id eſt,indigentia mortalitatis,quę facta eſt de peccato,cùm iā dicetur:Vbi eſt mors cōtentio tua? Impios *1.Cor.*15.
uerò non faciet ſaluos,eo quòd noluerunt ſcire Deum:Hoc ad gētes magis uidetur pertinere. Et cùm monerentur inobediētes erāt.)Hoc ad Iudæos & omnes qui eis per inobedientiam ſimiles ſunt,etiā in eccleſia. Et hypocritę corde ponēt furorē,)quo Dominum crucifixerunt. Nō clamabunt,quia ligabat eos,) honore nominis ſuper omnes gentes. Moriatur ergo in iuuentute anima eorū,)in ſuperbia qua ſe extollebant ueluti de meritis operum ſuorum. Et uita eorū uulneretur,)ab angelis.Commodius accipitur à nuntijs ueritatis,quorum alijs odor

uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem: Quòd tribulauerint infirmũ & in- C
2.Cor.2. ualidum.) Illud infirmum Dei, quod fortius est hominibus. Iudiciũ uerò mãsue
1.Cor.1. torũ statuet, ipse Dominus exẽplo mansuetudinis suæ differens etiam uindictam imitantiũ se, sed tamẽ certò futuram. Et quia decæpit te ab ore inimici abyssus,) Decæpit, sicut uisum est persecutoribus eius, profunditas huius seculi Christũ ab ore falsi testis, ad ipsum enim Dominũ cõuertit sermonem. At effusi subter ea,) subaudiendũ decæperunt te, grauati enim terrenis cupiditatibus subter abyssum effusi dicti sunt. Et descendit mensa tua plena pinguedine,) sacramentum corpo
Ioan.6. ris & sanguinis eius panis qui de cœlo descendit: Non deficiet iustos iudicium:) Quamuis edant pauperes & saturentur ad imitandas passiones Domini, parati de plenitudine charitatis, non tamen ideo non facit iudicium ipsorum citò. Et ira su per impios erit propter impietatẽ munerũ quę accipiebãt iniquitatibus.) Omnia munera dicit quæcunq; cõmoda temporalia, propter quæ commoda iniquitates fiunt. Non te auertat uoluntas animi.) Domino dicitur, non monentis authoritate ac iubentis audacia, sed locutione prophetiæ per imperatiuum modum futu
Psal.44. ra prædicentis: sicuti est: Accingere gladium tuum super femur potentissime. A precibus infirmorum,) cùm in necessitate fuerint clamantium: Infœlix ego homo
Rom.7. quis me liberabit de corpore mortis huius? Et omnes qui habent fortitudinẽ,) præsumentes de operibus suis, & suam iustitiam uolentes constituere. Noli extrahere per noctem:) Manifestum sit, quòd eos à populo secernis, siue illos superbos qui de oliua fracti sunt, siue sarmenta de uite amputata, unde hæreses & schis
1.Cor.1. mata exorta sunt. Vt ascendant populi pro eis:) ut inserãtur infirma, huius mũ
Luc.14. di confusis fortibus: Quoniam qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, hu- D
Esaiæ.52. miliabitur. Sed cura ne quid facias indecens:) Ne nomen domini Dei & doctri-
Rom.3. na blasphemetur, dum dicũt, quorũ iudicium iniustum est: Faciamus mala, ut eueniant bona. Hoc enim elegisti super inopiam:) Non solùm elegisti inopiam confitentis, sed super hanc uitæ ac morum decus, ut doctrina salutaris ornetur in om-
2.Cor.13. nibus. Ecce Deus consolabitur,) uel roborabitur, in fortitudine sua:) Quia & si crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute Dei.

Quis enim est sicut ille potens? uel quis est qui discutiat opera eius?) tanquam iudicans de illo, cùm ipse sit iudex uiuorum & mortuorum. Aut quis est qui dicat ei iniquè? Memento quia magna sunt opera eius quem laudauerunt uiri,) Euangelistæ atque omnes prædicatores uerbi ministerio suo uita congruentes.

Omnis homo respicit ad eum,) memor infirmitatis humanæ. Quicunque com
Rom.5. punguntur homines pœnitentia peccatorum, homines sunt. Ecce Deus multus
Rom.11. & nesciemus.) Multus, quia sicut abundauit peccatum, superabundauit gratia. Nesciemus autem ex persona eorũ dictum est, quorum ex parte cęcitas facta est, donec plenitudo gentium intraret. Numerus annorum eius infinitus.) Propter æternitatem positum est. Et innumerabiles stellæ & pluuiæ.) Hoc enim quod homines prædicatores impleuit euangelium, numerabile est, usque in consummatio
1.Cor.13 nem sæculi, donec auferatur scientia quæ ex parte est, & ueniat quod perfectum est facie ad faciem. Effundetur imber per semitas suas:) Non enim uiæ malorum capient eum. Fluent nubes & tenebrescent super homines plurimos.) Quia & si

A si obuelatum est euangelium,in his qui pereunt est obuelatum: Horam consti- tuit iumentis, & sciunt cubilis ordinem.) Quoniam cognouit bos possessorem suum,& asinus præsepe Domini sui. In his omnibus non obstupescit animus eius.) Initium sapientiæ timor Domini. Nec mutatur cor tuum à corpore,)ut eleuatum à terra sursum habeatur ad Dominũ. Si cogitauerit extendere nebu- lam,)ut qui uident cæci fiant, æquè ut tabernaculum expãdit eã.) In carne quip pe mortali tanquam tabernaculo habitans,per eam non est agnitus à persecuto- ribus dum eis cessit,& eam extendit atque expãdit in cruce. Ecce fundit super omnia lucem suam,)quam absconderat,cùm cæcitas ex parte in Israël fieret. Effundit super omnes gentes,& radices maris contexit.)Cupiditatẽ seculi redar- guit.Non enim ad abscondendum lux contigit,sed ad manifestãdum. In eis enim iudicauit populos,ostendendo illis peccata eorum per lucem ueritatis. Dabit escam plurimis.)utique agnoscentibus,cùm arguuntur peccata sua,& esurien- tibus ac sitientibus iustitiam. Immanibus contexit lumen.)Si ab eo quòd sunt immanes his qui non dimittunt peccata hominibus,cùm sibi à Deo dimitti uelint. Si autem ab eo quòd sunt manus his,qui de manibus suis, hoc est,de operibus extolluntur seipsos iustificantes.Contexit enim lumen,ad hoc dixit,ne uideatur ab eis.Quia excæcatum est insipiens cor eorum. Et mãdauit de eo in contra- rium)ut qui faciunt ueritatem, uel dimittendo ut dimittatur eis,uel confitendo mala sua ut gratiæ Dei subdantur,ipsi ueniunt ad lucem ut manifestentur opera eorum,quoniam in Deo sunt operata,non in ipsis. Contrarius est enim, & im- mani misericors,& superbo humilis. Vt nuntiaret super illo amico suo,) super

Esaiæ.2. *Psal.110.* *Ioan.9.* *Aliàs,in manibus.* *Rom.1.*

B illo lumine,hoc est,de illo quod cõtexit ut absconderet immani & ingrato, uel id annũtiaret,id est aperiret,nõ iam seruo sub lege,sed recõciliato per gratiã,ut ami co suo,imitatori suo: Quia & filius hominis nõ uẽnit ministrari,sed ministrare. Possessionem contra eum qui ascendere nituntur,)ut ipsum lumen possideãt qui se à terrenis extrahunt.Ipsis enim annuntiatur qui ad hoc nituntur ascende re,quia cùm ascenderint,non opus erit annuntiatore facie ad faciem uidentibus. Contra eum uerò quòd ait,ascendere nituntur,non quasi aduersantes,sed obuiã euntes,sicut Apostolus dicit: In obuiam Christo.

Matth.20 *1.Tess.4.*

CAPVT TRICESIMVMSEPTIMVM.

Ex lib. annot. in Iob tomo 4

SEd *& in hoc obstupuit cor meũ,*)admiratione. Et euulsum est de loco suo,) de terrenis rebus quibus delectabatur,ut sursum habeatur ad Dominũ. Audite sonitũ terroris & uocis eius.)Hinc eum apparet ista in spiritu dicere.Nam incipit dicere cur euulsum sit cor eius de loco suo, authoritate scili- cet euangelij per totum orbem terribiliter sonãtis: Pœnitentiam agite,appropin quabit enim regnũ cœlorum. Et strepitu oris illius exeũt,)ad eos utique qui fo ris sunt in delectationibus rerum uisibilium. Subter uniuersum cœlum circuit, & lumen eius in finibus terræ.)Dum Ecclesia per omnes gentes diffunditur. Post eum fremet uox.) Post primum aduentum eius nouissima tuba secundi aduentus eius in claritate tonabit. In sonitu superbiæ suæ.) Superbiam pro cel- situdine posuit: Quia primus aduentus in humilitate fuit. Et non poterit inue-

Matth.4.

ſtigari cùm audita fuerit uox eius.)Nūc ergo quæratur Dominus dū inueniri po C
teſt,hoc eſt,comprehendi ad ſalutē per fidem non fictā. Tunc enim non poterit
Matth. 25. cùm uenerit iudicare,& audita fuerit uox eius,dicentis:Ite in ignē æternū. Quo
niā ſera tunc erit & infructuoſa infidelium pœnitentia. Tonabit fortis in uoce
ſua mirabiliter:)Quia nō fortitudinis eius,ſed infirmitatis noſtræ ex participatio-
ne mortalitatis uox illa fuit primi aduentus eius,de quo dictū eſt:Quod infirmū
1.Cor.1. eſt Dei,fortius eſt hominibus. Fecit enim magna quæ neſciebamus.)Hæc in pri-
mo aduentu:Et ideo poſtea ad exigenda quæ dedit iudex uenturus eſt. Quæ ne-
ſciebamus aūt,dictum eſt ex perſona eorum quos latuit diuinitas Domini in infir
mitatem carnis intuentes. Præcipiēs nubi ut ſit ſuper terram,)carni ſuæ ut per
ſacramētum accipiatur in memoria eius ad imitationem humilitatis & formatio-
nem charitatis. Et tēpeſtas pluuiæ & tempeſtates imbrium poteſtates eius.) Eſt
enim nubes quidam ſuper terrā.Sed quando exprimatur ad irriganda corda per
pluuiā imbreſq; ſermonis,quod fit cùm ſacramenta intelliguntur,non in noſtra,
ſed in ipſius poteſtate eſt. In manu omnis hominis ſignat.)Significat ei per ope
ra eius quàm reus ſit,ut ſciat omnis homo infirmitatē ſuā,& clamet:Infœlix ego
Rom.7. homo,quis me liberabit de corpore mortis huius? Introierunt autem beſtiæ
ſub protectione,& quieuerunt in cubili.)Introierunt autem peccatores ſub indul
gentia gratiæ,& quieuerunt in conſcientia,remiſsis peccatis. De promptua-
rijs ſuperuenit tēpeſtas.)Tentatio de occulto rerum ordine: Et de prōptuarijs
frigus,)de ſecretis iudiciū in eos qui non perſeuerant,ut refrigeſcat eorum chari-
tas ex abundantia iniquitatis.Meritò enim contingit,dum ſpem ſuā non in Deo,
ſed in hominibus ponunt. Et ab ſpiritu Dei dabitur glacies:)Non ſolùm ex abū D
dantia iniquorum frigeſcent,qui ſpem ponunt in hominibus,ſed etiam ex operi-
bus bonis ipſorum,in quibus eſt ſpiritus Dei,dureſcunt quidam quaſi glacie liuo
ris,quibus eſt Paulus odor mortis in mortem:Et ad hæc quis idoneus? ut intelli-
gat quoniā rectè aut iuſtè à ſpiritu Dei dabitur glacies.Sicut enim carnalibus ho-
minibus labentibus contingit ex hominum iniquitate frigeſcere deſperando, ita
carnalibus laudari cupientibus contingit ex hominum iuſtitia dureſcere inuiden
do. Gubernat autem aquam qualiter illi placuerit,)ut pluat ſuper unam ciui-
tatem,& ſuper aliam non pluat.Quod ad imbrem attinet ſpiritalem,pro ſubdita
rum aut non ſubditarum meritis animarum. Et frumentum ſi cupimus irri-
gari,diſſeminauit nubem lucem ſuam.)Euangelium incarnationis ſuæ, & ipſa
per circuitum uertitur,)per orbē terræ ipſa tractatur, in gubernaculis,)ad ope-
randum omnia quæ mandauerat eis.Gubernacula,in quibus illa nubes per circui
tum uertitur,prædicatores ſunt uerbi,per quos eccleſiæ gubernantur ad operan
da omnia mandata Dei. Hæc conſtituta ſunt ab eo ſuper terram,)à domino no-
ſtro Ieſu Chriſto, ſiue in tribu,ſiue in terra ſua:)Siue in tribu Iuda,unde ſecun-
dum carnem natus eſt,& paſſus,& reſurrexit,& aſcēdit in cœlum:Ex hac enim
geniti erant Apoſtoli,& multi fratres propè inuēti & ſalui facti:Siue ante paſſio-
nem eius per ipſum uocati,ſiue poſt aſcenſionem per Apoſtolos in ipſa Hieruſa-
lem,atque in Eccleſijs Iudeæ quæ erant in Chriſto,ſicut commemorat Apoſtolus
Rom.15. Paulus,propter ueritatem Dei,ad confirmandas patrum promiſsiones, ſiue in
miſericordia

A misericordia inueniri uoluerit eam,)illam nubem scilicet in misericordia uoluerit inueniri à credentibus gentibus.Hoc enim sequitur,Gentes autem super misericordiam glorificare Deũ. Auribus percipe hæc Iob,)Quasi renouat intentionem,dicturus de uocatione gentium, Sta & commouere uirtutem Domini.) Noli moueri mente,aliquid tibi tribuẽdo. Scimus quia Deus posuit opera sua,) reprobans utiquè gloriantes de operibus suis. Cùm faceret lucem de tenebris,)cùm iustificaret impios:Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Scit differentiam nubium,) euangelistarum aliorum sibi ante passionem,aliorum post passionem credentium. Et ingentes lapsus malorum.) Non eorum qui elapsi sunt crucifigentes eum,ut eos postea pœniteret,ut baptizarentur in eo:sed eorum lapsus,qui nec corrigi potuerunt,perseueranter etiã postea persequentes Ecclesiam,horum enim nõ parui,sed ingentes lapsus sunt. Tua uerò stola est ualida.)Dignitas superba, tanquam in eum quippe dicitur qui de operibus suis audet extolli. Quiescente terra ab austro, firmabis cũ eo cœlos?) Qui æqualiter ad uidendum fusi sunt ab austro.Terram cõgruenter intelligimus eos,qui de Iudæis crediderũt in Christum.Sicut enim sol ab aquilonali terra remotior est,australi autem uicinior,itaquos propè inuẽtos dicit Apostolus luci Euangelistarum,non absurdè accipiuntur terra ab austro. Sicut autem cœlos Euangelistas solemus accipere,ut est: Cœli enarrant gloriam Dei.De his enim dictum est:In omnem terrã exiuit sonus eorum,& in fines orbis terræ uerba eorũ: Ita terras rectè accipimus plebes,quibus Euangelizatum est. Et quoniam plebes quæ de Iudæa crediderunt,posteaquam quieuerunt, exeuntes de hac terra, nunc

Eph.5.

Psal.18.

Aliàs,uita.

B enim hîc non sunt,firmata est tamem authoritas Euangelistarm in Ecclesijs, quæ sunt ex gentibus,firmata autem misericordia Dei,non iam opitulãte authoritate ecclesiarum Iudeæ quæ in Christũ est,propterea sensus hic est,ut per interrogationẽ pronuntietur. Nunquid tu quiescente terra ab austro,)id est,iam nõ existente in hac uita plebe ulla Christiana,ex Iudæis,firmabis cum eo Euangelistas, & diuinarũ scripturarum libros,qui per manum Dei non solis Iudæis,sed etiam gentibus æqualiter ad uidendum fusi sunt?Gratiam quippe Dei cõmendat & misericordiam,ne quis de meritis glorietur,quæ Iudæorum erat superbia. Quare doce me quid dicamus ei & requiescamus multa dicentes,)quia non est quòd ei dicant conuicti,nullum se habere meritum per seipsos,sed eius indigere misericordia. Nunquid liber aut scriba assistis mihi?)ut stans faciam hominem tacere: Quare ergo non dicis?)si habes quod dicas:Non enim quasi dictanti mihi excipis,ut tu nihil dicas. Sed utique colloquimur,omnibus autem non est uisibile lumen,)quod refulget in nubibus.Redit ad ea quæ dicebat de spe remissionis peccatorum,& illuminationis gratiæ per misericordiam Dei : refulget enim lumen in nubibus : Non tamen istarum nubium proprium est, illuminantur enim. Aliud est enim quod fulget sub lumine,aliud quod refulget illustratum.Sed non est omnibus uisibile.Multi enim putant lumine suo fulgere animas, cùm sapientes sunt. Vnde sunt illi, qui dicentes se esse sapientes,stulti facti sunt. Et spiritus transijt,mundabit eas.) Hîc spiritum dixit,de quo dictum est : Ab increpatione spiritus iræ tuæ,& à spiritu tuo quò fugiam?Per correptionis enim tenta-

Psal.17.

tionem ostenditur hominibus meritum eorum, quia ipsi peccatis suis tenebræ sunt, & egent gloria Dei, ut illius lumine illustrari uelint, illi dantes honorem, non sibi, atque ita superbia deposita, mundentur à delicto magno: Nam spiritus sanctificationis non transit, sed manet. Ab aquilone nubes coloris aurei,) ab sceleratissima impietate, & à Deo longè remota, ueniunt tamen mundati atque côuersi, & illuminati sapientia, unde inde per gratiam qua non merita attenduntur, sed C
Psal. 50. peccata dimittuntur, unde ille cùm sibi uellet ignosci: Doceam, inquit, iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur: tanquam nubes ab oriente uel aquilone iã coloris aurei, illuminatis tenebris suis. In his est magna gloria & honor omnipotentis,) cui plurimùm dimittitur, plurimùm diligit. Quoniam potest & impiũ iustificare qui est omnipotens, & non inueniemus alium similem uirtuti eius,) solus enim hic peccata non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Solus enim Deus uerax, omnis autem homo mendax: unde uicit cùm iudicaretur Deus homo factus, qui iustè iudicat, non putas exaudire eum? Non itaque homo de uenia desperando addat peccata peccatis, tanquam addictus iam damnationi, quia certus est de iustitia Dei, sub qua non potest esse impunitus. Ita enim Deus iustè iudicat, ut etiam exaudiat ueniã deprecantes, & tantò magis quantò magis iustè iudicat. Non enim iusti iudicij est, pœnitẽtes supplices miscere cum his qui recusant humilitatem & satisfactionem pœnitentiæ. Propterea timebũt eum homines,) si se homines esse meminerint, confitendo peccata sua, quia adhuc homines sunt, quibus dicitur: Nónne homines estis? Timebunt quoque eum & sapientes corde,) ne sibi tribuendo quod acceperunt, & dicendo se esse sapientes stulti fiant. Potest enim auferri superbis quod datur humilibus. Quapropter & sapiẽtes quamuis cordis illuminatione, non linguæ iactatione sapientes sint & reges, spiritaliter iudicantes terram, ipsi autem à nemine iudicentur, seruiant tamen Domino in timore, & exultent cum tremore, ne pereant de uia recta. Deus enim est, qui operatur in eis & uelle & operari pro bona uoluntate. D

CAPVT TRICESIMVMOCTAVVM.

Et postquam quieuit Heliu loqui, dixit Dominus ad Iob per turbinem nubis.) Etiam si hoc modo uox ista facta est quomodo ad Moysen, uel quomodo cùm se Dominus tribus discipulis in monte ostendisset, tamen quòd non dictum est simpliciter per nubem, sed per turbinem nubis, hoc significari arbitror, quòd non per sanam carnem interrogatus, hoc est, tentatus est Iob, sed per tribulationem perturbationémque carnis. Quis est qui celat meum consilium, contemnens sermones in corde, & me putat dare?) Nemo est ergo qui se immeritum pati aliquid asperum dicat, quia si non factis, saltem uerbis peccatur: & si non uerbis, saltem temeraria præsumptione intùs in corde, uel sermonibus cogitationum. Et quoniam Deum non latet, nemo flagellatus dicat indignè se accipere disciplinam: quasi ultrà non sit quò per illam proficit. Sciendum est enim, sic in principio libri huius diabolo laudatum Iob testimonio Dei, & in fine tribus amicis eius, ut tamen nosset Deus quantùm ei deesset ad perfectionem, quò etiã laudabiles secundum hanc uitam uiros, & Deo iam placentes, paterna flagella perducunt,

A perducunt, quæ noluit ab Apostolo remouere, dicens: Sufficit tibi gratia mea: 2.Cor. 12.
Nam uirtus in infirmitate perficitur. Accingere tanquam uir lumbum tuum:) Significat ad hoc pati dura & amara Dei seruos in hoc seculo, ut omnes affectiones suas à terrenarum delectationum fluxu colligant atque constringāt.

Interrogabo te, tu autem responde mihi: Vbi eras cùm fundarem terram?) Hinc iam commendare incipit eminentiam domini nostri Iesu Christi, quia in ipso est salus omnium percussorum uenenata suasione serpentis, ne in se sibi quispiam esse salutem putet. Ille enim Deus, non sicut dictum est: Dij estis & fi- Psal.8.
lij altissimi, sed cui rapina non sit esse æqualem patri: & filius hominis, non sicut filij hominum in quibus non est salus, sed præ participibus suis. Non enim iustis tantùm, sicut Iob, sicut Paulus, sicut Ecclesia, sed etiam iustificans tanquam unigenitus à patre, plenus gratia & ueritate. Ad insinuandam ergo differentiam diuinæ humanitatis eius, in quo princeps huius mundi nihil inuenit: Quia in passione quæ non rapuit tunc hæc exoluebat, & iustificationem sanctorum per peccatorum remissionem, quibus sanctis in unum redactis, fit corpus eius Ecclesia cuius & particula est Iob secundum historiam, quia iustificatus, & figura uniuersæ, per prophetiam incipit dicere quæ dicturus est. Vbi eras cùm fundarem terram?) Vtrùm quia nondum erat, an quia non per eum fundata est, sicut per unicum filium, & terram istam, an ipsa Ecclesiam? Ipsa autem accæpit lapidem angularem, de quo mox dicturus est: Indica mihi si nosti scientiam.) Hæc enim quæ à Domino pro nobis temporaliter gesta sunt, ad scientiam pertinent. Quis posuit mensuras eius si nosti?) secundum distributionem dono-
B rum spiritalium. Vnicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram Ephe.4.
donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuauit captiuita- Psal.67.
tem, dedit dona hominibus. Quia si totum corpus oculus, ubi auditus? Secūdum mensuram quippe uniuscuiusque partis incrementum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Aut quis est qui induxit super eum funiculum?) ut eam faceret hæreditatem suam, distinguens ab eis, quibus dicit: Non noui uos. Matth.7.
Nouit enim Dominus qui sunt eius. Aut super quo circuli eius fixi sunt?) Quia constringunt eam ne dissoluatur, diuini libri fixi super Deū: Quia quisquis eos sine illo interpretari uoluerit, fluitet atque erret necesse est. Quis est autem qui misit lapidem angularem?) super eam, quem reprobauerunt ædificantes. Psal.117.

Quando facta sunt sydera,) simul baptizata tot milia uerbo uitæ, inter peccatores tanquam in tenebris fulgentia. Laudauerunt me uoce magna omnes angeli mei,) Euangelistæ. Conclusi portis mare,) populos amaricantes amore terrenorum. Sed quare portis? An fortè ut non solùm modum haberet exercēdi iustos persecutionibus, sed etiam ut liceret iustis inde egredi? Cùm fremeret ex utero matris suæ, uolens progredi.) Cùm irasceretur in concilio Babyloniæ ciuitatis fornicantis amore huius seculi, uolens extendere persecutiones suas ad perdendos de terra eos, de quibus dictum est: Non peto ut tollas eos de se- Ioan.19.
culo, sed ut tollas eos de malo. Circumposui illi nubem operimentum.) Non enim boni tantùm, sed etiam mali multi amatoresq́; huius seculi sacramento corporis Christi subiecti sunt: Cuius authoritate à sanctorū persecutione reprimuntur.

tur. Et nebula obuolui illud.) Ignorantia qua terrenam inde expectant fœlici C
tatem terrenámque infœlicitatem timent: Et propterea timent quos nisi ita esset
Psal.21. persequerentur. Non enim solùm dictum est: Edent pauperes & saturabuntur,
& laudabunt Dominum qui requirunt eum, sed etiam dictum est: Manducaue-
runt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et posui illi terminos, & imponens
claustra & portus.) Terminos quibus sæuitia cohibeatur, non ut nihil affligat, sed
quousque exerceat: Claustra, ut iniusti non progrediantur: Portas, ut ab eis iusti
egrediantur. Et dixi: Hucusque uenies & non transibis:) Sicut ipse diabolus
modum accæpit quousque affligeret Iob, ita illud mare quousque persequere-
tur Ecclesiam. Sed in temetipso comminuentur fluctus tui,) alterna uastatio-
ne discordiarum atque bellorum. Aut nunquid tecum lucem constitui matu
tinam?) id est, cum consilio tuo tempus resurrectionis prædestinaui: Aut co-
gnouit lucifer ordinem suum?) subaudiendum est: Nunquid tecum. Dominum
autem luciferum dicit: propter ipsum matutinum resurrectionis exortum. Non
2.Pet.1. enim de alio dici potuit: Et lucifer oriatur in cordibus uestris. Ipse agnouit or
dinem suum,) ut esset primitiæ dormientium, primogenitus à mortuis, caput Ec-
Psal.138. clesiæ secuturo etiam corpore in futura resurrectione sanctorum. Apprehen-
dere pennas terræ,) dictum est: Si recipiam pennas meas in directum: uirtutes uti
que spiritales fidelium quibus à secularibus suspenduntur illecebris: Excutere
impios ex ea.) Ad hoc enim prior tantò antè resurrexit agnoscens ordinem suũ,
ut fidem resurrectionis insinuaret, atque per ipsas pennas Ecclesiæ ubique præ-
dicatus, ministerio circumuolantium nuntiorum iustè apprehendat eas in opus
iudicandi duodecim tribus Israël, cùm uenerit excutere impios ex Ecclesia, qui D
nunc ante iudicium permixti tolerantur. Et tu sumens terræ lutum figura-
sti animal.) Siue ipsum Adam commemoret, siue quod nunc sexta ætate seculi, si-
cut tunc sexto die de peccatoribus tanquam de luto terræ homo factus est, secun
dum imaginem eius qui creauit eum. Non utique hoc fecit Ecclesia, sed in hoc po
tius facta est per uerbum opportuno tempore incarnatum, per quod facta sunt
omnia. Et famosum eum posuisti super terram?) Magis iste homo famosus po
situs super terrã, qui sexta ætate seculi factus est, quàm ille qui sexta die antequã
essent cæteri homines per quos diffamaretur: Nisi fortè, quia nunc ita innotuit.

Et abstulisti ab impijs lucem?) Sicut ille qui uênit, ut qui non uident uideant, &
qui uident, cæci fiant. Aut brachium superborum comminuisti?) Potentiam
eorum, sicut ille qui infirma mundi elegit ut confunderet fortia. Aut ueni-
sti ad fontem maris,) sicut ille cui uenienti patuit confitendo quicquid occultum
erat in cordibus impiorum, qui credendo in eum iustificati sunt: Nam quem fon-
tem maris melius accipimus, nisi secretum unde erumpit omnis hæc amarissima
impietas, quæ ingentes fluctus iam manifestorum malorum operum concitat;
quæ uident homines in apertis factis, qui fontem ipsum uidere non possunt?
Aut in uestigijs abyssi ambulas?) Abyssus hîc rectè intelligitur uita secularis, quę-
cunque est in profundo malorum, quò sicut scriptum est: Cùm uenerit pecca-
Pro.18. tor contemnet. Quia ipsi quoque desperatissimi subiecti gratiæ remissionis pec-
catorum, salui facti emerserunt, & receperunt Christum, nõ in abyssum quo pre
mebantur.

A mebantur. Sed in locum eius ubi ambulabat calcans eos ambulet,)inhabitans eos Christus, in uestigijs abyssi remanentibus per memoriam peccatorum suorum,ut dum recolunt ubi fuerit,amplius diligant quę receperunt, à quo sibi tanta dimissa sunt. Aut tibi aperiuntur metu portæ mortis.) Omnibus enim morientibus aperiuntur portæ mortis, sed non metu sicut uni illi qui destruendæ mortis causa mortuus est:Aut certè aperiuntur ad resurgendum. Aut ianitores inferni uidentes te timuerunt?) sicut illum unum in quo nihil dignum morte princeps mundi inuenit,quem tam citò dimiserunt,quem inuiti amiserunt. Inferi autem ianitores,aliquæ inferiores potestates morti præpositæ intelligēdæ sunt.

Aut cognouisti latitudinem sub cœlo?)sicut cognouit qui per illam diffudit Ecclesiam. Narra ergo mihi quanta quoque sint.)Quis ergo hoc sciat,nisi quem ille docuerit? Aut in qua terra habitat lux?) Ille enim docet,quia manifestatio uerborum eius illuminat,& intelligere facit infantes. Aut quis tenebrarum locus?)Hoc ille utique docet,qui dicit: Accedite ad eum & illuminamini.Hinc enim ostendit eos tenebrescere, qui recedunt dum nolunt esse infantes. Initium enim superbiæ hominis apostatare à Deo.Inde qui non glorificauerunt Deum,aut gratias egerunt, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, & facti sunt tenebrarum locus. Nisi fortè ille est tenebrarum locus, qui excipit perseuerantes in peccatis,ut ipsi sint tenebræ quarum ille locus,quem uerè nullus hominum nouit.Similiter & terra in qua habitat lux,potest intelligi terra illa uiuentium,id est,beatitudo excæptura perseuerantes in fide & spe & charitate,qui fuerunt aliquando tenebræ,nunc autē lux in Domino. Si duces me in Psal.33. Eccl.10.

B fines eorum,)quousque perueniunt qui tales sunt. Quid est enim ubi non sit sapientia Dei?)quæ attingit á fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.Cui utique nullus hominum comparandus est. Quòd si & nosti semitas eorū,nūquid scis quia tūc natus es,& numerus annorū tuorū multus?) Quòd si & nosti semitas impiorum, qui uel tenebræ sunt, uel tenebrarum locus, quia oēs etiā qui iam ad Deum conuersi sunt,in ipsis semitis ambulauerunt antequam acciperent à Deo gratiam,qua iustificat impium.Nunquid scis tamen, quia tunc tibi extitit causa mortaliter nascendi in hoc seculo,cùm easdem semitas inierunt primi omnium hominum parentes,qui præuaricatione impij manibus & uerbis accersierunt mortem,ut omnes in Adam morerentur. Non enim ex quo quisq; in hac uita apparuit, computandus est numerus annorum eius tam paruus, sed ex quo facta est prima mortalis natiuitas.Cùm enim, uerbi gratia, natus est Abraham,tunc omnes in illo Hebræi nati sunt. Numerus ergo annorum unicuique multus est secundum mortalitatis originem,quæ exorta est in semitis impiorum. Quis autem meminit fuisse se,aut cùm esset, scire potuit esse se in lumbis patris sui?Quandoquidem nec illud tempus quisque recolit,quo non in parentibus,sed in seipso natus est,quo tempore certè nemo dubitat quòd iam erat & uiuebat & sentiebat.Omnia autem scit illa sapientia,quæ format omnia,non tantùm illa supercœlestia,sed etiam illa mortalia.Et quia Christus Dei uirtus est, & Dei sapientia,scit ista ille qui etiam mortaliter natus est,non cōditione mortali, quia in mortuis liber,sed miseratione mortalium,ut à morte faceret liberos. Aut uenisti in

thesauris

Aliâs, uitas thesauris meis?) Id est, ad eam cognitionem peruenisti, sicut ille sciebat etiam opportunas causas imminentium scandalorum secretas atq; abditas. Nam inde appellat thesauros, ad probanda & exercenda spiritalium corda, cùm exclamaret: C
Matth. 18. Væ mundo à scandalis. Oportet autem uenire scandala: Væ autem illi homini per quem scandalum uênit. Per superbiam quippe elati in alto more niuis congelascunt & cadunt: Ex quorum iniquitate abundante refrigescit charitas multorum. Qui autem sustinent Dominum uiriliter agentes & spiritu feruentes, perseuerent usque in finem, & salui erunt. Aut thesauros grandinis uidisti.) Grando sunt illi iniqui, quando non solùm torpent nullum feruorem spiritus habentes, sed etiam obstinata duritia persequendo uel irruendo contundunt. Quæ reposita sunt tibi in tempus inimicorũ, & in die pugnæ & belli.) Vel hinc quis non uideat, cuius personam in prophetia gestet Iob? Non enim huic uni homini reposita sunt ista in tempore inimicorum, & in die pugnæ & belli, sed utiq; unico populo Dei. Tempus quippe inimicorum est, donec transeat iniquitas, quæ quantò magis abundat, tantò magis aduersus diabolum acrius pugnandum atque bellandum est, ne charitas perseuerantium refrigescat. Vnde autem procedit pruina, quis hoc nouit?) nisi quia hæc ut initia parturitionum sunt. Pruina quippe minutissima grando est. Et dispergitur auster sub cœlo,) Auster quamuis mortalibus carnibus grauis sentiatur, non tamen uspiam memini in sanctis libris mali aliquid significare, sicut aquilonem nunquã in bono. Illum quia ea parte flat qua lux claret, istum quia ex ea unde lux est remotior dispergitur. Ergo auster sub cœlo, ut aduersus illas omnes iniquitates auxilium aliquod intelligatur Dei, quãdiu nondum in cœlo, sed sub cœlo sumus. Quis præparauit flumen ualidæ pluuiæ, & uiam uocibus tempestatis?) Vide quemadmodum tria illa breuiter complexa sunt, quæ Dominus in tentationibus ponit contemnenda his qui ædificant super petram, & perniciosa his qui ædificant super arenam. Pluuiam commemorauit & flumen & uoces tempestatis, ubi uentos intelligimus. Pluuia ergo tentatur, qui ex ipsa celsitudine scripturarum diuinarum peccandi occasionem prauè D
Luc. 7. intelligendo accipit: tanquam si audiens: Cui modicùm dimittitur, modicùm dili-
Rom. 3. git, dicat sibi: Faciamus mala ut ueniant bona, & permaneat in peccato ut gratia abundet: & multa huiusmodi, quibus se homines sermonem diuinum malè interpretando subuertunt, impunitatem sibi promittentes, quando misericordia Dei in diuinis libris commendatur. Flumine autem, quando ab hominibus, qui hęc ita intellexerũt & acceperũt tentantur. Flumẽ enim nunc dicit illud quod de pluuia colligitur, & torrens uocatur, cùm ait: Quis præparauit ualidæ pluuiæ flumen, quod impleatur, & quod currat? Sicut sunt uasa iræ perfecta ad perditionẽ, quæ illo modo quo dixi, scripturas accipiunt. Per illos enim habet liberiorem cursum pernitiosa illa interpretatio, quam agri fructiferi non recipiunt: Et tantò maiore impetu impellit & deijcit & trahit quod instabile inuenerit, quãtò uidetur de au-
Aliâs perflant thoritate diuina suscæpta. Ventis uerò tentatur, quẽ inflant inanes suasiones hominum superborum, id est, ex propria authoritate uerba uana iactantium. Qui ergo iudicio Dei præparatur ad perditionẽ, non obtemperando uerbis eius, quod est super arenam ædificare, non resistit uentis talibus, & cadendo fit uia uocibus tempestatis.

A tempestatis. Validæ autem pluuiæ dictum arbitror difficilis ad capiendum, id est, ad intelligendum. Vt pluat super terram ubi non est uir.) Subaudiendum est: Quis præparauit? Per uirum autem uidetur legem significare, quæ data est Iudæis. Ergo super gentes intelligimus imbrem euangelij: in deserto, ubi non est homo: in ipsis gentibus, ubi non erat aliqua authoritas cognoscentis Deum. Vt faciat inuium & inhabitabile, & ut germinet hærbæ uiror.) Multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet uirum. In omnibus autem his quatuor uersibus, subaudiendum est: Quis præparauit? Quis est pluuiæ pater?) sicut sponsus qui filios suos misit prædicatione regni cœlorum irrigare terram. Esa.54.

Et quis est qui peperit glebas roris?) Bene suscipientes illam prædicationem. Sic enim ait glebas roris, quomodo dicuntur uasa uini ad hoc facta ut uinum suscipiant. De cuius utero procedit glacies?) Vtrùm glacies in bono accipienda est, propter stabilitatem & à fluxu continentiam, ut ita dictum sit: De cuius utero procedit glacies: quemadmodum illud: Quis est pluuiæ pater? An uterus pro secreto positus est, ut de eius utero procedat glacies: sicut dedit illos Deus in reprobum sensum? An potius illius utero procedit glacies, qui persuadendo impietatem qua intrinsecus plenus est, facit frigescere & durescere amisso calore charitatis. Quis enim hunc nouit?) Sicut ille qui ait duris & resistentibus euangelio: Vos ex patre diabolo estis. Aut pruinam in cœlo quis genuit?) quæ descendit sicut aqua flumen. Quod de glacie in ultimo sensimus, hoc & de pruina intelligendum puto. Nec tamen frustra est additum, in cœlo, ut ex his qui præsunt intelligantur, imitantibus sanè bonos nuntios ueritatis, qui Ioan.8.

B transfigurant se sicut ministri iustitiæ. Quò pertinet quod adiunctum est: Quæ descendit sicut aqua flumen: Aut faciem impij quis tabefecit?) Id est, confudit. Quis nisi ille qui quos iustificauit, ipsos & glorificauit? Aut intellexisti nexus Pleiadis, & septum Orionis aperuisti? An aperies arcturos in tempore suo, & Vesperum super ædificationem eius induces?) Nam & astrologia perscrutanda est ad cognoscendum proprietates istorum syderum, ut hunc locum intelligere possimus. Miror & si hoc congruit sermoni nostro: & certè nimis longum est, transimus ergo ad alia. An quibusdam syderibus nominatis, figura locutionis qua intelligitur à parte totum, omnia sydera accipienda sunt. Si tamen & Maziroth sydus est, quod interpretatum nec in græca lingua inuenimus: Nam Hebræum esse nomen satis apparet. Ita enim à parte totum intelligitur, & quod scriptum est: Ante luciferum genui te. Non enim lucifer in omni creatura prior est conditus, ut ante luciferum ante omnem creaturam dictum uideatur: Sed per luciferum omnia sydera, quod est à parte totum: Et per omnia sydera omnia tempora intelliguntur. De syderibus enim scriptum est: Et sint in signis & in temporibus, ut Dominus natus ante omnia tempora, non utique natus in tempore, & ob hoc patri coëternus insinuaretur. Pleiadis ergo & Orionis & Maziroth & Vesperi commemoratio, cuncta sydera intelligenda de compendio persuadet. Si enim uno lucifero, quantò magis tot nominatis etiam cætera accipi per huius locutionem licet? Cur ergo alibi dictum est: Intellexisti nexus; alibi, aperuisti; alibi, aperiens in tempore suo; & alibi, super ædificationem

Psal.109.

Gen.1

cationem eius inducens: propria sunt ista singulorum ex ordine commemora- C
torum. An rectè dici posit etiam septum Pleiadis intellexisti, & aperuisti nexus
Orionis? Atque ita & alia dico commemorari possunt, sicut illud in psalmo: Qui
Psal 2. habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos: Nihil sententiæ depe-
riret, etiam si ita diceretur: Qui habitat in cœlis subsannabit eos, & Dominus ir-
ridebit eos. Sicut enim ille qui habitat in cœlis, ipse est Dominus: ita siue Pleiadis
nomen, siue Orionis, in eadem significatione est, si per utrumlibet omnia sydera
intelliguntur. Omnium itaque syderum nomine, omnes in ecclesia tales intelli-
gendi sunt, qui conuersationem habent in cœlis, nexus eorum intelliguntur, qui-
bus & inuicem sibi & Deo connectuntur ne cadant. Charitas autem nunqum ca
dit. Quis autem hoc nosset, nisi ille ostendisset, qui ait: Mandatum nouum do uo-
Ioan.13. bis, ut uos inuicem diligatis. Et: Qui me diligit, diligetur à patre meo. Septum eo-
Ioan.14. rum est quo sepiuntur diuina scriptura, quam non transgrediuntur. Quis autem
hanc aperit, nisi ad quem transitur, ut auferatur uelamen? Tempus apertionis
est eorum,) id est, demonstrationis & manifestationis, cùm ueniet Dominus & il-
luminabit abscõdita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis, & tunc erit
laus unicuique à Deo. Solus enim hæc ipse faciet in tempore suo:) Quia cùm
ipse apparuerit uita nostra, & nos cum illo apparebimus in gloria. Inducet autem
eos super ædificationem eorum, qui eos faciet hoc possidere, quod hic ædificaue-
runt. Si cuius enim opus permanserit, quod superædificauit mercedem accipiet.
Scis commutationes cœli,) utrùm in deterius, sicut hi qui cognoscẽtes Deum,
non sicut Deum glorificauerunt. Noluerunt enim esse sedes Dei.) Ac per hoc,
1.Cor.15. mutati sunt, cùm euanuerunt in cogitationibus suis: An in melius? Quia omnes D
quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Qui autem immutabuntur,
manifestum est, cùm ait: Et nos immutabimur. Cùm enim iusti immutabuntur,
cœlum immutabitur: Quia thronus Dei cœlum est, & sapientia uerbum Dei, &
Deus erat uerbum, & thronus sapientiæ, anima iusti: An utrunque potius. Non
enim commutationem cœli, sed commutationes dixit: Aut omnia quæ sub cœlo
sunt, pariter fiunt. Sicut enim huius mutationes afficiunt ea quę sub cœlo sunt, ita
& commutantur iusti siue in deterius, siue in melius afficiunt carnales ad utrun-
Ioan.12. que. Vocabis nubem uoce,) aut interiore, aut illa qua dictum est: Sequere me.
Act.9. Aut illa qua dictum est: Saule Saule, quid me persequeris? Et in tremore atque
ualidè obedient tibi populi potentes.) Cùm audiunt, In timore & tremore, & ue-
stram ipsorum salutem operamini. Deus est enim qui operatur in uobis & uelle
Ioan.7. & operari pro bona uoluntate. Mittis ui flumina, & ibunt.) Flumina, inquit, de
uentre eius fluent aquæ uiuæ. Vi autem dicit, fiducia, qua persecutores nõ timue
runt: Quia & qui uim faciunt, diripiunt regnum cœlorum. Aut dicent tibi,
quid est.) Quid est, nunquid abs te quærunt uel uoluntatem iussionis tuæ, sicut
Matth.19. Saulus ait: Quid me iubes facere? Aut spem mercedis suę, sicut dixerunt: Ecce di-
misimus omnia, & secuti sumus te: Quid ergo erit nobis? Quis dedit mulieri-
Pro 31. bus texturæ sapientiam, & uarietatum scientiam? Texit & apud Salomonem mu
lier uestimenta uiro suo. Opera ergo intelligenda sunt Ecclesiarum quibus ho-
noratur Deus: Nam & ipsa textura, id est, infirmos fratres, tanquam lanuginan-
tem

A tem tramam,firmorum atque electorum spiritalium, quasi staminum cōtextione constringere,maximum & singulare opus est ecclesiarū.Et uarietatum scientia ad id ualet,ut tanquam in polymito ea est uarietas colorum, qua nō turbetur decus unitatis,sic in fratribus ita sunt dona diuersa, ut nulla inuidiæ discrepantia cohæreant,sibi sufferentes in dilectione,studentes seruare unitatē spiritus in uinculo pacis. Aut quis est qui numeret nubes sapientia?)Nouit enim Dominus qui sunt eius.Quis autem hoc hominum,inquit,nouit? Et organa cœli in terram declinauit.) Angelos cœlestes,per quos diuinæ uoces enuntiari solent. Non enim crediderunt sicut ille unus, sed flexu obedientiæ declinati sunt in terram,maximè cùm & ipse Dominus esset in terra:Nam euangelista,inquit:Et angeli ministrabant ei. Diffusus est autem sicut terra cinis,& agglutinauit eum sicut lapidibus cibum.)Diffusa est latè atque abundanter humilitas pœnitentiæ, ad hoc ut Dominus qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, cohæreret eis tanquam glutinæ charitatis,homo hominibus,ut mediator esset Dei & hominum,seipsum illis dans cibum per sacramentum corporis & sanguinis sui, stulta mundi tanquam lapides eligens,ut cōfundat sapientes.Angelis enim cibus est inquantum est uerbum Dei apud Deum : lapidibus autem ut cibus esset. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.Ergo agglutinabis tu hominibus, præcedente pœnitentia. Tanquam cinis diffundatur faciens ei uiam.)Nam ille qui dicebat:Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ:Et ne dixeritis uobis:Patrem habemus Abraham, potens est enim Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Quibus lapidibus eum tanquam cibum agglutinandum esse nuntiabat. Si autem non

Matth.4.

Matth.3.

B præcedit humilitas pœnitendi,non agglutinabitur, quia excelsa à longè cognoscit. Aut capies leoni escas,aut animas draconum replebis.)De diabolo dictum est:Et conculcabis leonē & draconem, propter insidias & iram.Omnes ergo angeli eius leonibus & draconibus comparantur. Ille autem capit eis escas, & animas eorum replet, qui de impietate conuictos tradit in eius potestatem. Voluit enim latêre impietatem suam,sed cùm producuntur,utique capiuntur, ut sint in potestate diaboli & angelorum eius,quibus consenserunt.Pauidi ergo sunt in cubilibus suis,in latebris insidiarum suarum.Nam si pauidi non essent,quis subsisteret?Pauent autem illius imperium,sub quo exclamarunt: Quid uenisti ante tempus perdere nos?Et quemadmodum de porcis manifestum est, quòd in eos non issent nisi permissi essent:sic intelligendum est, nihil eos in quenquam posse nisi permissos:Permitti autem iustitia qua reguntur omnia,siue probationis causa, siue uindictæ,uel ad damnationem,uel ad correctionem irrogatæ. Et sedent in insidijs insidiantes.) Non enim quiescit in eis uoluntas nocendi, etiam cum potestas non datur.Obseruant autem in insidijs in tam syluosa densitate occasionum carnalium quis capiatur diuinis legibus,id est,conuincatur de peccato suo, ita ut eorum escæ deputari mereantur. Quis autem præparauit coruo escam ? pulli enim eius ad Deum clamantes & errantes,& escam quærētes.) Vt est in psalmo : Et pullis coruorum inuocantibus eum:Cui sententię est locus iste simillimus.Nec in malo possunt intelligi,quia inuocant eum.Significātur ergo nigri,hoc est,peccatores nondum dealbati remissione peccatorum, Sed ideo pulli,quia iam humiles:

Psal.90.

Mar.10.

Psal.146.

les: ideo errantes, quia nondum cognouerunt ueritatem, quam tamen piè quærunt cùm ad Deum clamant. Præparari autẽ coruo esca potest propter eius præscientiam, qui nouit etiam nondum humilem quenquam conuersum iri: Sed tamen pulli, hoc est, humiles ad Dominum clamant. C

CAPVT TRICESIMVMNONVM.

Ex lib. annot. in Iob tomo 6.

SI *cognouisti tempus pariẽdi tragelaphorum petras.*) Tragos hircus, elaphos ceruus. Tragelaphus ergo compositum ex hirco & ceruo animal. Significat igitur mentem seruientem legi Dei secundum interiorem hominem. Videt autem, quantùm adhuc ex parte hircus est, aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati. Peperit autem talibus petras oportuno tempore.) Ille qui firmamẽta solida exemplorum in scripturis posuit, in quibus & quiescentes de se non desperent, quorum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, donec uiuacitate cerui serpentinis suasionibus superatis spiritu uiuant, & spiritum sectentur, ne regnet peccatũ: Vnde similitudo cerui dicitur in eorum mortali corpore ad obediẽdum desiderijs eius. Aut partus ceruarum custodisti,) Ecclesiarum. In numero spiritalium materno affectu imitationem suam persuadentium, quibus iam non possunt serpentinæ opiniones nocere, tamen & tales custodiuntur non de se, sed de Deo præsumentes. Et numerasti menses partus earum.) Non enim pariunt nisi per euangelium, quod à baptismo suo Dominus usque ad passionem & ascensionem suam certis mensibus, magisterij sui authoritate prædicauit. Et dolores earum soluisti.) Non enim sine dolore dicebatur: Filij mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in uobis. Soluuntur isti dolores cùm fuerit partus æditus, id est, ueritas persuasa eis, pro quibus ita ingemiscitur, id agente in interioribus conscientię uerbo Dei. Et nutristi hinnulos earum sine metu.) In lacte sacramentorum nõ timidos: Non enim acceperunt spiritum seruitutis iterum in timore, partus earũ euntes in libertatem uberioris pascuæ spiritalis, abrumpentes filij eorum uincula concupiscentiarum secularium. Multiplicabuntur tritico,) solidiore cibo sapientiæ post nutrimenta lactis. Exibunt & non reuertentur eis.) Exibunt, tanquam ex angustiis doctrinæ, quæ per homines incipientibus traditur. Et non reuertentur matribus suis.) Non iam opus habentes lacte, nec doctoribus hominibus indigentes. Sanè isti tres uersus non per interrogationem pronunciandi sunt.

Gal. 4. D

Quis autem est qui dimisit onagrum liberum?) Mirum nisi eos per onagrum significat, qui pauci ab omni negotio liberi Deo seruiunt: Et uincula eius quis resoluit?) Affectionum carnalium atque popularium. Posui enim habitaculũ desertum & tabernacula eius salsuginem.) Vnde clamet: Sitiuit in te anima mea.

Psal. 62.

Irridens multitudinem ciuitatis,) quam Babyloniam scriptura dicit, perambulantem per latam uiam, quæ ducit ad perditionem. Et querelam exactoris nõ audiens.) Nemini quicquam debens. Considerauit montes pascuæ suæ.) Magnitudinem reuelationum: Et post omne uiride quærit.) Omne sempiternum.

Volet autem monoceros seruire tibi,) superbus dignitate huius seculi. Quia & tales subiugauit Christus, & ministros ecclesiæ constituit: μονόκερως enim unicornis

A cornis est,quod superbiam significat. Aut dormire super præsepe tuum:)Sicut super illius humilitatem qui etiam in præsepi est infans positus, requiescitur secu ritate ueniæ peccatorum,& obliuione curarum malæ conscientiæ. Et alligabit in loris iugum suũ.)Iugum leue portans alligatum loris,hoc est,in authoritatibus eorum qui carnem mortificauerunt atq; domuerunt. Vnde & Ioannes zona pel licea cingebatur,non asperis restibus peccatorum. Adducet tibi sulcos in campo,)aperiet pectora plebis obedientis ad obtinendũ regnum Dei. Confidis autem in eo,quia mutata est uirtus eius,)ut non uanitatem humanæ laudis & hono ris etiam in Ecclesiæ ministerio requirat,sicut requirebat in seculo. Aut dimittes ei opera tua,) sicut ille pro quo se dicit Apostolus legatione fungi, exhortans pro Christo reconciliari Deo. Et credes ei,quia reddet tibi sementem.)Nihil ex eo suo dominatui uendicabit .Sementem quippe dicit opus seminandi. Et in aream tuam inferet:) Vt sit inter illos quibus ipse Dominus præcipit rogandum dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, non autem ut sibi uelit aream facere,sicut princeps hæresum & schismatum,& quicunque non Dei gloriam quærunt,sed suam. Difficillimum est enim, ut uelit iste monoceros,sed tamen & hoc præstat,& deficit in hominis animo, qui facit mirabilia solus,consilia destruens, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei. Et captiuans omnem intellectum ad obedientiam suam. Penna struthionum mixta est alis herodionis & accipitris.)tardis ingenio, quod significant struthiones, quia uolare non possunt, donatum esse per eius gratiam, qui stulta mundi elegit, ut æquarentur ingeniosorum celeritati pariter credentium, qui per alias aues quas

B commemorauit,significantur,per hunc uersum intelligẽdum est. Et reliquit in terra oua sua.)Iam incipit de struthione dicere, id est,de his quos per hoc animal significat.Non enim miscerentur pennæ eorum tardæ alis uelocium auium ad pa riter uolandum, nisi spem priorem in terra relinquerent, quam per oua significat. Et in puluere calefiunt:) Quia & si id quod sperabat in seculo non attenderit plerunque fauentibus amatoribus seculi, qui pulueri comparantur,prouenit. Et oblita est quia spes disperdidit ea, & bestia agri conculcauit ea.) Quòd si & aduersa cuiusquam cupiditas & iniqui huius mundi perturbent & obterant spem eius, talem tanquam oua eius quæ relinquit in terra, ita non curat ut tanquã oblita nõ sentiat: Obduruit contra filios suos ne sint eius,)etiam si iam non spes sit sicut oua,sed res ipsa, sicut filij iam nati, hoc est,fœlicitas temporalis, fortiter contemnit eam, nolens eam suam esse fœlicitatem, quia illam ueram desiderat. Frustra laborauit absque ullo timore,) hoc antequam conuertatur, laborat enim spe seculi sine fructu, & quod est insipientius sine ullo timore, dum præsumit in rebus incertis. Quia despexit eam Deus in sapientia, & non distribuit intellectum.) Quid enim stultius quàm fidere in uanitate, & laborare ad acquirenda peritura sine ullo timore amittendi? Concipiunt enim plerique hunc affectum, quibus longa fœlicitas seculi prouenit, præsertim si ab auis & atauis perpetua successione ducatur, ut se repentè infœlices fieri posse non credant. Et quia magni solent apparere in terra, non tamen pennis uirtutum cœlesti conuersatione frui, rectè struthionibus com parantur.

parantur. Sed attende quod sequitur. Cùm tempus fuerit, in altum euolabit, & irridebit equitem & ascensorem.) Posteaquam uênit plenitudo temporis, ut præciperetur diuitibus huius seculi, non superbè sapere, nec sapere in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo, cœperunt sursum corda habere ad Deum, & deridere superbos persecutores, quos Dominus proiecit in mare, tunc enim penna struthionis mixta uelocibus auibus, cœlum petit, & cætera quę de hoc animali suprà dicta sunt. An tu circundedisti equo uirtutem?) Martyrem uidetur describere, intrepidum & alacrem testem fidei salutaris, non tamen uirtute propria, sed qua eum circundedit Dominus, Et inseruisti collo eius hinnitum.) Induite uos armatura Dei, ut possitis resistere in die malo. Et gloriæ pectoris eius audacia.) Hæc est audacia qua Esaias audet & dicit: Gloria uerò pectoris est cõscientia, opus hominis probans, ut in semetipso habeat quisque gloriam, & non in altero. Prodiens in campo luxuriat.) In lucem libertatis exiens facilitate boni operis in latitudine charitatis exultat. Et procedit in prælium,) cum uirtute aduersus tentationes aduersitatum occurrens iaculo contemnit,) quia circumposita sunt ei arma, in quibus est illud scutum fidei, in quo ignita inimici iacula extinguuntur: Nec se auertit à ferro:) Vel à morte uisibili, uel quia sunt & duri ad nõ cõsentiendum ueritati, & acuti ad persequendum à quibus se non auertit, quia ipsos etiam ut diligat, iubetur. Super ipsum enim gaudet arcus & gladius,) Per confessionem quippe eius asseritur, & comminatio Dei, quæ inuisibiles pœnas longè prænuntiat, & testificatio uerbi, qua omnes tãquam cominus errores debellat. Aliud est enim minari, quòd longè futura sunt supplicia peccatorum, quod est tanquã arcu tela intendere: aliud tanquam manu ad manum gladio uerbi præsentes delere cupiditates: Lanceæ hastæque tremore.) Quid est quòd lanceæ hastæque tremore super ipsum gaudet arcus & gladius? An quia nisi & ipse tremat, hoc est, timeat futuram mortem, quam iaculatur diuina iustitia, nõ potest præsentem contemnere, quam persecutor minatur, ut intrepidam habeat confessionem, & prædicit cum fiducia ueritatem, cui non possint inimici resistere, atque ita super eam gaudeat, hoc est, per ipsum liberè asseratur doctrina Dei, per quam minatur impijs futurum interitum, & interficit præsentem iniquitatem? Nisi enim gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas & superba præsumptio: Neq; in psalmo nobis diceretur: Exultate ei cum tremore. Et iracundia euertit terram) Apud semetipsum irascens, ad euertendas in se terrenas concupiscentias & timores carnales, quibus quisque à tolerantia passionis auertitur. In hac sententia fortè dictum est: Irascimini & nolite peccare. Cum iracundia enim saluberrima se debet quisque correctione corripere, dicens: Vt quid tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Domino quia confitebor illi: Quia enim ore confessio fit ad salutem, statim sequitur: Salutare uultus mei Deus meus. Nec credit donec clamauerit tuba.) Ante tempus quippe tentationis, etiam si euersa est terrena trepidatio, non apparet, nec facilè credendum est, nisi tempus ipsum tentationis docuerit. Cùm autem tuba cecinerit, dicet, Euge.) Cùm tempus tentationis uenerit, tunc uerò placebit ei anima eius si gloriatur in tribulationibus: Quia tribulatio patientiam operatur, patientia,

Margin notes: C; Eph. 6.; D; Aliàs, asseuratur; Psal. 2.; Psal. 4.; Psal. 41.

A tia uerò probationē, probatio uerò spem, ut iam non dicat animæ suæ irascens: Vt quid cōturbas me? Sed glorians dicat: Lauda anima mea Deū. Et procul odoratur pugnā,) nō quasi in hominibus persequentibus qui uidentur, sed procul, hoc est, pro lōge ab oculis: Sciens quia nō est ei colluctatio aduersus carnē & sanguinē, sed aduersus principes & potestates & rectores mundi tenebrarū harū, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus, hoc est procul. A parte aūt dictum est, odoratur, propter principē potestatis aëris huius. Odores quippe olfactu sentiuntur, siue boni siue mali. Odoratur ergo pugnā qui intelligit principē potestatis aëris huius operarij in filijs diffidentiæ, quorū persequētium iras aut insidias patitur, ut aduersus spiritalia nequitiæ spiritalibus armis dimicet, non corporalibus aduersus carnē & sanguinē, id est, malos & perditos homines quos carneis oculis uidet. Tonitrum ducū & clamorē,) subaudiendum est odoratum. Tonitrum aūt propter ipsum aërem puto dictū esse, in quo clausa spiritalia nequitiæ uersantur. Non enim rectores mundi propterea dicti sunt hi spiritus, quia cœlū & terrā regunt, sed sicut ipse exponit Apostolus. Etenim ne ita intelligeretur subiecit statim quid dixerit rectores mundi tenebrarū harum, inquit, hoc est impiorū: Quibus ad Dominum conuersis, dixit: Fuistis enim aliquādo tenebræ, nunc aūt lux in Domino. In uolūtate enim cuiusq; est, utrùm tenebræ sit an lux. Sed cùm tenebrę, in seipso, hoc est, peccatis, quæ ipsius sunt propria: cùm aūt lux, non in seipso, sed in Domino à quo illuminatur, ut quemadmodū dixit Esaias: Tenebræ eius sint uelut mihi dies. Dicitur & in psalmis: Illuminabis tenebras meas. Quos ergo dicit Apostolus rectores tenebrarum, ipsi & in hoc uersu dicti sunt duces. Ducuntur enim & ab his tene- *Ephe.5.* *Esa.58.* *Psal.17.*

B bræ, hoc est impij, ut persequantur pios, id est, eos qui persecutionē patiūtur propter iustitiam, non eos qui patiuntur propter impietates & iniquitates suas. Ducū autem talium clamorem dicit odorari martyrem, nō quia sonitus aliquis inde auditur auribus corporis, sed quia cordis auribus per fidem clament, quanta diabolus & angeli eius aduersus Dei seruos machinentur. Ait enim Apostolus: Nō enim ignoramus astutiā eius. Aduersus quē clamorem ducum, surdæ utiq; sunt aures infidelium. Nunquid in sapientia tua plumescit accipiter?) sicut in sapientia Dei, quæ est Christus, nouus homo paulatim innouat, conuersationē habiturus in cœlestibus: Expansis pennis immobilis, respiciens ad austrū?) explicatis ab omni impedimento seculari uirtutibus geminę dilectionis permanens inconcussus in fide, non tamen in hoc ipso de seipso pręsumens, sed sperans in Deum, & in illum reuocans intentionem, à quo ipse charitatis ardor inspiratur, ut fortitudinem suam ad ipsum custodiat, dicēs: Nonne Deo subiecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meū? Etenim ipse est Deus meus & salutaris meus, susceptor meus, nō mouebor amplius. Ac tuo præcepto exaltatur aquila?) Sicut eius pręcepto, qui ait: Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me. Pro nobis enim moriturus, & corpus resurrectione leuaturus in cœlū: Vbi fuerit, inquit, cadauer, illic cōgregabūtur & aquilæ. Satiauit enim in bonis cœlestibus desiderium eius, cuius sicut aquilæ renouabitur: Potest & exaltatio aquilæ ad id pertinere, quod ait Apostolus: Siue enim mēte excessimus Deo, ut uersus qui etiam ibi sequitur de uulture, ad id pertineat quod etiam ibi sequitur: Siue tēperantes sumus uobis. Sicut enim aut uultur super ni- *Ephe.6.* *2.Cor.2.* *Psal.61.* *Ioan.12.* *Matth.24.* *Psal.102.* *2.Cor.5.*

dum suum in petra fides morabitur,) quia ex affectu dictũ uidetur non sublimia C
cõtemplãdi mẽtis excessu, sed inferioribus cõsulendi per tẽperantiã qua humanis rebus coguntur: Vt impij qui pro mortuis habẽtur iustificari per uerbũ, hoc est, quasi ore deuorati conuertantur in corpus Ecclesiæ. Vultur enim de mortuis pascitur, & ideo super nidũ suũ ubi tanquã fœtus ponit opera huic uitæ necessaria.
1. Cor. 10. Ideo autẽ in petra, quia cùm dixisset Apostolus: Siue tẽperantes sumus uobis, continuò subiunxit: Charitas enim Christi cõpellit nos, petra autẽ erat Christus,
Philip. 1. Et bene sedens morabitur,) secundũ id quod dictum est: Compello autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolui & esse cũ Christo, multò enim magis optimũ, ut hoc ad exaltationẽ aquilæ pertineat, ad uulturẽ uerò sedentem in nido & morantẽ, manere in carne necessariũ propter uos. Et quia petra etiã tota Ecclesia bene intelligitur, propter etiã Simonẽ, qui ob hoc à Domino Petrus appellatus est, summitas petræ est caput Ecclesiæ. Ad hoc additur uersus qui sequitur, In summitate petræ & in cauerna.) Summitas enim refertur ad id quod est caput, cauerna uerò ad id quod uita nostra abscondita est cũ Christo in Deo. Et
Act. 11. cùm ibi fuerit, quęrit escas,) quibus dictũ est Petro, Macta & mãduca, ut incorporaret Ecclesiæ credituros ex gẽtibus, Longè oculi eius respiciunt, & pulli eius uolutãtur in sanguine,) spe futuræ immortalitatis, in uitã æternam intentionem suã longè porrigit, quãuis corpora eius in carnis infirmitate uolutẽtur, id est, dubijs motibus iactentur, dum incertũ habet humana ignorãtia ex his quæ misericorditer facit, quid cui prosit ad Deum, cùm tamen longè oculis prospicientibus propter æternã salutẽ syncera charitate dispensat. Sed cùm inuenerit iste talis dispensator & operator eos qui per affectũ, quo renuntiant diabolo, iã mortui sint D
huic seculo, sine dubitatione aliqua eis exhibet oris ministeriũ in opere sermonis, quo eos in corpus Ecclesiæ iam paratissimos traijciat: Et ideo sequitur, Vbicunque fuerint cadauera, cõfestim reperiũtur. Respõdit Dominus & dixit,) Quòd nunc Dominus tanquam repetit sermonem cùm ipse loqueretur, intelligitur Iob ad ea quæ dicta sunt obstupuisse in silẽtio & quieuisse, ut nihil amplius dicere auderet. Ergo duobus qui sequuntur uersibus exhortatur eum Dominus ad respõdendum, Nunquid qui disputat cum omnipotente quiescit?) hoc est, Quare tu quiescis cum omnipotente disputans? Arguens Deũ respõdebit ita,) subaudiẽ dũ est, nunquid, ut sit sensus, Nunquid arguit Deum qui disputans respondebit? Quærendo enim cũ omnipotente disputatur, nõ conuincendo aut refellẽdo. Nõ ergo quia omnipotens est, ideo quiescendũ est à disputãdo cum eo: Neq; enim ad arguendũ ab eo aliquid per disputationẽ tanquam ab ipsa ueritate requiritur. Potest & sic intelligi: Nũquid qui disputat cũ Domino, quiescit, id est, quia non quiescit qui cũ omnipotẽte disputat, nõ est cum eo disputandũ ut quiescat: Solet enim disputãs contradicere. Qui autẽ contradicit Deo, quiescere nõ potest, hoc est, non inuenit quietẽ nisi in eius uoluntate sine ulla contradictione consentiat. Arguens enim Deũ respõdebit ita, id est, cùm disputãdo respondet Domino, arguit Deũ, &
Rom. 9. propterea non peruenit ad quietẽ. Vnde dictum est: O homo, tu quis es qui respõdeas Deo? Sed quid tale fecerat Iob? Nõ enim Deus illũ accipit tanquam contradicentem sibi, sicut amici eius nõ intelligentes, cùm tale testimonium illi perhibeat,

& in

A & in capite libri,& in fine:an propter personam quam Iob gestabat,dictum est, hoc est,corporis Domini,quod est Ecclesia,in qua multa infirmorum pars est,nō quidem desperatorum,sed tamen adhuc in prouentu suo periclitantium, quibus bene commouentur pedes,& quorum paulò minus effunduntur gressus, cùm zelant in peccatoribus,pacem peccatorum intuentes? Quid dicunt?quomodo sciuit Deus etsi est scientia in altissimo. Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias.Nunquid uano iustificaui cor meum,& laui in innocētibus manus meas,& fui flagellatus tota die,& argutio mea in matutinum? Nam hinc potius Iob ipse uidetur respondere sequentibus uersibus: Respondens autem Iob dixit: Quid ergo iudicer commonitus & increpatus à Domino, audiens talia cùm nihil sim?)Id est: Quid ergo mihi iudicium comparo, cùm me cōmonet & arguit Dominus?Si ei contradicam audiens talia,id est,intelligens quanta iustitia & misericordia mecū sic agatur,cùm per meipsum utique nihil sim. Quod responsum dabo?)id est,quid potero contradicere ueritati? Manum ponam ad os meum,)id est,tenebo & cohibebo loquacitatem meam. Semel locutus sum, iterum nō adijciam:) Nisi in mysterio accipiatur,quomodo semel locutus est Iob, qui totiens locutus est? Aut quomodo iterum non adijciet,post paululum locuturus?Sed locutio hîc intelligenda est progressus animæ in hæc exteriora, quo relinquit Deum & ei resistit: Vnde maior iste progressus,etiam clamor in scriptura appellatur,cùm dicit Deus clamorem Sodomorum ad se peruenisse.Cui locutioni atque clamori contrarium est beatissimum illud silētium,de quo dicitur:Et silebit sine timore ab omni malignitate.Bene itaque dicit se semel locutū continua

B quadam locutione in tota uita ueteris hominis,cùm esset spiritus ambulās & nō reuertens.Nunc autem manum imponens ori,ne ultrà progrediatur, promittit se non adijcere iterum,ne recedat à Deo.

De Genesi ad Literam, Lib. 11. Cap. XX. Tomo III.

CAPVT QVDRAGESIMVM.

H *Oc initiū figmenti Domini quod fecit &c.* Cui sentētiæ cōgruit quod in psalmo scriptum est?Draco iste quem finxisti ad illudendum ei, hîc quem finxisti dixit,non autem sicut ibi,hoc est initium figmenti Domini,tanquam in initio eum ita finxisset,ut malus,ut inuidus,ut seductor,ut omninò diabolus esset,non uoluntate deprauatus,sed ita creatus. Hæc opinio quomodo nō sit aduersa ei quod scriptū est:Fecit Deus omnia bona ualde,ubi inuenitur diabolus nō propria uolūtate deprauatus,sed ab ipso domino Deo factus malus ualde. Quāuis conentur ostendere ut insulsè etiam uel ineruditè asseratur,non tantùm cōditione prima,sed etiā nūc deprauatus tot uolūtatibus:in summa tamē omnia quæ creata sunt,id est,uniuersam omninò creaturam bonam esse ualde,non quo boni sint in ea mali,sed quòd non efficiant malitia sua, ut sub Dei administratoris imperio,uirtute,sapientia,decus & ordo uniuersitatis aliqua ex parte turbetur,siue turpetur,cùm suis quibusque uoluntatibus etiā malis tribuātur certi & cōgrui limites potestatum & pondera meritorum,ut etiam cum ipsis conuenienter iusteq; ordinatis uniuersitas pulchra sit,tamen quia cuilibet occurrit & uerū

Psal.103.

Eiusdē lib. cap.21.

Diabolus creatura fuit bona.

est atq; manifestum iustitiæ ipsi esse contrarium, ut nullo præcedente merito, hoc C ipsum in quoquã Deus dãnet quod in eo ipse creauit, certaq; & euidens dãnatio diaboli, & angelorum eius ex euangelio recitatur, ubi se d.cturũ Dominus prænuntiauit eis qui à sinistris sunt: Ite in ignem æternũ qui paratus est diabolo & angelis eius, nullo modo in eo naturã quam Deus creauit, sed malam propriã uoluntatem pœna ignis æterni plectendam esse credendũ est.

Cur diabolum fecerit Deus.

Eiusdẽ lib. cap. 12.

Nec eius naturam esse significatam quòd dictum est: Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ut illudatur ab angelis eius: sed uel corpus aëreum quod tali uoluntati congruẽter aptauit, uel ipsam ordinationem in qua eum fecit etiam nolẽtem utilẽ bonis: uel quòd præsciens propria uoluntate malum futurum, fecit tamen, non abstinens bonitatẽ suam in præbenda uita atq; substantia futuræ etiam noxiæ uoluntati, simul præuidens quanta de illo bona esset sua mirabili bonitate ac potestate facturus. Initiũ autem figmenti Domini dictum est, quod fecit ut illudatur ab angelis eius, nõ quia ipsum primitus condidit, uel initio malum condidit, sed quia cùm sciret eũ ad hoc propria uoluntate malum futurum ut bonis noceret, creauit eum ad hoc, ut de illo bonis ipse prodesset: hoc est enim ut illudatur ab angelis eius, quoniam sic illuditur cùm sanctis prosunt tentationes eius, quibus eos deprauare conantur, ut malitia in qua ipse esse uoluit, eo nolẽte sit utilis seruis Dei, quia hoc præuidens eũ finxit. Ideo initium ad illudendum, quia & mali homines uasa eiusdem diaboli, & tanquam capitis corpus, quos nihilominus Deus malos futuros præuidens, creauit tamen ad utilitatem sanctorum, similiter illuduntur, cùm & ipsis nocere uolẽtibus, præstatur sanctis ex eorum comparatione cautela, & pia sub Deo humilitatis & intelligentiæ gratia, & exercitatio ad tolerandos malos, & probatio ad diligendos D inimicos. Sed ille est initium figmenti quod sic illuditur, quia præcedit istos & temporis antiquitate & principatu malitiæ. Hoc autem Deus per sanctos angelos facit illo opere prouidentiæ, quo creatas naturas administrat, subdens uidelicet angelos malos angelis bonis, ut malorum improbitas, non quantùm nititur, sed quantùm sinitur possit: nec tantùm angelorum malorum, uerumetiam ut hominem, donec etiam ista iustitia qua uiuitur ex fide, quæ nunc pariẽter in hominibus exercetur, conuertatur ad iudicium, ut possint & ipsi non solùm duodecim tribus Israël, sed etiam angelos iudicare.

Eiusdẽ lib. cap. 23.

Diabolũ in ueritate nõ stetisse.

Quod ergo putatur nunquam diabolus in ueritate stetisse, nunquam cum angelis beatam duxisse uitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria uolũtate deprauatus, sed malus a bono Deo creatus putetur, alioquin non ab initio cecidisse diceretur. Neque enim cécidit si talis est factus: sed factus continuò se à luce ueritatis auertit, superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus, unde beatę atq; angelicæ uitæ dulcedinem non gustauit, quam non utiq; acceptam fastidiuit, sed nolẽdo accipere deseruit & amisit. Proinde nec sui casus præscius esse potuit, quæ sapientia pietatis est fructus. Ille autem continuò impius, consequenter & mente cęcus, non ex eo quod acceperat cécidit, sed ex eo quod acciperet, si subdi uoluisset Deo: quod profectò quia noluit, & ab eo quod accepturus erat cé cidit, & potestatem illius sub quo esse noluit non euasit, factumq; in illo est põdere meritorum, ut nec iustitiæ possit lumine delectari, nec ab eius sententia liberari.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN PSALTERIVM COMMENTARIA.

PSALMVS PRIMVS.

Nunquid confitebitur tibi puluis. Vide psalmum uicesimumprimum, in hæc uerba: Deus deus meus respice in me.

PSALMVS SECVNDVS.

Epistola 50. Tomo II.

Quare fremuerunt gentes. Nondum autem agebatur, quod paulò pòst
in eodem psalmo dicitur: Et nunc reges intelligite &c. Seruite Domi-
no in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges Do
mino seruiunt in timore, nisi ea quæ cõtra Domini iussa fiunt, religio-
sa seueritate prohibendo atque plectẽdo? Aliter enim seruit quia ho-
mo est, aliter quia etiam & rex est. Quia homo est, ei seruit uiuẽdo fideliter, quia
uerò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, con-
ueniẽti uigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias, lucos & tẽpla idolorũ, & illa ex 4.Reg.18.
celsa quæ contra præcepta Dei fuerant cõstructa destruẽdo. Sicut seruiuit Iosias, & .22.
talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit rex Niniuitarũ, uniuersam ciuitatẽ ad placan *Ionæ.3.*
B dum Dominũ cõpellendo. Sicut seruiuit Darius idôlum frangendum in potestatẽ *Dan.14.*
Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchodono *Dan.3.*
sor, de quo diximus, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiũt Domino reges, inquantum sunt reges, cùm ea faciunt ad seruiendum illi, quæ nõ possunt facere nisi reges. Cùm itaque nondum reges Domino seruirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditarentur inania, aduersus eum & aduersus Christum eius, ut prophetarũ prædicta omnia cõpleretur, nõ utique tunc possent impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo tẽporũ uoluebatur, ut & Iudæi occiderent prędicatores Christi, putantes se officiũ Deo facere, sicut prædixerat Christus, & gentes fremerent aduersus Christianos, & omnis potẽtia martyrũ uinceret. Postea uerò quàm cœpit impleri quod scriptum est: Et adorabunt eũ omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi. Quis mẽte sobrius regibus dicat? Nolite curare in regno uestro à quo tueatur uel oppugnetur ecclesia Domini uestri, nõ ad uos pertineat in regno uestro, quis uelit esse siue religiosus, siue sacrilegus, quibus dici nõ potest, nõ ad uos pertineat in regno uestro, quis uelit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim cùm datũ sit diuinitus homini liberũ arbitrium, adultera legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidẽ non seruare leuius est animã Deo, quàm fœminã uiro? Aut si ea quæ non contẽptu, sed ignorãtia religionis cõmittuntur, mitius uindicanda, nunquid ideo negligenda sunt? Melius est quidẽ, quis dubitauerit, ad Deum colendum doctrina homines duci, quàm pœnæ timore, uel dolore compelli? Sed

non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt negligēdi sunt. Multis enim C
profuit (quod experimentis probauimus & probamus) prius timore uel dolore cogi, ut postea possint doceri, aut quod iam uerbis didicerant opere sectari.

Epistola 48. Tomo II.

Non inuenitur exemplū in euāgelicis & apostolicis literis, aliquid petitū à regibus terræ pro ecclesia, & contra inimicos ecclesiæ, quis negat nō inueniri? Sed
Psal. 2. nondū implebatur illa prophetia: Et nunc reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terrā. Seruite Domino in timore. Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem psalmo paulò superiùs dicitur: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Veruntamen si facta præterita in propheticis libris, figuræ fuerunt futurorum, in rege illo qui appellabatur Nabuchodonosor, utrunque tempus figuratum est, & quod sub apostolis habuit, & quod nunc habet ecclesia. Temporibus itaque apostolorum & martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando rex memoratus pios & iustos cogebat adorare simulachra, & recusantes in flammas mittebat &c.

Item, Vide Cap. 5. Matth. in hæc uerba: Diliges proximum tuum.

Ex Ench. ad Laurent. Cap. 49. Tomo III.

Ego hodie genui te. Vnde uox illa patris quæ super baptizatū facta est: Ego hodie genui te, non unum illum temporis diem quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit, ut illū hominē ad unigeniti personā pertinere mōstraret. Vbi enim dies nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est. In aqua ergo uoluit baptizari à Ioāne, nō ut eius iniquitas ulla diluere D
tur, sed ut magna cōmēdaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo baptismus quod ablueret, sicut mors nihil quod puniret inuenit: ut diabolus ueritate iustitiæ, non uiolentia potestatis oppressus et uictus, quoniā ipsum sine ullo peccati merito iniquissimè occiderat, per ipsam iustissimè amitteret quos peccati merito detinebat.

PSALMVS TERTIVS.

Domini est salus. Vide psal. 21. in hæc uerba: Deus Deus meus respice in me.

PSALMVS QVARTVS.

Ex Lib. de Magistro.

Icite in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini. Sacrificate sacri
D ficium iustitiæ, & sperate in Domino. Vbi putas sacrificium iustitiæ sacrificari, nisi in templo mentis, & in cubilibus cordis? Vbi autem sacrificandum, ibi & orandum.

Sacrificate sacrificiū iustitiæ. Vide Psal. 21. in hæc uerba: Deus deus meus respice in me.

PSALMVS QVINTVS.

De Mend. ad Consent. Lib. Cap. VI. Tomo IIII.

O *Disti omnes qui operantur iniquitatem.* Aut enim, ut solet scriptura, sequēti uersu exposuit superiorem, ut quoniam latius solet patere iniquitas, intelligamus

A intelligamus nominato mendacio, quam speciem iniquitatis significare uoluerit: aut si aliquid interesse arbitrantur, tantò peius est mendacium, quantò grauius positum est, perdes quàm odisti. Forte enim odit aliquem Deus aliquantò mitius ut eum non perdat. Quem uerò perdit, tantò uehementius odit, quantò seuerius punit. Odit autem omnes qui operantur iniquitatem. At omnes qui loquuntur mendacium etiam perdet,

Cont. Mend. ad Consent. Lib. Cap. I. Tomo IIII.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Non enim aliquos excępit, aut indefinitè dixit, perdes loquentes mendacium, ut quosdam, nō omnes intelligi sineret, sed uniuersalem sententiam protulit dicens: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. An quia non dictum est, perdes omnes qui loquuntur omne mēdacium, uel qui loquuntur quodcunque mendacium, ideo putandum est locum alicui relaxatum esse mendacio, ut scilicet sit aliquod mendacium, quod qui loquuntur nō eos Deus perdat, sed eos omnes perdat qui loquuntur iniustum mendacium, nō quodcunque mendacium: quia inuenitur & iustum, quod utique laudis debet esse, non criminis?

PSALMVS SEXTVS.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Vide. I. Corinthiorum Capite. 4. in hæc uerba: Quis enim te discernit.

PSALMVS SEPTIMVS.

B *Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis &c.* Vide Cap. 28. Deut. in hæc uerba: Benedictus es in agro tuo.

De Trinit. Lib. 9. Cap. VIII. Tomo III.

Concepit dolorem & peperit iniquitatem. Dolorem uel laborem dicit concipi, cùm ea concipiuntur, quæ nosse ac uelle non sufficit, & inardescit atque ægrotat animus indigentia, donec ad ea perueniat, & quasi pariat ea. Vnde eleganter in latina lingua parta dicuntur, & reperta atque comperta, hæc uerba quasi à partu ducta resonant. Quia concupiscentia cùm concęperit parit peccatum. Iacob. I.

PSALMVS NONVS.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 110. Tomo X.

Ibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. Quæramus pauperē, quæramus pupillum. Nec mirum sit quod admoneo ut quæramus, quos sic abundare cernimus & sentimus. Nónne pauperibus plena omnia? Nónne pupillis plena sunt omnia? Et tamen inter omnia quæro pupillum. Ac prius ostendendum est charitati uestræ id, quod putamus nō hoc esse quod quærimus. Qui enim dicuntur pauperes & sunt, in quos à Deo mandatæ eleemosynæ fiunt, de quibus fatemur scriptum: Include eleemosynam in corde pauperis, & ipse orabit pro te Dominum. Abūdat quidem hoc genus hominum, sed altius intelligendus est iste pauper de quo dictum est; Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum Eccl. 29. Matth. 5.

ipsorum est regnum cœlorum. Sunt pauperes non habentes pecuniam, uictum C
quotidianum uix inuenientes, alienis operibus misericordia sic indigentes, ut etiã mendicare non erubescant, si de his dictum est: Tibi derelictus est pauper: nos quid facimus qui hoc non sumus? Ergo nos qui Christiani sumus, non sumus Deo derelicti? Et quæ alia nobis spes est, si non sumus illi derelicti, qui nos non dereliquit? Discite ergo esse pauperes & Deo relinqui ô compauperes mei. Diues est, superbus est. Nam & in diuitijs istis, quæ uulgò appellantur diuitiæ, quibus est contraria uulgaris ista paupertas, in diuitijs ergo istis nihil est sic cauendum quàm superbiæ morbus. Qui enim non habet pecuniam, non habet amplissimas facultates, non habet unde se extollat. Si ergo qui non habet unde se extollat, non laudatur pro eo quòd non se extollit: qui habet, laudetur si se non extollit. Quid ergo laudo humilem pauperem? Vnde superbiat non habet. Quis autem ferat & inopem & superbum? Lauda diuitem humilem, lauda diuitem pauperem. Tales
1. Timo. 6 uult apostolus Paulus, qui scribens ad Timotheum dicit: Præcipe diuitibus huius seculi, non superbè sapere. Noui quid dicam. Hoc illis præcipe. Habent diuitias intrinsecus superbiam persuadentes, habent diuitias in quibus laborent esse humiles. Da mihi Zachæum habentem magnas diuitias, principem publicanorum, confessorem peccatorum, statura breuem, animo breuiorem, ascendentem lignum, ut transeuntem uideret, qui pro illo pendebat in ligno. Da mihi dicentem:
Luc. 19. Dimidium rerum mearum do pauperibus. Sed multùm diues es ô Zachæe, multùm diues es. Ecce dimidium dabis: Dimidium quare reseruabis? Quia si cui aliquid abstuli, quadruplũ reddo. Sed ait mihi quisque mendicus, debilitate fessus,
Luc. 16. pannis obsitus, fame languidus, respondit mihi & dixit: Mihi debetur regnum D
cœlorum, ego enim similis sum illi Lazaro, qui iacebat ulcerosus ante diuitis domum, cuius canes lingebãt ulcera, & quærebat de micis quæ cadebant de mensa diuitis, ego illi similior sum, inquit: Nostrum genus est, cui debetur regnum cœlorum, non illi generi qui induuntur purpura & bysso, & epulantur quotidie splendidè. Talis enim erat ille ante cuius domum iacebat pauper ulcerosus: & uidete exitus amborum. Contigit enim mori inopem illum, & auferri ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est diues & sepultus est. Nam pauper fortè nec sepultus. Et quid postea? Cùm apud inferos diues ille in tormentis esset, leuauit oculos suos, uidit pauperem quem contempserat in Abrahæ gremio quiescentem. Desiderauit guttam, à quo ille micam. Et quoniam dilexit opulentiam, non inuenit misericordiam. Voluit subueniri fratribus suis, semper uæcors, serò misericors. Nihil omninò quod postulauit accæpit. Discernamus ergo, inquam, mihi pauperes & diuites. Quid me ad alia intelligenda exhortaris? Aperti sunt pauperes, aperti sunt diuites. Audi ergo me de hoc quod proposuisti Domine pauper. Cùm illum sanctum ulcerosum te esse dicis, timeo ne superbiendo non sis quod dicis. Noli contemnere diuites misericordes, diuites humiles: & ut citius dicam quod paulò antè dixi: diuites pauperes noli contemnere ô pauper. Esto & tu pauper, pauper, id est, humilis. Si enim diues factus est humilis, quantò magis pauper debet esse humilis? pauper non habet unde infletur, diues habet cum quo luctetur: Audi ergo me. Esto uerus pauper, esto pius, esto humilis. Nam

si

A si de ipsa pannosa & ulcerosa paupertate gloriaris, quia talis fuit ille qui ante domum diuitis inops iacebat, attendis quia pauper fuit, & aliud non attendis. Quid inquit, attendo? Lege scripturas, & inuenies quod dico, Lazarus pauper fuit, in cuius sinum leuatus est diues fuit. Contigit, inquit, mori inopem illum, & auferri ab angelis. Quó? In sinum Abrahæ, id est, in secretum, ubi erat Abraham. Nolite enim carnaliter intelligere, quòd uelut in sinum tunicæ Abrahæ leuatus sit pauper. Sinus erat, quia secretum erat. Vnde dicitur: Redde uicinis nostris in sinum eorum, id est, in secreta eorum. Quid est, Redde in sinum eorum? Torque conscientiam eorum. Lege, aut si legere non potes, audi cùm legitur, & uide Abraham opulentissimum fuisse in terra auro, argento, familia, pecore, possessione, & tamen diues iste pauper fuit quia humilis fuit: Humilis autem fuit, credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad iustitiam. Iustificatus est gratia Dei, non propria præsumptione. Fidelis erat, bene operabatur. Filium iussus est immolare, neque cunctatus est ei offerre quod acceperat à quo acceperat, probatus est Deo, constitutus est exemplum fidei. Iam Deo notus erat, sed nobis monstrandus erat. Non est inflatus quasi in operibus bonis suis quia pauper erat diues iste. Et ut scias quia non est inflatus tanquam in bonis operibus suis. Sciebat enim quia quicquid habebat, à Deo habebat, & non in semetipso, sed in Domino gloriabatur, audi Paulum apostolum: Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum. Videtis, quia cùm abundent pauperes, rectè quærimus pauperem, in turba quærimus & uix inuenimus. Occurrit mihi pauper & quæro pauperem. Interim tu manum porrige pauperi quem inuenis. Ex corde quæris, quem quæris. Tu dicis, pauper sum sicut Lazarus, diues iste meus humilis non dicit, diues sum sicut Abraham. Ergo tu te extollis, ille se humiliat. Quid inflaris & non imitaris? Ego, inquit, pauper leuor in sinum Abrahæ, non uides quia diues susceptor est pauperis? Si enim superbis contra eos qui habent pecuniam, negas eos ad regnum cœlorum pertinere, cùm in eis fortasse inueniatur humilitas, quæ in te non inuenitur. Non times ne tibi cùm mortuus fueris dicat Abraham: Recede à me, quia blasphemasti me? Admoneamus ergo diuites nostros quod Apostolus admonuit: Non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Admoniti sumus: Diuitiæ illæ quas putatis plenas esse delitiarum, pleniores sunt periculorum. Pauper erat, & securior dormiebat. Sic namque alius accedebat ad duram terram, quàm ad lectum inargentatum. Attendite curas diuitum, & comparate securitati pauperum. Sed audiat diues iste ut non superbè sapiat, neque speret in incerto diuitiarum. Vtatur mundo tanquam non utens. Sciat se uiam ambulare, & in has diuitias tanquam in stabulo intrasse. Reficiat, uiator est, reficiat se & transeat, non secum tollit quod in stabulo inuenit. Alius uiator erit, & ipse habebit, sed non auferet. Omnes hîc relicturi sunt, quod hîc acquisierunt. Nudus, inquit, exij de utero matris meæ, nudus reuertar in terram. Audi alium pauperem: Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus. Victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & desideria multa, stulta, & noxia, quæ mergunt homines in interi-

(marginal notes: Psal. 78. — Gen. 13. — Gen. 15. — Rom. 4. — B — 1. Timo. 6. — Iob. 1.)

tum & perditionem. Radix est enim omnium malorum auaritia, quam quidam C
appetentes à fide pererrauerunt, & inseruerunt se doloribus multis. Qui sunt isti
qui à fide pererrauerunt & inseruerunt se doloribus multis? Qui uolunt diuites
fieri. Modò respondeat mihi ille pannosus. Videamus, si non uult diues fieri, uideamus, interrogemus eum si non uult diues fieri. Respondeat non mentiatur.
Audio linguam, sed interrogo conscientiam. Dicat si non uult fieri: si autem uult,
iam incidit in tentationem & desideria multa, stulta, & noxia. Non enim opes,
sed desideria. Vnde? Quia uult diues fieri. Quid inde? Desideria multa & stulta
& noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Vides ubi sis?
Quid mihi ostentas nullas facultates? cùm ego uincam tantas cupiditates? Ecce
iam compara duos. Iste diues est, ille pauper. Sed iste diues est, iam est, non uult fieri: iste diues est, aut de parentibus, aut de donis & hæreditatibus. Ponamus, faciamus: diues est etiam de iniquitatibus, iam non uult addere, imposuit modum, fixit limitem cupiditati, iam corde militat pietati. Diues, inquis. Respondeo, diues
est. Iterum tu accusator respondes & dicis: De iniquitate diues est. Quid si facit
amicos de mammona iniquitatis? Dominus nouerat quod dicebat utique non
Luc. 16. errabat, quando præcipiebat: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut &
ipsi recipiant uos in tabernacula æterna. Quid si hoc facit iste diues? Iam finit cupiditatem, exercet pietatem. Tu nihil habes, sed diues uis fieri, incides in tentationem. Sed fortè inde factus es pauperrimus & egentissimus, quia nescio quid
habeas paternum, quod te sustentaret, & calumnia aliqua competitoris abstulit. Gemis, audio, tempora accusas. Quod gemis, si possis facis. An non uidemus,
an non quotidianis exemplis plena sunt omnia? Heri gemebat, quia perdebat D
sua: hodie pergens ad maiorem, rapit aliena. Inuenimus uerum pauperem, inuenimus pium humilem, non de se fidentem, pauperem uirum, membrum pauperis, qui propter nos pauper factus est cum diues esset, uide diuitem nostrum,
2. Cor. 8. qui propter nos pauper factus est cum diues esset. Vide illum diuitem: Omnia
Ioan. 1. per ipsum facta sunt, & sine ipso factum nihil. Plus est aurum facere quàm habere. Diues es auro, argento, pecore, familia, fundis, fructibus, tibi ista creare
non potuisti. Vide illum diuitem, omnia per ipsum facta sunt. Vide illum pauperem, uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quis dignè cogitat diuitias eius? Quomodo faciat qui non fit, quomodo creet non creatus, formet non
formatus, mutabilia manens, temporalia sempiternus? Quis dignè cogitat diuitias eius? Paupertatem cogitemus, ne fortè pauperes uel ipsam cupiamus.
Concipitur utero uirginali, includitur uisceribus matris. O paupertas. In angusto diuersorio nascitur, inuolutus infantilibus tegumentis in præsepio ponitur,
fit cibaria iumentis pauperibus, deinde cœli & terræ Dominus. Creator angelorum, omnium uisibilium & inuisibilium affector & conditor, fugit, uagit, nutritur, crescit, tolerat ætatem, occultat maiestatem: postea tenetur, contemnitur, flagellatur, illuditur, conspuitur, colaphizatur, spinis coronatur, ligno suspenditur, lancea perforatur: O paupertas. Ecce caput pauperum quos requiro, cuius pauperis membrum inuenimus uirum pauperem. Breuiter quæramus
pupillum, quia in paupere requirendo fatigati sumus. Domine Iesu, pupillum
quæro.

A quæro: Fatigatus quæro, citò responde ut inueniam. Ne uobis dicatis, inquit, patrem in terra: inuentus est pupillus iste. Oret pupillus iste, audiamus eum, & imitemur eum. Quæ eius est oratio? Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Si ergo beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, tibi derelictus est pauper: Si pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me: pupillo tu eris adiutor. Matth.23. Psal.26.

PSALMVS DECIMVSQVARTVS.

Cont. Mend. ad Consent. Lib. Cap. 6. Tomo IIII.

Qui loquitur ueritatem in corde suo. Non sic accipiendum est, quasi retenta in corde ueritate, loquendum sit in ore mendacium: Sed ideo dictum est, quia fieri potest ut loquatur quisq; ore ueritatem, quæ nihil ei prosit si eam in corde non teneat, id est, si quod loquitur ipse non credat: sicut hæretici, maximéque ijdem Priscillianistæ faciunt, cùm catholicam ueritatem non quidem credunt, sed tamen loquuntur, ut nostri esse credantur. Loquuntur ergo ueritatem in ore suo, non in corde suo, propterea distinguendi erant ab illo, de quo dictum est: Qui loquitur ueritatem in corde suo. Hāc autem ueritatem catholicus sicut in corde loquitur, quia ita credit, ita & in ore debet, ut ita prædicet. Contrà uerò, istam nec in corde nec in ore habeat falsitatem, ut in corde credat ad iustitiam, & ore confessionem faciat ad salutem.

Item, Vide Sap. Cap. 1. in hæc uerba: Os quod mentitur occîdit animam.

PSALMVS DECIMVSQVINTVS.

B

Epistola 49. Tomo II.

Quoniam bonorum meorum non eges.) Sed quod etiam in his, uel acceptandis, uel reprobandis, uel percipiendis, non nisi hominibus consulat. Nobis enim prodest colere Deum, non ipsi Deo. Cùm ergo inspirat, & docet quomodo colendus sit, non solùm sua nulla indigentia facit, sed nostra maxima utilitate. Significatiua sunt autem omnia talia sacrificia, & quarundam rerū similitudines, quibus admonere nos oporteat ad ea ipsa, quorum similitudines sunt, siue scrutanda, siue noscenda, siue recolenda, &c.

Epistola 5. Tomo II.

Ideo uerus est Dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget. In ea quippe scriptura, quæ uetus dicitur testamentum, & eo tempore quo adhuc illa offerebantur sacrificia: quæ hoc tempore non offeruntur, dictum est: Dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Nec illorum ergo sacrificiorum egebat Deus, ne cuiusquam eget unquam, sed rerum diuinitus impartitarum, uel imbuendo uirtutibus animo, uel æternæ saluti adipiscendæ quædam signa sunt, quorum celebratione atque functione, non Deo, sed uobis utilia pietatis officia exercentur.

Ex epistola 58. Tomo II.

Paulini quæstio.

Sanctis qui in terra sunt eius mirificauit oēs uoluntates suas inter illos.) Quos ait sanctos

qui in terra sunt sancti. Num illos Iudæos, qui filij carnis Abrahæ, & non filij re- C
promissionis excluduntur à semine, quod in Isaac uocatum est? Ideo sanctos in
terra, quia sancti genere carnali, uita autem sensuq; terreni sunt, qui terrena sa-
piunt, & carnali obseruantia in uetustate literæ consenescunt: non renascentes in
nouam creaturam, quia non receperunt eum, per quem uetera transierunt, &
facta sunt omnia noua. Sic enim fortè eos in hoc Psalmo sanctos appellat, quo-
Matth. 9. modo & in euangelio iustos, ubi dicit: Non ueni uocare iustos, sed peccatores, id
Matth. 3. est, illos iustos, qui in sanctitate generis & litera legis gloriantur. Quibus dici-
tur: nolite gloriari in patre Abraham, quia potens est Deus de lapidibus istis exci-
tare filios Abraham. Quorum forma in illo pharisæo proponitur, qui iustitias su-
Luc. 18. as tanquam nescienti Domino recolens prædicabat in templo: non orans ut exau
diretur: sed exigens quasi debitum meriti pro operibus bonis quidem, sed ingra-
tis Deo. Quia quod iustitia ædificauerat, superbia destruebat: nec id ipsum silētio
sed uoce clamabat, ut appareret eum non diuinis auribus loqui, qui & ab homi-
nibus uellet audiri. Atque ideo non placuit Deo, qui placebat sibi. Quoniam dissi-
Psal. 52. pauit Dominus ossa hominum sibi placentium. Confusi sunt, inquit, quia spreuit
illos, qui cor humile & contribulatum non spernit. Denique & in ipsa euangelij
Luc. 18. parabola, qua pharisæi & publicani persona confertur, euidenter ostendit ipse Do
minus quid in homine suspiciat, quid repellat, sicut scriptum est: Quia Deus su-
Iaco. 4. perbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ideo protestatur magis iustificatum
abijsse è templo publicanum de confessione peccatorum suorum, quàm phari-
sæum de imputatione iustitiarum suarum. Meritò autem ille laudator sui repu-
diatus abscessit à facie Dei, qui cum ipso nomine etiam peritiam legis præferret, D
Esa. 66. oblitus fuerat in propheta dicentem Dominum: Super quem habitabo nisi super
humilem & quietum, & trementem sermones meos. Ille autem in corde contri-
to sui accusator accipitur, & obtinet ueniam de confessis peccatis propter gra-
tiam humilitatis, sancto illo pharisæo (quales Iudæi sancti sunt) reportante sarci-
uam peccatorum de iactantia sanctitatis. Ipsius nimirum sunt forma Iudæi illi,
Rom. 10. quibus Apostolus ait, quòd suam iustitiam statuere cupientes, quæ ex lege est, iu-
stitiæ Dei non sunt subiecti, quæ est ex fide, quæ reputata est patri nostro Abra-
ham ad iustitiam, non ex operibus, quia secundum omnipotentiam Dei credidit
Deo. Apud quem ille uerè iustus est, qui ex fide uiuit: nec sanctus in terra est, sed
in cœlo, quia nō carne, sed spiritu ambulat: cuius conuersatio in cœlis est, non glo
riantis in circuncisione carnis, sed in circuncisione cordis, quæ non litera, sed spi-
ritu agitur inuisibiliter, unde laus eius non ex hominibus, sed ex Deo. Deinde
quod iungit in eodem uersiculo: Miras fecit uoluntates suas inter illos credo ex
eo dixit, quòd ipsis primùm lucernam legis accendit, & præcepta uiuendi dedit.
Notas enim, inquit, fecit uias suas Moysi, & filijs Israël uoluntates suas. Deinde
ipsum pietatis suæ sacramentum in ipsis operatus est, natus in carne ex uirgine
Deus in gente ipsorum, & de carne ipsorum factus ex semine Dauid homo. Dein
de uirtutes sanitatum, quas in ipsis & coram ipsis perfecit. Qui per hęc non mo-
Ioan. 9. dò creditus non est, sed & blasphematus est ab eis, cùm dicerent: Hic homo si à
Matth. 12. Deo esset, non curaret sabbatis: Et non eijcit dæmonia nisi in Beelzebub princi-
pe

A pe dæmoniorum. Propter hanc mentem obdurata impietate cæcatam, multiplicatæ sunt infirmitates & tenebræ eorum. Sed quid est quòd ait: postea accelerauerũt? Vtrùm in pœnitentiã, sicut illi in Actibus Apostolorum cap. 2, qui beati Petri prædicatione cõpuncti, crediderunt in eum quẽ crucifixerunt: & festinãtes tanto expiari peccato, ad domum gratiæ cõcurrerunt? An uerò quia uirtutes animę ex fide & charitate Dei roborãtur, illis impijs utroq; uacuis multiplicatæ sunt infirmitates animæ ex impietate scelerũ mortiferis languoribus occupatæ? Christus enim lumen & uita credẽtium est, & sanitas sub pennis eius, unde non mirum si & tenebræ & infirmitates eorum multiplicatæ sunt in interitum, qui uitã & lucẽ non recęperunt, neq; sub pennis eius manere uoluerũt. Quos & ipse flens in euãgelio protestatur: sæpe uoluit congregare ipsos sub alas suas, sicut gallina congregat pullos suos, & noluerũt. Multiplicatis ergo infirmitatibus quò accelerauerũt, fortè in crucem Domini conclamandam, & inuito Pilato nefarijs uocibus extorquendam, ut adimplerent mensuram patrum suorum, ut isti Dominum prophetarũ occiderent, quorum patres ipsos prophetas interfecerunt, à quibus hic mundi saluator esse uenturus nũtiabatur postea accelerauerũt: Veloces enim pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infœlicitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt, id est Christum, qui dicit ego sum uia. *Psal.13.* *Ioan.14.*

Quæstionis solutio. Epistola.59. Tomo II.

In.15. Psalmo, quod scriptum est: Mirificauit, uel mirificet omnes uoluntates suas inter illos, nihil prohibet intelligi, imò & conuenientius uidetur non inter illos, sed in illis. Sic enim & Græci codices habent. Sæpe autem quod habet illa lin-B gua in illis, nostri interpretantur inter illos, ubi uidetur sententiæ conuenire. Accipiamus ergo: Sanctis qui sunt in terra eius, mirificauit omnes uoluntates suas in illis, quod plerique codices habent. Et intelligamus uoluntates eius, munera gratiæ, quæ gratis data est, id est, quia uoluit, non quia debebatur. Vnde est: Scuto bonæ uoluntatis tuæ custodisti nos. Et: In uoluntate tua deduxisti me. Et: Voluntariè genuit nos uerbo ueritatis. Et: Pluuiam uoluntariam segregans Deus hæreditati tuæ. Et: Diuidens propria unicuique prout uult, & alia innumerabilia. Proinde: Mirificauit omnes uoluntates suas in illis, in quibus, nisi in sanctis qui in terra sunt eius? Si enim terra, sicut suprà ostendimus, potest accipi in bono, & ubi non additum est eius, quãtò magis ubi dicitur terra eius? Miras enim fecit omnes uoluntates suas in illis. Miras omninò fecit, quia eos ex desperatione mirabiliter liberauit. Ex hac admiratione exclamat Apostolus: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Suprà quippe dixerat: Conclusit ergo Deus omnes in infidelitate ut omnium misereatur. Nam hoc etiam hîc sequitur: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Infirmitates posuit pro peccatis, sicut ad Romanos Apostolus dicit: Si enim Christus cùm infirmi essemus adhuc iuxta tempus pro impijs mortuus est. Hos dixit infirmos quos impios. Deinde paulò pòst eandem sententiam repetens. Commendat, inquit, suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Quos infirmos suprà, eos hîc peccatores appellauit. Item in consequentibus hoc idem alijs uerbis uersans. Si enim cùm inimici essemus, inquit, reconciliati sumus Deo *Rom.11.* *Rom.5.*

per mortem filij eius. Ac per hoc in eo quod dictum est: Multiplicatę sunt infirmitates eorum, intelliguntur multiplicata peccata eorum. Lex enim subintrauit, ut abundaret delictum. Sed quoniam ubi abundauit delictum, superabundauit gratia, ideo postea accelerauerunt. Non enim uênit ille uocare iustos, sed peccatores, quia non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus, quorum scilicet multiplicatæ sunt infirmitates, ut eis sanandis esset necessaria tantæ gratiæ medicina, & cui dimittuntur peccata multa diligeret multùm. Hoc cinis uaccæ & aspersio sanguinis, & cruentarum multiplicatio uictimarum significabat, non efficiebat. Ideo deinceps dicit: Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, id est, illorum sacrificiorum, quæ immolabantur in figura sanguinis Christi. Nec memor ero no C

Eph. 5. minum eorum per labia mea. Nomina quippe illorum erãt in multiplicatione infirmitatum. Fornicatores, idôlis seruientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, auari, raptores, ebriosi, maledici, & quicunque alij, regnum Dei non possidebunt. Sed ubi abundante peccato, superabundauit gratia, postea accelerauerunt. Hæc quidẽ fuerunt, sed abluti sunt, sed sanctificati sunt, sed iustificati sunt in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Ideo nõ memor erit nominum illorũ per labia sua. Sanè codices emendatiores & electioris authoritatis non habent uoluntates suas, sed uoluntates meas quod tantundem ualet, quia ex persona filij Dei dicitur. Ipse quippe loquitur, quem uerba illa euidenter ostendunt,

Act. 2. quibus & Apostoli usi sunt: Non derelinques animã meã in inferno, nec dabis sanctum tuũ uidere corruptionem. Eadem sunt utiq; munera gratiæ patris & filij & spiritussancti. Et ideo rectissimè & filius eas potest dicere uoluntates suas.

Epistola. 5. Tomo II. D

Legitur in persona Christi: Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, id est, pecorum uictimis, quibus prius congregabantur conuenticula Iudæorum.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Vide infrà Luc. cap. 22. in hæc uerba: Hodie mecum eris in paradiso.

Nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Vide Luc. 24. in hæc uerba: Videte manus meas & pedes.

PSALMVS DECIMVSSEXTVS.

Ex lib. cont. duas epist. Pelag. ad Bonif. lib, 2. Cap. VIII. Tomo VII.

Ominis est præparare cor.) Hoc non bene intelligendo falluntur, ut existiment cor pręparare, hoc est, bonum inchoare sine adiutorio gratię Dei, ad hominem pertinere. Absit ut sic intelligant filij promissionis, tanquã cùm audierint Dominum dicentem: Sine me nihil potestis facere, quasi conuincant eum dicẽtes: Ecce sine te possumus cor præparare: aut cùm audierint à Paulo apostolo: Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, tanquam & ipsum conuincant dicẽtes: Ecce idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc, & boni aliquid cogitare. Quis enim potest bona cogitatione ad bonum cor præparare? Absit ut sic intelligant, nisi superbi sui arbitrij defensores, & fidei catholicæ desertores. Ideo quippe scriptum

H

A ptum est:Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ,quia homo præparat cor,non tamen sine adiutorio Dei,qui tangit cor. Homo præparat cor, in responsione autem linguæ, id est,in eo quod præparato cordi lingua diuina respondit,nihil operis habet homo,sed totum est à domino Deo. Nam sicut dictum est:Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ, ita etiam dictum est:Aperi os,& adimplebo illud. Quamuis enim nisi adiuuante illo sine quo nihil possumus facere,os non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento & opere nostro,implet autem illud Dominus,sine opere nostro.Nam quid est præparare cor & os aperire,nisi uoluntatem parare?& tamen in eisdem literis legitur: Præparatur uoluntas à Domino.Et labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.Ecce Dominus admonet, ut præparemus uoluntatem in eo quod legimus: Hominis est præparare cor,& tamen ut hoc faciat homo,adiuuat Deus,quia præparatur uoluntas à Domino. Et aperit os,ita iubendo ut nemo possit nisi ipse id faciat adiuuando,cui dicitur: Labia mea aperies. Nunquid istorum qui desipiunt ut aliud os,aliud labia esse cōtendant,& mirabili uanitate hominem dicant os aperire,labia hominis Deum?Quanquam Deus illos & ab hac absurditate compescit,ubi ad Moysen famulum suū dicit: Ego aperiam os tuū,& instruam te quę debeas loqui.In sententia ergo illa ubi dicitur:Aperi os,& adimplebo illud, quasi unum uidetur ad hominem pertinere,alterum ad Deum. In hac autem ubi dicitur:Ego aperiam os tuum & instruam te,utrunque ad Dominū. Quare hoc? Nisi quia in uno istorū cooperatur homini facienti,alterum solus facit.Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo, nulla uerò facit homo,quæ non facit Deus,ut faciat homo.

Psal 80.

Psal.50.

Exo.4.

B

Epistola.58. Tomo II.

Exponit desidero quid dicat:De absconditis tuis adimpletus est uenter eorum. Saturati sunt porcina, uel sicut in quibusdam psalterijs scriptum audio: Saturati sunt filijs,& reliquerunt quæ superfuerunt paruulis suis.

Quæstionis solutio Epistola 59.

Quia ergo,sicut tunc scripsi, non potueram inspicere codices Græcos propter quędam psalmi 16.inspexi postea quos inueni.Et unus habebat,quod & Latini nostri:Domine perdens de terra dispertire eos. Alius sicut ipse posui: A paucis de terra.Et illud quidem apertum habet sensum. Perdens de terra quam eis dedisti,dispertire eos in gentibus, quod & factum eis est, cùm graui bello expugnati atque subuersi sunt.Illud autem alterum quomodo accipiendum sit,nō mihi occurrit,nisi quia in comparatione perditæ multitudinis eorum reliquiæ saluæ factæ sunt utique in paucis, à quibus eos dispertiendos, hoc est,diuidendos,scriptura prænuntiauit dicens: Domine à paucis,id est,à reliquijs, quas ex illa gente saluas fecisti, de terra dispertire eos, ut terram intelligamus ecclesiam hæreditatémque fidelium atque sanctorum,quæ dicitur terra uiuentium,& quæ etiam illo loco rectè intelligi potest:Beati mites quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.Cùm autem dictum esset: A paucis de terra diuide eos, additum est, in uita eorū,ut in manifesto futurū intelligeretur,dum hîc uiuunt.Separātur enim multi ab ecclesia,sed cùm moriuntur,qui tamē cùm uiuūt per sacramentorū cōmunionem

Matth.5.

nionem unitatisq; catholicæ uidentur ecclesiæ copulati. Isti ergo diuisi sunt à paucis, qui diuisi sunt de terra, quam sicut agrum suum excolit pater agricola. Diuisi autem in uita sua, id est, hîc in manifesto sicut uidemus. Sequitur autem: Et de absconditis tuis adimpletus est uenter eorum, id est, præter hoc quòd in manifesto diuisi sunt, etiam de absc ōditis tuis, quæ in occulto reddis, retributione malorum adimpletus est uenter eorum. Ventrem posuit pro internorum latentiúmq; secretis. Quod uerò sequitur: Saturati sunt porcina. Iam quid mihi ex hoc uideretur aperui. Sed quod alij codices habent, & uerius habere perhibentur diligentiora exemplaria, quæ per accentus notam eiusdem uerbi græci ambiguitatem græco scribendi more dissoluunt, obscurus est quidem, sed electiori sententiæ uidetur aptius conuenire. Quia enim dixerat: Et de absconditis tuis adimpletus est uenter eorum, quibus uerbis occulta Dei iudicia significata sunt. Occulta quippe sunt miseris, qui etiam gaudent in malis, quos tradidit Deus in concupiscentias cordis eorum: uelut quæreretur unde possint cognosci, qui in abscondito ira Dei adimpleti sunt, & respondetur quod in euangelio dictum est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos, cōtinuò sibiunctum est: Saturati sunt filijs, hoc est fructibus, quod euidentius dicitur operibus suis. Vnde alibi legitur: Parturiuit iniustitiam concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Et alibi: Dein concupiscentia cùm conceperit parit peccatum. Mali ergo filij, mala opera, quibus cognoscuntur, & qui de absconditis Dei iudicijs internis cogitationum suarum tanquam in uentrem adimpleti sunt. Bona opera boni filij sunt. Vnde ad sponsam ecclesiam dicitur: Dentes tui sicut grex detonsarum ascendens de lauacro, quæ omnes geminos creant, & sterilis nō est in illis. In quo gemino fœtu, geminum opus dilectionis agnoscitur, Dei scilicet & proximi: In quibus duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Iste autem sensus quo ita exponitur quod scriptum est: Saturati sunt filijs, nō mihi occurrerat, cùm antè rescriberem, sed recensui breuissimam quandā eiusdem psalmi expositionem, quam iam olim dictaueram, & hoc satis breuiter à me positum reperi. Inspexi etiā codices græcos, utrùm datiuus casus esset quod dictum est, filijs, an genitiuus, quo illa lingua utitur pro ablatiuo, & inueni genitiuū. Quod si ad uerbum interpretaretur, scriptum esset: Saturati sunt filiorum, sed rectè interpres sententiam secutus est, & latino more dixit: Saturati sunt filijs. Quod uerò sequitur: Et reliquerunt reliquias paruulis suis. Existimo paruulos accipiēdos manifestè carnis filios. Vnde etiam secundum istam, non de porcina sed de filijs expositionem, manet illa sententia qua dixerunt: Sanguis huius super nos & super filios nostros. Ita enim reliquerunt operum suorum reliquias paruulis suis.

Margin: C; Prov ὑῶν / ὑῶν (beside "adimpletus est uenter eorum. Ventrem..."); Matth. 7. (beside "pleti sunt"); Psal. 7. (beside "euidentius"); Iaco. 1. (beside "pit dolorem"); Can. 4. (beside "pleti sunt. Bona opera"); D; Matth. 22. (beside "Dei scilicet"); ὡς γραμματίζει (beside "terpres sententiam"); Matth. 27. (beside "expositionem").

PSALMVS VICESIMVS.

Ex lib. 2. contra duas epist. Pelag. ad Bonif. Cap. IX. Tomo VII.

Præuenisti eum in benedictione dulcedinis.) Id est, gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis, in qua si nos non præuenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis: Si enim sine illo nihil possumus facere, profectò nec incipere, nec perficere.

PSALMVS

A PSALMVS VICESIMVS PRIMVS.

Epistola 120. Tomo II.

Deus meus Deus meus, ut quid me dereliquisti? Sic incipit psalmus iste, qui de passione Christi & reuelatione, quam fidelibus faciendis liberandisq; attulit in prophetia, tantò antè cantatus est. Proinde eundem psalmum cuius prophetiã Dominus ad se pertinere demõstrans, eius primum uersum exclamauit cùm penderet in ligno cõmemorando exponendoq; percurram, ut ex hoc intelligas quemadmodum gratia testamenti noui nec eo tempore tacebatur, quãdo in uetere homine uelabatur. Dicitur enim ex persona Christi, quod ad formã serui attinet, in qua nostra portatur infirmitas. Dixit enim & de illo Esaias: Ille infirmitates nostras portat et pro nobis in doloribus est. Ex huius igitur infirmitatis uoce, de qua Paulus in eo quod petebat nõ exauditus, & ideo quodãmodo derelictus, audit tamen à Domino: Sufficit tibi gratia mea, nã uirtus in infirmitate perficitur. Ex uoce ergo huius infirmitatis nostræ, quam in se transfigurauit caput nostrũ, dicitur in hoc psalmo: Deus meus Deus meus respice in me quare me dereliquisti. In eo quippe derelinquitur deprecans, in quo nõ exauditur. Hanc in se uocem transfigurauit Iesus, uocẽ scilicet corporis sui, hoc est, ecclesiæ suę à uetere homine in nouũ reformandæ, uocem scilicet infirmitatis suæ humanæ, cui deneganda fuerant bona ueteris testamenti, ut bona noui testamenti optare atq; sperare iam disceret. In illis autem ueteris testamenti bonis ad ueterem hominem pertinẽtibus, præcipuè concupiscitur uitæ huius productio tẽporalis, ut aliquantò diutius teneatur, quia semper non potest. Ideo diem mortis omnes quidem affuturum sciunt, & eum
B tamen omnes aut penè omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse uicturos. Tantam habet uim carnis & animę dulce consortium. Nemo enim unquã carnẽ suam odio habuit, & propterea non uult anima uel ad tempus ab eius etiam infirmitate discedere, quamuis eam se sine infirmitate in æternum recepturam esse confidat. Proinde mente seruiẽs legi Dei, carne autem trahens desideria peccati, quibus obedire uetat Apostolus, mentis quidem ratione concupiscit homo dissolui prius & esse cum Christo, sed in sensu carnis recusat, & refugit, & si fieri posit, non uult expoliari, sed superuestiri, ut absorbeatur mortale à uita, id est, ut ab infirmitate ad immortalitatem, etiam ipsum corpus sine morte media transferatur. Sed hæc uerba quibus humanus dies & uitæ huius prolixitas concupiscitur, uerba sunt delictorum, & longè sunt ab ea salute, cuius nondum rem sed iam spem gerimus, de qua scriptum est: Quia spe salui facti sumus. Spes autem quæ uidetur non est spes. Ideóque & in isto psalmo cùm dixisset, Deus meus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti continuò subiungit, longè à salute mea uerba delictorum meorum, id est, hæc uerba delictorum meorum sunt, & longè ab illa salute mea sunt, quam mihi non ueteris sed nõui testamenti gratia pollicetur. Quanquam etiam sic distingui posset: Deus meus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti longè à salute mea, tanquam diceret, relinquendo me, hoc est, non me exaudiendo, longè factus es à salute mea, præsenti scilicet salute huius uitæ, ut alius sensus sit, uerba delictorum meorum, id est, ista quæ dixi uerba sunt delictorum meorum, quia uerba sunt carnaliũ desi-

Eiusdẽ lib cap. 6.

Esa. 53.

2. Cor. 12.

Eph. 5.

Rom. 8.

deriorum. Hæc ex persona sui corporis Christus dicit quod est ecclesia. Hæc ex C persona dicit infirmitatis carnis peccati quam transfigurauit in eam, quam sumpsit ex uirgine similitudinem carnis peccati. Hæc sponsus ex persona spõsæ loquitur, quia uniuit eam sibi: quomodo & apud Esaiam, ubi dicit: Sicut sponso alligauit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento, alligauit mihi & ornauit me, tanquam unius uox est, & tamen sponsum & sponsam, Christum intelligimus & ecclesiam. Sed erunt duo in carne una: Sacramentum magnum, dixit Apostolus, in Christo & in Ecclesia. Igitur iam non duo sed una caro. Si ergo caro una, profecto competenter etiam uox una. Quid hîc quæris humana infirmitas uocem uerbi per quod facta sunt omnia? Audi potius uocem carnis, quę facta est inter omnia, quoniam uerbum caro factum est & habitauit in nobis. Audi potius medicinæ uocem, qua sanaris ut uideas Deum, quem tibi uidendum distulit, hominem antè uidendum attulit, mirandum contulit, credendum transtulit, ut ista fide ad uidendum Deum mentis oculus sanaretur. Quid ergo dedignamur audire uocem corporis ex ore capitis? Ecclesia in illo patiebatur, quando pro ecclesia patiebatur. Sicut etiam in ecclesia patiebatur ipse, quando pro illo ecclesia patiebatur. Nam sicut audiuimus ecclesiæ uocem in Christo patientis: Deus Deus meus respice &c. Sic etiam audiuimus Christi uocem in ecclesia patientis: Saule Saule

Eiusdē lib. cap. 7. quid me persequeris? Cùm itaque non exaudimur ad temporalia bona retinenda uel adipiscenda, quando pro his deprecamur Deum, in eo quo nos non exaudit, derelinquit nos, sed ad potiora, quæ uult ut intelligamus & præferamus & concupiscamus, non nos derelinquit. Vnde sequitur psalmista & dicit: Clamaui ad te per diem nec exaudies, & nocte, etiam hîc subauditur, nec exaudies. Sed D uide quid adiungit: Et non ad insipientiam mihi. Hoc ergo dicit: Non me quidem exaudies clamantem per diem, id est, in rebus prosperis ut eas nõ amittam, & nõ cte, id est, in rebus aduersis ut prospera quæ amissa sunt redeāt. Verùm hoc mihi non ad insipientiam facis, sed potius ut sapiam, quid iam per noui testamēti gratiam à te expectare, quid desiderare, quid poscere debeam. Clamo quippe ego ut hîc bona temporalia non auferantur. Tu autem in sancto habitas laus Israël. Nolo ut derelinquas cõcupiscentiam meam, qua carnalem fœlicitatem requiro. Verùm hæc est in sordibus uetustatis, tu autem quæris munditiam nouitatis, non exaudiendo istam cupiditatem relinquis, quia charitatem in qua habites quæris.

Rom. 9. Charitas autem Dei diffunditur in cordibus nostris, sed per spiritum sanctū qui datus est nobis. Ideo in sancto habitas laus Israël, laus uidentium te, quia non in se laudātur sed in te. Quid enim habent quod nõ acceperunt, ut qui gloriatur in Domino glorietur? Hæc est gratia noui testamenti. Nam in ueteri testamento, quādo cõmendabas, non nisi à te peti sperarique debere etiam ipsam terrenā temporalemq; fœlicitatē: In te sperauerūt patres nostri, sperauerūt & eruisti eos, ad te clamauerūt & salui facti sunt, in te sperauerunt & non sunt confusi. Illos quippe patres inter inimicos suos uiuentes, & diuitijs implesti, & ab hostibus eruisti, gloriosasq; uictorias reportare fecisti, & de diuersis eos mortibus liberasti. Pro alio, id est, pro Isaac subiecisti ne feriretur arietē. Aliū, id est, Iob de putredine sanū, & ei dupla quæ amiserat reddidisti. Aliū, id est, Danielē inter leones esurientes illæsum integrumq;

A integrúmque seruasti; Aliorum, id est, Ananiæ, Azariæ, Misaël, inter flammas deambulantium grata uoce laudatus es. Tale aliquid in Christo expectabant fieri Iudæi, unde probarent si uerè filius Dei esset, ex eorum persona, & in libro sapientię dicitur: Morte turpissima condemnemus illum. Erit enim respectus in sermonibus ipsius. Si enim uerè filius Dei est, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus cōtrariorum. Hæc, inquit, cogitauerunt & errauerunt, excæcauit enim eos malitia eorum. Attendentes quippe tempus ueteris testamenti, & illam patrum etiam tēporalem fœlicitatem, in qua illis exhibenda demonstrauit Deus etiam talia dona sua esse, non uiderunt iam esse tempus quo reuelaretur in Christo, bona æterna propriè Deum præstare iustis, qui bona temporalia præstat & impijs. Denique cùm dixisset: In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & eruisti eos. Ad te clamauerunt & salui facti sunt, in te sperauerunt & non sunt confusi. Vide quid adiunxerit: Ego autem sum uermis & non homo. Quod uidetur quidem ad cōmendandam humilitatem simpliciter dictum, ut se in oculis persequentium, abiectissimum quidem & contemptissimum demonstraret. Sed non est contemnenda altitudo secreti profunditasq; mysterij, præsertim in eis uerbis, quę tanto saluatori in prędicatione prophetię coaptātur. Dictus est hic sensus elegātissimus à prioribus, ideo se hoc nomine Christum prænuntiari uoluisse, quia uermis de carne sine cōcubitu nascitur, sicut ille natus est de uirgine. Sed in libro suo Iob cùm de creaturis cœlestibus loqueretur, quòd in Dei conspectu etiam uix ipsæ mundæ sint, quātò magis, inquit, homo putredo & filius hominis uermis? Putredinē pro mortalitate posuit, quæ iam uelut conceptam gerit moriendi necessitatem in quā peccan

Sap. 2.

Eiusdē lib. cap. 8.

Iob. 25.

B do contrusus est homo, & filium hominis uermem natum de putredine quasi putrem, hoc est, de mortalitate mortalem. Ac per hoc in his uerbis psalmi, alium sensum nos quęrere admonuit. Illo quidem saluo neq; reprobato, ut non solùm seruemur quod ait: Ego autem sum uermis, sed etiam illud quod addidit: Et non homo, secundum illud quod de libro Iob cōmemoraui, tanquam diceret: Ego aūt filius hominis & non homo, non quòd homo non sit Christus, de quo dicit Apostolus: Vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Omnis enim filius hominis homo est: sed ad quendam respicit sensus iste, qui sic homo fuerit, ut non esset filius hominis, id est Adam. Fortè ergo sic est dictum: Ego aūt sum uermis & non homo, id est, Ego autem sum filius hominis & non homo, tanquam diceretur: Ego autem sum Christus, in quo omnes uiuificantur, non Adā, in quo omnes moriuntur. Ac per hoc homines discite per gratiam noui testamenti iam uitam cōcupiscere sempiternam. Quid pro magno uultis à Domino de morte liberari, sicut liberati sunt patres uestri, quando cōmendabat Deus etiam terrenæ fœlicitatis præter se non esse alium largitorē? Illa fœlicitas ad ueterē hominem pertinet, quæ uetustas ab Adam cœpit. Ego aūt sum uermis & non homo, Christus non Adam. A ueteri ueteres fuistis, à nouo noui estote: Ab Adā homines, à Christo filij hominū: Non enim sine causa familiarissimè Dominus in euangelio se filium hominis dicit magis quàm hominem, nec sine causa in alio psalmo: Homines inquit, & iumenta saluos facies Domine, sicut multiplicata est misericordia tua Deus. Abs te quippe ista salus hominibus iumentisq; communis. Sed habent aliam homines noui pro-

I. Tim. 2.

τὸ ἀνθρώπου

priam quandam & ab animatorum consortio separatam, quæ ad nouum perti- C
net testamentum. Habēt omninò. Nam de illa ibidem sequitur & dicit: Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Certè & hîc cùm superiùs dixisset, Homines, posteriùs dixit: Filij autem hominum, tanquam distinguens ab hominibus filios hominum. In illa quippe fœlicitate eius salutis quę communis est hominibus & iumentis, eo nomine illos appellare uoluit qui demonstrarentur ad illum primum hominem pertinere, quo uetustas cœpit & mors, qui sic fuit homo, ut nō esset filius hominis. Istis autem posterioribus qui sperātaliam fœlicitatem, & fontis uitæ ineffabilem uoluptatem, & sempiterni luminis lumen, hoc nomen imposuit, quo se familiarius appellari uoluit Dominus eorum, in quos talis gratia reuelata est, eósque filios hominum potius quàm homines appellauit. Non autem existimes quasi locutionis regulam figi perpetua lege seruandam, ut ubicunque legeris homines, aut filios hominum, secundum hanc distinctionem semper intelligas, sed ut se habuerit circunstātia lectionis, unde sensus si patet, hauritur, si latet, eruitur. Sicut in hoc loco psalmi huius quem non moueat distinctionis intentio, cùm ille qui dixerat: In te sperauerunt patres nostri & eruisti eos, ad te clamauerunt & salui facti sunt: In te sperauerunt, & non sunt confusi, subiungit: Ego autem, non enim ait sic: & ego, sed ego autem. Quid ergo iste qui se ita distinguit? Ego autem sum uermis, inquit, & non homo, tanquā illis quos exaudisti & eruisti eam commendares fœlicitatem, quæ ad uetus pertinet testamentū, quæ homini ueteri tribuenda esset, qui cœpit ab Adam: Ego autem sum uermis, hoc est filius hominis, non homo sicut ille homo, qui non fuit filius hominis. Ac per hoc & quod sequitur: Opprobrium hominum & abiectio plebis, omnes qui conspiciebant me, subsanabant me & locuti sunt labijs & mouerunt caput. Sperauit in Deum, eruat eum: saluum faciat eum quoniam uult eum. Hoc in labijs non in corde dixerunt, insultando quòd non fieret, non credendo quòd futurum esset. Factum est autē & hoc, sed sicut fieri oportebat in filio hominis, in quo spes æternæ uitæ fuerat reuelanda ad nouum pertinens testamentum, nōn sicut illi expectabant, & quia fieri non uidebant, tanquam superato insultabāt: pertinentes ad testamentum uetus & hominem, in quo omnes moriuntur, non ad filium hominis in quo omnes uiuificabuntur. Mortem quippe intulit homo sibi filióque hominis, uitam uerò attulit homini moriens & resurgens filius hominis opprobrium hominū & abiectio plebis. Vsque ad mortem enim hoc uoluit pati in conspectu inimicorum, quo eum tanquam derelictum putarent, ut gratia commendaretur noui testamenti qua disceremus aliam quærere fœlicitatem, quæ nunc est in fide, postea in specie. Quandiu enim sumus in corpore, ait Apostolus, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem, & ideo nunc in spe, tunc in re. Denique resurrectionem suam, quam non sicut nostram in lōgum differri oportebat, ut in exemplo carnis eius disceremus, quid in nostra sperare deberemus, noluit alienis demonstrare, sed suis, alienis dico, non natura sed uitio quod semper est contra naturam. Mortuus est ergo in cōspectu hominū, resurrexit autem

Eiusdē lib. cap. 6. D

A tem in conspectu filiorum hominum,quia mors ad hominem pertinebat,resurre ctio ad filium hominis.Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes uiuificabuntur. Vt igitur exemplo suæ carnis exhortaretur fideles suos temporalem pro æterna fœlicitate contemnere,usque ad mortem pertulit persequentes atque sæuientes,& quasi uicto & oppresso superbè illudentes.Quòd autem carnem suam resuscitauit,& discipulorum conspectibus,& contactibus reddidit,eisq; uidentibus ascendit in cœlum,ipsos ædificauit,& quod prædicare deberent,euidentissima ueritate demonstrauit.Illos autem à quibus tanta mala usque ad mortem pertulerat,quasi de illo superato & extincto gloriantes,in ea opinione dereliquit,ut quisquis eorum salute æterna saluus fieri uellet, hoc de illius mortui resurrectione crederet,quod hi qui uiderant signis contestantibus prædicauerunt,& pro ea prædicatione similia perpeti non dubitauerunt. Quapropter etiam Iacobus unus ex apostolis eius in epistola sua,cùm hortaretur fideles, qui post passionem & resurrectionem Christi adhuc in ista uita tenebantur,dispēsationem ueteris testamenti nouique distinguens:Sustinentiam,inquit,Iob audistis,et finem Domini uidistis,ne ideo patienter sustinerent temporalia mala,ut sibi hoc restitueretur quod recępisse legimus Iob.Nam & ab illo uulnere atq; putredine saluus factus est,& ei cuncta quę amiserat duplicata sunt restituta,ubi etiā commendata est resurrectionis fides. Nam filij non duplum sed totidem redditi: etiam illos quos amiserat resurrecturos significauerunt.Sic ipsi quoque illis prioribus iuncti,à restitutionibus dupli non inuenientur alieni.Vt ergo non talem remunerationem speraremus,quando mala temporalia pateremur,non ait:Susti-

1.Cor.15.

Eiusdē lib. cap.10.

Iacob.5.

B nentiam & finem Iob audistis,sed finem Domini uidistis:tanquam diceret: Mala temporalia sicut Iob sustinete,sed pro hac sustinentia non temporalia bona sperate quæ illi aucta redierunt,sed æterna potius quæ in Domino præcesserūt.Iob ergo de illis patribus erat,qui exclamauerunt,& salui facti sunt. Cùm enim dicit: Ego autem, satis insinuat,qua salute illos saluos esse factos uelit intelligi,in qua ipse utique derelictus est,non quòd illi à salute æterna fuerint alieni,sed in occulto tunc erat quod in eis fuerat reuelandum.In ueteri quippe testamento uelamē est,quod tunc auferetur,cùm ad Christum quisque inde transierit.Quo crucifixo uelum etiam templi scissum est,ut significaretur quod Apostolus de uelamine ueteris testamenti dixit,quomodo in Christo euacuatur. Nam & in illis partibus quāuis rarissima,tamē fuerunt & usq; ad mortem exempla patientię à sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ,quorum sanguinem dicit Dominus Iesus & ab eis exigendum,qui in patrū suorum à quibus illi occisi sunt iniquitate persisterent.Et in nouo testamēto nec defuit nec deest bonorum fidelium multitudo, qui etiam in ista tēporali fœlicitate præpolleāt,& in ea largitoris Dei bonitatē misericordiámque experiātur,tenentes tamen quod dispensator noui testamēti,diuitibus huius seculi Apostolus præcepit,nō superbè sapere,neq; sperare in incerto diuitiarū,sed in Deo uiuo qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum, ut benefaciant diuites,sint in operibus bonis,facilè tribuant,cōmunicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum,ut apprehendant uerā uitam:qualis in Christi non tantùm spiritu,uerumetiam carne manifestata est cùm resurre

Luc.12.

1.Timo.6

xit à mortuis, non qualem Iudæi in illo peremerũt, quando eum de manibus eo- C
rũ Deus non eruit, eumq; dereliquisse uisus est exclamantem: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti: ut eo modo in se trãsfiguraret martyres suos, qui et si mori nollẽt, quod etiã Petro dixit: Alter te cinget & feret quò tu nõ uis, significans qua morte clarificaturus erat Deũ, & ob hoc à Deo suo derelicti uiderẽtur ad tempus, cùm eis præstare nollet quod uellent, illam uocem cordis emitterẽt, illumq; adhiberent pietatis affectũ, quem passione impendente, ore proprio Dominus expresit, eos in se identidẽ trãsfigurãs. Verùm non quod ego uolo, sed quod

Eiusdẽ lib. cap.11. tu uis pater. In quo enim primitus nisi in ipso capite nostro apparere debuit propter quam causam Christiani sumus: Propterea nõ ait: Deus meus Deus meus dereliquisti me, sed causam commonuit requirẽdam cùm addidit: Vt quid dereliquisti me, id est, quare, propter quid, quam ob causam? Profectò enim erat aliqua causa, eaq; non parua, ut Noë liberaret de diluuio, Loth de cœlesti incendio, Isaac de imminẽti gladio, Ioseph de calũnia mulieris & custodia carceris, Moysen ab Aegyptijs, Raab ab excidio ciuitatis, Susannam de testibus falsis, Danielẽ à leonibus, tres uiros ab ignibus, aliosq; patres qui exclamauerũt, & salui facti sunt, & Christum de manibus Iudæorum non liberaret, eumq; in potestate sæuientiũ usque ad mortis exitũ derelinqueret. Vt quid hoc? Propter quid hoc? nisi propter illud quod paulò pòst in eodẽ psalmo dicit: Nõ ad insipientiã mihi, hoc est corpo-

Matth.25. ri meo, ecclesiæ meæ, minimis meis. Nã in euangelio, quod uni ex minimis meis fecistis, inquit, mihi fecistis. Sic itaq; dictũ est: Et non ad insipientiam mihi, quomodo dictũ est: Mihi fecistis. Et sic dictũ est: Quare me dereliquisti, quomodo dictũ est: Qui uos recipit me recipit, & qui uos spernit me spernit. Nõ ergo ad insipien- D
tiã nobis, sed ut sapiamus, nõ propter istã uitã in qua nos Deus aliquando usque ad mortẽ persequentiũ manibus derelinquit, sed propter illam sempiternam nos debere esse Christianos, quia hoc in illo præcessisse intuemur, ex cuius nomine sic uocamur. Ecce ita factũ est, tamen multi non ob aliud uolũt esse Christiani, nisi ut huius uitæ fœlicitate perfruãtur, ideoq; illa deficiente deficiũt. Quid si non in ipso nostro capite tã insigne constitueretur exemplũ, quo disceremus pro cœlestibus

2. Cor.4 terrena contemnere, non respicientes quæ uidentur, sed quæ nõ uidentur? Quæ enim uidentur tẽporalia sunt, quæ autem non uidentur æterna. Quòs in se uocibus illis transfigurare dignatus est. Nã quantùm ad ipsum attinet, quomodo uellet liberari ab illa hora, qui propterea uenerat in illã horam? Aut quomodo sic loquebatur quasi quod nollet ei accideret, cùm potestatẽ habuerit ponẽdi animam suã, & iterũ sumẽdi eã nec eã quisquã tolleret ab illo, sed eã ipse poneret & sumeret, sicut in euangelio dicit? Sed proculdubiò nos in illis uocibus eramus, & caput pro suo corpore loquebatur, nõ disiũcta significatiõe uocis, ubi cõnexio nõ disiũ-

Eiusdẽ lib. cap.12. gitur unitatis. Denique in psalmo sequitur, & orans aduerte quid dicat: Et tu, inquit extraxisti me de uentre, spes mea ab uberibus matris meæ Deus meus es tu, tãquam diceret, de alia re & ab alia re in aliã rem me traiecisti, ut tu sis mihi bonũ pro terrenis bonis mortalitatis huius, quã in matris uentre sortitus sum, quia ubera suxi. Hæc enim uetustas est de qua me extraxisti, & illa carnalis natiuitatis bona sunt, à quibus tu spes mea es. Inde enim ad te conuersus sum ex utero, id

est

A est ex his quæ in utero inchoaui. In te iactatus sum: ad te scilicet transiens, totum me tibi committens. Ideóque de uentre matris meæ, id est, de bonis carnis quam sumpsi in uentre matris meæ, Deus meus es tu, ut de his tu sis bonum meum: ea locutione dictum est, ac si diceretur, uerbi gratia, de terra cœlũ habito, hoc est, hinc illò emigraui: & ista nostra in illum transfiguratio est, qui per gratiam testamenti noui mutamus uitam, transeuntes de uetere ad nouam. Nam ille hanc rem sacramento sue passionis resurrectionísque significans, carnem mutauit de mortalitate ad immortalitatem, uitam uerò non mutauit de uetustate in nouitatem, quæ nunquam fuit in impietate unde transiret ad pietatem. Quanquam non defuerũt qui hoc quod dictum est: De uentre matris meæ Deus meus es tu, ideo ad ipsum caput nostrum pertinere sentirent, quoniam pater intantum est Deus eius, inquantum homo est in forma serui, non inquantum illi æqualis in forma Dei est. Ideo de uẽtre matris meæ Deus meus es tu, ac si diceret, ex eo quòd homo factus sum, Deus meus es tu. Siquidem, tu extraxisti me de uentre, sic ad ipsum Iesum de uirgine procreatum refertur, quasi alios Deus non extrahat, in cuius prouidentia est omnis ordo nascendi, ac inde significare ualuit partum uirginis seruata uirginitatis integritate mirabili, cùm ait: Tu extraxisti me de uentre matris meæ: ut quod illic mirabiliter factũ est, cùm Deus fecisse dicitur, nemini incredibile uideatur. Quid ergo est & illud: Spes mea ab uberibus matris meę? Quomodo & hoc ad ipsum caput ecclesiæ referri potest, quasi spes eius quæ in Deo est, à matris uberibus ei cœperit, non & antè in ipso utero. Neque enim spes alia intelligenda est, nisi qua futurum erat ut Deus eum exaltaret à mortuis. Totum hoc quippe secundũ id quod

B homo factus est dicitur. An fortè quia ubera fœminarum ab ipso cõcæptu in ubertatem promoueri perhibentur: sic intelligi uoluit, ab uberibus, tanquam diceret, ex quo carnem sumpsi, cui carni fuerat speranda immortalitas: ut non antè spes ei esset cùm in forma Dei esset, in qua nihil in melius mutandum esset, sed ab uberibus matris, id est, ab ipsa susceptione carnis quæ concipiebatur in spe, cuius spei res futura erat, cùm ad immortalitatem de morte transiret. Sed quod dictum est: In te iactatus sum ex utero, quomodo coaptari capiti possit, ignoro, quasi in utero cùm esset non in Deo fuerit, in quo uiuimus, mouemur & sumus, aut illius infantis anima rationalis, ex quo caro processit ex utero, Deum sperare cœperit. σκληρὸν
Nisi fortè credendum est, iam nato animam rationalem accessisse, quæ intra uiscera matris adhuc ei defuisset. Et quoniam eadem anima, quæ carni iam natæ addita est Deo inhærebat, ideo secundum eandem carnem dictum esse existimandum est: In te iactatus sum ex utero, tanquam diceret, eam sortitus sum animam ex utero quæ tibi cohæret. Sed quis audeat in hanc se temere præcipitare sententiam, cùm ratio de aduentu uel exortu animæ in tanto naturę profundo sic lateat, ut satius sit eam semper quærere quãdiu in hac uita sumus, quàm aliquando inuenisse præsumere. Ex illa uerò in seipsum transfiguratione nostra quẽadmodũ possent hæc accipi, dictũ est. Si quid autẽ dici potuit conuenientius uel poterit, nullius præiudicamus ingenio, doctrinæ nullius inuidemus. Iam illud quod sequitur: Ne discedas à me, quoniam tribulatio proxima est, inde iam eminet, quemadmodum dictum est: Quare me dereliquisti. Quomodo enim dereliquit, cui dicitur: Ne disce- *Eiusdẽ lib. cap. 17.*

das à me, nisi quia dereliquit uitæ ueteris temporalem fœlicitatem. Rogatur autem ne discedat & deserat spem uitæ æternæ? Sed quid est, quoniam tribulatio proxima est, quasi ei passio adhuc immineret, cùm ipse media passione ista dicere intelligatur, quæ de illo in hoc psalmo prophetata sūt. Hîc enim dicturus est etiā, quæ in euangelio apertissimè scripta sunt: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem, quod factum est cùm iam penderet in ligno. Quid est ergo tribulatio proxima est, in qua media loquebatur? Sed nimirū illud uult intelligi, quia cùm caro in doloribus est & in pœnis, profectò anima tunc habet magnum agonē patientiæ, in quo ne deficiat, laborandum & orandū est. Nihil est autem animæ sua carne propinquius. Ideo mundi huius quālibet magnus perfectusq; contemptor, cùm alibi patitur nihil patitur. Potest enim adhibere uigilem rationē cùm amittit bona quæ extrinsecus sunt, & ab animo sapientis, qui ex cupiditate non hæret, sine dubio longè sunt, & non curare quod patitur, quia nec patitur. Cùm uerò amittit præcipua corporis bona, id est, corporis uitam ac salutem, iam tribulatio proxima est animi bonis, quibus ipse intùs tanquam corporis est Dominus, qui facit qualibet ratione, ut non doleat cùm corpus uulneratur aut uritur, cui tanto implicatur consortio, ut pati possit, dolere nō possit. Ideo & diabolus hunc nocēdi ordinem tenens, illius magni uiri quem postulauerat tētandum, prius externa bona accēpit in potestatē, quibus ablatis & perditis, cùm illum inconcussum uideret, dixerat enim: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factū est, sit nomen Domini benedictum, etiam carnē cruciādam uulnere postulauit, tali cum eo confligens certamine, ut bona proxima inuaderet, id est, corporis bona, quibus ille perditis si fortè succumberet, atque ad impietatē cor inclinaret, etiam bona animi deperirent, quibus perdendis iam in corpore sæuiēs uicinius tentator instabat. Denique ille uir qui in tāta animi tētatione erat, ubi erat animi bonis proxima tribulatio, quāuis multa propheticè loquatur, longè tamen loquitur aliter, quàm cùm illa externa bona deperissent in quibus filios nō amiserat sed præmiserat. Clamat ergo martyris anima trāsfigurata in Christum, cùm iam in carne tribulari cœperit, & dicit Deo à quo derelicta est in terrena fœlicitate, sed quæ cum illo est in spe uitæ æternæ: Ne discedas à me, quoniam tribulatio proxima est. Non est in agro meo, non in auro, non in pecore, nō in tectis atque parietibus, non in meorum orbitatibus, sed in carne mea est, cui copulor, cui cōnector, cuius sensum nō habere non possum, unde me de proximo urget, ut à patiētiæ uirtute deficiā, nō discedas à me, quoniā nō est qui adiuuet neq; amicus neq; propinquus, neq; humana laus, neque præteritę recordatio uoluptatis, neq; aliquid eorū quo terrenæ fœlicitatis ruina fulcitur, neq; ipsa quæ in animo est meo humana uirtus, quia si tu deseris, quę hominis uirtus? Quid est enim homo nisi quòd memor es eius? Circūdederūt me uituli multi, hoc est, minores in plebe. Tauri pingues obsederūt me, hoc est, superbi ac diuites principes plebis aperuerunt in me os suum, clamantes: Crucifige crucifige. Quasi leo rapiens & rugiens rapuerunt eum, comprehensum adducentes ad præsidem & rugierūt petēdo eius mortem. Sicut aqua effusus sum, tanquam in me lapsi caderent persecutores mei. Dispersa sunt omnia ossa mea. Quid sūt ossa nisi corporis firmamēta, corpus

Marginalia: C (beside line 1); Matth. 27. (beside "quæ in euangelio"); Iob. 1. (beside "illum inconcussum"); D (beside "deret, id est"); Eiusdē lib. cap. 14. (beside "mo est meo humana uirtus"); Luc. 23. (beside "ruerunt in me os suum")

A pus autem Christi ecclesiæ? Firmamenta ergo ecclesiæ, qui nisi Apostoli, qui etiam columnæ alibi nuncupantur? Ii utique dispersi sunt cùm ad passionem ipse duceretur, uel cùm esset passus & mortuus. Factum est ergo cor meum tanquam cera liquescens in medio uentris mei. Hoc sanè quemadmodum capiti nostro ipsius corporis saluatori coaptetur, inuenire difficilè est. Neque enim nisi magno pauore contingit, ut cor uelut cera liquescat humanum, quod unde in illo fieri posset, qui potestatem habebat ponendi & recipiendi animam suam? Sed profectò aut *Ioan.10.* infirmorum suorum in se transtulit causam, uel illorum qui metu mortis pauescunt, sicut ipse Petrus ex egregio præsumptore, tam creber negator effectus, siue illorum qui tristitia salubri contabescunt, sicut idem ipse Petrus cùm amarè fleuit. Nam tristitia quasi soluit cor. Vnde dicitur etiam Græcè λύπη, quod hinc ap- *λύω* pellata sit λύπη. Aut certè profundũ sacramẽtum nos intelligere uoluit, ut cordis sui nomine significaret scripturas suas, ubi eius utiq; latebat cõsilium, quod tunc apertum est, cùm ea quæ de illo prophetata fuerunt passus impleuit. Solutæ sunt ergo scripturæ eius in his, quæ perfecta sunt aduentu eius, natiuitate, passione, resurrectione, glorificatione. Quis enim iam ea non intelligit in prophetis, quando usq; ad intellectum etiam carnalis multitudinis peruenerunt, quam fortasse significauit in medio uentris sui, ut in eius corpore quod est ecclesia, quasi uentris locũ habeat carnalis & infirmior multitudo? Aut si uentris nomen magis interioribus competit, ad eos potius perfectiorẽ scripturarũ intellectũ pertinere monstratum est, cùm cor eius, id est, scripturæ eius, quæ continent consilium eius, in medio eorum, hoc est, in cogitatione eorum tanquã cera dissoluitur, hoc est, feruore spiri-

B tus aperitur, disputatur, exponitur. Et aruit uelut testa uirtus mea. Testa igne *Eiusdẽ lib.* firmata est, sic & uirtus corporis Christi non sicut fœnũ igne cõsumitur, sed sicut *cap.15.* testa passione uelut igne firmatur. Vasa enim figuli probat fornax, sicut alio loco scriptura dicit, & homines iustos tentatio tribulationis. Et lingua mea adhæsit fau *Eccl.27.* cibus meis. Potest quidẽ silentium eius significatũ uideri, quod & propheta com- *Esa.53.* mendat cùm dicit: Sicut agnus corã tondente fuit sine uoce. Sed si linguam eius, os in eius corpore quod est ecclesia intelligamus, per quod suũ loquitur euangelium, tunc eius faucibus adhæret, cùm à præceptis eius non recedit. Quod uerò sequitur: Et in puluerẽ mortis deduxisti me, quomodo capiti coaptabitur, quãdo quidem corpus eius, quod tertia die resurrexit, nõ est utiq; in puluerem dissolu- *Act.2.* tum? Nec aliter exposuerunt apostoli, quod in alio psalmo positũ est: Neque dabis *Psal.15.* sanctum tuũ uidere corruptionẽ, nisi quia eius caro nõ est corrupta, quæ tam celeriter resurrexit. Vnde item in alio psalmo dicit: Quæ utilitas in sanguine meo *Psal 29.* dum descendo in corruptionẽ? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit ueritatem tuã? hoc scilicet dicens, quòd si eo modo quo & cæteri mortuus dimitteretur in puluerem, & caro eius resurrectioni ultimæ seruaretur, nulla esset utilitas in sanguine eius, quia nihil prodesset mors eius, nec annuntiaretur ueritas Dei, quæ illum continuò resurrecturũ esse prædixerat. Quid sibi uult ergo quod hoc loco ait: Et in puluerem mortis deduxisti me? Nisi corpus eius accipiamus ecclesiam, in qua illi, qui pro eius nomine passi sunt uel patiuntur, nõ ita ut ipse citò resurgunt, sed in mortis puluerem deducuntur, tunc resurrecturi, cùm illud tem

pus

pus uenerit, de quo in euangelio dicit: Veniet hora quando omnes qui in monumentis sunt audient uocem eius & procedent. Aut certè tropicè puluerem mortis C
Psal.1. Iudæos intelligi uoluit, in quorum manus deductus est. Scriptum est enim: Nō sic
Eiusdē lib. impij non sic, sed tanquam puluis quem proijcit uentus à facie terræ. Denique
cap.16. sequitur: Quoniam circundederunt me canes multi, concilium malignantiū obsedit me, tanquam ipsos dixerit puluerem mortis in quem deductus est, quos dixit canes multos & concilium malignantium, canes eos uidelicet appellans, qui plerunque contra innocentes latrant cum quibus non habent consuetudinem. Iā uerò in his quæ subiungit tanquam euāgelium recitatur. Crucifixio quippe eius exprimitur in eo quod dicit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerūt omnia ossa mea. Ipsi uerò considerauerunt & conspexerunt me. Fossę enim sunt clauis manus, & pedes eius, & cùm extenderetur in ligno, quodammodo numerata sunt ossa eius. Consideratus est autem atque conspectus quid illi futurum esset, & utrùm ueniret Helias & liberaret eum. Iam illud quod sequitur, nullius expositionis indiget: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Verba deinde quę subtexuntur, orantis sunt, tam in persona capitis, id est, hominis mediatoris, quàm ex persona corporis quod est ecclesia, quam dicit etiā unicam suam. Tu autem Domine, inquit, ne longè facias auxilium tuum, hoc ad eius carnem pertinet, cuius resurrectio non in longum est missa ut aliorum. In defensionē meam aspice, ne quid noceant inimici, qui sibi uidentur aliquid potuisse carnem perimendo mortalem. Non autem nocent, si defendente gratia Dei, nō eis ad malum anima superata consentiat. Sic enim & alibi prophetatum est: Terra tradita est in manus impij, hoc est, caro terrena. Erue à framea animam meam. Framea D
gladius est. Neque utique tali ferro Christus occisus est sed cruce, nec latus eius gladio, sed lancea percusserunt. Translato ergo uerbo frameam linguam dixit persequētium, sicut in alio psalmo dicitur: Et lingua eorum gladius acutus. Vnde quia
Psal.56. in eius carne lingua præualuit malignorum, orat ut animæ nihil noceat, cùm dicit: Erue à framea animam meam, ut hæc in prophetia oratio si ad caput corporis referas, non uideatur uelut indigentis petitio, sed potius rei futuræ figurata prædictio. Aut certè, quia corpus eius, hoc est, ecclesia graues persecutores fuerat perpessura, frameam dixit, qua maximè trucidati sunt martyres, unde uult eorum
Matth.10. animas erui, ne timeant eos qui corpus occīdunt, animam autem occidere non possunt, & consentiant ad illicita. Aut etiam in ipsorum pasionibus, inimicorum linguam frameam dicit, unde animam suam, hoc est, animam corporis sui, animam sanctorum suorum uult erui. Quod autem sequitur: Et de manu canis unicam meam, nihil aptius quàm unica ecclesia mihi uidetur intelligi. Canem uerò appellauit mundum, non ratione sed consuetudine contra insolitam ueritatem latrantem. Hæc est enim canum natura, ut cum quibus habent consuetudinem, siue illi boni siue mali sint, non ad eos latrent, insolitorum autem personis uisis, etiam in innocentibus irritentur. Manu autem canis potestatem mundi significauit. Cuius etiam regnum infestum futurum corpori suo, id est, ecclesiæ suæ, leonis nomine figurauit in eo quod adiunxit: Saluum me fac de ore leonis. Vnde est scriptum: Ni
Prouer.19 hil interest inter minas regis, & iram leonis, quanquam & diabolum apostolus
1.Pet.5. Petrus

A Petrus leoni comparet rugienti & quærenti circumeŭdo quem deuoret. Superbósque huius mundi, Christianis humilibus aduersaturos ostendens, consequenter dicit: Et à cornibus unicornium humilitatem meam. Ideo quippe in unicornibus superbi intelliguntur, quia superbia odit consortium, & quantùm in ipso est, solus cupit eminere omnis superbus. Iam nũc attẽde ubi sit fructus, uel quod derelictus est, ne exaudiretur pro terrena fœlicitate, non ad insipientiam, sed ut saperemus quid noui gratia testamenti desiderare debeamus: uel quòd nõ est derelictus, sed exauditus in eo quòd ait: Ne discedas à me, qui dixerat: Quare me dereliquisti, quod utique contrarium est, nisi illud ad aliud, hoc ad aliud referatur. Attende & audi quantùm sapis, hauri quantùm capis, quantúmq; ipse rem tantam eloqui ualeo, quantùm tribuit ille qui nos exaudit, & in Christo inquãtum homo mediator est inter nos & Deum, & cum Christo inquantum Deus est ęqualis Deo, & potẽs est facere, ut ait Apostolus, suprà quàm petimus aut intelligimus. Vide in hoc psalmo testamenti noui gratiam, uide illius derelictionis, tribulationis, deprecationis fructũ, quid agatur, quid insinuetur, quid mundetur, quid illustretur. Intuere quid legamus tantò antè prophetatũ, quid iam cernamus impletum. Narrabo nomen tuum, inquit, fratribus meis, in medio ecclesiæ cantabo te. Fratres illi sunt de quibus in euangelio ait: Vade & dic fratribus meis: ecclesia illa est quam modo dixi unicam suam, hæc est unica catholica quæ toto orbe copiosa diffunditur, quæ usque ad ultimas gentes porrigitur. Vnde in euangelio dicit: Et prædicabitur hoc euãgelium in uniuerso orbe in testimoniũ omnibus gentibus, & tunc ueniet filius hominis. Quòd autẽ ait: Cantabo, hoc est illud canticum no-
B uum, de quo in alio psalmo dicitur: Cantate Domino canticum nouũ, cantate Domino omnis terra. Habes hîc utraq;, ex quo cantico cantaturum se dixerit: & in cuius ecclesiæ medio: illud pertinet ad nouum canticum, hoc ad omnem terram. Ipse quippe cantat in nobis cuius gratia cantamus, sicut dicit Apostolus: An uultis experimentum eius accipere qui in me loquitur Christus? Medium uerò ecclesiæ ad eminentiam licet referas & ipsam manifestationẽ, quia omnia quantò clarius nota sunt, tantò magis in medio esse dicũtur, uel certè ad interiores ecclesiæ, quia interiora sunt media. Neq; enim omnis qui labijs personat, cantat canticum nouũ, sed qui eo modo cantat, ut Apostolus admonet dicens: Cantantes & psallentes in cordibus uestris Domino. Intùs enim est hoc gaudium, ubi uox laudis & canitur & auditur, quia uoce laudatur qui gratis amandus est toto corde, tota anima, tota mente, amatoréq; suũ attendit in se gratia sua spiritussancti. Quid enim aliud est canticum nouũ, quàm laus Dei? Denique sequitur, & hoc euidentius demõstrat. Cùm enim dixisset: Narrabo nomen tuũ fratribus meis, quia Deum nemo uidit unquã, sed unigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit. Atque adiunxisset: In medio ecclesiæ cantabo te, quomodo cantabit, id est, quia in nobis, cõtinuò manifestauit dicens: Qui timetis Dominũ laudate eum. Quis autẽ ueraciter laudat, nisi qui synceriter amat? Tantundẽ est ergo ac si diceret: Qui timetis Dominum amate eum. Dixit enim homini sicut scriptum est: Ecce pietas est sapientia. Porrò pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando. Summa igitur & uera sapientia est in præcepto illo primo: Diliges dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo

Eiusdẽ lib. cap. 17. · *Ioan. 20.* · *Matth. 24.* · *Psal. 95.* · *1. Cor. 13.* · *Eph. 3.* · *Eiusdẽ lib. cap. 18.*

Matth. 22. de tuo & ex tota anima tua. Ac per hoc sapientia est charitas Dei, nec diffunditur C
Rom. 5. in cordibus nostris, nisi per spiritumsanctum qui datus est nobis. Initium autem
Eccl. 1. sapientiæ timor Domini. Et timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras
1. *Ioan.* 4. mittit timorem. Proinde præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorũ operum & seruat charitati locum, quia tanquam domina ueniente, ut illa insideat, abscedit. Ergo qui timetis Dominum laudate eũ, ut Deum non seruiliter, sed liberè colatis, eum amare discite quẽ timetis, & poteritis laudare quod amatis. Timentes enim Deum homines ueteris testamẽti, propter literam terrentem & occidentẽ, nondum habentes spiritũ uiuificantem, currebant cum sacrificijs ad templũ. Et quãuis in figuram futuri sanguinis quo redẽpti sumus, tamen nescientes quid per eos præfiguraretur, cruentas uictimas immolabant. Nunc uerò in gratia noui testamẽti, qui timetis Dominum laudate eum. Ipse quippe in alio psalmo, illa mutanda prænuntians, quæ tunc in umbra futuri offerebantur: Non
Psal. 49. accipiam, inquit, de manu tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Et paulò pòst ut ostenderet sacrificium noui testamenti, quando illa fuerant cessatura: Immola; inquit, Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Et in fine eiusdem psalmi: Sacrificium, inquit, laudis glorificabit me, & illic uia est qua ostendã illi salutare meum. Salutare Dei Christus est, quem infantem Simeon senex cùm agnouisset in spiritu, eumq; sumpsisset in manus: Nunc dimittis, inquit, Domine seruum tuum secundũ uerbũ tuum in pace, quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum.

Eiusdẽ lib. cap. 19. Qui timetis ergo Dominum laudate eum, uniuersum semen Iacob glorificate eum. Non uacat, quod ei non sufficit dicere, semen Iacob, nisi adderet uniuersum, ne in solis eis intelligeretur qui ex Israëlitis fuerant credituri. Semen Iacob D ipsum est semen Abrahæ: omnibus in Christũ credentibus, non solis qui ex Israël fuerunt fideles Apostolus dicit: Ergo Abrahæ semen estis secundũ promissionem hæredes, ibi nanque cõmemorauit præfigurationem noui testamenti, in eo, quod scriptum est: In Isaac uocabitur tibi semen, non utique in Hismaël ancillæ filio. In quibus duobus filijs Abrahæ seruo & libero, & duabus mulieribus ancilla & libe
Gal. 4. ra scribens ad Galatas, duo testamenta dicit in allegoria præfigurata. Vnde dicit:
Rom. 9. Non qui filij carnis, hi sunt filij Dei, sed filij promissionis deputãtur in semine. Promissionis enim uerbum hoc est: Ad hoc tempus ueniam, & erit Saræ filius. Multũ est & nimis longũ diligenter enucleare cur filij promissionis pertinẽtes ad Isaac, noui testamenti gratiæ deputẽtur. Breuiter tamen attingam, unde tantò fructuosius cogitabis, quantò magis piè cogitaueris. Non omnia Deus quæ prædicit promittit. Prædicit enim etiam illa quæ non ipse facit, quia est omnium præscius futurorum. Prædicit ergo & peccata hominum, quę potuit præscire non facere. Promittit autem quæ ipse facturus est, nec ea mala sed bona. Quis enim promittit mala? Quamuis itaque mala inferat, mala non peccata sed supplicia, minatur tamen potius quàm promittit. Omnia largitur & præscit, sed peccata prædicit. Filij ergo promissionis, filij sunt beneficij. Hæc est gratia quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus domino Deo nostro,
Eiusdẽ lib. cap. 20. quod est magnum sacramentum in sacrificio noui testamenti, quod ubi & quando & quomodo offeratur cùm fueris baptizatus inuenies. Deinde sequitur & dicit:

A dicit: Timeat eum omne semen Israël, quia Iacob ipse & Israël unus homo erat habens duo nomina, non in paruo sacramento, sed uno libro non possunt dici omnia, in quo iam multùm progressi sumus & nondum de alijs tribus quæstionibus aliquid diximus, hoc est, de tenebris exterioribus, & latitudine & longitudine, altitudine & profundo, & de quinque & quinque uirginibus. Quòd ergo dixit suprà: Vniuersum semen Iacob, hîc consequenter ait: Omne semen Israël. Sed quare superiùs: Magnificate eum, & posteriùs: Timeat eum. Magnificatio laudi congruit, de qua dixerat: Qui timetis Dominum laudate eum, unde iam multa disserui. Ibi quoque amor uel charitas Dei perfecta foras mittit timorem. Cur ergo iterum timeat eum omnis Israël? Non enim accæpistis, inquit Apostolus, spiritum seruitutis iterum in timore. Sed idē Apostolus oleastro inserto in oliua timorem præcipit, hoc est, gentibus additis radici Abraham, Isaac, Iacob, ut & ipsi fierent Israël, id est, pertinerent ad semen Abrahæ. Quam insertionem oleastri amputatis propter infidelitatis superbiam naturalibus ramis etiam ipse Dominus in euangelio prædixit occasione illius Centurionis qui in eum ex gentibus credidit. Tunc enim ait: Amen dico uobis, nō inueni tantā fidē in Israël. Et adiunxit: Ideo dico uobis, quia multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham Isaac & Iacob in regno cœlorū, filij autem regni ibunt in tenebras exteriores, illic erit ploratio & stridor dentium. Ita significans inseri oleastrum propter humilitatem. Dixerat quoq; ille Centurio: Non sum dignus ut sub tectum meum intres, sed tantùm dic uerbo, & sanabitur puer meus. Confractionem autē ramorum naturalium propter superbiam, scilicet eorū qui ignorātes Dei iustitiam, & B suam uolentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. De his quippe uana elatione tumentibus dictum est, quòd ibunt in tenebras exteriores, quia iactantes se de semine Abrahæ, semē Abrahæ fieri noluerunt, ut essent filij promissionis, quia fidem noui testamenti non recæperunt, ubi iustitiam Dei contempserunt, & suam constituere uolentes, id est, tanquàm de suis meritis & operibus præfidentes spreuerūt esse filij promissionis, hoc est filij gratiæ, filij misericordiæ, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, credens in eum qui iustificat impium, hoc est, qui ex impio facit pium, ut deputetur fides eius ad iustitiam, & impleatur in eo, nō quod postulabat eius meritum, sed quod à Domino promissum est beneficium. Cum his igitur agens Apostolus qui oliuæ per gratiam inserebantur. Dicis inquit: Fracti sunt rami ut ego inserar. Bene, propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide sta, noli altum sapere, sed time. Dei est enim beneficium nō meritum tuum, quod & alibi dicit: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc nō ex uobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Iesu Christo in operibus bonis, quæ præparauit Deus ut in illis ambulemus. In hoc itaque intellectu gratiæ est timor, de quo dicitur: Noli altum sapere sed time. Timor autem iste alius est, nō est ille seruilis quem charitas foras mittit. Illo enim timetur ne iudicetur in tormentum supplicij, isto autem ne amittatur gratia beneficij. Quapropter quamuis fidelibus ad nouum testamentum pertinentibus dicat Apostolus quod paulò antè commemoraui: Non enim accæpistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accæpistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus,

Marginalia: 1. Ioan. 4. — Rom. 8. — Rom. 11. — Matth. 8. — Rom. 11. — Eph. 2. — Eiusdē lib. cap. 21. — Rom. 8.

clamamus: Abba pater, id est, ut fides in nobis sit, quæ per dilectionem operatur, C
non tam timendo pœnam, quàm amando iustitiam, tamen quia non fit anima iu-
sta nisi participatione melioris qui iustificat impium, quid enim habet quod non
accæpit? non debet sibi tribuendo quod Dei est, ita gloriari tanquam non accæpe-
rit. Ob hoc ei dictum est: Noli altum sapere sed time. Et timor iste præcipitur his
etiam, qui ex fide uiuentes hæredes sunt noui testamenti, atque in libertatem uo-
ὑψηλοφρο- cati. Altum enim sapere dictũ est superbire. Quod alio loco econtrariò satis osten-
νεῖν dit, ubi ait: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes, utique aperuit nihil
1. Ioan. 4. aliud se dixisse alta sapientes, quàm superbientes. Timor ergo non est in charita-
te, quia perfecta charitas foras mittit timorem, sed illum seruilem quo cùm se
quisque ab opere malo abstinet, pœna terretur non iustitia delectatur. Hunc cha-
ritas foras mittit, quam non delectat iniquitas, etiam si proponatur impunitas.
Non illum quo timet anima ne amittat ipsam gratiam, quia in illa factum est, ut
eam nō peccare delectet, quo timet ne Deus eam deserat, etiam si in illis dolorum
cruciatibus puniat. Hic timor castus est, non eum charitas eijcit, sed asciscit. De il-
Psal. 18. lo quoque scriptum est: Timor Domini castus permanens in seculum seculi: ne-
quaquam diceret istum permanentem, nisi sciens alium qui non permaneret. Et
bene istum castum dixit. Hoc enim non caret amor quo anima inhæret Deo, quæ
dicit in alio psalmo: Perdidisti omnem qui fornicatur abs te, mihi autem adhære-
re Deo bonum est. Nam & coniunx quæ adulterinum animum gerit, etiam si ti-
more uiri non adulterium perpetrat, tamen quod deest operi inest uoluntati. Ca-
sta uerò aliter timet. Nam & ipsa timet uirum, sed castè. Denique timet illa ne uir
infestus adueniat, ista ne offensus abscedat. Non amanti enim præsentia uiri mo- D
lesta est, amanti autem absentia. Timore itaque casto permanenti in seculum secu-
li, timeat Deum omne semen Israël. Timeant quem diligunt, non alta sapiendo,
sed humilibus consentiendo, cum timore & tremore suam ipsorum salutem ope-
rando. Deus est enim qui operatur in eis & uelle & operari pro bona uoluntate.

Eiusdē lib. cap. 22. Hæc iustitia Dei, hoc est quod Deus donauit homini, quem iustificat impium:
Hanc Dei iustitiam ignorantes superbi Iudæi, & suam uolentes constituere, iusti-
tiæ Dei non sunt subiecti, hac superbia deijciuntur ut humilis inseratur oleaster.
Tenebræ exteriores Et illi ibunt in tenebras exteriores, de quibus inter alia requisisti, uenientibus ab
oriente & occidente multis, qui recumbant cum Abraham, Isaac & Iacob in re-
gno cœlorum. Sunt enim modò in exteris tenebris, unde correctio desperanda
non est, quam si contempserint, ibunt in tenebras exteriores, ubi correctionis lo-
1. Ioan. 1. cus non erit, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo nō sunt ullæ. Sed lux cordis
non istorũ qui in carne sunt oculorũ, nec omninò talis qualis huius lucis uisibilis
phantasia cogitatur, quanquã & ibi est uidere, sed longè aliter, longè dissimiliter.
Qualis enim lux est ipsa charitas, quis uerbis explicet? Quis earum rerũ quæ sen-
sibus carnis subiaceut ullo demonstret exemplo? An fortè lux non est charitas?
Audi apostolum Ioannem. Ipse quippe dixit, quod modo cōmemoraui, quoniam
1. Ioan. 4. Deus lux est, & tenebræ non sunt in eo ullæ. Qui rursum dicit: Deus charitas est.
Ac per hoc si Deus lux est, & Deus charitas est, profectò charitas lux ipsa est quæ
diffunditur in cordibus nostris per spiritumsanctũ qui datus est nobis. Item dicit:

A Qui odit fratrem suum in tenebris est, usque adhuc. Istę sunt tenebræ in quas diabolus & angeli eius multùm superbiendo progressi sunt. Charitas enim nō æmulatur, non inflatur. Ideo non æmulatur, quia non inflatur. Vbi enim pręcedit inflatio, continuò sequitur æmulatio, quoniam superbia est mater inuidētiæ. Diabolus igitur & angeli eius à luce & feruore charitatis auersi, & nimis in superbiam inuidiamq; progressi, uelut glaciali duritia torpuerunt. Et ideo per figuram tanquam in aquilone ponuntur. Vnde cùm generi humano diabolus incubaret, uētura gratia saluatoris, dicitur in Cantico canticorum: Exurge aquilo & ueni auster, perfla hortum meum & fluent aromata. Exurge qui irruisti, qui subditis incumbis, qui possessos premis. Exurge ut à tuo pondere eleuati erigantur, quorum animas præmendo curuasti. Et ueni auster, inquit, spiritum inuocans gratiæ flantem de meridie, uelut à parte feruida & luminosa, & fluant aromata. Vnde Apostolus dicit: Christi bonus odor sumus in omni loco. Hinc etiam dicitur in alio psalmo: Cōuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrens in austro, captiuitatem scilicet, qua sub diabolo tanquam sub aquilone tenebantur, ubi abundante iniquitate friguerant, & quodammodo congelauerant. Hinc enim & euangelium dicit: Quoniam abundabit iniquitas refrigescet charitas multorum. At uerò flante austro glacies resoluitur, & torrentes fluunt, id est, peccatis remissis, populi ad Christum charitate concurrunt. Hinc & alibi scriptum est: Sicut glacies in sereno, ita soluuntur peccata tua. Proinde carnalis creatura, siue in angelico spiritu, siue in anima humana, ita facta est, ut sibi ipsa bonum quo beata fiat esse non possit, sed mutabilitas eius si cōuertatur ad incommutabile bonum, fiat beata: unde si auertatur

Cant.4.
2.Cor.2.
Psal.125.
Matth.24.
Eccl.3.
Eiusdē lib. cap.23.

B misera, auersio eius uitium eius, & conuersio eius uirtus eius est. Natura ergo non est mala, quia creatura spiritus est uitæ rationalis, etiam priuata bono cuius participatione beatificatur, id est, etiam uitiosa, melior est corpore quod summum est in corporibus, id est, hac luce, quæ sentitur oculis carnis, quia & ipsa est corpus: omni autem corpore quælibet incorporea natura præstantior, non mole, quia nō nisi corporeum est moles, sed ui quadam qua supergreditur omnem phantasiam, quam uolutat animus haustam de sensibus corporis. Sed quemadmodum in ipsis corporibus ea quæ inferiora sunt, sicut terra & aqua & ipse aër, meliora fiūt participatione melioris, id est, cùm luce illuminantur & feruore uegetantur: sic incorporeę creaturę rationales ipsius creatoris fiunt participatione meliores, cùm ei cohærent purissima & sanctissima charitate, qua omnimodò si caruerint, tenebrescunt & obdurescunt quodammodò. Proinde infideles homines tenebrę sunt, qui per fidem conuersi ad Deum quadā promissa illuminatione lux fiunt. In qua proficiendo si ex fide ad speciem peruenerint, ut id quod credunt etiam conspicere, si cut tantum bonum. Potest conspici, mereantur, perfectam respicient imaginem Dei. Talibus enim dicit Apostolus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Porrò diabolus & angeli eius tenebræ sunt infidelibus hominibus deteriores. Plus enim ab illa charitate auersi, & in suum fastum obstinatione progressi sunt. Et quoniam extremo iudicio Christus dicturus est eis quos ad sinistram discernet: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, his malignis spiritibus cōiungēdos simulq; dānandos, dicet ituros in tenebras exteriores,

Eph.5.
Matth.25.

id est,

id est, in societatem pœnalem diaboli & angelorum eius. Huic pœnæ contrarium C
est quod bono seruo dicitur: Intra in gaudium domini tui, ut quantò sunt istæ tenebræ exteriores, tantò sit lumen illud interius. Nō hæc per locorum interualla in ani phantasmate cogitanda sunt. Localia spacia, non occupant nisi corporis moles. Nō est hoc spiritus uitæ, nō est hoc anima rationalis, multominus Deus omnium benignissimus conditor & iustissimus ordinator. Voluntatibus & affectibus ista uel propinquare uel longè fieri, uel intrare, uel exire dicuntur: sed quia malo opere, id est, tenebroso delectantur facientes, secutura est autem pœna quæ torqueat, ideo Dominus ubi dixit: Tenebras exteriores, addit etiam: Ibi erit fletus & stridor dentium, ne talibus oblectationibus qualibus hîc iniqui perfruuntur, quando infidelitate atq; iniustitia tenebrescunt, etiam in illo supplicio sensuros clementer existiment: quia enim uolētes iniustè utuntur bonis, iustè nolētes cruciabūtur malis, quibus à charitatis luce auersa mēs in peccatis oblectatur. Exteræ tenebræ, corporis autem mala quibus æternis in finem torquebitur. Exteriores tenebræ, qui solas timent, qui seruili adhuc timore detinentur. Nam si eis liceret, in illis exteris quæ sunt in peccatis impunè semper uolui & inuolui, profectò nūquā uellent accedere ad Deum & illuminari & inhærere illi per charitatē, ubi est timor castus permanens in seculū seculi, qui timor non cruciat: sed tenaciorem facit animam boni illius, quod si dimiserit cadit. Timeat eum omne semen Israël. Et

Eiusdē lib. cap. 24. unde causam quam coniungit: Quoniam non spreuit, inquit, neq; despexit precem pauperis, neque auertit faciem suam à me. Vbi est illud: Quare me dereliquisti, si non auertit faciem suam à me, nisi quia derelinquendo non dereliquit, quando in bonis temporalibus non exaudit non ad insipientiam nobis? Non, inquit, spreuit D neq; despexit precem pauperis, nec auertit faciem suam à me. Et cùm clamarem ad eum exaudiuit me. Facit ergo quod paulò antè rogatus est, ubi ei deprecans dixit: Ne discedas à me. Si enim exaudiuit, profectò fecit, non itaq; discessit, non dereliquit, ut saperemus, quoniam magis nō ab eo derelinqui uelle debemus. Apud te laus mea. Quid ergo nocent qui tanquā uicto insultant quòd me in temporalibus dereliqueris? In ecclesia magna confitebor tibi, non quanta ista synagoga est, quæ irridet mortē derelicti, sed in ecclesia magna diffusa per omnes gentes, quæ credit in resurrectio non derelinqui. Hæc est unica illa quam petit de manu canis erui, de qua etiam paulò antè dixit: In medio ecclesiæ cantabo tibi. Et nunc quod ait: Confitebor tibi. In eis quoque qui confitebuntur, in quibus & loquitur: Confessio autem non tantùm peccatorum est, sed & laus Dei, sicut ipse in euangelio:

Matth. 11. Confiteor tibi, inquit, pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis. Ideo sequitur & dicit: Vota mea reddam coram timentibus eum. Edent pauperes & saturabuntur & laudabunt Dominum qui requirunt eum. Ipsi sunt paruuli de quibus dixit: Et reuelasti ea paruulis, timentes eum, & pauperes; id est, humiles qui non alta sapiunt, sed timentes timore illo casto, non quo pœna formidatur, sed quo gratia cōmendatur. Vota uerò sua, sacrificium uult intelligi corporis sui, quod est fidelium sacramētum. Ideo cùm dixisset: Vota mea reddam coram timentibus eum, continuò subiunxit: Edent pauperes & saturabuntur. Ipsi enim saturabuntur pane qui de cœlo descendit,

A descendit, qui ei cohærentes & eius pacē dilectionemq; seruātes imitātur eius hu militatē. Ideo pauperes in hac paupertate & saturitate præcipuè apostoli claruerunt. Et laudabunt Dominum, inquit, qui requirunt eum, intelligentes nō meritorū suorum, sed illius esse gratiæ, quòd saturati sunt. Requirunt enim eum, quia nō sunt ex eis qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi. Denique & si caro eorum qui eum laudant patitur temporalē tribulationem uel mortem, uiuent corda eorum in seculum seculi. Hæc uita cordis non est in sensibus corporis, secreta est in luce, quæ intùs est, non in tenebris quæ foris sunt, in fine præcepti, non in initio peccati. Finis autem præcepti charitas est, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta. Charitas non æmulatur, non inflatur, quia nō altum sapit, sed timet, & ideo cohæret timore casto permanēte in seculum seculi. Initium autem omnis peccati superbia, qua diabolus irreuocabiliter in exteriora progressus est, hominemq; in uidendo & ei simile aliquid suadēdo deiecit. Cui homini in quadam scriptura dicitur: Quid superbit terra & cinis? Quoniam in uita sua proiecit intima sua? In uita sua dictum est, tanquam in propria persona, & quasi priuata qua delectatur omnis superbia. Vnde charitas in cōmune magis quàm in priuatū consulens, dicitur non quærere quæ sua sunt. Hac uiuunt corda in seculum seculi, tāquam saturata pane cœlesti. De qua saturitate ipse dicit: Nisi manducaueritis carnem meam & sanguinem meum biberitis, non habebitis uitam in uobis. Meritò ergo istorum qui saturantur, uiuent corda eorum in seculum seculi. Vita enim Christus est qui habitat in cordibus eorum, interim per fidem, pòst etiam per speciē. Vident enim nūc in ænigmate per speculū, tunc autem facie ad faciem. Vnde

1. Tim. 1.
2. Cor. 13.
Eccl. 10.
Eiusdē lib. cap. 25.
Ioan. 6.
2. Cor. 13.

B ipsa charitas nunc in bonis operibus dilectionis exercetur, quasi ad subueniendum quaquà uersùm potest, porrigit, & hæc latitudo est, nunc longanimitate aduersa tolerat, & in eo quòd ueraciter tenuit, perseuerat, & hæc est longitudo: hoc autem totum propter adipiscendam uitam facit æternam, quæ illi promittitur in excelso, & hæc altitudo est. Existit uerò ex occulto ista charitas ubi fundati & radicati quodammodo sumus, ubi causæ uoluntatis Dei non inuestigantur, cuius gratia sumus salui facti, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum eius misericordiam. Voluntariè quippe genuit nos uerbo ueritatis, & hæc uoluntas eius in abdito est. Cuius secreti profunditatem quodammodo expauescens Apostolus clamat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini? Et hoc est profundum. Altitudo quippe commune nomen est excelso & profundo. Sed cùm in excelso dicitur sublimitatis eminentia commendatur, cùm autem in profundo, difficultas inuestigationis & cognitionis. Vnde & illud de Deo dicitur: Quàm magnifica sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Et iterum: Iudicia tua uelut abyssus multa. Hinc igitur est illud Apostoli, quod requirendum inter cætera posuisti. Huius rei gratia, inquit, flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtute corroborari per spiritum eius, in interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus uestris, ut in charitate radicati per fidem præualea-

Rom. 11.
Psal. 19.
& 35.
Eph. 3.

tis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo & latitudo, altitudo C
& profundum. Scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, ut im-
Eiusdē lib. cap. 26. pleamini in omnem plenitudinem Dei. Attende omnia diligenter. Huius rei, inquit, gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. Quæris, cuius rei gratia, hoc suprà dixerat: Propter quod peto non infirmari in tribulationibus meis pro uobis. Hoc ergo eis optat ut non infirmentur in tribulationibus Apostoli, quas pro illis sustinebat, & propter hoc genua flectebat ad patrem. Proinde non infirmari unde illis sit, sequitur & dicit: Vt det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtute corroborari per spiritum eius. Hæ sunt diuitiæ, de quibus dicit: O altitudo diuitiarum. Abditas enim habet causas, ubi præcedentibus nullis meritis quid habemus quod non accæpimus? Deinde sequitur, & quid optet adiungit: In interiori, inquit, homine habitare Christum per fidem in cordibus uestris. Hæc est uita cordium qua uiuimus in seculum seculi, ab initio fidei usque ad finem spei: ut in charitate, inquit, radicati & fundati præualeatis comprehendere cum omnibus sanctis. Ista est communio cuiusdam diuinæ cœlestisq; reipublicæ, hinc saturantur pauperes, non sua quærentes, sed quæ Iesu Christi, id est, non commoda priuata sectantes, sed in commune ubi salus omniũ est consulentes. Nã de ipso pane quo tales satu-
1. Cor. 10. rantur, quodam loco Apostolus dicit: Vnus panis unum corpus multi sumus. Quid ergo comprehendere? quæ sit, inquit, latitudo, sicut iam dixi, in bonis operibus, quibus beneuolentia porrigitur usque ad diligendos inimicos, & longitudo, ut longanimitate pro hac latitudine molestiæ tolerentur: & altitudo, ut pro his æternum quod in supernis est præmium, non uanum aliquid aut tempora- D
le speretur: & profundum unde gratuita gratia Dei secundum secretum & abditum uoluntatis eius existit. Ibi enim radicati, ibi sumus fundati. Radicati propter agriculturam, fundati propter ædificationem, quæ non est ab homine. Dicit
1. Cor. 3. alio loco idem Apostolus: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Hoc totum agitur cùm in hac nostra peregrinatione fides per dilectionem operatur. In futuro autem seculo perfecta & plena charitas sine ulla malorum tolerantia, non fide credit quod non uidet, nec spe desiderat quod non tenet, sed in æternum ueritatis incommutabilem speciem contemplabitur, cuius fine fine quietum opus erit, laudare quod amat, & amare quod laudat. De hac sequenter dicit: Scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. In hoc mysterio figura crucis ostenditur: qui enim quia uoluit mortuus est, quomodo uoluit mortuus est. Non frustra igitur tale genus mortis elegit, nisi in eo quoque latitudinis huius & longitudinis & altitudinis & profunditatis magister existeret. Nam latitudo est in eo ligno quod transuersum désuper figitur. Hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est. Ibi enim quodammodo statur, id est, persistitur & perseueratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illo quod transuersum figitur, sursum uersus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi, quia bene sperantium superna expectatio est. Iam uerò illud ex ligno quod non apparet quod fixum occultatur, unde totum

illud

A illud exurgit,profunditatem significat gratuitæ gratiæ,in qua multorum ingenia conteruntur id uestigare conantia,ut ad extremum eis dicatur: O homo tu quis es qui respondeas Deo? Viuent ergo corda saturorum in seculum seculi,id est,humilium charitate flagrantium,non sua quærentium,sed sanctorum societate gaudentium.Hoc primitus in Apostolis factum est. Sed laudando Deum,id est, prædicando gratiam Dei quoniam dictum est: Laudabunt Dominum qui requirunt eum,quid populorum acquisierint in eo quod sequitur uide. Commemorabūtur,inquit,& conuertentur ad Dominū uniuersi fines terræ: Et adorabunt in cōspectu eius uniuersæ patriæ gentium. Quoniā Domini est regnum,& ipse Dominabitur gentium.Ille irrisus,ille crucifixus,ille derelictus hoc regnum acquirit,et tradet in fine Deo patri,non ut ipse amittat,sed quod in fide seminauit cùm uênit minor patre,hoc perducat ad speciem in qua æqualis non recessit à patre.Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ.Diuites terræ superbos intelligere debemus,si rectè superiùs pauperes humiles intelligebamus, de quibus in euangelio Dominus dicit: Beati pauperes spiritu,quoniam ipsorum est regnum cœlorum.Ipsi enim sunt mites,lugentes,esurientes,& sitientes iustitiam,misericordes, mundicordes,pacifici,& qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quibus prædicationibus singillatim beatitudinem adiunxit. Contrà ergo diuites terræ hoc loco superbi intelligēdi sunt.Neque enim frustra ita distincti sunt,ut de pauperibus suprà diceretur: Edēt pauperes & saturabūtur.Hîc uerò mādūcauerunt & adorauerūt omnes diuites terræ.Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi,& accipiunt de corpore & sanguine eius,sed adorant tantùm nō etiā saturan-

B tur,quoniam nō imitantur.Manducantes enim pauperes dedignantur esse,quia Christus pro nobis passus est,relinquens nobis exemplum ut sequamur uestigia eius. Veruntamen quòd humiliauit semetipsum,factus est obediens usque ad mortem,mortem autem crucis,aspernantur diuites,& similia perpeti respuunt, timore non magnitudine, infirmitate ergo non sanitate. Sed quia Deus excitauit eum à mortuis, & donauit ei nomen quod est super omne nomen,ut in nomine Iesu flectatur omne genu,cœlestium,terrestrium & infernorum,fama celsitudinis eius,& gloria nominis eius in ecclesia usquequaque diffusa,permoti & ipsi ueniunt ad mensam. manducant & adorant, non tamen saturantur, quia non esuriunt & sitiunt iustitiam. Tales enim saturabuntur,quanquam perfecta saturitas in illa uita æterna erit, cùm ex ista peregrinatione uenerîmus ex fide ad speciem,ab speculo ad faciem,ab ænigmate ad perspicuam ueritatem.Non tamen inconuenienter saturatus dicitur paupertate Christi, qui pro iustitia eius, hoc est,pro participatione uerbi æterni quam inchoauit interim fide,omnia temporalia non solùm temperanter contemnit bona,uerumetiam patienter sustinet mala.Tales fuerunt piscatores & publicani,quia abiecta huius mundi elegit, ut confunderet fortia.De his dictum est: Edent pauperes & saturabūtur.Istam saturitatem non apud seipsos tenuerunt,quodammodo enim ructātes dominum laudauerunt,id est,prædicauerunt quærentes eum non sua quærentes, sed in eum charitate flagrantes.Eorum prædicatione commotus est mundus,ut commemoraretur & conuerterentur ad Dominū uniuersi fines terræ.Et adorabunt in cō-

Marginal notes: *Rom.9.* *Eiusdē lib. cap.27.* πατριαὶ *Matth.5.* *Psal.21.* *1.Pet.2.* *Philip.2.*

ſpectu eius uniuerſæ patriæ gentium. Quoniam Domini eſt regnum & ipſe dominabitur gentium. Hac eccleſiæ dilatatione etiam ſuperbi, id eſt, diuites terræ adducti ſunt & manducauerunt, & quamuis non ſaturati, tamen adorant. Hunc quoque ordinem prophetia pſalmi hoc loco tenuit quem uidemus impleri. Adiungit autem, in conſpectu eius procident omnes qui deſcendunt in terram, id eſt, omnes bona amando terrena, non in cœlum aſcendunt. Non enim faciunt quod ait apoſtolus: Si reſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt quærite, non

Col.3. quæ ſuper terram, ſed potius quantò ſibi bonis terrenis fœliciores uidentur, tantò magis in terram deſcendunt, hoc eſt in terrena deprimuntur. Et ideo in conſpectu eius procident, id eſt, ubi ipſe uidet, non ubi homines uident, qui eos excel

Eiuſdē lib. ſos ſubliméſque arbitrantur. Et anima, inquit, mea ipſi uiuet. Ipſi utique non

cap.28. ſibi, ſicut ſuperborū priuato bono ſuo lætantium, & à cōmuni omnium bonorū, quod Deus eſt, inani elatione reſilientium. Hoc utique deuitemus, & communi potius uero omnium bonorum perfrui, quàm priuato noſtro gaudere quæramus.

2.Cor.5. mus. Vt qui uiuit iam non ſibi uiuat, ſicut ait Apoſtolus, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. Pro hoc enim mediator effectus eſt, ut nos reconciliet Deo per humilitatem à quo per impiam ſuperbiam longè receſſeramus. Neque enim

Eccl.10. tantùm illud ſcriptum eſt quod ſuprà poſuit: Initium omnis peccati ſuperbia, ſed etiam hoc ibi legitur: Initium omnis ſuperbiæ, homines apoſtatare à Deo. Non ergo ſibi uiuat quiſque, ſed Chriſto, faciens non ſuam ſed ipſius uoluntatem, & manens in eius charitate, ſicut & ipſe fecit uoluntatem patris, & manet in eius charitate. Hæc quippe nos admonens & exemplo ſuo exhortans, in euangelio ſuo locutus eſt. Si autem ipſe cùm in forma Dei æqualis eſſet patri, tamen per formā ſerui quam propter nos accepit, non ſuam uoluntatem, ſed patris ſe facere commendauit; quantò magis nos propria priuatáque noſtra uoluntate contempta qua tenebrati ſumus, ad illud commune lumen ut illuminentur uultus noſtri, & non erubeſcant, debemus accedere, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, ut anima noſtra ipſi uiuat? Hoc enim de nobis conſequenter adiungit cùm dicit: Et ſemen meum ſeruiet illi, quoniam qui ſeminat bonum ſe-

Eiuſdē lib. men, filius eſt hominis, bonum autem ſemen hi ſunt filij regni. Hæc porrò

cap.29. omnia quæ in pſalmo iſto dicta ſunt, quia non ad præſens ſed ad futurorum prophetiam pertinebant, ſicut etiam ipſis rebus apparet, ſic eum concludere uoluit, ut oſtenderet ſe non præſentia demonſtrare, uel narrare pertertita, ſed futura prophetare: Annuntiabitur, inquit, Domino generatio uentura: & annuntiabūt iuſtitiam eius populo qui naſcetur quem fecit Dominus. Non ait: Annuntiabitur Dominus generationi uenturæ, ſed annuntiabitur Domino generatio uentura. Quod non ſic accipiendum eſt tanquam neſcienti aliquid annuntietur ut ſciat, ſed ſicut annunriant angeli, non ſolùm nobis beneficia Dei, uerumetiam illi pre-

Tob.12. ces noſtras. Nam ſcriptum eſt ubi angelus hominibus dicit: Ego obtuli memo-

Matth.6. riam orationis ueſtræ, non ut tunc Deus nouerit quid uelimus, uel quo indigeamus. Nouit enim pater ueſter, ait Dominus, quid uobis neceſſariū ſit priuſquam petatis ab eo. Sed quia neceſſe habet rationalis creatura obtemperans Deo, tēporales cauſas ad æternam ueritatē referre, ſiue petendo quod erga ſe fiat, ſiue cōſu-

lendo

A lendo quod faciat, qui pius mentis effectus est, ut ipsa construatur, non ut Deus instruatur. Nam & hæc quædam attestatio rationalis creaturæ est, quod non sibi ipsa sit bonum quo beata fiat, sed illud incommutabile cuius participatione etiam sapiens efficitur. Siue ita dictum est: Annuntiabitur Domino generatio uentura, ac si diceretur, Domino placebunt non sibi, ut ita sit Domino nūtiare, sicut est Domino uiuere. Sic dictum est: Qui manducat, Domino manducat: & qui non man- Rom.14.
ducat, Domino non manducat. Ad hoc quippe addidit: Et gratias agit Domino, ut ostenderetur quid esset, Domino facit, id est, in eius laudem facit. Tunc enim rectè, tunc iustè, tunc piè fit, cùm opus bonum in eius laudem fit, cuius gratia donatur ut fiat. Ac per hoc etiam si eo modo quispiam hæc uerba intelligere uelit, ut eorum iste ordo sit: Annuntiabitur Domino generatio uentura, id est, generatio annuntiabitur quæ Domino uentura est, generatio scilicet piorum atque sanctorum, quia impiorum & sceleratorum generatio non Domino, sed sibi uentura est, ab eadem significatione non receditur, qua intelligatur animæ participatio in idipsum, id est, rationalem creaturam cùm sit mutabilis, non fieri beatam nisi a proprio suo mutabili ad immutabile bonum, idémque commune quod Deus est, à quo superba impietate abstitit, humili pietate conuersa subsistat. In quo affectu proficiēs, quicquid boni facit Domino facit, hoc est, in eius laudem, cuius gratiam percepit ut faciat. Vnde est actio gratiarum, quæ intimo fidelium mysterio celebratur. Illud autem quod sequitur: Et annuntiabunt iustitiam eius populo qui Eiusdē lib.
nascetur quem fecit Dominus, superioris sensus cōfirmatio est. Nam quod ibi di- cap.10.
ctum est: Annuntiabitur Domino generatio uentura, hîc est dictum, hæc annun-
B tiabit iustitiam eius. Ipsa quippe generatio quę uentura prophetata est piorum atque sanctorum iustitia Dei est non ipsorum. Ne sint ex illis qui ignorantes Dei iu- Rom. 10.
stitiam, & suam uolentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Illa nanque iustitia Dei commendatur in eo quod dicitur: Ignorantes Dei iustitiam, qua nos ex eius gratia iusti sumus, ut ipsa Dei iustitia nos simus cum iustè uiuimus, credentes in eum qui iustificat impium, nòn illa qua ipse iustus est æterna sua & incommutabili iustitia. Hæc itaque iustitia qua nos Dei munere iusti sumus, significatur in psalmo illo ubi scriptum est: Iustitia tua sicut montes Dei. Montes quippe Dei, san- Psal.35.
cti eius sūt de quibus dicitur alibi: Suscipiūt mōtes pacē populo tuo. Et multa de Psal.71.
his montibus scripta sunt figurata locutione, quæ commemorare nunc longum est. Sed quia hoc ipsum quòd Deus iustificat homines, nimis occulto iudicio facit, quoniam gratuita gratia. Si autem gratia, non ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia. Ex hoc quippe incipiunt opera bona ex quo iustificamur, non Rom.11.
quia præcesserunt iustificamur. Et hoc est profundum de quo superiùs iam multa diximus. Continuò in eodem psalmo cùm dixisset: Iustitia tua uelut montes Dei, subiunxit: Iudicia tua uelut abyssus multa, inde uēnit ad salutem hominibus iumentísque cōmunem, quia & ipsa est misericordia Dei, & dicit: Homines & iumēta saluos facies Domine, sicut multiplicata est misericcordia tua Deus. Vt hinc intelligamus etiam illam salutem æternam & immortalem, de qua dicit Aposto- Rom.8.
lus: Spe enim salui facti sumus, similiter ut istam quæ hominibus iumentísque communis est, gratis nos accipere non ex operibus, ne fortè quis extollatur, quia

Eph.2. opera sua ex ipsius iustificatione operamur. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis quæ præparauit Deus ut in illis ambulemus. Et illa ergo gratuita est, de qua in alio psalmo dicitur: Domini est salus & super populum tuum benedictio tua. Sicut ergo quod legitur: Domini est salus, non ea
Psal.3. salus intelligitur qua Dominus saluus est, sed qua salui sunt quos ipse saluos fecit: Sic quod legitur Dei iustitia, in eo quod scriptum est: Ignorantes Dei iustitiam & suam uolentes constituere, non est illa intelligenda qua Deus iustus est, sed qua iusti sunt homines quos gratia sua iustificat. Inde enim salui unde iusti, quoniã quod
Matth.9. ait: Nõ est opus sanis medicus, sed malè habentibus, exposuit in consequentibus
Tit.3. dicens: Non ueni uocare iustos sed peccatores. Non igitur secundum opera iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. In qua gratia spe salui facti sumus. Vnde in illo psalmo subiungitur: Filij hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos: Quoniam apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Prætẽde misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his qui in recto sunt corde. Huic iustitiæ Dei contraria superbia est, qua fiditur tanquam de operibus proprijs: Ideóque ibi sequitur: Non ueniat mihi pes superbiæ. Hæc iustitia Dei, qua eius fide iusti sunt interim uiuentes ex fide, donec perfecta iustitia perducantur ad speciem, sicut salute perfecta, etiam ad ipsius corporis immortalitatem, gratia noui testamenti. Vn-
2.Cor.5. de alio loco dicit Apostolus: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliari Deo, ac inde subiungit: Eum qui nõ nouerat peccatum, peccatum pro nobis fecit, id est, sacrificium pro peccatis. Nam & ipsa in lege peccata appellabantur, quæ pro peccatis offerebantur. Vt nos simus iustitia Dei in ipso, id est, in eius corpore quod est ecclesia, cui caput est. Nos sumus iustitia Dei quam ignorantes illi et suam uolentes constituere, id est, tanquam de suis operibus gloriantes, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Inde & in hoc psalmo cùm dixisset: Annuntiabunt iustitiam eius. Sequitur & dicit: Populo qui nascetur quem fecit Dominus. Quis est enim populus quem non fecit Dominus, secũdum id quòd homines sunt, qui etiam pecora creauit à quo est omnis uita, omnisq; facta & creata natura? Sed ita intelligendum est: Quem fecit Dominus, ut non solùm quòd homines sunt, uerumetiam quòd iusti sunt ab illo facti intelligantur secundum illud quod iam non semel commemoraui ab Apostolo dictum: Ipsius enim figmẽtum sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ
Eiusdẽ lib. cap.31. præparauit Deus ut in illis ambulemus. Animæ igitur rationalis mutabilitas admonetur, quo nouerit nisi participatione incommutabilis boni, iustam, saluã, sapientem, beatam se esse non posse, nec sibi eam bonum esse posse propria uoluntate sed malum. Propria quippe uoluntate auertitur à bono incommutabili, eaq; auersione uitiatur, nec sanari per seipsam potest, sed gratuita misericordia sui creatoris, quæ in hac uita eam ex fide uiuentem in spe constituit salutis æternæ.

Virgines fatuæ. Vnde non altum sapiat sed timeat, eóque timore casto, inhæreat Deo, qui eam à propria immundicia qua inordinatè bona inferiora dilexit, uelut à quadam fornicatione spiritali mundauit: nec humanis laudibus extollatur, nec sit in uirginibus

stultis

A stultis aliena laude lætantibus (hoc enim de quæstionibus tuis restat extremum) & propter ipsam inanem laudem,non propter conscientiam suam,ubi illis testis est Deus,bona operantibus,sed fit in uirginibus sapientibus,ubi dicatur quod ait Apostolus:Nam gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.Hoc enim est oleum ferre secum,non à uendentibus emere,hoc est,ab adulantibus. Adulatores namque laudem suam tanquam oleum uendunt stultis.De hoc oleo dicitur in psalmo:Emendauit me iustus in misericordia & arguit me,oleum autem peccatoris non impinguet caput meũ.Elegit à iusto misericorditer reprehendi,& quodammodo colaphizari,quàm ut ei caput in superbiam crassescat peccatoris adulatione laudato . Irridentium quippe responsio mihi uidetur,cùm eis à sapientibus uirginibus dicitur; Ite potius ad uendentes & emite uobis,sicut in quodam libro sapientiæ scriptum est,ubi contemptoribus dicit:Et ego perditioni uestræ superridebo.Illa autem responsione qua petentibus oleum dictum est:Ne fortè non sufficiat nobis,non desperanter,sed humiliter dictum est . Quis enim sic præsumat de conscientia sua,ut certus sit eam sibi in iudicio Dei posse sufficere,nisi misericors misericorditer iudicet? Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.Ipsæ autem sunt lampades accēsæ,opera scilicet bona,de quibus Dominus dicit: Luceant bona opera uestra , & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est.Huc usque pertendit intentio uirginum sapientium,ut ideo uelint uideri ab hominibus opera sua bona,non quò ab eis laudentur ipsæ,sed ut glorificetur Deus,à quo illis est quòd bene operantur. Ac per hoc interiori bono gaudēt, quod est coram Deo,ubi eleemosyna in occulto reddatur. Et ideo non deficiunt

2. Cor.1. *Psal.140.* *Pro.1.* *Iacob.2.* *Matth.5.*

B lampades,quia interiori oleo uegetantur,id est,intentione bonæ conscientiæ,qua coram Deo fit in eius laudem,quicquid corā hominibus bonis operibus lucet. At uerò stultarum uirginum hoc oleum non secum portantium deficiunt lāpades, id est,non perseueranter bona opera lucent . cùm laus humana fuerit subtracta, propter quam illa faciebant,huc usque intētionem suam perducentes ut uiderētur ab hominibus,nō ut glorificaretur pater qui in cœlis est:quæ intētio perēnis est gloriæ,qua nouit anima Deo se debere quòd iustificata est ad faciēda bona opera,& ideo in illo non in se laudari amat. Vnde alibi homo Dei cantat:In Domino laudabitur anima mea,ut qui gloriatur in Domino glorietur. Sed quid est quod in eodem euangelio scriptum est : Omnes sponso tardante dormisse ? somnum istum si intellexerîmus,quòd uelut tardante iudicio,ad quod faciendum uenturus est Christus,abundante iniquitate charitas refrigescit,quomodo ibi ponemus uirgines sapientes,cùm potius in illis sint de quibus dicitur:Qui autem perseuerauerit usque in finem hic saluus erit?Dictum est ergo dormierunt omnes,quia non tantùm stulti,qui propter humanam laudem bona operantur coram hominibus,uerumetiam sapientes,qui hoc propterea faciunt ut laudetur Deus,experiuntur istā mortē.Ex utroq; enim genere moriuntur. Et ista mors sæpe in scripturis dormiētiū dicitur,propter futurā resurrectionem uelut euigilationē. Hinc Apostolus dicit:De dormientibus autē nolo uos ignorare fratres.Et alio loco:Ex quibus plures manent usque adhuc,quidā autē dormierunt. Et alia innumerabilia in hoc testimonia apertè per scripturas utriusq; testamēti reperiūtur. Vnde &

Psal.33. *Eiusdē lib. cap.32.* *Matth. 24*

Maro. ille ait: Consanguineus leti sopor. Etsi aduertas, multa inuenies etiam secularibus literis ubi mors somno comparatur. Significauit ergo Dominus futurum esse tempus, quo inter tribulationes & tentationes seculi huius iam iamque eius expectaretur aduentus, tanquam propinquus atque imminens, ad quem se praeparent qui in eius familia uidentur. Hoc est enim quod ait, exisse obuiam sponso & sponsae. Sponso quidem filio Dei, sponsae autem, siue quia in eo corpore uenturus est quod sumpsit ex uirgine, siue quia ipsa ecclesia tūc clarior apparebit, ut ad uniuersi corporis congregationem membra concurrant, quibus concurrentibus eius magnitudo monstrabitur. Virgines propter continentiam nuncupauit. Decem uerò, id est, quinque & quinque propter numerum quo censentur corporis sensus, in quibus habitat continentia, cùm à uoluptatibus turpibus & illicitis abstinetur. Lampades sicut dictum est, sunt bona opera, maximéque ad misericordiam pertinentia & ipsa quae etiam coram hominibus lucet laudabilis conuersatio. Sed magni interest, qua mentis intentione fiat. Ideo dicit alias sapientes, stultas alias. Sed hinc eas discernit quòd stultae non sumpserūt oleum secum, prudentes autem accaeperunt oleum in uasis suis, hoc est in cordibus suis, ubi fit ipsa participatio intimi ac superni boni. Vnde in psalmo quodam, cùm dictum esset: Sacrificate sacrificium iustitiae, & sperate in Domino, multi, inquit dicunt, quis ostendit nobis bona? Deinde ut manifestaret cuius boni amore debeamus operari iustitiam, hoc est, sacrificare sacrificium iustitiae & sperare: Signatum est, inquit, in nobis lumen uultus tui Domine, dedisti laetitiam in corde meo. Cuius boni aliquantum participati, & plenius perfectiúsque participandi intentione qui bene operatur, & laudabiliter etiam in conspectu hominum conuersatur, habet oleum secum, quia bona opera eius etiam in conspectu hominum lucentia nō extinguentur, quia non in eis charitas refrigescit abundante iniquitate: sed perseuerat usque in finem. Hoc oleum stultae uirgines non habent secum, quoniam sibi tribuendo si quid boni operis faciunt, necesse est inflentur superbia; & propter hoc uitium sic laude delectentur humana, ut eius gaudio si quid boni agunt feruere & lucere uideantur. Tardante autem sponso dormierunt omnes. Non enim tunc ueniet, cùm speratur, sed media nocte cùm ualde obscurum, id est, occultum erit an ueniat. Vnde dicit: Media nocte clamorem factum: Ecce sponsus uenit, exite obuiā ei. Nimirum clamor iste est tuba illa quam commemorans Apostolus dicit: Canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti: tubae nomine aliquod euidentissimum signum uult intelligi. Quam uocem archangeli & tubam Dei alio loco dicit. Quae etiam uox ipsius domini Iesu Christi in euangelio dicitur, quam audient hi qui in monumētis sunt & procedēt. Surgunt ergo omnes uirgines illę & sapiētes & stultae, & aptant lampades suas, id est, rationem praeparant reddere de operibus suis. Sed tunc in illius clamoris euidētia & resurrectione mortuorum, quia nulla erit dubitatio iam instantis praesentisque iudicij, subtrahetur omne solatiū laudis humanae. Neque enim uacabit de alio disceptare, uel de alio iudicare, aut alteri gratificari, quando unusquisque proprium onus portabit, & de suorum factorū reddēda ratione cogitabit: ac per hoc feretur animus quidem uirginū stultarū cōsuetudine propria, sed nō inuētis laudibus humanis deficiet. Neque germanitus dixerunt:

Marginal notes: θάνατος καὶ ὕπνος. — Eiusdē lib. cap. 33. — Psal. 4. — Eiusdē lib cap. 34. — 1. Cor. 15. — 1. Thes. 4. — Ioan. 5. — C — D

A xerũt: Apud te laus mea, Vel: In Domino laudabitur anima mea. Aut in Domino gloriatæ sunt, cùm ignorãtes Dei iustitiã, suã iustitiã cõstituerẽt, ac per hoc petunt à sapientibus oleum, hoc est aliquam cõsolationem, nec inueniunt, nec accipiunt, illis respondentibus se nescire, utrùm sibi sufficiat ipsa conscientia qua expectant misericordiam sub illo iudice, qui cùm in throno sederit, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato, nisi superexultet misericordia iudicio, quæ super eos erit, qui misericordiæ opera illa intentione fecerunt, ut eorũ misereretur à quo se sciebant accæpisse quod habebant, nec gloriabantur quasi nõ accæperint, sed per seipsos habuerint quòd placebant, sicut stulti qui & sibi placent tanquam de bono à se sibi parto, & ab adulantibus uel errantibus ita laudantur ac si ipsi sint aliquid. Qui autem putat se esse aliquid cùm nihil sit, sicut dicit Apostolus seipsum seducit. Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in seipso tantùm gloriam habebit, & non in altero: hoc est portare oleum secum, non ex aliena laude dependere. Sed quam gloriam in se habebit, nisi eam cui dicitur: Gloria mea & exaltans caput meum, ut quod sæpe dicendum est, qui gloriatur in Domino glorietur. Proinde sapientia quæ in sapientibus uirginibus habitat, secundum illud quod antè prædixit, cùm ait contemptoribus & sanam doctrinam accipere recusantibus: Et ego uestræ perditioni superridebo, dicit stultis uerginibus: Ite potius ad uendentes, & emite uobis, tanquam diceret: Vbi sunt qui uos fallebant mendosissimis laudibus, quando & à uobis fallebamini, quia in uobis non in Deo gloriabamini? Quod autem dicit: Et dum eunt emere uẽnit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo, hoc mihi uidetur intelligen-

Psal.21.
Psal 33.
Rom.10.

B dum, quòd uitioso cordis affectu inhiabant inani gloriæ, quam uana mentis elatione sectatæ sunt. Et ipse appetitus significatus est in eo quod dictum est: dum eunt emere uẽnit sponsus, & introierunt cum eo ad nuptias quæ præparatæ erant, hoc est; quæ ueram fidem uerámque pietatem corde gestabant, qua possent contẽperari numero societatique sanctorum, non in seipsis, sed in Domino gloriantium, ut intrarent cum eis in illud gaudium, de quo dicitur: Intra in gaudium domini tui: ubi erit perfecta participatio incommutabilis boni, cuius modo uelut arra quædam per fidem tenetur, ut secundum hanc gratiam uiuamus, inquantum Deo non nobis uiuimus. Proinde quod sequitur: Nouissimè ueniunt & reliquæ uirgines dicentes: Domine domine aperi nobis, non dictum est eas emisse oleum & sic uenisse, neque enim iam erat unde, sed misericordiam serò quæsisse, cùm iam tempus iudicandi esset, & probos & reprobos separandi. Rectè autẽ respondetur: Amen dico uobis, nescio uos. Ille quippe hoc dicit, quem non latet aliquid. Sed nescio uos, nihil aliud est; quàm nescitis me, quando de uobis potius eligitis considerari quàm de me. Cùm enim dicitur quòd nos cognoscit Deus, cognitionem sui nobis præstat, ut per hoc intelligamus, ne hoc quidem nobis esse tribuendum, quòd nos scimus Deum, sed eam quoque scientiam illius misericordiæ tribuamus. Vnde cùm quodam loco Apostolus diceret: Nũc autem cognoscentes Deum, correxit & ait: Imò & cogniti à Deo, quid aliud uolens intelligi, nisi quòd eos ipse fecerit cognitores suos? Nemo autem cognoscit Deum, nisi qui intelligit illum summum esse atque incommutabile bonum, cuius participatione

Eiusdẽ lib. cap.35.

cipatione fit bonus. Quod in huius psalmi conclusione positũ est: Annunciabunt C
iustitiam eius populo qui nascetur quem fecit Dominus. Inde & illud in psalmo:
Psal.99. Ipse fecit nos & non ipsi nos. Hoc enim nõ ad eam naturam qua homines sumus,
cuius naturæ idem ipse creator est qui cœli & terræ & syderum omniumq; animantium, sed ad illud potius referendum est, quod Apostolus ait: Ipsius sumus
figmentum creati in Iesu Christo in operibus bonis quæ præparauit Deus ut in il-
Eiusdẽ lib. cap.36. lis ambulemus. Arbitror tibi satis esse solutas tuas quinque quæstiones dum
in ista mea ueluti sexta immoratis, quam mihi proposui de gratia noui testamen-
Ioan.1. ti, propter quam uerbum caro factum est, id est, qui filius Dei erat, homo factus
est, naturam suscipiendo nostram, non mutando suam: per quod & suam recipientibus ea potestas daretur, ut qui eramus homines, filij Dei fieremus participatione incommutabilis boni in melius commutari, nõ ad temporalem fœlicitatem,
Epilogus sed ad uitæ æternæ, quæ sola beata est, adoptionem. Vnde placuit etiam propheticum psalmum percurrere. Cuius primum uersum in passione commemorauit,
ostendens quomodo nos Deus derelinquat, & quo alio modo non recedat à nobis ad bona æterna nos colligens, temporalia uerò aliquando utiliter tribuens, &
aliquando utiliter subtrahens, ut eis non hærere discamus, ne contempta luce interiore quę ad nouam pertinet uitam, unde etiam psalmus iste ipse pro susceptione matutina tanquam pro luce noua nomen accæpit, in exteris tenebris libenter
habitemus. Vnde in exteriores mittuntur, qui ex istis exteris, non se ad interiora
cõuertunt, ne diabolo & angelis eius sociati extrema damnatione puniamur. Intelligentes igitur peregrinationem nostram in hac uita, mundo crucifigamur, extendentes manus in latitudinem bonorum operum, & longanimitate usque in D
finem perseuerantes, atque habentes cor sursum, ubi Christus est in dextera Dei
sedens, totúmque hoc non nobis, sed illius misericordiæ tribuentes, cuius profunda iudicia omnem scrutatorem fatigant. Hæc est enim non inaniter fabulosa, sed
utiliter uerax latitudo, longitudo, altitudo, profundum, unde perueniamus ad
eam supereminentem scientiam charitatis Christi, & impleamur in omnem ple-
Eiusdẽ lib. cap.37. nitudinem Dei &c. Neque frustra Dominus, cùm & illas commemoraret,
quæ secum intrauerunt ad nuptias, & illas contra quas ianuas clausit, & quibus
Matth.25. respondit: Nescio uos, utrasque uirgines dixit: propter continentiam, & quinque
propter concupiscentiam carnis edomitam, quinario præditam sensu: ornatas
utrasque lampadibus propter bonorum operum bonæq; conuersationis in conspectu hominum luculentissimam laudem, utrasque obuiam sponso euntes propter expectationem qua Christi speratur aduentus: sed tamen alias sapientes,
alias stultas, quòd sapientes oleum accæperunt in uasis suis, stultæ hoc non ferebant secum: in tam multis pares, hoc solo eas dispares demõstrat. Quid enim tam
coniunctum quàm uirgines & uirgines, & quinque & quinque. & lampadibus
ornatæ obuiam sponso euntes, & istæ & illæ? Et quid tam contrarium quàm sapientes & stultæ, uidelicet quòd istæ oleum in uasis, hoc est, intelligentiam gratiæ
Sap.8. Dei portant in cordibus suis, scientes quòd nemo possit esse continens nisi Deus
det, & hoc ipsum sapientiæ deputantes, scire cuius hoc donum sit: Ille autem lar-
Rom.1. gitori omnium bonorum gratias nõ agentes, euanuerunt in cogitationibus suis,
&

A & obscuratum est insipiens cor earum, dicentes se esse sapientes, stultæ factæ sunt? De quibus sanè nullo modo nunc desperandum est antequam dormiamus. Sed si ita dormierint, cùm factus fuerit clamor ille, quo adesse iam nuntiabitur sponsus, & euigilantes, hoc est, resurgentes remanserint foris, non quia uirgines non sunt, sed quia nescientes unde habeant quòd sunt, stultæ uirgines sunt, meritò foris erunt, quia intranea non secutæ fuerunt. Quando tales ergo repereris, non tibi persuadeant inanitatem uasorum suorum, sed tu eis potius plenitudinem.

PSALMVS VICESIMVSQVARTVS.

V *Niuersæ uiæ Domini, misericordia & ueritas.*) Vide Roman. Cap. 9. in hæc uerba: Volens Deus ostendere iram.

PSALMVS VICESIMVSQVINTVS.

Ex lib. 3. cont. Epist. Parmen. Cap. V. Tomo VII.

N *On sedi cum concilio uanitatis. &c.*) Nouit hoc ponere Parmenianus, & non curat aduertere quemadmodum his uerbis sine ullo diuisionis nefariæ sacrilegio seruiatur. Species enim domus & locus tabernaculi claritatis Dei in uasis est, ut dixi, non in omnibus quæ tamen in una domo magna sunt, sed in his quæ sunt in honore sanctificata, Domino utilia, ad omne opus bonum semper parata. In his quisquis dilexerit speciem domus Dei, & locum tabernaculi claritatis eius, tolerat ea quæ sunt in cōtumelia, nec propter hoc
B relinquit domum, ne fiat ipse non uas in contumeliam, quod tamen in domo toleratur, sed stercus quod de domo proijcitur, & propter ipsam temporalem cum malis in una domo congregationem orat dicens: Ne simul perdideris cum peccatoribus animam meā &c. Hoc utique orat, ne simul pereat cum his cum quibus eum simul uiuere charitas omnia tolerans hortatur. &c.

Dominus diluuium inhabitat. Vide infrà in Luc. Cap. 1. in hæc uerba: Exultauit in gaudio infans in utero meo.

PSALMVS TRICESIMVSPRIMVS.

Q *Voniam die ac nocte grauata est manus tua super me.*) Vide Exod. Cap. 33. in hæc uerba: Miserebor cui misertus ero.

PSALMVS TRICESIMVSNONVS.

Q *Vi plantauit aurem non audiet.*) Vide secundo Corinth. 3. Nos autem omnes reuelata facie.

PSALMVS QVADRAGESIMVSPRIMVS.

S *Itiuit anima mea ad Deum uiuum.*) Vide in Luc. Cap. 12. in hæc uerba: Moram facit Dominus meus.

Ad me ipsum anima mea turbata est.) Vide de Gen. contra Manichæum. Lib. 2. Capite decimosexto. Tomo I.

PSALMVS

PSALMVS QVADRAGESIMVSSECVNDVS. C

I V*dica me Deus.*) Vide Matth.Cap.10.in hæc uerba:Neque uirgam. Item, Vide infrà in locum Matth.5.Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

PSALMVS QVADRAGESIMVSTERTIVS.

M *Anus tua gentes disperdidit.*) Vide Gen.Cap.2.in hæc uerba:Et finxit Deus hominem puluerem de terra.

V*endidisti populum tuum sine pretio.*) Vide Iudic.Caput secundum,in hæc uerba:Et seruierunt Baal.

PSALMVS QVADRAGESIMVSQVARTVS,

P *Opuli sub te cadent,in corda inimicorum regis.*) Vide Gen.Cap.2.in hæc uerba:Faciamus hominem ad imaginem &c.

In fimbriis aureis circumamicta.) Vide in Matth.Cap.4.in hæc uerba:Et cùm ieiunasset quadraginta diebus.

PSALMVS QVADRAGESIMVSNONVS.

Ex Epistola 5. Tomo II.

N On accipiam de manu tua uitulos,neq; de gregibus tuis hircos. Et alius
Hier.31. Propheta:Ecce,inquit,dies uenient,dicit Dominus, & confirmabo super domum Iacob testamentum nouum, non sicut testamentum quod disposui patribus eorum, cùm eduxi eos de terra Aegypti: & alia multa sunt de hac re testimonia,quibus hoc Deum facturum esse prædictum est, quæ commemorare nunc longum est. Vide plura suprà,psalmo decimoquinto. D

Immola Deo sacrificium laudis.) Vide in Matth.Cap.4.in hæc uerba:Et cùm ieiunasset quadraginta diebus.

Ex lib.Sermon de Temp.Serm.220. Tomo X.

Deus manifestè ueniet.) De domino nostro Iesu Christo prophetatum est in isto
Psal.49. psalmo,ubi audiuimus & cantauimus:Deus manifestè ueniet, Deus noster nō silebit.Ipse enim dominus Christus,Deus noster,filius Dei,primo aduētu uēnit occultus,secundo aduentu ueniet manifestus.Quando uēnit occultus, nō innotuit nisi seruis suis.Quando ueniet manifestus,innotescet bonis & malis.Quando uēnit occultus,uēnit iudicādus.Quando ueniet manifestus,ueniet iudicaturus. Deniq; tunc cùm iudicaretur siluit,& de silētio eius propheta prędixerat:Sicut ouis
Esa.53. ad immolandū ductus est,& sicut agnus coram tondente,sic non aperuit os suū. Sed Deus noster manifestè ueniet,Deus noster & non silebit.Non quomodo siluit quando iudicandus erat,ita silebit quando iudicaturus erit.Et nunc non silet,si sit qui audiat.Sed dictum est:Tunc non silebit quando uocem eius agnoscēt, & qui modo contemnunt.Modo enim quando dicuntur præcepta Dei,quibusdam in risum ueniunt.Et quoniam quod promisit Deus modo non ostēditur, & quod minatur modo nō uidetur,quod præcepit irridetur.Modo enim fœlicitatē, quæ dicitur huius mundi,habēt & mali.Infœlicitatē quæ dicitur mundi huius, habent & boni.Attendunt homines qui credunt præsentia & nō credunt futura, quoniam

A ista bona & mala præsentis seculi promiscuè habentur bonis & malis. Si diuitias optant, uident habere diuitias & pessimos homines & bonos homines &c.

Deus manifestus ueniet.) Vide infrà psalmo centesimoprimo in hæc uerba: Principio terram tu fundasti Domine.

PSALMVS QVINQVAGESIMVS.

Ex Ench. ad Laurent. Cap. XLVI. Tomo III.

I N *iniquitatibus conceptus sum.*) Ac per hoc non ob aliud est instituta regeneratio, nisi quia uitiosa est generatio, usqueadeò ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: In iniquitatibus conceptus &c. Neq; hîc dixit: In iniquitate uel peccato, cùm & hoc rectè dici posset, sed iniquitates & peccata dicere maluit.

Item, Vide Leuit. Cap. 12. in hæc uerba: Immunda erit septem dies.

De doct. christ. Lib. 2. Cap. XLI. Tomo III.

Asperges me hyssopo.) Meminerint ergo illorum qui pascha illo tempore per umbram imaginariam celebrabant, cùm signari postes sanguine agni iuberetur, hyssopo fuisse signatos. Hæc hærba mitis & humilis est, nihil fortius & penetrabilius eius radicibus: ut charitate radicati & fundati possimus comprehẽdere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo & longitudo & altitudo & profundum, id est, crucem Domini; cuius latitudo dicitur in transuerso ligno quo extenduntur manus: Longitudo à terra usq; ad ipsam latitudinem, quò à manibus & infrà totum corpus affigitur: Altitudo à latitudine sursum usque ad summum, quo adhæret B caput: Profundum uerò quod terræ infixũ abscõditur. Quo signo crucis omnis actio christiana describitur: bene operari in christo, & ei perseuerãter inhærere: sperare cœlestia, sacramenta non prophanare. Per hanc actionem purgati ualebimus cognoscere etiam supereminentem scientiam charitatis christi, qua æqualis est patri, per quem facta sunt omnia, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei. Est etiam in hyssopo uis purgatoria, ne inflante scientia de diuitijs ab Aegypto ablatis, superbè aliquid pulmo tumidus anhelet. Asperges me, inquit, hyssopo & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Deinde annectit consequenter, ut ostendat purgationem à superbia significari hyssopo. Et exultabunt ossa humiliata.

hyssopi uis

De doct. christ. Lib. 2. Cap. XVI. Tomo III.

Multi propter ignorantiam hyssopi dum nesciunt quã uim habeat, uel ad purgandum pulmonem, uel ut dicitur ad saxa radicibus penetranda, cùm sit hærba breuis atque humilis, omninò inuenire non possunt quare dictum sit: Asperges me hyssopo & mundabor.

PSALMVS QVINQVAGESIMVSSEPTIMVS.

I V *stus manus lauet in sanguine peccatorum.*) Vide ad Romanos Cap. 9. in hæc uerba: Non solùm autem illa, sed & Rebecca &c.

PSALMVS QVINQVAGESIMVSOCTAVVS.

Epistola 58. Tomo II.

Quæstio

Quæstio Paulini. C

Rursus in alio psalmo admirari soleo, filium ad patrem loqui intelligens, in psalmo quinquagesimooctauo, ubi de Iudæis inimicis, de quibus suprà dixerat: Ecce ipsi loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum: Paulò infrà dicit: Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuę. Disperge illos in uirtute tua, & destrue eos Domine. Quod in his usq; in hodiernũ diem uidemus impleri. Destructi sunt enim à ueteri sua gloria sine tẽplo & sine sacrificijs, ac sine prophetis in omnium gentium dispersione uiuentes. Sed quid miramur quòd iam per prophetam pro eis non occidendis rogabat, pro quibus & sub ipso tempore passionis iam ad crucem eum ducentibus precabatur dicens: Pater dimitte eis, non enim sciunt quid
Luc. 23. faciunt. Verùm quod adiecit: Ne unquã obliuiscantur legis tuæ, tanquã propter hoc necessaria esset etiam sine fide euangelij uita eorum, obscurum mihi fateor. Quid enim his ad salutẽ, quæ sola fide quæritur, prodest in legis memoria & meditatione uersari, nisi fortè propter honorem legis ipsius, uel generis Abraham, ut etiam in parte terrena carnalis seminis eius, qua uidentur secundum arenã maris cõputari, legis antiquæ litera perseueret, ne fortè aliqui legendo legem, illuminentur ad fidem Christi, qui & legis & prophetarũ finis est, & in omnibus eorũ libris præfiguratus ac prophetatus elucet? Aut quia ex ipsis impijs eorũ, generatio uentura est electorũ, qui de singulis tribubus electi, in duodenis milibus signabuntur, quibus ipsa reuelatio beati Ioãnis ex uoce angeli prænunciantis hoc testimonium perhibet, quia comitatui regis æterni familiarius adhærebũt penitus immaculati,
Apoc. 14. & humanæ coniunctionis expertes? De quibus specialiter ait: Sequũtur agnum quocunq; ierit, quia cum mulieribus se nõ coinquinauerunt, uirgines enim sunt. D

Solutio ex Epist. 59. Tomo II.

Quod uerò in psalmo 58. de Iudæis intelligitur, dicente: Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ, conuenienter mihi uidetur intelligi ita esse prænuntiatum, eandẽ gentem etiam debellatam atq; subuersam, in populi uictoris superstitiones nõ fuisse cessuram, sed in ueteri lege mansurã, ut apud eam esset testimonium scripturarũ toto orbe terrarum, unde Ecclesia fuerat euocanda. Nullo enim euidentiore documento ostenditur gentibus, quòd saluberrimè aduertitur, non inopinatum & repentinum aliquid institutum spiritu pręsumptionis humanæ, ut Christi nomen in spe salutis æternæ tanta authoritate præpolleat, sed olim fuisse prophetatũ atq; conscriptum. Nam ipsa prophetia quid aliud nisi à nostris putaretur esse conficta, si non de inimicorum codicibus probaretur? Ideo ne occideris eos, ne ipsius gentis nomen extinxeris, ne quando obliuiscantur legis tuæ. Quod utique fieret, si ritus & sacra gentilium colere cõpulsi penitus qualecunq; nomen religionis suæ minimè retinerent. Quod in eorum figura etiam de Cain scriptum est, quòd constituit in eo Dominus signum, ne quis occideret eum. De-
Gen. 4. niq; cùm dixisset: Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ, uelut quęreretur quid de illis esset faciendũ, ut in aliquos usus testimonij ueritatis non occidantur, id est, non consumantur, neque obliuiscantur legis Dei, continuò subiunxit: Disperge illos in uirtute tua. Si enim in uno loco essent terrarum, non adiuuarent testimonio prædicationem euangelij, quæ fructificat toto orbe terrarum.

A Ideo disperge illos in uirtute tua, ut eius ipsius, cuius fuerunt negatores, persecutores, interfectores, ubique sint testes per ipsam legem, quam non obliuiscuntur, in qua est ille prophetatus quem non sequuntur. Neq; enim eis aliquid prodest, quòd eam non obliuiscuntur. Aliud est enim legem Dei habere in memoria, aliud in intellectu & effectu.

Fortitudinem meam ad te custodiam.) Vide 1. Cor. 4. in hæc uerba: Quis enim te discernit?

PSALMVS SEXAGESIMVSTERTIVS.

A *Domino enim gressus hominis diriguntur.*) Vide ad Philip. Cap. 2. in hæc uerba: Deus in nobis operatur.

PSALMVS SEXAGESIMVSSEPTIMVS.

De Trinit. Lib. 4. Cap. 1. Tomo III.

P *Pluuiam uoluntariam segregans Deus hæreditati suæ.*) Pluuiam quippe uoluntariam non nisi gratiam uult intelligi, non meritis redditam, sed gratis datam, unde & gratia nominatur. Dedit enim eam, non quia digni eramus, sed quia uoluit. Hoc cognoscentes non fidentes in nobis erimus, & hoc est infirmari. Ipse uerò perficit nos, qui etiam Paulo apostolo dixit; 2. Cor. 12.
Sufficit tibi gratia mea.

Ascendisti in altum, captiuasti capti.) Vide ad Ephe. Cap. 4. in hæc uerba: Vnicuiq; nostrum datur gratia, secundum mensuram donationis Christi.

B Ex Epistola 58. Tomo II.

Paulini quæstio.

Præter alia illud mihi obscurissimum est, quod ait: Veruntamen Deus conquassauit capita inimicorum suorum, uerticem capilli perambulantium in delictis suis, quid sit uerticem capilli perambulãtium in delictis. Non enim dixit: Verticem capitis, sed uerticem capilli, qui sine sensu est. An repletum peccatis hominem uult ostendere? Scriptum est: Omne cor in dolore à pedibus usque ad caput. Et paulò infrà quod ait: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. A quo ipso? Et nunquid canes Dei dici possunt Gentiles, quos ipse in euãgelio canes nominat? Matth. 15.
Aut ne fortè ipsos canes Dei dicat, quales æstimari possunt, ii qui in nomine Christiano gentiliter uiuant, quorum pars cùm infidelibus ponitur, quia Deum quem uerbis colunt, factis negant.

Solutio quæstionis Epistola 59. Tomo II.

Quod quæris quid sit: Veruntamen Deus conquassabit capita inimicorũ suorum, uerticem &c. non mihi uidetur aliud dictũ, quàm Deus conquassabit capita inimicorum suorũ nimium superbiẽtium, nimium se extollẽtium in delictis suis. Per hyperbolen quippe significauit superbiam, tantùm se extollentẽ, & tanta elatione incedentẽ, quasi capilli uerticem perambulando calcaret. Item in eodẽ psalmo quod scriptũ est: Lingua canum tuorũ ex inimicis ab ipso, non semper in malo accipiendi sunt canes. Alioquin nõ reprehenderentur apud Prophetam canes nescientes latrare, & amantes dormitare. Profectò enim laudabiles canes essent, Esa. 56.
si &

si & latrare scirent, & uigilare amarent. Et certè illi trecenti in numero per cru- C
cis literam sacratissimo non eligerentur ad uictoriam faciendam, qui tanquam
Iudic.7. canes lamberent aquam, nisi aliquid magnum significarent. Vigilant enim & latrant boni canes, & pro domo, & pro domino, & pro grege, & pro pastore. Denique & hîc in ecclesiæ laudibus, cùm prophetia exereretur, lingua canũ est cõmemorata non dentes. Tuorum autem canũ dixit ex inimicis, id est, ut qui erant inimici tui fierent canes tui, & latrarent pro te qui sæuiebant in te. Addidit autem, ab ipso, ut non à se ipsis hoc factum intelligerent, sed ab ipso, id est, misericordia eius & gratia.

Pluuiam uoluntariam segregans Deus.) Vide Matth. Cap.14. in hæc uerba: Ambulans super mare,

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. 109. Tomo X.

S*icut deficit fumus deficiant.*) Audiuimus & contremuimus, quod in uoce psalmi est prophetatũ. Ait enim: Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Non dubito fratres charissimi, quòd omnium uestrum corda concussa sint, nec cuiusquã conscientia sub his uerbis intrepida ste-
Pro.20. terit. Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? Ac per hoc, cùm scriptura dicit: Sicut fluit cera &c. quis nõ contremiscat, quis non pauibundus exiliat? Quid ergo faciamus, aut quæ spes nobis est? Neq; enim frustra hæc cantantur. Aut uerò cùm hæc dicit propheta, optat ea hominibus, ac non potius uentura præuidet? In uerbis quidem figura optãtis apparet, sed intelligitur præscientia nuntiantis. Sicut enim quædam in scriptura prophetatum tanquam in præteritum facta narrantur cùm futura prædicantur: ita D
quædam tanquã uoto dicuntur optantis, sed qui rectè intelligunt quod audiunt, uisionem prænuntiantis agnoscunt. Longè autem ante natiuitatem Dominicæ incarnationis, isti psalmi dicti atq; conscripti sunt. Non ante Deum Christum, sed ante natum ex uirgine Maria Christum. Nam profectò pater Abraham longè ante Dauid regẽ, cuius tempore hi psalmi cantati sunt, fuit. Dominus autẽ dixit: Ante
Ioan.8. Abraham ego sum. Ipse est enim uerbũ Dei, per quod facta sunt omnia, sed ipse implens prophetas, in carne se esse uẽturum per eos prædixit. Ad eius autem incarnationem pertinet passio. Neq; enim potuit pati illa quæ in euangelio scripta sunt, nisi in carne mortali, & passibili quam gerebat. Et ibi utiq; legitur, quemadmodum Domino crucifixo hi qui crucifixerunt eum uestimenta eius diuiserunt sibi, & cùm inuenissent in eis tunicam désuper textam, noluerunt eam conscindere, sed sortem super eam miserunt, ut ad quẽ perueniret integra perueniret, qua significabatur charitas, quæ diuidi non potest. Hæc ergo cùm in euangelio iam facta narrantur, longè ante multos annos in psalmo cùm futura prænuntiarẽtur, tanquã gesta & transacta narrata sunt. Foderunt, inquit, manus meas, & pedes
Psal.21. meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi uerò considerauerunt & inspexerunt me, diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserũt sortem. Omnia tanquam præterita dicuntur, & futura prædicantur. Sicut ergo in uerbis præteriti temporis futura facta significantur, sic in figura optantis, prænũtiantis mens intelligenda est. Sic & de Iuda Domini traditore tanquam optat ei propheta, quod

A ta, quod uenturum esse prædicit. Et de ipsis Iudæis: Fiat, inquit, mensa eorum in laqueum, & in retributionem & in scandalum. Quod de his prædictum esse sine dubitatione exponit, sicut de Iuda quæ sub eadem figura prænunciata sunt apostolus Petrus commemorat. Nec sine causa & quæ futura sunt tanquam transacta dicuntur. Deo enim sic certa sunt, ut iam pro factis habeantur, & tanquam optans uidetur dicere propheta, quod certum præuidet esse uenturum, nihil aliud quantùm mihi uidetur ostendens, nisi nobis non debere displicere cognitam sententiam Dei, quam fixam immobilémque constituit. Et ideo in actibus Apostolorum, cùm quidam propheta nomine Agabus prædiceret apostolum Paulum in Hierosolima à Iudæis multa esse passurum, & usque ad uincula peruenturum, cùm hoc audito fratres reuocare & retinere uellent ne illùc pergeret: quid facitis, inquit, conturbantes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine domini nostri Iesu Christi. Atque ita cùm uiderent fratres immobilem uiri ad omnia perferenda constantiam, dixerunt: Fiat Domini uoluntas. Nunquid ergo quia dixerunt: Fiat uoluntas Dei, optauerunt Apostolo ut talia pateretur, ac non potius mentem suam sublimi & diuino statuto deuotissimè subdiderunt? Sic & propheta cùm dicit: Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, uidet hoc certissimè peccatoribus imminere, & placet ei quod Deus statuit, ne Deo ipse displiceat. Quid ergo facimus fratres, nisi ut dum tempus est uitam mutemus, & facta nostra si qua sunt corrigamus? Vt quod sine ulla dubitatione uenturum est peccatoribus, nos non inueniat super quos ueniat, non quia non erimus, sed ut non tales inueniat qualibus uenturum esse prædi-

Psal.68.

Act.21.

Psal.67.

B ctum est. Propterea se iudex uenturum minatur, ut non inueniat quos puniat cùm uenerit. Propterea illud cantant prophetæ ut corrigamur. Si damnare uellet taceret. Nemo uolens ferire dicit, obserua. Totum fratres quod audiuimus per scripturas, uox est Dei dicentis, Obserua. Et totum quod patimur tribulationes in hac uita, flagellum Dei est corrigere uolentis ne damnet in fine. Quasi dura sunt, molesta sunt, horrent quando narrantur, quæ quisque grauia ualde patitur in hac uita, in comparatione autem æterni ignis non parua sed nulla sunt. Siue ergo nos flagellemur, siue cùm alij flagellantur, admonemur à Domino. Omnia ista fratres quæ in hac uita infliguntur à Domino, admonitiones sunt & stimuli correctionis nostræ. Veniet autem ignis æternus de quo dicetur illis qui ad sinistram constituendi sunt: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis suis. Matth.25.
Tunc acturi sunt quidam pœnitentiam. Nam scriptum est in libro quodam Sapientiæ: Dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Sap.5.
Quid nobis profuit superbia, & quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Erit enim ibi pœnitentia, sed infructuosa. Erit ibi pœnitentia, sed dolorem habens, medicinam non habens. Nunc est fructuosa pœnitentia, quando correctio libera, pœniteat te ad uocem scripturæ. Nam ad uocem præsentis iudicis, sine causa pœnitebit te. Tunc iam ille sententiam dicturus est: Et non erit quod reprehendas quando sententiam dicturus est: Non enim tacuit ante sententiam. Non enim te distulit nisi ut corrigeres te, quandoquidem

latroni in cruce pendenti se mutare permisit. Tunc enim latro pendens cum Domino, credidit in Christum, quando de illo discipuli titubauerunt. Contempserunt Iudæi mortuos suscitantem, non contempsit latro secum in cruce pendentem. Non est ergo quod in fine dicatur Domino: Non me permisisti bene uiuere, aut dilationem correctionis non mihi dedisti, aut non ostendisti quid appeterem, quid uitarem. Videte quia non tacet, uidete quia differt, uidete quia blanditur, hortatur, minatur. Constituit uerbum suum in sublimitate, per totum mundum

Psal.18. recitatur uniuerso humano generi. Non est qui iam dicat: Nesciui, non audiui. Impletur quod dictum est in psalmo: Nec est qui se abscondat à calore eius. Modo ergo calor eius in uerbo eius est. Mutare modo à calore eius, & nõ deflues sicut cera ab igne eius. Nam illud fratres mei uẽturum est aliquando quod modo rident impij, quod modo contemnunt derisores, quod putãt falsò cantari aliquando uẽturũ est. Si non uenerunt tanta quanta prædicta sunt, desperemus & illud aliquãdo uenturum. Si autem omnia quæ de Ecclesia futura prænuntiata sunt, iam uidemus exhibita, & cæcorum etiam oculos feriunt, quid dubitamus etiam illa uẽtura? Quando dicebatur Ecclesia Christi futura per totum orbem terrarum, dicebatur à paucis & ridebatur à multis. Modo iam impletum est quod tantò antè prædictum est: Diffusa est Ecclesia per totum orbem terrarum. Ante milia annorum

Gen.12. promissum est Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Vênit Christus ex semine Abrahæ, benedictæ sunt in Christo iã omnes gentes. Prædicta sunt schismata & hæreses futuræ, uidemus illa. Prædictę sunt persecutiones, factę sunt à regibus colentibus idôla. Pro ipsis idôlis aduersus nomen Christi repleta est terra martyribus. Sparsum est semen sanguinis, surrexit seges Ecclesiæ. Nec frustra orauit Ecclesia pro inimicis suis. Crediderunt & qui persequebantur. Prædictum est etiam quia ipsa idôla euertenda essent per nomen Christi. Nam & hoc inuenimus in scripturis: Ante paucos annos Christiani illa legebãt, & nõ uidebãt, adhuc futura illa expectabant, & sic abierunt, non illa uiderunt; sed tamen credentes quòd futura essent, cùm fide abierunt ad Dominum. Nostris temporibus etiam ipsa cernuntur. Omnia quæ antè prædicta sunt de Ecclesia uidemus impleta. Solus dies iudicij non est uenturus? Ipse solus prænuntiatur & non ueniet? Vsqueadeò sumus duri & lapidei cordis, ut legamus scripturas, & uideamus omnia prorsus ad literam euenisse quæ scripta sunt, & de his quæ remanent desperemus? Quantum est enim quod remanet, ad ea quæ iam nobis exhibita uidemus? Tam plura Deus ostendit, et de residuo nos fraudaturus est? Veniet iudicium redditurum pro meritis: Bonis bona, malis mala. Boni simus & securi iudicem expectemus. Fratres mei, maximè nunc dicentem me audite: Nolo tecum computare præterita. Ab hodierna die te muta, cras te alterum inueniat. Nos autẽ peruersitate nostra sic uolumus Deum esse misericordem, ut non sit iustus. Alij rursus quasi præfidentes de iustitia sua, sic uolunt iustum ut nolint misericordem. Vtrunque se exhibet Deus, utrunque præstat, nec misericordia eius præscribit iustitiæ, nec iustitia eius aufert misericordiam. Misericors est, & iustus est. Vnde misericordem probamus? Parcit modo peccatoribus, dat ueniam confitentibus. Vnde probamus

A bamus quia iustus est? Quia uenturus est dies iudicij quem modo differt, non aufert. Et cùm uenerit redditurus est pro meritis. An hoc uultis ut reddat auersis quod reddetur conuersis? Fratres, iustum uidetur uobis ut ibi ponatur Iudas, ubi positus est Petrus? Et ipse poneretur si se correxisset? Sed de uenia desperans, potius sibi collum ligauit, quàm regis clementiam supplicaret. Itaque fratres, sicut dicere cœperam, non est unde reprehendamus Deum. Quid contra illũ dicamus, non erit cùm uenerit iudicare. Cogitet unusquisque peccata sua, & modo illa emẽdet cùm tempus est. Sit fructuosus dolor, non sit sterilis pœnitudo. Tãquam hoc dicit Deus: Ecce indicaui sententiam, sed nondum protuli. Prędixi, non fixi. Quid times, quia dixi? Si mutaueris, mutatur. Nam scriptum est, quòd pœniteat Deum. Gen. 6.
Nunquid quomodo hominem sic pœnitet Deũ? Nã dictum est: Si pœnituerit uos de peccatis uestris, pœnitebit & me de omnibus malis quæ facturus eram uobis. Hiere, 18.
Nunquid quasi errantem pœnitet Deum? Sed pœnitentia dicitur in Deo mutatio sententiæ. Non est iniqua, sed iusta. Quare iusta? Mutatus est reus, mutauit iudex sententiam, Noli terreri. Sententia mutata est, non iustitia. Iustitia integra manet, quia mutato debet parcere quia iustus est. Quomodo pertinaci nõ parcit, sic mutato parcit. Ipse rex est indulgentiarum, qui dator est legis. Misit legem, uẽnit cũ indulgentia. Reum te fecerat lex, absoluit te qui dedit legem. Imò non absoluit. Nam absoluere est innocentem iudicare. Donat potius peccata cõuerso. Omnes enim sunt rei, qui peccatis suis inuoluti sunt. Nemo se optet absolui. Omnes ueniam deprecemur. Venia uerò datur mutato. Et erimus securi cum audierimus: Psal. 67.
Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereãt peccatores à facie Dei. Certè fratres modo
B pereunt peccatores, & nõ pereunt peccatores. Si incipiant iustè uiuere, peribunt utiq; peccatores, sed nõ peribunt homines. Homo peccator, duo nomina sunt, homo unum nomen est, & peccator unum nomen est. In his duobus nominibus intelligimus quia unum horum Deus fecit, alterum horum homo fecit. Hominem enim Deus fecit, peccatorẽ se ipse homo fecit, Quid ergo contremiscis? Quãdo tibi dicit Deus: Pereãt peccatores à facie mea, hoc tibi dicit Deus: Pereat in te quod tu fecisti, & serua quod ego feci. Et modo ardet ignis in calore uerbi, res est in feruore spiritussancti, sicut diximus iãdudum, quia scriptum est in alio psalmo: Nec Psal. 18.
est qui se abscõdat à calore eius. Spiritum autem sanctum esse calorem dicit Apostolus: Spiritu feruentes. Ergo pro facie Dei, tibi pone interim scripturam Dei. Rom. 12.
Liquesce ab illa, pœniteat te cùm audis hæc de peccatis tuis. Cùm autem te pœnitet, & cùm teipsum excrucias sub calore uerbi, cùm etiã lachrymæ currũt, nónne ceræ tabescenti & tanquam in lachrymas currenti similis inueniris? Modo ergo fac quod in posterum times, & non habebis quod in posterum timeas. Tãtùm nõ sicut fumus deficiant. Nã utrunq; ibi habes positũ, fortè nõ sine causa, quia est etiã distãtia peccatorũ. In ipso uno uerbo utrũq; posuit psalmus: Sicut deficit fumus, deficiant, & sicut fluit cera à facie ignis, sic pereãt peccatores à facie Dei. Qui sunt qui sicut fumus deficiunt? Qui sunt nisi superbi, non confitentes peccata sua, sed defendentes? Quare fumo comparati sunt? Quia fumus erigit se, extollit se tanquam in cœlum, sed quantò fit superior, tantò facilius euanescit & disperit. Rursus cõsiderate quod dixi: Solidior est fumus igni proximus, & terræ proximus,

 nondum

nondum sic euanuit, nondum sic est dispersus in uentos: quando autem attenuatur, euanescit, & disperit quando se multùm extulerit. Quia ergo superbus sic se erigit contra Deum, quomodo fumus contra cœlum, restat ut ita deficiat, & tanquam in uentos suæ uanitatis elatione dissipatus intereat, quemadmodum disperit fumus elatus, tumida non solida magnitudine inflatus. Sic est enim fumus. Vides magnam molem, habes quasi quod uideas, & non habes quod teneas. Talem ergo pœnam fratres ante omnia detestamini, nec defendatis peccata uestra: & si adhuc facitis, nolite defendere. Subdite uos Deo, & sic tundite pectora uestra, ut & ipsa quæ remanserunt non fiant: conamini non facere, & si fieri potest, nulla facite: si autem fieri non potest ut nulla faciatis, maneat tamen illa pia confessio. Erit enim respectus misericordiæ ipsius, ut te conante omnia perimere, & quantùm adiuuerit perimente, de reliquis quæ tibi restant in itinere, in uento & in conatu comprehenso, facilè ignoscat: tantùm proficere affecta, non deficere. Si non te inuenit dies ultimus uictorem, inueniat uel pugnantem, nō captum & addictū. Est autem misericordia abundantissima & larga eius beneuolentia, qui nos sanguine filij sui redemit, cùm propter peccata nostra nihil essemus. Nā ipse aliquid magnum fecit, cùm hominem ad imaginem & similitudinem suam creauit. Sed quia nos nihil fieri uoluimus peccando, & traducem mortalitatis de parentibus duximus, & massa peccati, massa iræ facti sumus, placuit tamen illi per misericordiam suam redimere nos tanto pretio, dedit pro nobis sanguinem unici sui innocenter nati, innocenter uiuētis, innocenter mortui. Qui nos tanto pretio redemit non uult perire quos emit. Non emit quos perdat, sed emit quos uiuificet. Si peccata nostra superant nōs, pretium suum non contemnit. Deus pretium magnum dedit, nec tamen nobis tantùm de ipsius misericordia blandiamur, si nō fuerimus conati aduersus peccata nostra, nec si aliqua maximè capitalia fecerimus, speremus ita futuram esse misericordiam, ut ei coniungatur iniquitas. Nunquid enim & eos qui nihil egerunt, quemadmodum correcti uiuerēt, sed in pertinacia & duricia animi permanserunt, accusauerunt etiam Deum defendendo peccata sua ibi constituturus est ubi constituit sanctos Apostolos, prophetas, patriarchas & fideles suos bene de se meritos, sibi seruientes, ambulantes in castitate, modestia, humilitate, eleemosynas facientes, ignoscentes quod à quoquam perpessi sunt. Talis est enim uia iustorum, talis est uia sanctorum tenentium Deum patrem, tenentium ecclesiam matrem, nec illum parentem, nec istam offendentes, sed in amore utriusque parentis uiuentes, & ad hæreditatem æternam properantes, non læso patre, non læsa matre, datur unicuique hæreditas. Quia duo parentes nos genuerunt ad mortem, duo parentes nos genuerunt ad uitam. &c.

PSALMVS SEXAGESIMVS OCTAVVS.

De Trinit. lib. 12. Cap. XIIII. Tomo III.

Q *Vae non rapui tunc exoluebam.* Rapinam uolens intelligi peccatum, quia usurpatum est contra licitum.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS PRIMVS.

Ex

A Ex Epiſtola 119. Tomo. II.

O *Rietur in diebus iuſtitia & abundantia pacis.* Id eſt, abundantia pacis in tantum creſcet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis abſumat.

Dominabitur à mari uſque ad mare. Vide in Luca Cap.12. in hæc uerba: Moram facit Dominus meus.

Qui facit mirabilia ſolus. Vide in Ioanne Capite primo in hæc uerba: In principio erat uerbum.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS SECVNDVS.

Ex lib.1. de Morib. Eccl. Cath.

N Vm enim Paulus tantùm dicit, Deo nos eſſe debere ſubiectos, ita ut in medio quod ſeparet nihil ſit? Nónne & propheta cõmodiſſimè hoc & breuiſsimè ſignificat, cùm dicit: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt? Nónne quod ibi latiſsimè de charitate dictum eſt, hîc uno uerbo cõtinetur, quod ait inhærere? Item, quod addidit, bonum eſt, nónne ad illud reſpicit, quod ibi poſitum eſt: Diligentibus Deum omnia procedunt in bonum.

Ex lib.14. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XIII. Tomo V.

Deiecisti eos, dum extollerentur. Non enim ait, cùm elati fuiſſent, ut prius extollerentur, & poſtea deijcerentur, ſed cùm extollerentur, tunc deiecti ſunt. Ipſum quippe extolli iam deijci eſt.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS QVARTVS.

B De doct. Chriſt. Lib.3. Cap. XXV. Tomo III.

C *Alix in manu domini uini meri plenus mixto.* Incertum eſt enim utrùm irã Dei ſignificet non uſque ad nouiſsimam pœnam, id eſt, uſque fecem: an potius gratiam ſcripturarum à Iudeis ad Gentes tranſeuntem, quia inclinauit ex hoc in hoc, remanentibus apud Iudæos obſeruationibus quas carnaliter ſapiunt, quia fex eius non eſt exinanita.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS QVINTVS.

N *Otus in Iudæa Deus.* Vide Cap.6. Matth. in hæc uerba: Sanctificetur nomen tuum.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS SEPTIMVS.

S *Piritus ambulans & non reuertens.* Vide Eccl. Cap.12. in hæc uerba: Et cõuertatur puluis in terram.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS OCTAVVS.

Epiſtola 46. Tomo II.

D *Eus meus miſericordia eius præueniet me: ut iuſtificetur impius.* Hoc eſt, ex impio fiat iuſtus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit, quando iudicabitur mundus.

PSALMVS OCTVAGESIMVS.

D lata os tuum, & adimplebo illud. Vide Exod. Cap. 4. in hæc uerba. Et ego aperiam os tuum. C

Item, Vide Cap. 16. Prouerb. in hæc uerba: Hominis est præparare cor.

PSALMVS OCTVAGESIMVSQVARTVS.

M Isericordia & ueritas obuiauerunt sibi. Vide Rom. Cap. 9. in hæc uerba: Volens Deus ostendere iram.

PSALMVS NONAGESIMVSTERTIVS.

Epistola 46. Tomo II.

I Ntelligite ergo qui insipientes estis. &c. Eo ipso quippe, quo præceptum & imperatum est, ut intelligamus atque sapiamus, obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hoc ipsum sine adiutorio Dei gratiæ fieri per liberum arbitriũ, ut intelligeremus atq; saperemus, nõ diceretur Deo: Da mihi intellectum, ut discã mandata tua.

PSALMVS OCTVAGESIMVSNONVS.

M Ille anni ante oculos tuos. Vide in Luca Cap. 12. in hæc uerba: Moram facit Dominus meus.

PSALMVS NONAGESIMVSSEPTIMVS.

Psallite Domino in cithara. Vide Cap. 2. Iob in hæc uerba: Blasphema Deum & morere. D

PSALMVS NONAGESIMVSNONVS.

I Pse fecit nos, & non ipsi nos. Vide psalmum. 21. in hæc uerba: Deus deus meus respice in me.

PSALMVS CENTESIMVSPRIMVS.

Ex Lib. 20. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XXIIII. Tomo V.

P Rincipio terram tu fundasti Domine, &c. Quid est quòd Porphyrius, cùm pietatem laudet Hebræorum, qua magnus & uerus & ipsis numinibus terribilis ab eis colitur Deus, Christianos ob hoc arguit maximæ stultitiæ, etiam ex oraculis deorum suorum, quòd istum mundum dicunt esse periturum? Ecce in literis pietatis Hebræorum dicitur Deo, quẽ confitente tanto philosopho, etiam ipsa numina perhorrescunt: opera inquit, manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt. Nunquid quando cœli peribunt, mundus cuius ijdem cœli superior pars est, & tutior, non peribit? Si hæc sententia Ioui displicet, cuius ut scribit iste Philosophus, uelut grauioris authoritatis oraculo in Christianorũ incredulitate culpatur, cur non similiter sapientiã tanquam stultitiam culpat Hebræorum, in quorũ libris pijssimus inuenitur? Porrò si in illa sapiẽtia Iudæorum, quæ Porphyrio tã multùm placet ut eam deorũ quoque suorũ uocibus prædicet, legitur cœlos esse perituros, cur usqueadeò uana est ista fallacia, ut in fide Christianorum,

A uel inter cætera uel præ cæteris hoc detestetur, quòd in ea periturus creditur mũdus, quo utique nisi pereũte, cœli non possunt perire? Et in literis quidem sacris, quæ propriæ nostræ sunt, non Hebræis nobísque communes, id est, Euangelicis & Apostolicis libris legitur: Præterit figura huius mundi: legitur, mundus transit, legitur, cœlum & terra transibunt: Sed puto quòd præterit, transit, transibunt aliquando mitius dicta sunt quàm peribunt. In Epistola quoque Petri apostoli, ubi aqua inundatus, qui tunc erat perisse dictus est mundus, satis clarum est, & quæ pars mundi à toto significata est, & quatenus perisse dicta sit, & qui cœli repositi igni reseruandi in diem iudicij & perditionis hominum impiorum. Et in eo quod paulò pòst ait: Veniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transcurrent, elementa autem ardentia resoluentur, & terra, & quæ in ipsa sunt opera exurentur, ac deinde subiecit: his omnibus pereuntibus, quales oportet uos esse? Possunt illi cœli intelligi perituri quos dixit repositos igni reseruandos, & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt procellosa, & turbulenta, in qua eosdem cœlos dixit esse repositos, saluis illis superioribus & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sydera constituta. Nam & illud quod scriptũ est, stellas de cœlo esse casuras, præter quod potest multò probabilius & aliter intelligi, magis ostendit mansuros esse illos cœlos, si tamen stellæ inde casuræ sunt, uel cùm tropica sit locutio, quod est credibilius, uel in isto imo cœlo futurum sit utique mirabilius, quàm nunc fit. Vnde & illa Vergiliana Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit, & Idæa se condidit sylua. Hoc autem quod de psalmo commemoraui nullum cœlorum uidetur relinquere, quod periturum esse non dixerit. Vbi enim dicitur: Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, quàm nullum eorum ab opere Dei, tam nullum eorum à perditione secernitur. Nõ enim dignabuntur de Petri apostoli locutione quem uehementer oderunt, Hebræorum defendere pietatem, deorum suorum oraculis approbatam, ut saltem ne totus mundus periturus esse credatur, sicà toto pars accipiatur, in eo quod dictum est: Ipsi peribunt, cum soli cœli infimi perituri sint, queadmodum in apostolica illa epistola à toto pars accipitur, quod diluuio perisse dictus est mũdus, quamuis sola eius cum suis cœlis pars ima perierit. Sed quia hoc, ut dixi, non dignabuntur, ne uel apostoli Petri approbent sensum, uel tantùm concedant conflagrationi nouissimæ, quantùm dicimus ualuisse diluuium qui nullis aquis, nullis flammis totum genus humanum perire posse contendunt. Restat ut dicant, quòd propterea dij eorum Hebræam sapientiam laudauerunt, quia istum psalmum non legerant. In psalmo etiam quadragesimonono de iudicio Dei nouissimo intelligitur dictum: Deus manifestus ueniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit &c. Hoc nos de Domino nostro Iesu Christo intelligimus, quem de cœlo speramus esse uenturum ad uiuos & mortuos iudicandos. Manifestus enim ueniet inter iustos & iniustos iudicaturus iustè, qui prius uênit occultus, ab iniustis iudicandus iniustè. Ipse, inquam, manifestus ueniet, & non silebit, id est, in uoce iudicis euidens apparebit, qui prius cum uenisset, occultus ante iudicem siluit, quando sicut ouis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente se fuit sine uo-

Marginalia: 2. Cor. 7. — 2. Ioan. 2. — Luc. 21. — 2. Pet. 3. — B — Psal. 49.

ce, quemadmodum de illo per Esaiam legimus prophetatum, & in euangelio uide C
mus impletum. De igne uerò & tẽpestate cùm in Esaiæ prophetia tale aliquid tra-
ctaremus quomodo essent hæc intelligenda, iam diximus. Quod uerò dictũ est:
Esa.51 Aduocabit cœlum sursum, quoniam sancti & iusti rectè cœlum appellantur, nimi
1.Thes.4. rum hoc est, quod ait Apostolus: Simul cum illis rapiemur in nubibus in obuiam
Christo in aëra. Nam secundum literæ superficiem, quomodo sursum aduocatur
cœlum quasi posit esse nisi sursum? Quod autem adiũctum est: Et terram discer-
nere populum suum, si tantummodo subaudiatur, aduocabit, id est, aduocabit ter-
ram, nec subaudiatur sursum, hunc uidetur habere sensum secundum rectam fi-
dem, ut cœlum intelligatur in eis, qui cum illo sunt iudicaturi, & terra in eis, qui iu
dicandi sunt, & aduocabit cœlum sursum, non hîc intelligamus rapiet in aëra, sed
in iudiciarias sedes eriget. Potest & illud intelligi: Aduocabit cœlum sursum, aduo
cabit angelos in supernis & excelsis locis, cum quibus descendat ad faciendum iu-
dicium: aduocabit & terram, id est, homines in terra utique iudicandos. Si autem
utrumque subaudiendum est, cũ dicitur, & terram, id est, & aduocabit, & sursum:
ut iste sit sensus, aduocabit cœlum sursum, & terram aduocabit sursum, nihil me-
lius intelligi existimo, quàm homines qui rapientur in obuiam Christo in aëra, sed
cœlum dictum propter animas, terram propter corpora. Discernere porrò popu
lum suum, quid est nisi per iudicium separare bonos à malis, tanquam oues ab hœ
dis? Deinde conuersio sermonis ad angelos facta est: Congregate illi iustos eius.
Profectò enim per angelicum ministerium tanta res peragenda est. Si autem quę-
rimus, quos iustos ei congregaturi sint angeli, qui disponunt, inquit, testamentum
eius super sacrificia. Hæc est omnis uita iustorum, disponere testamentum Dei su- D
per sacrificia. Aut enim opera misericordiæ sunt super sacrificia, id est, sacrificijs
præponenda iuxta sententiam Dei dicentis: Misericordiam magis uolo quàm sa-
crificium, aut si super sacrificia, in sacrificijs intelligitur dictum, quomodo super
terram fieri dicitur quod fit utiq; in terra, profectò ipsa opera misericordiæ sunt
sacrificia quibus placetur Deo, &c.

Lib.2.de Lib.arbitrio.

Mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Annos si-
ne defectu pro æternitate posuit prophetica locutio.

PSALMVS CENTESIMVSSECVNDVS.

Epistola 5 Tomo II.

Mutabis ea et mutabuntur. Insinuandum est eis mutationem istam sacra-
mentorum testamenti ueteris & noui etiam prædictam fuisse propheti-
cis uocibus. Ita enim uidebunt, si poterunt, id quod in tempore nouum
est, non esse nouum apud eum qui condidit tempora, & sine tempore habet om-
nia quæ suis quibusq; temporibus pro eorum uarietate distribuit.

PSALMVS CENTESIMVSTERTIVS.

De Gen.ad Lit. Lib.10.Cap.8. Tomo III.

Auferspiritum eorum & deficient. Pro illis qui arbitrantur animas ex pa-
A rentibus sicut corpora creari, hoc uidetur sonare, cùm sic intelligatur ut
spiritum eorum propterea dixerit, quòd eum homines ex hominibus
accæperint:

A accœperint:qui cùm mortui fuerint,non eis poterit ab hominibus reddi ut resurgant,quia non rursus quemadmodum quando nati sunt, à parentibus ducitur, sed Deus eum reddet,qui resuscitat mortuos. At per hoc eundem spiritum dixit eorum cùm moriuntur,Dei autem cùm resurgunt: quod possunt illi qui non ex parentibus,sed Deo mittente animas uenire asserunt,pro sua opinione sic intelligere:ut eorum dixerit spiritum cùm moriũtur,quia in eis erat,& ab eis exijt: Dei aut cùm resurgunt,quod ab ipso mittitur,ab ipso redditur. Proinde hoc etiam testimonium neutris eorum aduersatur:ego uerò arbitror melius intelligi hoc dictum de gratia Dei,qua interius renouamur. Omnium enim superborum secundum terrenum hominem uiuentium,& de sua uanitate præsumentiũ, quodãmodo aufertur spiritus proprius,cùm exuunt se ueterem hominem, & infirmantur ut perficiantur expulsa superbia,dicentes Domino per humilem confessionẽ:Memento quia puluis sumus,quibus dictum erat: Quid superbis terra & cinis? Per oculum quippe fidei contuentes Dei iustitiã,& nolentes constituere suam,semetipsos despiciunt,sicut Iob dicit,& distabescunt,& æstimant se terram & cinerem, hoc enim est: Et in puluerem suum conuertentur: Accœpto autem spiritu Dei dicunt: Viuo autem iam non ego,uiuit autem in me Christus. Sic innouantur facies terræ per noui testamenti gratiam numerositate sanctorum.

Psal.102.
Eccl.10.
Gal.2.

PSALMVS CENTESIMVSNONVS.

Ante luciferum genui te. Vide.1.Cor.14.in hęc uerba: Qui ignorat ignorabitur.
Ex Lib.Cont.Sermon.Arianor. Cap.12. Tomo VI.

B SEde ad dexteram meam. Audiuit inquiũt à patre: Sede ad dexteram meã, & ideo sedet ad dexteram patris:tanquam paterna iussione non etiam sua id fecerit potestate. Hoc quidem nisi spiritaliter accœptum fuerit, filio pater ad sinistram erit. Quid est autem patris dextera,nisi æterna illa ineffabilisq; fœlicitas,quò peruenit filius hominis etiam carnis immortalitate percœpta? Nam si uelut manum Dei patris,non secundum lineamenta corporis quæ in Deo non sunt,sed secundum effectiuam uirtutem sapientem fideliter cogitemus, quid intelligimus,nisi ipsum unigenitum per quem facta sunt omnia? De quo etiam propheta dixit: Et brachium Domini cui reuelatum est? Quomodo autem filius audit patrem,quomodo dicuntur à patre multa uerba, unico uerbo: quomodo transeunter loquitur,ei quem stabiliter loquitur:quomodo aliquid temporaliter ei dicit,in quo sibi coæterno iam erant omnia quæ congruis quibusque temporibus dicit,quis hæc audeat quærere,quis ualeat inuenire? Et tamen: Dixit Dominus Domino meo sede ad dexteram meam,& quia dictum est, ideo factum est. Hoc ergo iam erat in uerbo,quod uerbum caro factum est. Et quia in uerbo ante carnem iam erat ueraciter,ideo in carne completum est efficaciter. Quia in uerbo iam erat sine tempore,ideo in carne completum est suo tempore. In qua carne ascendit in cœlum,qui de cœlo non recessit, etiam cùm inde descendit: & in qua sedet ad dexteram patris,brachium patris & in qua descensurus est ad iudicium in iussu,in uoce archangeli,& in tuba Dei. Vbi illi minorem uolunt uideri filij potestatem,qua in iussu dictus est descensurus. Sed quærendum est ab eis, iussu cuius?

Esa.52.

cuius? Si patris, interrogandi sunt iterum, quibus temporalibus iubeat uerbis pater æterno suo uerbo, ut descendat de cœlo? Siquidem ipsa Dei iussio quæ fiet in tempore suo, iam erat ante omnia tempora in ipso Dei uerbo. Quòd si filius Dei per hoc quod filius hominis est, descẽdit de cœlo: ergo per hoc quod uerbum est, per ipsum iubetur ut descendatur de cœlo. Nam si nõ per ipsum pater iubet, non ergo pater per suum uerbũ iubet: aut aliud erit uerbũ per quod iubeatur unico uerbo. Et miror si iam illud unicũ erit, si & aliud erit. Factæ sunt quidem patris ad filium quædam etiam temporaliter uoces, sicut de nube sonuit: Tu es filius meus dilectus, nõ tamen ut filius unigenitus per illas aliquid disceret, sed hi potius quos ita oportebat audire. Ac per hoc etiam ille transeuntium uerborũ sonus, nõ sine filio factus est filio, alioquin non omnia per ipsum facta sunt. Sed nunquid, cùm iubetur ut descendat de cœlo, talibus sonis & uocibus opus erit, quibus filius paternã nouerit uoluntatem? Absit hoc credere. Quicquid ergo illud erit quod fieri oportebit ad filium, nõ faciet pater nisi per eundem filium. Ad ipsum scilicet, quia filius hominis est, & factus est inter omnia: Per ipsum autẽ quia filius Dei est, etiã per illum fiunt à patre omnia. Si autem quod dictũ est: In iussu, in uoce archangeli, ipsius archangeli iussum uolunt intelligi, sicut uerba ipsa uidentur sonare, quid eis restat, nisi ut angelis etiam minorẽ dicant unigenitum filium, quorũ iussis obedire perhibetur, si iubente minor est cui iubetur? Quamuis quod dictum est: In
1. Thes. 4. iussu, in uoce archangeli, possit etiam sic intelligi, ut ipsa uox archangeli iussu Dei fieri accipiatur, id est, ut angelus qui tuba Dei esse intelligendus est, à domino Deo iubeatur emittere uocem suam, quod inferiori creaturæ necessarium erit audire,
1. Cor. 15. cùm filius Dei descendet de cœlo. Ipsa est enim tuba, de qua dicit alio loco: Canet D
Ioan. 5. enim tuba & mortui resurgent incorrupti. Dixit ergo filius: Sicut audio iudico: siue ex humana subiectione, quia & filius hominis est, siue secundum illam incommutabilem simplicémq; naturam, quæ sic est filij, ut tamen ei de patre sit: in qua natura non est aliud audire, aliud uidere, aliud esse: sed quod est esse, hoc audire, hoc uidere. Vnde ab illo ei est audire & uidere, à quo illi est ipsum esse.

PSALMVS CENTESIMVSDECIMVSTERTIVS.

Epistola 49. Tomo II.

Oculos habent & non uident.) Quibus morbidis & pestilentiosis affectibus medetur scriptura diuina, quæ rem quidem notam, sed tamen salubri remedio admonitionis inculcat, dicens: Oculos habent, & cætera talia. Hæc enim uerba quò magis aperta & populariter uera sunt, eò magis incutiunt salubrem pudorem illis, qui cum talibus simulachris diuinũ cum timore cultum exhibent, eáque uiuentibus similia uenerantes adorantésque contuentur, eísque uelut præsentibus preces allegant, uictimas immolant, uota persoluũt, sic afficiuntur omninò, ut ea sensu carentia putare non audeant.

PSALMVS CENTESIMVSDECIMVSQVINTVS.

Credidi propter quod & locutus sum.) Vide infrà in Luc. Cap. 1. in hæc uerba: Exultauit in gaudio infans in utero meo.

PSALMVS

A PSALMVS CENTESIMVSDECIMVSOCTAVVS.

Locut.de Gene.Lib.1. Tomo III.

Et custodiui legem tuam.) De lege Dei dixit. Hæc facta est mihi, id est, in meam utilitatem.

Iniustè persecuti sunt me.) Vide infrà in Matthæo Cap.5.in hæc uerba: Beati qui persecutionem patiuntur &c.

Præuaricationes æstimaui omnes peccatores terræ.) Vide ad Roman.Cap.5.in hæc uerba: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum.

PSALMVS CENTESIMVSVICESIMVSPRIMVS.

De Trinit.Lib.3.Cap 2. Tomo III.

Vius participatio in idipsum.) Dicam si potero quiddam, exempli gratia, C quo hęc apertiora sint. Est certè in corpore humano quędam moles carnis, & formæ species, & ordo distinctióque membrorum, & temperatio ualetudinis: hoc corpus inspirata anima regit, eadémq; rationalis: & ideo quãuis mutabilis, tamen quæ possit illius incommutabilis sapientiæ particeps esse: ut sit participatio eius, in idipsum, sicut in psalmo scriptum est, de omnibus sanctis, ex quibus tanquam lapidibus ædificatur illa Hierusalem mater nostra æterna in cœlis. Ita enim canitur: Hierusalem quæ ædificatur ut ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. quippe hoc loco illud summum & incommutabile bonum intelligitur, quod Deus est atque sapientia uoluntásq; ipsius. Cui cantatur alio loco: Mutabis eos, & mutabuntur, tu uerò idem ipse es. *Idipsum* *Psal.101.*

B

PSALMVS CENTESIMVSTRICESIMVSSECVNDVS.

Ex Lib.2.cont.Liter.Petil.Cap.104. Tomo VII.

Cce quàm bonum et quàm iocundum &c.) Verum dicis. Nam illud sacerdo- E tium in figura corporis Christi habebat unctionem, quod unitatis compage fit saluum. Nam & ipse Christus à chrismate appellatur, id est, ab unctione. Hunc Hebræi dicunt Messiam, quod uerbum punicæ linguę consonum est, sicut alia hebræa permulta & penè omnia. Quid est ergo in illo sacerdotio caput, quid barba, quid ora uestimenti? Quantum donat Dominus ut intelligam, caput est ipse saluator corporis, de quo Apostolus ait: Et ipse est caput corporis ecclesiæ. Per barbam non incongruè fortitudo intelligitur. Ergo ad eos qui sunt fortes in ecclesia eius, & adhærẽt oræ eius, ut sine timore prędicent ueritatem, ab ipso Christo tanquam à capite sanctum descendit unguentum, id est, sanctificatio spiritalis. Ora uestimenti hæc datur intelligi quæ in capite uestimenti est, qua uestiendis caput ingreditur: per hãc significatur perfecti fideles in ecclesia. In ora nãque perfectio est, & utique meminisse esse dictum cuidam diuiti: Si uis esse perfectus, uade uende omnia quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & ueni sequere me. Tristis quidem ille discessit, neglector profectionis, & elector defectionis. Sed nunquid ideo defuerunt in quos unitatis unguentum tali rerum terrenarum dimissione perfectos, tanquam in oram *Punica lingua affinis Hebrææ* *Col.1.* *Matth.19.*

uestimenti

uestimenti à capite descẽderet? Nam exceptis Apostolis, & qui cum eis erant prępositis atque doctoribus, quos eminentiores & fortiores in barba intelligimus, lege in Actibus apostolorũ, & uide qui rerum suarum uenditarum pretia ad pedes C
Act.4. Apostolorum ponebant, & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant eis omnia cõmunia, & distribuebatur unicuiq; sicut cuiq; opus erat, & erat illis anima una & cor unum in Deum. Nempe ita scriptum esse cognoscis: Agnosce ergo bonum & iocundum, fratres habitãtes in unum, agnosce barbam Aaron: Agnosce oram uestimenti spiritalis Interroga ipsam scripturam ubi cœperunt ista fieri, inuenies in Hierusalem. De hac ora uestis per omnes gentes unitas tota cõtexitur. Hac intrauit caput in uestem, ut indueretur Christus uarietate orbis terrarum, quia in hac ora uestimenti apparuit uarietas ipsa linguarum. Cur ergo ipsi capiti unde il-
Luc.24. lud unitatis descendit unguentum, id est, amoris fragrantia spiritalis, cur, inquam, ipsi capiti resistitis testanti & dicenti: Prædicabitur in nomine eius pœnitentia & remissio peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem? Et in hoc unguento sacramentum chrismatis uult interpretari, quod quidem in genere uisibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse & in hominibus pessimis, in operibus carnis uitam consumentibus, & regnum cœlorum non possessuris, & ideo nec ad barbam Aaron, nec ad oram uestimẽti eius, nec ad ullam contextionem uestis sacerdotalis pertinentibus. Vbi enim positu-
Gal.5. rus es quæ Apostolus enumerat manifesta opera carnis, quæ sunt, inquit, fornicationes, immundiciæ, luxuriæ &c.

PSALMVS CENTESIMVSTRICESIMVSOCTAVVS. D

Quò ibo à spiritu tuo.) Vide infrà in Luca Capite uigesimosecundo in hæc uerba: Hodie mecum eris in paradiso.

PSALMVS CENTESIMVSQVADRAGESIMVS.

Emendauit me iustus in misericordia.) Vide psalmo uicesimoprimo in hæc uerba: Deus deus meus respice in me. Item.

Epistola 8. Tomo II. Item,

Non aliter intelligo, nisi quia magis amat obiurgator sanans, quàm adulator ungens caput.

Ex Epistola 147. Tomo II.

O *Leum autem peccatoris non impinguet caput meum.)* Mauult enim seuera misericordia iusti emendari, quàm leni adulationis unctione laudari. Vnde
Esa.3. etiam illud propheticum est: Qui uos fœlices dicunt, in errorẽ uos mittunt. Ideóque de homine, quem falsæ blanditiæ faciunt arrogantem, rectè etiam
παροιμία uulgò dicitur: Creuit caput. Impinguatum est enim oleo peccatoris, hoc est, non aspera ueritate corrigentis, sed leni falsitate laudantis.

Ex Lib.2.cont.Epist.Parmen. Cap.10. Tomo VII.

O *Leum autem peccatoris non impinguet caput meum.)* Vnde manifestum est, oleo peccatoris blanditias adulatoris esse significatas, quibus repudiatis & detestatis eligit à iusto emendari & argui, quia hoc iustus non fallaci

A fallaci lenitate adulationis, sed ueraci asperitate obiurgationis faciens, multò magis misericorditer facit.

PSALMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS PRIMVS.

Educ de carcere animam meam. Vide. I. Pet. 3. in hæc uerba: Et eis qui in carcere erant spiritibus.

PSALMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS TERTIVS.

Et dextera eorum dextera iniquitatis. Vide Deut. Capite uicesimooctauo in hæc uerba: Ac non declinaueris ab eis nec ad sinistram &c.

Epistola 52. Tomo II.

E *Xime me de manu filiorum alienorum &c.* Vides exaggeratione terrenæ fœlicitatis, beatum populum non dici, nisi à filijs alienis, id est, non pertinentibus ad regenerationem, qua efficimur filij Dei, à quorum manu iste se eximi precatur, ne ab eis in hanc opinionem atque in peccata impia pertrahatur. Loquendo quippe uanitatem, beatum dixerunt populum, cui hæc sunt quæ suprà commemorauit, quibus ea fœlicitas constat, quam solam dilectores huius mũdi inquirunt. Et ideo dextera eorum dextera iniquitatis, quia hæc præposuerunt quæ fuerant postponenda, sicut sinistræ præponitur dextera. Si enim habentur, non in eis beata uita ponenda est, sed subdita esse debent, non prædita, sequentia non ducentia. Huic autem qui sic orabat, & à filijs alienis, qui beatum dixerũt populum cui hæc sunt, eximi discerníque cupiebat, tanquam diceremus: Ipse quid sentis? Quem beatum populum dicis? Non ait: Beatus populus, cuius est uirtus animi eius. Quod si dixisset, discreuisset quidem etiam istum populum ab illo, qui
B beatam uitam in ista uisibili & corporali fœlicitate constituit, sed nondum transcendisset omnes uanitates & insanias mendaces. Maledictus enim omnis (sicut alibi eædem literæ docẽt) qui spem suã ponit in homine. Ergo nec in seipso quisquã debet, quia & ipse homo est. Proinde ut transiret omnium uanitatum, & insaniarum mendacium limites, atque ibi beatam uitam poneret, ubi uerè est: Beatus, inquit, populus, cuius dominus Deus ipsius. Cernis igitur unde petendum sit, quod omnes docti indoctíque desiderant, & multi errando ac superbiendo unde petatur, & ubi accipiatur ignorant. Hier. 17.

PSALMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

De Gen. ad Lit. lib. 5. Cap. XXI. Tomo III.

L *Audate Dominum de terra, dracones &c.* Nihil enim tã uidetur casibus uolui, quàm omnes istæ procellosæ ac turbulẽtæ qualitates, quibus cœli huius inferioris, quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum est, facies uariatur & uertitur. Sed cùm addit: Quę faciunt uerbum eius, satis ostẽdit earũ quoq; rerũ ordinem diuino subditum imperio, latere nos potius quàm uniuersitatis deesse naturæ. Quòd autem ore suo saluator dicit, unum passerem non cadere in terram sine Dei uoluntate, & quòd fœnum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen uestiat: nónne confirmat non solùm totam istã mũdi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputari, uerumetiam uilißimas eius abiectißimásque particulas diuina prouidentia regi?

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN LIBRVM PROVERBIORVM COMMENTARIA.

CAPVT TERTIVM.

Lignum uitæ est amplectentibus eam.) Vide prima Corinthiorum Capite decimo quinto, in hæc uerba: Resurget corpus spiritale.
Item, Vide Gen. Cap. 2. in hæc uerba: Et lignum uitæ in medio paradisi.

CAPVT QVARTVM.

Ex Epistola 47. Tomo II.

R *Ectos cursus fac pedibus tuis &c.* In his uerbis sanctæ scripturæ considerate fratres, quia si non esset liberum arbitrium, non diceretur: Rectos cursus fac pedibus tuis, & uias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in sinistram. Et tamen sine Dei gratia si posset hoc fieri, non postea diceretur: Ipse autem rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet. Nolite ergo declinare neque in dexteram neque in sinistram, quamuis laudentur uiæ, quæ à dextris sunt, & uituperentur quæ sunt à sinistris. Hoc est enim propter quod addidit: Auerte autem pedem tuum à uia mala, hoc est à sinistra. Quod manifestat in sequentibus dicens: Vias enim quæ à dextris sunt nouit Dominus, peruersæ uerò sunt, quæ à sinistris sunt. Eas utique uias ambulare debemus, quas nouit Do- D
Psal. 1. minus, de quibus in psalmo legitur: Nouit Dominus uiam iustorũ, & uia impiorum peribit. Hanc enim non nouit Dominus, quia sinistra est. Sicut dicturus est etiam illis ad sinistram constitutis: Non noui uos. Quid est autem quod ille non nouit, qui utique nouit omnia, siue bona hominum siue mala? Sed quid est: Non noui uos, nisi tales uos ego non feci? Quemadmodum illud quod dictum est de ipso domino Iesu Christo, quia non nouerat peccatum, quid est, nisi quia non fecerat? Ac per hoc quod dictum est: Vias quæ à dextris sunt nouit Dominus, quomodo intelligendum est nisi quia ipse fecit uias dextras, id est, uias iustorum, quæ
2. Cor. 5. sunt utique opera bona, quæ præparauit Deus (sicut dicit Apostolus) ut in illis ambulemus. Vias autem sinistras peruersas, id est, uias impiorum, non utique nouit, quia non eas ipse fecit in homine, sed homo sibi. Propter quod dicit: Odiui autem ego peruersas uias malorũ, ipsæ sunt à sinistris. Sed respondetur nobis: Cur ergo dixit: Ne declines in dextram neq; in sinistram, cùm potius dicere debuisse uideatur: Tene dexteram, & ne declines in sinistram? Si bonæ sunt uiæ, quæ à dextris sunt, cur putamus, nisi quia ita uiæ sunt bonæ quæ à dextris sunt; ut in dextram tamen declinare non sit bonũ? Declinare quippe ille est intelligendus in dexteram qui bona ipsa opera quæ ad uias dexteras pertinent, sibi uult assignare non Deo. Et ideo cùm dixisset: Vias enim quæ à dextris sunt nouit Dominus, peruersæ autem sunt, quæ à sinistris sunt tanquam diceretur ei: Quomodo ergo nõ uis ut declinemus ad dexteram, secutus adiunxit: Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera

A nera autem tua in pacem producet. Sic ergo intellige, quod tibi præceptum est: Rectos cursus fac pedibus tuis, & uias tuas dirige, ut noueris cùm hoc facis, à domino Deo tibi præstari, ut hoc facias, & non declinabis ad dexteram, quamuis ambules in uijs dextris, non confidens in uirtute tua, & ipse erit uirtus tua qui rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet. Quapropter dilectissimi, quicunq; dicit, uoluntas mea mihi sufficit ad facienda opera bona, declinat in dextram. Sed rursus illi qui putant bonam uitam esse deserendam, quando audiunt sic Dei gratiam prædicari, ut credatur & intelligatur uoluntates hominū ipsas ex malis bonas facere, ipsas etiam quas fecerit custodire, & propterea dicunt: Faciamus mala ut ueniant bona, in sinistram declinant. Ideo uobis dixi: Non declinetis in dexteram neque in sinistram. Hoc est, non sic defendatis liberum arbitrium: ut ei bona opera sine Dei gratia tribuatis, nec sic defendatis gratiam, ut quasi de illa securi, mala opera diligatis, quod ipsa gratia Dei auertat à uobis. Rom.3.

CAPVT SEXTVM.

Ex Lib. cont. Adimant. Manich. discip. Cap.24. Tomo VI.

I *Mitare formicam, & intuere diligentiam eius &c.*) Neq; hoc intelligunt Manichæi spiritaliter esse accipiendū, & putant præceptū esse ut thesaurizemus in terra, ut etiam curemus hæc horrea, quæ sine ullo præcepto multum homines implere festinant. Et ideo illud Adimantus ex euangelio dicit aduersum esse huic sententiæ, ubi Dominus ait: Nolite cogitare de crastino. Sed neq; Matth.6.
B hoc intelligunt ad id pertinere, ut temporalia non amemus, neque timeamus ne nobis desint necessaria, & propter ipsa conquirenda uel Deo uel hominibus seruiamus. Nam si hoc ideo dictum est, ut non seruetur panis in crastinū, magis hoc implent uagi Romanorum, quos pasiuos appellant, qui annona quotidiana satiato uentre, aut donant statim quod restat, aut proijciunt, quàm uel Domini discipuli, qui etiam cum ipso Domino cœli & terræ in terra ambulantes loculos habebant. Vel Paulus apostolus, qui omnium terrenorum contemptor, sic tamen gubernauit ea quæ præsenti uitæ erant necessaria, ut etiam de uiduis præceperit dicens: Si quis fidelis habet uiduas, sufficienter tribuat illis, ut non grauetur ecclesia quo ueris uiduis sufficere possit. Sed tamen illud de formica ita positum est, ut quemadmodum illa æstate colligit, unde in hyeme pascatur, sic unusquisque Christianus in rerum tranquillitate, quam significat æstas, colligat uerbum Dei, ut in aduersitate & tribulationibus, quæ hyemis nomine significantur, habeat unde spiritaliter uiuat. Non enim in pane solo uiuit homo, sed in omni uerbo Dei. Si autem hoc eos mouet, quod in terra condit formica quod colligit, irascantur etiam illi thesauro quem Dominus in agro dicit inuentum. Pasiui 1.Tim.5. Deut.8.

CAPVT DECIMVM.

In prolog. Retract.

E X multiloquio non effugies peccatum. Illud terret me plurimùm, nō quia multa scripsi, uel quia multa etiam quæ dictata non sunt, tamen à me dicta, conscripta sunt. Absit enim ut multiloquium deputetur, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine ac prolixitate dicantur.

Ex Lib.Sermon.de Temp.Serm.212. Tomo X. C

Sunt qui se diuites affectant nihil habentes. Sancta scriptura quæ modo in auribus nostris lecta est admonuit nos, imò per illam Deus qui iubet nobis loqui ad uos, quærere uobiscum & pertractare quid sit, & quid sibi uelit quod lectum est:
Pro.13. Sunt qui se diuites affectant nihil habentes, & sunt qui se humiliant cùm sint diuites. Non enim arbitrandũ est, neq; omninò credendũ, quòd de istis diuitijs, quibus inflantur superbi, de uisibilibus istis dico atq; terrenis, curauerit scriptura sancta nos admonere, ut uel eas pro magno habeamus, uel non habere timeamus. Quid enim prodest homini, ait aliquis, qui se diuitem uideri affectat, cùm nihil habeat? Istum notauit scriptura atq; reprehendit. Sed nec ille ualde admirandus aut imitandus est, & pro magno optandus, quem uidetur in laude posuisse, si temporales atque terrenas diuitias intellexeris. Et sunt, inquit, qui se humiliant, cùm sint diuites. Ille rectè displicet nobis, qui cùm nihil habeat, se diuitẽ affectat. Quid? Iste placet nobis, qui cùm sit diues, humiliat se? Fortè placet, quia humiliat se, non tamen placet, quia diues est. Accipiamus ergo & hoc. Non indecorum est nec inhonestum, nec inutile, quòd scripturæ sanctæ nobis commendare uoluerunt humiles & diuites. Nihil enim tam timendum est in diuitijs quàm superbia. Deniq;
1.Timo.6. apostolus Paulus hoc admonet Timotheũ: Præcipe, inquit, diuitibus huius mundi, non superbè sapere. Non enim diuitias expauit, sed morbum diuitiarum. Morbus autem diuitiarum, est superbia magna. Nam grandis animus est, qui inter diuitias isto morbo non tentatur. Maior animus diuitijs suis, qui eas uincit non concupiscendo, sed contemnendo. Magnus est ergo diues, qui non se ideo magnum putat quia diues est. Qui autem ideo se magnum putat, superbus & egenus est. D
In carne crepat, in corde mendicat, inflatus est, non plenus. Vtres autem duos si uideas, unum plenum, alterum inflatum, in utroq; eadem est magnitudo, sed non in utroque eadem plenitudo. Si attendis falleris, si appendis inuenies. Qui plenus est difficilè mouetur, qui inflatus est citò aufertur. Præcipe ergo, inquit, diuitibus huius mundi. Non adderet: Huius mũdi, nisi quia sunt diuites & non huius mundi. Qui sunt diuites non huius mundi? Quorum princeps & caput est ille, de quo
2.Cor.8. dictum est: Pauper pro nobis factus est, cùm esset diues. Sed si ille solus, quid profuit? Vide quid sequitur: Vt illius paupertate uos ditaremini. Puto quia paupertas Christi non nobis attulit pecuniam, sed iustitiam. Paupertas autem illius unde? Quia mortalis effectus est. Ergo diuitiæ ueræ immortalitas. Ibi enim uera copia, ubi nulla indigentia. Quia ergo nos immortales fieri non possemus, nisi pro nobis Christus mortalis esset effectus, ideo pauper factus est cùm esset diues, & non ait, pauper factus est cùm diues fuisset: sed pauper factus est cùm diues esset, paupertatem assumpsit, & diuitias non amisit. Intùs diues, foris pauper. Latens Deus
Ioan.1. in diuitijs, apparens homo in paupertate. Vide diuitias eius: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. Quid ditius eo, per quem facta sunt omnia? Aurum habere diues potest, creare non potest. Cùm itaque eius iste diuitiæ commendatæ essent, uide paupertatem eius. Et uerbum caro factum est & habitauit in nobis. Hac eius sumus paupertate ditati, quia in sanguine eius qui manauit

A nauit de carne eius, quod uerbum caro factum est ut habitaret in nobis, conscissus est saccus peccatorum nostrorum. Per sanguinem illum abiecimus pãnos iniquitatis, ut indueremur stola immortalitatis. Omnes ergo diuites boni fideles. Nemo se contemnat, pauper in cella, diues in conscientia. Diues quippe in conscientia securior dormit in terra, quàm diues in purpura. Ibi, non excitat solicitudo maligna, compuncto corde de scelere. Serua diuitias in corde tuo, quas tibi contulit paupertas Domini tui. Imò ipsum adhibe tibi custodem, ne pereat de corde quod dedit, seruet ipse qui dedit. Omnes ergo diuites boni fideles, sed non diuites huius mundi. Denique diuitias suas nec ipsi sentiunt, sentient postea. Viuit radix, sed hyemis tempore etiam uiridis arbor aridæ similis est. Tempore quippe hyemis & arbor quæ aret, & arbor quæ uiget, utraque nuda est onere foliorum, utraque uacua onere frugum, ueniet æstas, & discernet arbores. Viua radix folia producit, impletur fructibus: arida inanis æstate, sicut hyeme remanebit. Itaque illi horreum præparatur, huic securis adhibetur, ut amputata in ignem mittatur. Sic æstas nostra Christi est aduentus, hyems nostra Christi occultatio, æstas nostra Christi reuelatio. Deniq; arboribus bonis & fidelibus hanc allocutionem prebet Apostolus: Mortui enim estis, & uita uestra abscõdita est cum Christo in Deo. Certè mortui, sed mortui specie, uiui in radice. Attende autem uenturum tempus æstatis, quomodo sequatur & dicat: Cùm autem Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos cum ipso apparebitis in gloria. Hi sunt diuites, sed non huius mundi. Nec tamen & diuites mundi cõtempti sunt. Et ipsos lucratus est sua paupertate, qui cùm diues esset, propter nos pauper effectus est. Nam Col.3.

B si eos contempsisset, & in numero suorum habere noluisset, non Timotheo, sicut dicebam, Apostolus præcepisset ut & ipse præciperet: Præcipe, inquit, diuitibus huius mundi non superbè sapere. Inter hos qui fide sunt diuites, sunt quidam diuites huius mundi: Præcipe illis, quia & ipsi membra illius pauperis facti sunt: Præcipe illis quid in illis timeas à diuitijs. Non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Inde enim superbit diues, quia sperat in incerto diuitiarũ. Nam si in certa diuitiarum prudenter attenderet, nunquam superbiret, sed semper timeret. Quantò esset ditior tantò fieret solicitior, & secundum hanc uitã, non solùm secundum illam. Multi enim in istis seculi perturbationibus securiores pauperes fuerunt. Multi autem propter suas diuitias quæsiti et correpti sunt. Multi se habuisse planxerunt, quod semper habere minimè potuerunt. Multos pœnituit consilium sui Domini non recæpisse, qui dixit: Nolite uobis thesauros condere in terra, ubi tinea & comestura exterminat, & ubi fures effodiunt et furantur, sed thesaurizate uobis thesaurum in cœlis. Non dico uobis ut perdatis, sed ut migretis. Multi enim hoc facere noluerunt, & non se obedisse doluerunt, quando non solùm sua perdiderunt, sed propter illa & ipsi perierunt. Præcipe ergo diuitibus huius mundi non superbè sapere, & fiet in eis quod audiuimus in prouerbio Salomonis: Sunt qui se humiliant cùm sint diuites. Et secundum istas diuitias temporales fieri potest. Sit humilis, plus gaudeat quia Christianus est quàm quia diues est. Non infletur, non extollatur, attendat pauperem fratrem, non dedignetur frater pauperis appellari. Quantumcunque enim diues sit, ditior est Christus,

1. Tim.6.

Matth.6.

qui fratres suos uoluit esse pro quibus sanguinem fudit. Tamen ne dicerent diui- C
tes non se habere quid faciāt de diuitijs suis, admonuit Timotheum, ut etiam eos
1. Timo. 6 consilio regeret, non solùm præcepto cohiberet, cùm dixisset: Neque sperare in
incerto diuitiarū: ne se spem perdidisse arbitrarētur, subiecit: Sed in Deum uiuū,
qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: Temporalia ad utendū, æter-
na ad fruendum. Sed de diuitijs suis quid faciant? Diuites sint, inquit, in operibus
bonis, facilè tribuāt. Hoc prosint diuitiæ, ne sit tibi difficultas tribuēdi. Vult enim
pauper, & non potest, uult diues & potest. Facilè tribuant, communicent, thesau-
rizent sibi fundamentum bonum in futuro, ut apprehendant ueram uitam. Nam
ista uita falsa est. Huius uitæ falsitate deceptus ille in purpura & bysso, iacentem
ulcerosum pauperem ante ianuam suam cōtemnebat. Sed ille linctus à canibus,
thesaurum sibi æternum in Abrahæ gremio comparabat, etsi non abundanti fa-
cultate, pia tamen & optima uoluntate. Ille autem diues qui sibi magnus uideba-
tur in purpura et bysso, mortuus et sepultus est in inferno. Et quid inuenit? Aeter
nam sitim, indeficientes flammas. Successit ignis purpuræ & bysso, ea tunica ar-
debat, qua se expoliare non poterat. Pro epulis ariditas ei erat & desiderium gut-
tæ de digito pauperis, sicut illi micarum de mensa diuitis indigentia fuit. Sed illius
egestas præteriens, huius pœna permanens. Hoc attendant diuites huius mundi,
& non superbè sapiant. Facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamē
tum bonum in futuro, ubi sunt ueri diuites, sed non huius mundi, ut apprehen-
dant ueram uitam: fortè ergo hoc admonuit scriptura, ubi ait: Sunt qui se diuites
Prouer. 13 affectant nihil habentes, propter superbos pannosos. Si enim uix toleratur diues
superbus, pauperem superbum quis ferat? Meliores sunt ergo illi qui se humiliāt D
cùm sint diuites. Veruntamen de alijs diuitijs se dicere scriptura testatur, secura
enim adiūxit: Redemptio animæ uiri diuitiæ eius, pauper autē non suffert minas.
Intelligere debemus ex alia nescio qua paupertate pauperē, & ex alijs nescio qui
bus diuitijs diuitē. Altius enim diuites in corde, diuites pleni fortitudine, opimi pie
tate, abundantes charitate, secū sunt diuites, interiores sunt diuites. Sunt autē qui
se diuites affectant cùm sint pauperes, iusti sibi uidentur, cùm sint impij. Diuitias
quippe illas intelligere debemus, quoniam apperuit scriptura quid dixerit: Re-
demptio animæ uiri diuitiæ ipsius. Intellige, inquit, quas tibi diuitias commen-
dem, quoniam dixi: Sunt qui se diuites affectant, nihil habentes: & sunt qui se hu
miliant, cùm sint diuites, illas temporales & terrenas & uisibiles diuitias cogita-
bas. Ego autem non ipsas dico, sed quas dicam consequenter admoneo: Redem-
ptio animæ uiri, diuitiæ ipsius sunt. Ergo qui non habent animæ redemptionem,
quia iniqui sunt & iustos se uideri affectant, quia hypocritæ sunt, ipsi sunt de qui-
bus ait: Sunt qui se diuites affectant, nihil habentes, iustos se uolunt uideri, cùm
in cella conscientiæ non habeant aurum iustitiæ. Et sunt pleni, tantò humilio-
res, quantò ditiores, de quibus dictum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipso-
rum est regnum cœlorum. Quid ergo quæris diuitias, quę oculis humanis & car
neis blandiūtur? Lucet aurum, sed plus lucet fides. Elige quid habere in corde de-
beas. Intus plenus esto, ubi diuitias tuas Deus uidet, homo non uidet. Nec tamen
quia homo non uidet ideo debes contemnere quod intus habes. Vis uidere, quia
&

A & oculis iniquorum plus lucet fides quam aurum? Quomodo laudat etiam auarus Dominus seruum fidelē? Nihil illo dicit esse pretiosius, imò eum omninò pretium non habere testatur. Habeo seruum, inquit, nō habet pretium. Expectas tu unde? Fortè bene saltat, aut optimus coquus est. Non. Attēde interiorem laudem. Nihil, inquit, fidelius. Placet tibi homo seruus tuus fidelis, & tu non uis esse Deo seruus fidelis? Attendis, quia habes seruum, attende quia habes & Dominum. Seruum tuum potuisti comparare, non creare. Dominus tuus & uerbo suo creauit te, & sanguine suo redemit te. Si uiluisti tibi, recole pretiū: si hoc & oblitus es, lege euangelium, instrumentum tuum. Fidem amas in seruo tuo, & Dominus tuus non quærit eam in suo? Redde quod exigis. Quod tibi gaudes reddi ab inferiore, redde superiori. Amas seruum qui fideliter custodit aurum tuum, noli contemnere Dominum, qui misericorditer custodit cor tuum. Omnes ergo habent oculos ad laudandam fidem, sed quando illam exigunt reddi sibi. Nam quando ab eis exigitur, claudunt oculos, nolunt eam uidere quàm pulchra sit. Aut fortè stulta insania propterea nolunt reddere ne perdant, quomodo timet quis reddere pecuniā, cum reddiderit eam, nón habebit. Non sic redditur fides, & redditur & habetur. Mirum dictu, imò si non redditur, non habetur. Redemptio animæ uiri, diuitiæ ipsius. Meritò illi uanissimo diuiti insultauit Deus, ut admoneret nos ne talia imitaremur. Cui regio fructuosa succedens, turbauit hominem, copia plus quàm inopia. Cogitauit enim apud se, dicens: Quid faciam, quo congregem fructus meos? Et cùm æstuasset artatus, tandem sibi uisus est consilium inuenisse. Sed uanum consilium. Hoc enim consilium non inuenit prudentia, sed auaritia. Destruam, inquit, Luc.12.
B ueteres apothecas minores, & nouas faciam ampliores, & implebo eas, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona, satiare, iocundare. Ait illi: Stulte in quo tibi sapiens uideris? Stulte quid dixisti? Dico animæ meæ: Habes multa bona, satiare. Hac nocte auferetur à te anima tua, hæc quæ parasti cuius erunt? Quid enim prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Ideo redemptio animæ uiri, diuitiæ eius. Has ille uanus & stultus diuitias non habebat. Animam quippe suam eleemosynis non redimebat, fructus perituros condebat. Recondebat, inquam perituros fructus periturus, nihil largiens Domino, ad quem fuerat exiturus. Quam frōtem habiturus erit in illo iudicio, cùm audire cœperit: Esuriui enim & non dedistis mihi manducare? Animam enim suā Matth.25.
superfluis & nimijs epulis satiare cupiebat, pauperum tot inanes uentres superbissimus contemnebat. Nesciebat pauperum uentres apothecis suis esse tutiores. Quod enim recondebat in illis apothecis suis, fortassis & à furibus auferebatur. Si autem reconderet in pauperum uentribus, in terram quidem digerebatur, sed in cœlo tutius seruabatur. Ergo redemptio animæ uiri, diuitiæ ipsius. Et quod sequitur: Pauper autem non suffert minas. Pauper scilicet inanis iustitia, non habens intus spiritus plenitudinem, ornamenta spiritalia, suppellectilem spiritalem, totúmque illud quod oculis non uidetur, sed mente plus cernitur. Non habens Prouer.13.
hæc intus, non suffert minas. Quando ei dictum fuerit ab aliquo potente, dic hoc uerbum contra inimicum meum, dic falsum tēstimonium, ut ego quem uolo opprimam & domē, fortè tentat. Non facio, non mihi adduco peccatū. Tantùm ne-

gat, quousque diues minari incipiat. Sed quia pauper est nõ suffert minas. Quid C
est, pauper est? Nõ habet diuitias interiores quas martyres habuerũt, qui pro ueritate ac fide Christi omnes minas seculi contẽpserũt. Nihil de corde perdiderunt, in cœlo quantum inuenerũt? Pauper ergo nõ suffert minas. Nõ potest dicere diuiti cogenti se ad alicuius iniuriã, aut falsum testimonium, non facio: nõ habet intus unde respondeat, nõ est thesauro interiore solidatus & plenus: non est qui dicat, quia nõ habet unde dicat: nõ est qui dicat: Quid mihi facturus es qui minaris? Vt multũ ablaturus quod habeo. Tollis quod relicturus sum. Tollis, quod etsi nõ tollas, dum uiuo forsitan perditurus sum. De arca interiore nihil perdo. Cùm mihi minaris auferre quod habeo, uerè uis auferre quod intus habeo. Sed illud potes auferre & habere. Fidem si minando abstuleris, & ego perdo, & tu non habebis. Non ergo facio quod hortaris, nõ curo quod minaris. Sed potes sæuiendo etiam de patria me pellere. Nocuisti si illuc me expuleris, ubi Deũ meũ inuenire nõ possum. Fortè ualebis etiã occidere. Ruente carnali domo, incolumis habitator abscedo, & ad illũ cui seruo fidem securis exibo, & te amplius nõ timebo. Vide enim quid minaris, ut falsum testimoniũ dicã, mortẽ minaris, sed corporis. Plus ego eũ timeo, qui dixit: Os quod mẽtitur, occidit animam. His diuitijs intus plenus & optimus, talia minitanti uel meliora respondet. Pauper autem non suffert minas. Simus ergo diuites, & timeamus esse pauperes. Quęramus ergo impleri cor nostrũ diuitijs ab illo, qui uerè diues est: Et si fortè unusquisq; uestrum intrat in cor suum & illic diuitias istas non inuenit, pulset ad diuitẽ: Fiat ante ianuã diuitis illius pius mendicus, ut sit illo donante diues impletus. Et uerè fratres mei, paupertatem nostram, egestatem nostram debemus domino Deo nostro confiteri. Hanc confitebatur publicanus, qui nec oculos ad cœlum audebat leuare. Non enim habebat cum D
qua substãtia leuaret oculos suos homo peccator. Attendebat ad inanitatem suã,
Luc.18. sed plenitudinem Domini cognoscebat, nouerat se uenire ad fontẽ sitientem. Aridas fauces ostendebat, piè ubera implenda pulsabat: Domine, inquit, tundens pectus, oculos deijciens in terram, propitius esto mihi peccatori. Dico ego, quia iam ex aliqua parte diues erat, cum ista cogitabat, & petebat. Nam si adhuc omni modo pauper erat, huius confessionis gemmas unde proferebat? Sed tamen abundãtior & plenior de templo descendit iustificatus. Ille autem pharisæus ad orationem ascendit, & nihil rogauit. Ascenderunt, inquit, ad templum adorare. Iste rogat, ille non rogat. Sed ille unde orat? Sunt qui se diuites putant nihil habentes. Domine, inquit, gratias tibi ago quia non sum sicut cæteri homines, iniusti, raptores, adulteri, sicut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omniũ quæ possideo. Iactauit se, sed inflatio est ista, non plenitudo. Diuitem se putauit nihil habens, pauperem se ille cognoscit iam aliquid habens. Vt nihil aliud dicam, habebat ipsam confessionis pietatem. Et descenderunt ambo. Sed iustificatus, inquit, publicanus ille magis quàm ille pharisæus. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

Ex Lib. Sermo. de Temp. Serm. 217. Tomo X.

Mulierem fortem quis inueniet &c. Ecclesia catholica fratres charissimi non solùm post aduentum Domini & saluatoris nostri prædicata est, sed etiã ab initio mundi

A di multis figuris,& sacramentis secretioribus designata. Nam & in sancto Abel ecclesia catholica fuit,& in Noë,& in Abraham,& in reliquis usque ad aduẽtum Domini saluatoris:de ipsa enim ait Salamon:Mulierẽ fortem quis inueniet?Quod dixit,quis inueniet,difficultatem inueniendi,non impossibilitatem oportet intelligi.Mulier ista fortis,ecclesia est. Quomodo non est fortis, quæ ab initio mundi tantis tribulationibus fatigatur, & tamen non uincitur? Mulierem fortem quis inueniet?Quis alius nisi Christus?Non autem eam fortem inuenit,sed inueniendo fortem fecit. Nam ut eam inueniret, nonagintanouem dimisit in montibus,& quæsiuit unam quæ errauerat,& humeris suis impositam ad ouile proprium reuocauit.Lanam & linum fecit manibus suis: Lanificam & linificam matronam istam sanctus sermo describit.Quæris fortè à nobis,quid sit lana,quid linum? Lana carnale aliquid,linum uerò spiritale significat,quia in ordine uestimẽtorum, interiora sunt linea uestimenta,lanea uerò exteriora.Lana etiam de cõmixtione animalium nascitur.Linum uerò sine carnis uoluptate de terra procreatur, ideo castitatis imaginem præferre uidetur,intantùm ut sacerdotes ueteris testamẽti ex præcepto legis,propter castitatis indicium lineis femoralibus uterentur. Ergo in lana carnale aliquid.in lino uerò spiritale significatur.Pro laude etiam ponuntur. Inuenis enim hominem porrigentem manu eleemosynas pauperi,nec tamen de Deo ibi cogitantẽ,sed hominibus placere cupientem,laneã uestem quæ uideri potest habet,interiorem lineam nõ habet.Inuenis alium dicentem tibi:Sufficit mihi cõscientia mea,Deum colo,Deum adoro,quid mihi opus est ad Ecclesiam ire,aut uisibiliter Christianis misceri?Lineam uult habere sine tunica.Nõ nouit neque cõ-
B mendat talia opera mulier ista.Inuenit hæc mulier lanam & linum & fecit utile. Multi inueniunt,sed non faciunt utile manibus suis.Cùm libenter auditis inuenitis,cùm bene uiuitis facitis.Brachia sua firmauit in fuso.De fuso isto quod Dominus dederit dicam,neque ista lanificia sunt à uiris aliena.In fuso lanificium signat, in lanificio bonum opus tanquam castæ mulieris & matronæ impigræ. Diligenter tamen attende in lanificio duo instrumenta.colum & fusum.In colo lana inuoluta,quæ filo ducenda trãseat in fusum. Quod in colo inuolutum est,adhuc in sinistra & nondum in fuso est.Quod in fuso collectum est,iam præteritũ est. Opus ergo tuum in fuso fit,non in colo. In colo enim est quod facturus es,& in fuso quod fecisti.Vide ergo si habes aliquid in fuso.Ibi enim firmantur brachia tua,ibi erit fortis constantia tua ,ibi securus Deo dices:Da,quia dedi,dimitte,quia dimisi: Fac quod feci.Quod pendet in colo ad fusum traijciendum est, non autem quod collectum est in fusum,ad colum reuocãdum est.Ergo uide quid agas,ut habeas in fuso,ut brachia tua firmes in fuso,quod te consoletur,quod te confirmet, quod tibi det fiduciam deprecandi & sperandi:sequitur. Manus suas aperuit pauperi. *Prouer. 13*
Eia fratres exercete lanificium sanctum. Si quis habet plenum cellarium,plenum horreum,omnia ista in colo sunt,transeant in fusum. In sinistra sunt quamdiu pauperibus non erogaueris,at ubi cœperis eleemosynam facere, transferuntur ad dexteram,et fit opus unde uestis fieri possit.Omnes domestici eius uestiti sunt. Nunquid de nuditate seruorum suorum sollicitus erit uir eius habens coniugem talem?Quis est iste uir,nisi Christus, aut quæ est coniunx nisi Ecclesia? Vestiti

sunt quotquot in Christo baptizati sunt, & boni serui & mali uestiti sunt. Non cessat illa mulier omnes uestire, ut nemo quæratur & dicat: Ideo non sum bene operatus, quia non sum bene uestitus. Duplicia pallia fecit uiro suo. Pallia laudes sunt, fides & confessiones. Laudas Deum, laudas hominem. Dupliciter laudas, & simpliciter laudas. Dupliciter, quia homo est & Deus. Simpliciter, ut non sis fictus. Fotinus à quo hæretici Fotiniani appellantur, quasi simplex pallium fecit uiro suo. Solum enim hominē credidit, Christum Deū colere noluit. Existit alter texens uiro suo pannosum pallium. Ait enim, Christus Deus est tantùm, omninò hominis nihil habens, hoc Manichæi dicunt. Fotiniani dicunt, homo tantùm est. Manichęi dicunt, Deus tantùm est. Ecce de quali ecclesia, quàm pretiosa uestimenta procedūt. Et propterea de illa scriptū est, quòd duplicia pallia fecerat uiro suo. Duplicia pallia. Confitemur enim Deum in homine, & hominem in Deo. De bysso & purpura uestimenta spiritalia præparauit. De bysso candidam confessionem, de purpura gloriosam passionem. Byssum, cùm Deum confitemur, agnoscimus. Purpuras in martyribus collaudamus. Nos fratres quibus Deus tantum bonum conferre dignatus est, ut nec de Iudæis, nec de hereticis nasceremur, sed catholicæ ecclesiæ filij esse mereremur, quantùm possumus Deo gratias referamus, qui nobis fidem rectam, & sibi placitam inspirare uel insinuare dignatus est: & totis uiribus, quia fides sine operibus nos saluare non potest, ad spiritale lanificium illud nostros animos præparemus. Iugiter ideo eleemosynas facientes, de colo trahere festinemus ad fusum, & de sinistra trāsferamus ad dexteram, ut per eleemosynas pauperum
2.Cor.5. stolam unusquisque nostrum præparet in æternum, ut sicut dicit Apostolus: In cœlesti conuiuio uestiti & non nudi inueniamur, ne nobis dicatur: Amice quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem? Sed magis ab auditu malo liberati, D
Matth.22. illam fœlicem & desiderabilem uocem audire mereamur: Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod præparatum est ab origine mundi, quod ipse præstare dignetur.

Ex sequenti sermone.

Mulierem fortem quis inueniet? Difficile est inuenire eam, & difficile est nescire eam. Nónne ipsa est ciuitas in monte quæ abscondi non potest? Quare ergo dictum est, quis inueniet, cùm dici debuerit, quis non inueniet? Sed tu ciuitatem in monte positam uides. Vt autem in monte ponitur, inuenta est. Ipsa est enim ouis illa quæ perierat. Et reuerà fratres ecclesia catholica est, quæ iam illustrata est, quis ergo eam non uidet? Quando latebat, quis eam inueniebat? Sicut enim iam dicta est ipsa ciuitas, ita & eius quam perditā quæsiuit pastor. Ipse pastor mons est, eius ergo in humeris eius ciuitas est in monte. Facile est eam uidere collocatam in monte. Quomodo autem eam inuenires cùm lateret inter uepres & spinas utiq; delictorum suorum? Ibi eam quęsisse magnum, ibi inuenisse mirabile est, hęc ouis difficilis commendatur inuentio, cùm dicitur: Mulierem fortem quis inueniet? id est, ecclesiam. Quis non uidet eam iam à Christo inuentam, iam eminentem, iam conspicuam, iam gloriosam, iam ornatam, iam lucidam, & ut citò explicem totó terrarum orbe diffusam? Mulierem istam ecclesiam qui quæsiuit & inuenit Christus agnoscitur. Et postquam eam inuenit, non solummodo de spinis peccatorum suorum

A suorum eripuit, sed etiam lapidibus pretiosis ornauit: ideo de ipsa dicitur: Pretiosior est lapidibus pretiosis.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

Epistola 50. Tomo II.

V *Erbis non emendabitur seruus durus, si enim & intellexerit non obediet.* Cùm dixit, uerbis eum non emendari, non eũ iussit deseri, sed tacitè admonuit unde debeat emendari. Alioquin non diceret, uerbis non emẽdabitur, sed tantummodo diceret, non emendabitur.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

De doct. christ. Lib. 3. Cap. XVI. Tomo III.

S *I esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Hîc nullo dubitante beneficẽtiam præcipit. Sed quod sequitur: Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius, maleuolentiæ facinus putes iuberi. Ne igitur dubitaueris figuratè dictum: & cùm posit dupliciter interpretari, uno modo ad nocendum, altero ad præstandum, ad beneficentiam te potius charitas reuocet, ut intelligas carbones ignis esse urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo eius miseriæ subuenitur.

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

De mend. ad Consent. Lib. Cap. XVIII. Tomo IIII.

B V *Erbum excipiens filius, à perditione. &c.* Dicit aliquis non aliud hîc accipiẽdum esse quod positum est: Excipiens uerbum filius, nisi uerbum Dei, quod est ueritas. Ergo excipiens ueritatem filius, à perditione longè aberit refertur ad illud quod dictum est: Perdes omnes qui loquuntur mẽdacium. Quod uerò sequitur: Excipiens autem excipit illud sibi, quid aliud insinuat, nisi quod Apostolus dicit: Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in semetipso habebit gloriam, & non in altero. *Gal. 6.* Qui enim excipit Christum, id est, ueritatem, non sibi, sed ut hominibus placeat, non eã custodit cùm eis uidet placere posse mẽdacio. Qui autem excipit sibi, nihil falsum de ore ipsius procedit, quia etiam cùm placet hominibus mendacium, non mentitur ille qui ueritatem, non qua illis, sed qua Deo placeret, excepit sibi. Itaque non est cur hîc dicatur: Omnes quidem perdet qui loquuntur mendacium, sed non omne mendacium: quando uniuersaliter omnia mendacia circumcisa sunt in eo quod dictum est: Et nihil falsi de ore ipsius procedit. Sed dicit alius, ita esse accipiendum sicut accæpit apostolus Paulus, quod ait Dominus: Ego autem dico uobis non iurare omninò. *Matth. 5.* Nam & hîc omnis iuratio circumcisa est, sed ab ore cordis, ut nunquam uoluntatis approbatione fieret, sed necessitate infirmitatis alterius, id est, malo alterius, cui non aliter uidetur persuaderi posse quod dicitur, nisi iurãdo fides fiat: aut ab illo malo nostro, quòd huius mortalitatis adhuc pellibus inuoluti, cor nostrũ non ualemus ostendere: quod utique si ualeremus, iuratione opus non esset. Quanquam etiam in hac sententia tota, si quod dictum est; Excipiens uerbum filius à perditione

C

longè aberit,de ipsa dictum est ueritate,per quam facta sunt omnia,quæ incommutabilis semper manet:quoniam doctrina religionis ad eam contemplandam perducere nititur,potest uideri ad hoc esse dictum. C

CAPVT TRICESIMVM.

Epistola 49. Tomo II.

D *Eus docuit me sapientiam,& scientiam sanctorum cognoui.&c.* Horum duorũ quæ in extremo cõmemoraui,unum retulit ad patrem,id est,quod nomen est ei,propter quod dixerat:Deus docuit me sapientiam. Et alterũ euidenter ad filium cùm ait,aut quod nomen est filij eius,propter cætera quæ de
Ephp.4. filio magis intelliguntur,hoc est,quis ascendit in cœlum & descendit.Quod Paulus ita commemorat:Qui descendit,ipse est & qui ascendit super omnes cœlos. Quis collegit uentos in sinum,id est,animas credentium in occultum atque secre
Col.3. tum.Quibus dicitur:Mortui enim estis,& uita uestra abscondita est cum Christo in Deo.Quis conuertit aquam in uestimento,ut dici posset:Quotquot in Christũ
Gal.3. baptizati estis,Christum induistis.Quis tenuit fines terræ,qui dixit discipulis suis: Eritis mihi testes in Hierusalem.&c.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN ECCLESIASTEN COMMENTARIA.

D

CAPVT TERTIVM.

S *Piritus filiorum hominis,si ascendit ipse sursum.* Vide.2.Cor.12.in hæc uerba:Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim.

CAPVT SEXTVM.

O *Mnia uanitas & præsumptio spiritus.* Vide Matth.6.in hæc uerba:Ascendit in montem.

CAPVT DVODECIMVM.

De Gen.ad Lit.Lib.10.Cap.IX.Tomo III.

E *T conuertatur puluis in terram sicut fuit.* Neutri sententiæ contra alteram suffragatur,sed in utraque consistit.Cùm enim isti dixerint hinc probari non à parentibus,sed à Deo animam dari,quod conuerso puluere in terram suam,id est,carne,quæ de puluere facta est, reuertetur spiritus ad Deum qui dedit illum.Respondent illi:Vtique ita est. Redit enim spiritus ad Deum, qui eum dedit homini primo, quando in eius faciem sufflauit, conuerso puluere, id est, humano corpore in terram, unde primitus factum est. Neque enim ad parentes erat spiritus rediturus, quamuis inde sit creatus ex illo uno, qui homini primo datus est: sicut nec ipsa caro post mortem ad parentes reuertitur,à quibus eam certè constat esse propagatam. Quemadmodum

ergo

A ergo caro non redit ad homines, ex quibus creata est, sed ad terram unde primo homini formata est: ita & spiritus nõ redit ad homines à quibus trãsfusus est, sed ad Deum, à quo primæ illi carni datus est. Quo testimonio sanè satis admonemur ex nihilo Deum fecisse animam, quam primo homini dedit, non ex aliqua iam facta creatura, sicut corpus ex terra: & ideo cùm redit, nõ habet quò redeat, nisi ad authorem qui eam dedit: non ad eam creaturam ex qua facta est, sicut corpus ad terrã. Nulla est enim creatura ex qua facta est, quia ex nihilo facta est: ac per hoc ad factorem suum redit quæ redit, à quo ex nihilo facta est. Non enim omnes redeunt, quoniam sunt de quibus dicitur: Spiritus ambulans, & non reuertens. *Psal.77.*

Epistola 7. Tomo II.

Spiritus reuertatur ad eum.) Scriptum est prope finẽ libri qui uocatur Ecclesiastes, cùm de solutione hominis, quæ fit per mortẽ istã, qua dirimitur anima à corpore, scriptura loqueretur: Et conuertatur puluis in terrã sicut fuit, & spiritus reuertatur ad Deum qui dedit eũ. Sententia huius authoritatis proculdubiò certa est, nec quenquam decipit falsitate, sed si quispiam uoluerit eam sic interpretari, ut inde animarũ propaginẽ, quòd ex illa una, quã Deus primo homini dedit, omnes cæteræ ueniant, conetur astruere, uidetur illi suffragari quod ibi de carne dictũ est pulueris nomine. Nam utiq; puluis & spiritus nihil aliud hoc loco quàm anima & caro intelligitur: ut eo modo affirmet animam reuerti ad Deum, quod sit de traduce illius animæ, quã primo homini dedit Deus. Quẽadmodum conuertitur caro in terram, cùm sit etiam ipsa de traduce illius carnis, quæ in primo homine de terra facta est: ac si contendat, ex hoc quod de carne notissimũ est, debere nos credere *Eccl.12.*

B illud quod de anima occultũ est. De traduce quippe carnis non ambigitur, sed de animæ ambigitur. Vtrumq; autẽ ita positũ est in hoc testimonio, uelut singula singulis parili ratione reddantur: caro scilicet conuertatur in terram sicut fuit. Inde enim sumpta est quando factus est primus homo. Et spiritus reuertatur ad Deũ, qui dedit eum, quando insufflauit in faciẽ hominis, quẽ finxerat flatum uitæ, & factus est homo in animã uiuã, ut deinceps ex utraq; re utriusq; rei propago decurreret. Veruntamen si illud est uerum quod animas nõ ex illa una propagatas, sed alibi creatas singulis singulas Deus dat, etiam huic sententiæ cõgruit, quod dictũ est: Spiritus reuertatur ad Deum qui dedit eum. Solæ ergo reliquæ duę opiniones uidentur excludi, quia si fierent in singulis hominibus animæ propriè cùm creantur, nõ putaretur dici debuisse: Spiritus reuertatur ad Deum qui dedit eũ, sed ad Deum qui fecit eum: Dedit enim ueluti sic sonat, quasi iam extrà fuerit quod dari posset. Deinde quod dictũ est: Reuertatur ad Deũ, urgẽt uerba & premunt dicentes: Quomodo reuertetur ubi nunquam antea fuerit? Potius enim dici debuisse asserunt, & ad Deum uel pergat, uel uadat ad Deum, quàm reuertatur ad Deum, si nunquã illic antea spiritus iste fuisse credendus est. Item quomodo animæ sponte labantur in corpus, cùm scriptũ sit: Dedit eũ, non tam in promptu est explicare, ac per hoc ut dixi duæ istę opiniones sub uerbis huius testimonij laborãt. Vna qua putantur singulæ quæque animæ in singulis suis corporibus fieri singulę, alia qua putantur in corpora sponte demergi. Duabus autem illis siue de traduce illius unius ueniant, siue antea iam creatæ, & apud Deum constitutæ, singulis corporibus

bus dentur, sine labore uerba ista coaptantur. Et tamen si assertores eius sententiæ, G qua creduntur animæ in suis singulis corporibus fieri affirment ita esse dictũ de spiritu, qui pro anima positus est: Deus dedit eum, quemadmodum rectè dicitur dedisse nobis oculos, uel aures, uel manus, uel quodlibet aliud, quæ membra utiq; non extrà iam fecerat, & alicubi reposita habebat, quæ cum opus esset daret, hoc est, adderet & adiungeret, sed illic ea fecit in corpore cui dedisse illa dicitur: quid ei respondeatur non uideo, nisi fortè alia uel alia testimonia proferantur, uel certa ratio unde ista opinio refellatur. Itemq; illi qui putant animas in corpora sponte defluere, sic accipiunt dictum: Dedit Deus eum, quomodo dictum est: tradidit illos Deus in concupiscẽtiam cordis eorum. Proinde unum uerbum relinquitur, quod dictum est: Reuertatur ad Deum, pro peccato accipi posit reuerti, ubi antè non fuit, si animæ in suis quæque corporibus fiunt, quo solo uerbo una illorum quatuor angustatur opinio. Sed neque propter hoc unum uerbum temere existimo illam sententiam esse refutandam, ne fortè posit ostendi aliquo genere locutionis, quo sancta scriptura uti solet, hoc quoque rectè dici potuisse, ut reuerti intelligatur ad Deum spiritus creatus, tanquam ad authorem à quo creatus est, non tanquam ad eum, apud quem primitus fuit.

Ex Lib. 1. Retract. Cap. I. Tomo I.

Alio loco cùm agerem de animo, dixi: Securior rediturus in cœlum. Iturus autem, quàm rediturus dixissem securius, propter eos qui putant animos humanos pro meritis peccatorum suorum de cœlo lapsos, siue deiectos in corpora ista detrudi. Sed hoc ego propterea non dubitaui dicere, quia ita dixi: in cœlum, tanquã dicerem ad eum, qui eius est author & conditor, sicut beatus Cyprianus non cun- D ctatus est dicere. Nam cùm corpus è terra, spiritum possideamus è cœlo, ipsi terra

Eccl. 12. & cœlum sumus. Et in libro Ecclesiastæ scriptum est: Spiritus reuertatur ad Deũ

Rom. 9. qui dedit illum. Quod utiq; intelligendum est, ut non resistatur Apostolo dicenti: Nondum natos nihil egisse boni aut mali. Sine controuersia ergo quædam originalis regio beatitudinis animi Deus ipse est. Qui eum non quidem de seipso genuit, sed de nulla re alia condidit, sicut cõdidit corpus è terra. Nam quod attinet ad eius originem, qua fit ut in corpore, utrum de illo uno sit qui primũ creatus est, quando factus est homo in animam uiuam, an semper ita fiant singulis singuli, ne tunc sciebam, nec adhuc scio. In libro tertio: Si quid mihi uideatur quæris, inquã, in mente arbitror esse summum hominis bonum. Verius dixissem: In Deo: Ipso enim mens fruitur ut beata sit, tanquam summo bono suo. Nec mihi illud placet quod dixi: Libet deierare per omne diuinum. Item quod dixi de academicis, quia nouerant uerum, cuius simile appellabant uerisimile, idq; ipsum uerisimile appellaui falsum, quod approbant. Duas ob causas non rectè dictum est: uel quod falsum esset, quod aliquo modo esset simile alicuius ueri, quia in genere suo & hoc uerũ est, uel quod approbant ista falsa, quæ uocabant uerisimilia, cùm illi nihil approbarent, & affirmarent nihil approbare sapientem. Sed quia ipsum uerisimile etiam probabile nuncupabant, hinc factum est ut hoc de illis dicerem. &c.

Item, Vide Iosue Cap. 23. in hæc uerba: Ego autem recurro uiam.

Item, Vide. 1. Cor. 15. in hæc uerba: Sicut in Adam omnes moriuntur.

A D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN CANTICA CANTICORVM COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Q*Voad usque rex in concubitu suo.*) Vide Ioan. Capite decimoquarto in hæc uerba: Pater maior me est.

Ex Lib. de unit. Eccl. Cap. VIII. Tomo VII.

CAPVT SECVNDVM.

S*Icut lilium in medio spinarum.*) Vnde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? Et easdem unde filias, nisi propter communionem sacramentorum?

Ordinate in me charitatem.) Vide Matth. Capite octauo in hæc uerba: Domine sequor te quocunque ieris.

Capite nobis uulpes paruulas.) Vide Iudicum Capite decimoquarto in hæc uerba: Descendit ergo Samson in Thamnata.

CAPVT QVARTVM.

De doct. Christ. Lib. 2. Cap. VI. Tomo III.

D*Entes tui sicut grex tonsarum ascendens de lauacro.*) Hoc dicitur Ecclesiæ, B cum tanquam pulchra quædam fœmina laudaretur. Num aliud homo discit, quàm cum illud planissimis uerbis, sine similitudinis huiusmodi adminiculo audiret? Et tamen nescio quomodo suauius intueor sanctos, cum eos quasi dentes Ecclesiæ uideo præcidere ab erroribus homines, atque in eius corpus emollita duritia quasi demersos mansósq; transferre. Oues etiam iocundissimè agnosco detonsas oneribus secularibus tanquam uelleribus positis, & ascendentes de lauacro, id est, de baptismate creare omnes geminos, id est, duo præcepta dilectionis, & nullam esse ab isto sancto fructu sterilem uideo.

Hortus conclusus, fons signatus.) Vide de Gen. contra Manichæos Lib. secundo Capite decimoquarto Tomo I.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN LIB. SAPIENTIAE COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

S*Piritus Domini repleuit orbem terrarum.*) Vide infrà in Luca Capite uicesimosecundo in hæc uerba: Hodie mecum eris in paradiso.

De men-

Os *quod mentitur occidit animam.*) De quo ore dixerit, quæritur. Plerunq; enim scriptura cùm os dicit, conceptaculum ipsum cordis significat, ubi placet & decernitur quicquid etiam per uocem cùm uerum loquimur enuntiatur: ut corde mentiatur cui placet mendacium. Posit autem non corde mentiri, qui per uocem aliud quàm est in animo ita profert, ut maioris mali euitandi causa malum se admittere nouerit, cui tamen utrumque displiceat. Et qui hoc asserunt, ita dicunt
Psal 14. etiam illud intelligendum quod scriptum est: Qui loquitur ueritatem in corde suo, quia semper in corde ueritas loquenda est, non autem semper in ore corporis, si aliqua causa cauendi maioris mali aliud quàm in animo est, uoce proferri exigat. Et esse quidem os cordis ex hoc iam intelligi potest, quòd ubi locutio est, ibi os non absurdè intelligitur. Nec rectè diceretur, qui loquitur in corde suo, nisi & os in corde rectè intelligeretur. Quanquam & eo ipso loco, ubi scriptum est: Os
Sap. 1. autem quod mentitur, occidit animam, si circumstantia lectionis consideretur, non accipitur fortasse aliud quàm os cordis. Obscurum enim responsum ibi est ubi homines latet, qui os cordis nisi ori corporis consonet, audire non possunt. Illud autem os dicit in eo loco scriptura peruenire ad auditum spiritus Domini, qui repleuit orbem terrarum: ita ut etiam labia & uocem & linguam commemoret in eo loco, nec tamen omnia sinat intellectus nisi de corde accipi, quia Deum dicit non latere quod dicitur. Quod autem sono isto ad aures nostras pertinente dicitur, nec homines latet. Ita quippe scriptum est: Humanus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledictum à labijs eius, quoniam rerum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est uerus, & linguæ illius auditor: quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet uocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, sed nec præteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit, sermonum autem illius auditio à Domino ueniet ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo uos à murmuratione quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniam responsum obscurum in uacuum non ibit. Os autem quod mentitur, occidit animam. Videtur ergo his minari, qui obscurum putant & secretum esse, quod corde agitant atque uersant. Tam uerò clarum ostendere uoluit hoc esse auribus Dei, ut etiam tumultum eum appellauerit. Manifestè etiam in euangelio inuenimus os cordis, ut uno loco & corporis & cordis ora Dominus cõmemorasse inueniatur, ubi ait: Adhuc & uos sine intellectu estis? Nõ intelligitis,
Matth. 15. quia omne quod intrat in os, in uentrem uadit, & in secessum emittitur: quę autẽ procedunt de ore de corde exeunt, & ea coinquinant hominem? De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominem. Hîc si unum os quod est corporis intellexeris, quomodo intellecturus est: Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, cùm & sputus & uomitus de ore procedant? Nisi fortè tunc quisque non coinquinatur, cùm edit aliquid immundum, coinquinatur autem cùm id euomit. Quod si absurdissimum est, restat ut os cordis intelligamus à Do-

A à Domino expositum, cùm ait: Quæ procedunt de ore, de corde exeunt. Nam & furtum cùm posfit, & sæpe ita fiat, in silentio corporalis uocis atque oris perpetrari, dementifsimum est sic intelligere, ut tunc putemus quenquam peccato furti contaminari, cùm id fatetur aut dicit: cùm autem id tacitè committit, incoinquinatum arbitrari. At uerò si ad os cordis quod dictum est referamus, nihil omninò peccati tacitè committi potest. Non enim committitur, nisi ex ore illo interiore procedat. Sicut autem quæritur, de quo ore dixerit: Os autem quod mentitur, occidit animam, ita quæri potest etiam, de quo mendacio. Videtur enim de illo propriè dicere, quo cuiquam detrahitur. Ait enim: Abstinete ergo uos à murmuratione quæ nihil prodest. & à detractione parcite linguę. Fit autem ista detractio per maleuolentiam, cùm quisque non solùm ore ac uoce corporis profert quod confingit in aliquem, sed etiam tacitus talem uult credi, quod est utique ore cordis detrahere, quod dicit obscurum & occultum Deo esse non posse.

CAPUT TERTIUM.

A Estimata est malitia exitus illorum.) Vide Exod. Capite tricesimo secundo in hæc uerba: Surge fac nobis deos.

CAPUT QUARTUM.

N E malitia mutaret intellectum.) Vide infrà ad Rom. 2 in hæc uerba: Secundum euangelium quidem inimici propter uos.

CAPUT SEPTIMUM.

B

S Piritus intelligentiæ sanctus, multiplex unicus.) Vide primę Corinthiorum decimoquarto in hæc uerba: Qui ignorat ignorabitur.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. 190. Tomo X.

Splendor est enim lucis æternæ.) Apostoli lectionem mecum pariter audistis dilectifsimi. Ait enim de domino Iesu Christo: Splendor est enim lucis æternę, & imago inuisibilis Dei, eò quòd & imago solis lux sua sit quæ de eo sole procedit. Quippe cùm constet, lumen istud diuinitatis æstimari, comprehendi & definiri non posse, ideo præmoneo, ut tantùm de unitate substantiæ spiritaliter credatis, & filium uerum de uero patre cognoscatis. De qualitate autem rei quærere non debetis, quia Deus credi se uoluit, nec examinari, quia quantus sit sciri non potest. Hoc enim Prophetę, hoc Apostoli prædicauerunt. Deniq; pro captu, pro uiribus, pro fide nostra intueamur, Deus quid sit, & uideamus an aliquid posfit ei comparari. Certè hoc est Deus, quod & cùm dicitur non potest dici, cùm æstimatur non potest æstimari, cùm comparatur non potest comparari, cùm diffinitur ipsa definitione crescit: qui a cœlum manu sua cooperit, pugno omnem mundi ambitum claudit, quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt. Cuius nomini & uirtuti famulatur hic orbis, & ipsa sibi elementorum succedentium momentanea uicifsitudo seruiendum testatur. Videte ergo, si aliquid esse posfit, cui pater & filius posfit cōparari, quia talis est filius qualis est pater. Nō enim ipse cum patre unum se diceret, nisi talem se de patre qualis est pater sciret. Ratio quidē quæ apud Græcos

cos λόγος nuncupatur, inter patrem uel filium personas uel uocabula distinguit, C
quia & ipse filius ratio dicitur: quæ tamen ratio multis nominibus appellatur, modo uerbum, modo uirtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo homo, modo agnus, modo uitulus, modo aquila, modo leo, modo uia, modo ueritas & uita, cùm sit Deus omnia in omnibus, ut per hæc uocabula diuinarum dispositionum mysteria cognoscantur, non ut ipsa maiestas filij Dei propriè diffinita monstretur. Hoc enim filius Dei quod pater est non aliud, id est, per quem omnia facta sunt. Nam & hoc uerbum nuncupatur, quia semper in patre & de patre, & nihil pater sine eo iussit aut fecit. Virtus dicitur, quia propriè de Deo est, & omnis potestas in ipso consistit. Sapientia appellatur, quia non aliunde quàm de patre ueniens credentibus arcana cœlestia reuelauit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia diuina opera perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, ut nihil eo pretiosius habeatur. Thesaurus dicitur, quia in ipso omnes opes, diuitiæ cœlestium regnorum reconditæ recognoscuntur. Retia dicitur, quia per ipsum & in ipso de mari seculi diuersarum gentium multitudo more piscium per baptismum in ecclesia congregatur, ubi bonorum malorúmque discrimen agnoscitur. Aratrum nuncupatur, quia signo crucis eius dura pectora subiugantur, ut necessario semini præparentur. Fons aquæ uiuæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duriciam præstat. Lapis angularis dicitur, quia utrosque parietes noui & ueteris testamenti, ipse unus & mediator in semetipso continens copulauit. D
Agnus appellatur, ut innocentia & passio Christi demonstretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutem immolari sustinuit. Aquila dicitur, quia post uenerabilem resurrectionem ad patris sui reuolauit sedem. Leo est dictus, quia ipse est rex regum, qui mortem ac diabolum uirtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ad patrem accessus est. Veritas est, quia mendacium nescit. Vita est, quia dat uitam. Ipse uniuersa significat. Est ergo pater, Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis. Est & filius Deus & dominus noster tantus quantus est pater, sed non aliunde quàm de patre: quia ego, inquit, de patre exiui, hoc est, lumen de lumine. Sed ne ex eo occasionem aliquam hæreticus capiat, cùm duo nomina, uel duas personas, id est, patris & filij statuo, quasi duos ex diuersitate confingam, nos patrem & filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis & in omnibus assignemus. Porrò pater & filius & si duæ personæ creduntur, ratione tamen & substantia unum sunt, quia inæqualium societas melioris offensa est, & iniuria est eius qui uerus est Deus, si non uerus alius comparetur. Deum enim qui iniustè comparat, uiolat. Cum autem ego patrem & filium statuo, unitatem generis assigno. & si illam in personis diuido, discretionem tamen personarum rursum eadem nomina in unitatis sui naturalis fœderis lege consigno.

A CAPVT OCTAVVM.

Epistola 3. Tomo II.

V Erbum igitur Dei, idémque Dei filius, patri coæternus, eadémq; uirtus, & sapientia Dei, à superno fine creaturæ rationalis usq; ad infimum finem creaturæ corporalis attingens fortiter, & disponens omnia suauiter, præsens & latens, nusquam conclusa, nusquam discissa, nusquam tumida, sed sine mole ubique tota, longè alio modo quodam, quàm eo quo creaturis cæteris adest, suscæpit hominem, seq; & illum fecit unum Iesum Christum, mediatorem Dei & hominum, æqualem patri secundum diuinitatem, minorem patre secundum carnem, hoc est, secundum hominem, incommutabiliter immortalem secundum æqualem patri diuinitatem, eundémque mutabilem atque mortalem secundum cognitam nobis infirmitatem, in quo Christo eo tempore, quod oportunissimum ipse nouerat, & ante secula disposuerat, uênit hominibus. &c.

Attingit à fine usque ad finem.) Vide infrà in Luca Capite uicesimosecundo in hæc uerba: Hodie mecum eris in paradiso.

De Gen. ad lit. Lib. 10. Cap. VII. Tomo III.

Sortitus sum animam bonam.) Illud sanè diligentiorem considerationem flagitat. Magis enim mihi uidetur attestari opinioni, qua non ex una propagari, sed désuper animæ uenire creduntur ad corpora: Veruntamen quid est, sortitus sum animam bonam? Quasi autem in illo animarum fonte, si ullus est, aliæ sint animæ bonæ, aliæ non bonæ, quæ sorte quadam exeant, quæ nam cui homini tribuatur: aut alias Deus ad horam concæptorum uel nascentium faciat bonas, alias non bonas, quarum quisque habeat sortem, quæ acciderit. Mirum si hoc eos saltem adiuuat, qui credunt animas alibi factas, singillatim mitti à Deo singulis quibúsq; corporibus hominum: ac non illos potius, qui pro meritis operum quæ ante corpus egerunt, in corpora mitti animas dicunt. Secundũ quid enim aliæ bonæ, aliæ non bonæ uenire ad corpora possunt putari, nisi secundum opera sua? Neq; enim secundum naturam, in qua fiunt ab illo qui omnes naturas bonas facit. Sed absit ut contradicamus Apostolo, qui dicit nondum natos nihil egisse boni aut mali: Vnde confirmat non potuisse ex operibus dici, sed ex uocante, maior seruiet minori, cùm de geminis ageret adhuc in Rebeccæ utero constitutis. Sequestremus ergo paululum hoc de libro sapientiæ testimonium, neque enim negligendi sunt, seu errent, seu uerum sapiant, qui hoc specialiter & singulariter de anima illa dictum putant mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi. Quod, si necesse fuerit, quale sit postea considerabimus, ut si Christo conuenire non potuerit, quæramus quemadmodum id accipere debeamus, ne contra Apostolicam ueniamus fidem, putantes habere animas aliqua merita operum suorum, priusquam incipiant in corporibus uiuere.

De Gen. ad lit. Lib. 10. Cap. XVII. Tomo III.

Sortitus sum animam bonam.) Cùm enim uideatur illos adiuuare hoc testimonium qui non ex parentibus creari, sed uenire ad corpus uel descendere Deo mittente animas dicunt: Rursus hoc impedit eorum sententiam, quod ait: Sortitus sum animam bonam: cùm proculdubiò uel ex uno fonte manare quodammodo tanquam

quàm riuulos, uel pari natura fieri animas credunt, quas Deus mittit in corpora, C
non autem alias bonas, uel magis bonas, & alias non bonas, uel minus bonas. Vnde enim bonæ aut magis bonæ, seu nõ bonæ aut minus bonæ animæ, nisi uel moribus secundum liberum uoluntatis arbitrium, uel differentia temperaturæ corporum, dum aliæ magis aliæ minus grauantur corpore, quod corrũpitur & aggrauat animam? Sed neq; actio erat aliqua singularum quarumque animarum, qua earum mores discernerentur antequã uenirent ad corpora: nec ex corpore minus grauante potuit iste dicere animam suam bonã, qui ait: Sortitus sum animam bonam, & cùm essem magis bonus, uêni ad corpus incoinquinatum. Accessisse enim dixit bonitati, quia bonus erat, sortitus uidelicet animam bonam, ut etiam ad corpus incoinquinatum ueniret. Aliunde ergo bonus antequã ueniret ad corpus. Sed utiq; non differẽtia morum, quia nullum antea gestæ uitæ meritum: non differentia corporis, quia prius bonus quàm ueniret ad corpus. Vnde igitur? Hoc autem illis qui ex traduce animæ illius præuaricatricis animas creari asserunt, quamuis pro eis sonare non uideatur quod dictum est: Vêni ad corpus, tamen in cæteris non incongruè coaptatur, ut cùm dixisset: Puer autem eram ingeniosus, idipsum explicans quibus causis ingeniosus esset continuò subiungeret: Et sortitus sum animam bonã, uidelicet ex paterno ingenio uel corporali temperamento. Deniq; cùm essem, inquit, magis bonus, uêni ad corpus incoinquinatũ: quod si maternum intelligatur, ne hoc quidem quod dictum est: uêni ad corpus, huic opinioni refragabitur, cùm ex anima & corpore paterno uenisse ad maternũ corpus accipitur incoinquinatũ: uidelicet uel à cruore mẽstruo: dicũtur enim ex hoc ingenia grauari, uel à contaminatione adulterina. Ita & hæc uerba libri huius, aut D
magis eis fauent qui animarum traducẽ loquuntur, aut si & isti ea possunt pro
Eiusdẽ lib. cap. 18. se interpretari, inter utrosq; alternant. Quæ si de Domino secundum humanam, quæ à uerbo assumpta est, creaturam uelimus accipere, sunt quidẽ in eadem circumstantia lectionis, quæ illi excellentiæ non conueniant: maximè illud, quia idem ipse qui hoc in eodem libro loquitur, aliquantò superius cùm ista uerba de quibus nunc agimus diceret, confessus est se ex semine uiri in sanguine coagulatum, à quo nascendi modo utiq; alienus est uirginis partus, quam non ex semine uiri carnem cõcæpisse Christi, nullus ambigit Christianus. Sed quia in psalmis, ubi
Psal. 21. ait: Foderunt manus meas & pedes meos &c. quæ propriè illi uni congruunt: Ibi etiam dixit: Deus deus meus respice in me, ut quid me dereliquisti, longè à salute mea uerba delictorum meorum, quæ rursus ei non conueniunt, nisi transfiguranti in se corpus humilitatis nostræ, quoniam membra sumus corporis eius. Et quia
Luc. 2. in ipso euangelio, puer proficiebat ætate & sapientia: sic possunt etiam ista quæ circa hanc sententiam in libro sapientiæ leguntur, propter humilem formam serui, & unitatem corporis Ecclesiæ cum capite suo, eidem ipsi Domino coaptari. Quid ingeniosius illo puero, cuius in annis duodecim, seniores sapientiam mirabantur? Et quid illa anima melius? quæ etiam si uincant non certando, sed probando, qui animarum traducem affirmant, non erit consequens ut etiam ipsa ex illius præuaricationis traduce uenisse credẽda sit: ne per illius hominis inobediẽtiam etiam ipse peccator constituatur, per cuius unius obedientiam ab illo reatu liberati iusti constituuntur

A constituuntur multi. Et quid incoinquinatius illo utero uirginis, cuius caro etiam si de peccati propagatione uênit, non tamen de peccati propagine concæpit: ut ne ipsum quidem corpus Christi ea lex seuerit in utero Mariæ, quæ in membris posita corporis mortis, repugnat legi mentis, quam sancti patres coniugati refrenantes, non quidem nisi quousque licebat, in concubitum relaxauerunt, nec tamen tantummodo quousque licebat eius impetum pertulerunt. Proinde corpus Christi quamuis ex carne fœminæ assumptum est, quæ de illa carnis peccati propagine concæpta fuerat: tamen quia non sic in ea concæptum est, quomodo fuerat illa concæpta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati: Nō enim accæpit inde reatum moriendi, qui apparet in motu carnis non uoluntario, quãuis uoluntate superando, aduersus quem spiritus concupiscit: sed accæpit inde non quod contagioni præuaricationis, sed quod exoluendæ indebitæ morti, & ostendendæ promissæ resurrectioni sufficeret: quorum unum nobis non ad timendum, alterum ad sperandum ualeret. Denique si à me quæratur, unde accæperit animam Iesus Christus, mallem quidem hinc audire meliores atque doctiores, sed tamen pro meo captu libentius responderim, non de Adam quàm de Adam. Si enim puluis assumptus ex terra in qua nullus hominum fuerat operatus meruit diuinitus animari, quantò magis corpus assumptum ex carne in qua itidē nullus hominū fuerat operatus, sortitum est animā bonā, cùm illic erigeretur casurus, hîc descēderet leuaturus. Et fortasse ideo ait: Sortitus sum animā bonam, si tamen hoc de illo oportet intelligi, quia solent quæ sorte dantur diuinitus dari: aut quod fideliter dicendum est, ne uel illa anima aliquibus operibus præce- *Sap.6.*
B dentibus ad tantum apicem subuecta putaretur, ut cùm ea uerbum caro fieret, et habitaret in nobis, ad auferendam suspitionem præcedentium meritorum, sortis nomen accesit.

Et *cum scirem quia nemo potest esse continens*. Vide. 1. Ioan. Cap. 1. in hæc uerba: Si dixerîmus peccatum non habemus.

CAPVT NONVM.

Ex lib. 13. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XVI. Tomo V.

C *Orpus enim corruptibile aggrauat animam*. Addendo utique, corruptibile, non qualicunque corpore, sed quale factum est ex peccato consequente uindicta animam perhibuit aggrauari. Quod etiam si non addidisset, aliud nihil intelligere deberemus.

Item, Vide de Gen. cont. Manich. Lib. 2. Cap. XX. Tomo I.

CAPVT VNDECIMVM.

De Gen. ad lit. Lib. 4. Cap. III. Tomo III.

O *Mnia mēsura & numero et pondere disposuisti*. Cogitet anima quæ potest, inuocato in auxiliū Deo & impertiente atq; inspirante uires, utrùm hæc tria mēsura, numerus, pōdus, in quibus Deū disposuisse omnia scriptū est, erant alicubi antequam crearetur uniuersa creatura, an etiā ipsa creata sunt: & si erant antea, ubi erant. Neque enim ante creaturam erat aliquid nisi creator.

In ipso ergo erāt, sed quomodo? Nam & ista quæ creata sunt, in ipso esse legimus, C an illa sicut ipse, ista uerò sicut in illo à quo reguntur & gubernātur? Et quomodo illa ipse? Neque enim Deus mēsura est, aut numerus, aut pōdus, aut omnia ista. An secundū id quod nouimus mensurā in eis quæ metimur, & numerum in eis quæ numeramus, & pōdus in eis quæ appēdimus, nō est Deus ista: secūdum id uerò quod mēsura omni rei modū præfigit, & numerus omni rei speciē præbet, & pondus omnem rem ad quietē ac stabilitatem trahit, ille primitus & ueraciter & singulariter ista est quæ terminat omnia, & format omnia, & ordinat omnia, nihilq; aliud dictū intelligitur, quomodo per cor et linguam humanam dici potuit, omnia in mensura & numero & pondere disposuisti, nisi omnia in te disposuisti? Magnum est paucisq; cōcessum, excedere omnia quæ metiri possunt, ut uideatur mensura sine mēsura, excedere omnia quæ numerari possunt, ut uideatur numerus sine numero, excedere omnia quæ appendi possunt, ut uideatur pōdus sine pōdere.

Eiusdē lib. cap. 4. Neque enim mensura & numerus & pondus in lapidibus tantūmodo & lignis atq; huiusmodi mollibus, & quātiscunque corporalibus uel terrestribus uel cœlestibus animaduerti & cogitari potest. Est etiā mensura aliquid agendi, ne sit irreuocabilis & immoderata progressio: & est numerus animi & uirtutū, quo ab stultitiæ deformitate, ad sapiētiæ formā decusq; colligitur: & est pōdus uolūtatis & amoris, ubi apparet quāti quidq; in appetendo, fugiendo, præponendo, postponendoq; pendatur: sed hīc animorū atque mentium & mēsura alia mēsura cohibetur, & numerus alio numero formatur, & pōdus alio pondere rapitur. Mēsura autē sine mensura est, cui æquatur quod de illa est, nec aliūde ipsa est. Numerus sine numero est, quo formātur omnia, nec ipse formatur. Pondus sine D pondere est, quò referuntur ut quiescant, quorum quies purum gaudiū est, nec illud tamen refertur ad aliud: sed nomina mēsuræ & numeri et pōderis, quisquis nō nisi uisibiliter nouit, seruiliter nouit. Trāscendat itaque omne quod ita nouit, aut si nondum potest, nec ipsis nominibus hæreat, de quibus cogitare nisi sordidè nō potest: tantò enim magis cuique ista in superioribus chara sunt, quātò ipse minus est in inferioribus caro. Quòd si nō uult aliquis ea uocabula quæ in rebus infimis & abiectissimis didicit, trāsferre ad illa sublimia, quibus intuendis mentem serenare conatur, nō est urgendus ut faciat. Dum enim hoc intelligatur quod intelligendū est, non magnoperè curandum est quid uocetur. Scire oportet tamen cuiusmodi similitudo est inferiorum ad superiora. Nō enim aliter rectè hinc illuc ratio tendit & nititur. Iam uerò si quisquā dicit creatā esse mensurā & numerū & pōdus, in quibus Deum omnia disposuisse scriptura testatur, si in illis omnia disposuit, eadē ipsa ubi disposuit? Si in alijs, quomodo ergo omnia in ipsis, quando ipsa in alijs? Nō itaque dubitandum est illa esse extra ea quę disposita sunt, in quibus omnia disposita sunt.

Eiusdē lib. cap. 5. An fortè putabimus ita esse dictum: omnia in mēsura & numero & pōdere disposuisti, ac si diceretur, omnia sic disposuisti ut haberēt & mensurā & numerū & pondus? Quia etsi diceretur, omnia corpora in coloribus disposuisti, non hinc esset consequens, ut ipsa Dei sapientia, per quam facta sunt omnia, colores in se prius habuisse intelligeretur, in quibus faceret corpora, sed ita acciperetur, omnia corpora in coloribus disposuisti, ac si diceretur:

omnia

A omnia corpora sic disposuisti, ut haberent colores. Quasi uerò à creatore Deo disposita in coloribus corpora, id est, ita disposita ut colorata essent, possit aliter intelligi, nisi aliqua ratio colorum singulis corporum generibus distribuendorum in ipsa disponentis sapientia fuisse intelligatur, etsi color ibi non appellatur, hoc est enim quod dixi, dum res cognoscitur, non esse de uocabulis laborandum. Fatemur ergo ita dictum esse, omnia in mensura & numero & pōdere disposuisti, tanquam ita dictum esset, ita disposita ut haberent proprias mensuras suas, & proprios numeros, & proprium pondus, quæ in eis pro sui cuiusque generis mutabilitate mutarentur, augmentis & diminutionibus, multitudine & paucitate, leuitate & grauitate, secundum dispositionem Dei. Nunquid sicut ista mutantur, ita ipsum Dei consilium in quo ea disposuit mutabile dicimus? Auertat ipse tātam dementiam.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN ECCLESIASTICVM COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

C *oncupisti sapientiam, serua mandata.* Vide Gen. cap. 29. in hæc uerba. Et
B tradidit sibi Rachaëlem filiam suam.

CAPVT QVARTVM.

Epistola. 48. Tomo II.

St confusio adducens peccatum. Confusio adducit peccatum, cùm erube-
E scit quisque prauam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse seipso iudice teneatur. Ita descendunt in infernum uiuētes, id est, suam perditionem sentiētes, quos Dathan & Abiron & Chore hiatu terræ absorpti, tantò antè futuros figurauerunt. Confusio autem adducit gratiā & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur, quod te facere piget illa perniciosa confusione superatum, ne tibi ab hominibus nescientibus quid loquantur, obijciatur illa apostolica sententia: Si enim quæ destruxi, hæc eadem iterum ædifico, preuaricatorem meipsum constituo.

Psal. 54.
Nume. 16.

CAPVT SEPTIMVM.

De mend. ad Consent. Lib. I. Cap. XVI. Tomo IIII.

Oli uelle mentiri omne mendacium. Nō ad hoc uolūt ualere, ut nullo menda-
N cio quisq; mētiatur. Itaque cùm alius dixerit ex isto scripturæ testimonio, usqueadeò generaliter omne mendacium esse detestandum, ut etiam si quis mentiri uelit etiam si non mentiatur, iam uoluntas ipsa damnāda sit, atque ad hoc interpretetur, quod non dictum est: Noli mentiri omne mēdacium

ſed : Noli uelle mentiri omne mendacium, ut non ſolùm mentiri, ſed nec uelle C
Eiuſdē lib cap. 17. mentiri quiſque audeat ullo mendacio. Dicit alius: Imò quod ait: Noli uelle mentiri omne mendacium, de ore cordis exterminandum atque alienādum eſſe mendacium uoluit, ut à quibuſdam mendacijs ore corporis abſtinēdum ſi : ſicut illa ſunt maximè quæ pertinent ad doctrinam religionis: à quibuſdam uerò non ſit ore corporis abſtinendum, ſi maioris mali euitandi cauſa exigit: ore autem cordis ab omni mendacio penitus abſtinere debeamus. Vbi oportet intelligi quod dictum eſt: Noli uelle. Voluntas quippe ipſa quaſi os cordis accipitur, ut non pertineat ad os cordis, cùm maius malum cauentes, mentimur inuiti. Eſt & tertius intellectus quo ſic accipias : Noli omne, ut exceptis aliquibus mendacijs mentiri te ſinat. Tanquam ſi diceret: Noli uelle credere omni homini, non ut nulli crederetur moneret, ſed ut non omnibus, aliquibus autem crederetur, & id quod ſequitur. Aſſiduitas enim eius non proficiet ad bonum, ita ſonat, quaſi non à mendacio, ſed ab aſsiduo mendacio, id eſt, à conſuetudine atque amore mentiendi prohiberi uideatur. Quò profectò dilabitur, quiſquis uel omni mendacio putauerit abutendum: ita enim nec illud cauebit, quod fit in doctrina pietatis & religionis, quo ſceleratius quid facilè non inuenias, non inter omnia mendacia, ſed inter omnia peccata: uel alicui mendacio, quamuis facili, quamuis innoxio nutum uoluntatis accommodauerit, ut non inuitus euadendi maioris mali cauſa, ſed uolens libénſque mentiatur. Ita cùm tria ſint, quæ in hac ſententia intelligi poſſint, aut omne mendacium non ſolùm mentiri noli, ſed nec uelle mentiri: aut noli uelle, ſed uel inuitus mētire, cùm fugiendū eſt aliquid grauius: aut noli omne, ut exceptis aliquibus mendacijs cætera permittantur, unum hîc pro his, quibus mentiri nunquam placet, duo pro illis, qui aliquando putant eſſe mentiendum, inueniuntur. D
Sed tamen quod ſequitur: Aſſiduitas enim eius non proficiet ad bonum, neſcio utrùm poſsit primæ harum triū ſententiæ ſuffragari, niſi fortè ita, ut perfectorum præceptum ſit, omninò nunquam non ſolùm mentiri, ſed nec uelle mētiri. Aſſiduitas uerò mentiendi nec proficientibus permittatur. Tanquam ſi cùm præciperetur, nunquam prorſus non ſolùm mentiendum, ſed nec uoluntatem habendam eſſe mentiendi, contradiceretur exemplis quod aliqua ſunt etiam magna authoritate approbata mendacia. Reſponderetur autem, illa quidem eſſe proficientium quæ habent ſecundum hanc uitam qualecunque officium miſericordiæ: ſed uſque adeò eſſe omne mendacium malum, & perfectis atque ſpiritalibus animis omnimodo fugiendum, ut nec ipſis proficientibus aſſiduitas eius permittenda ſit. Dictum eſt enim iam de obſtetricibus Aegyptijs, quòd de indole ad melius proficiendi mentientes approbatæ ſunt. Quia nonnullus gradus eſt ad dirigēdam ueram ac ſempiternam ſalutem, cùm quiſque miſericorditer etiam pro alicuius quamuis mortali ſalute mentitur. Item quod ſcriptum eſt : Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Alius dicit nullum hîc exceptum eſſe mendacium,
Pſal. 5. ſed omne damnatum. Alius dicit: ita uerò, ſed qui loquuntur ex corde mendacium, ſecundum ſuperiorem diſputationem : nam ueritatem loquitur in corde, qui odit mentiendi neceſſitatem, quam pœnam huius uitæ mortalis intelligit. Alius dicit: Omnes quidem perdet Deus, qui loquuntur mendaciū, ſed non omne mendacium.

A mendacium. Est enim aliquod mẽdacium quod tunc insinuabat propheta, in quo nulli parcatur, id est, si peccata sua quisque confiteri detrectans, defendat ea potius, & nolit agere pœnitentiam: ut parum sit quia operatur iniquitatem, nisi etiam iustus uideri uolens, medicinæ confessionis non succumbat: ut ipsa uerborum distinctio non aliud intimare uideatur: Odisti omnes qui operantur iniquitatem, sed non perdes, si pœnitendo in confessione ueritatem loquantur, ut faciendo istam ueritatem ueniant ad lucem, sicut in euangelio secundum Ioannem dicitur: Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem. Perdes autem omnes qui non solùm operantur iniquitatem, quod odisti, sed etiam loquuntur mendacium, falsam iustitiam prætendendo, nec in pœnitentia confitendo peccata: nam de falso testimonio quod in decem præceptis legis positum est, nullo modo quidem contendi potest, dilectionem ueritatis in corde seruandam, & proferendum falsum ad eum apud quem dicitur testimonium. Cùm enim Deo tantùm dicitur, tunc tantùm in corde ueritas amplectenda est. Cùm autem homini dicitur, etiam ore corporis uerum proferendum est, quia homo non est cordis inspector. Sed planè de ipso testimonio non absurdè quæritur, apud quem quisque testis sit. Non enim apud quoscunque loquimur, testes sumus, sed apud eos quibus expedit & debetur per nos cognoscere, aut credere ueritatem, sicuti est iudex, ne in iudicando erret, aut qui docetur doctrina religionis, ne erret in fide, aut in ipsa doctoris authoritate dubius fluctuet. Cùm autem ille te interrogat, aut uult ex te aliquid nosse, qui eam rem quærit quæ non ad eum pertineat, aut quam ei nosse non expedit, non testem, sed proditorem requirit. Itaque si ei mentiaris à falso fortasse testimonio alienus eris, sed à mendacio profectò non eris. Ioan. 3.

B

CAPVT DECIMVM.

Ex Lib. 14. de Ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XIII. Tomo V.

I *Nitium omnis peccati superbia.* Quid est autem superbia, nisi peruersæ celsitudinis appetitus? Peruersa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium, & cætera.

CAPVT DVODECIMVM.

De doct. christ. Lib. 3. Cap. XVII. Tomo III.

D A *misericordiam, & ne suscipias peccatorem.* Posterior pars huius sententiæ uidetur uetare beneficentiam. Ait enim: Ne suscipias peccatorem. Intelligas enim figuratè positum pro peccato peccatorem, ut peccatum eius non suscipias.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Ex Epistola. LXI. Tomo II.

Q *Vi sibi nequam cui bonus?* De mortibus autem furiosissimis, quas quidam eorum ipsi sibi inferunt, de quibus solent detestabiles & abominabiles esse multis, etiam suis quorum mentes dementia non tanta

 possedit,

possedit, eis secundum scripturas rationemq; Christianorum sæpe respondimus, C
Eccle.14. quoniam scriptum est: Qui sibi nequam cui bonus? Aut certè in eisdem positum
Leuit.19. tentationibus, mori uolentem occidat & proximum, qui sibi expedire & licere
Matth.22. putat occidere seipsum, quoniam scriptura dicit: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Nullis autem iubentibus legibus uel legitimis potestatibus, non licere alterum occidere etiam uolentem & petentem, & uiuere iam non ualentem satis indicat scriptura regnorum. Vbi rex David regis Saulis interfectorem iussit occidi, cùm ille dixisset ab eo iam saucio atque semiuiuo petitum se fuisse, ut hoc faceret, & animã corporis nexibus obluctantem solui; cupientem, uno ictu uulneris ab illis cruciatibus liberaret. Proinde quia omnis qui sine illa legitimæ potestatis authoritate hominem occidit, homicida est, quisquis seipsum occidit, nõ sit homicida si nonhomo est.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ex Lib.2.cont.epist.Parmen.Cap.XII.Tomo VII.

N*On est speciosa laus in ore peccatoris*. Sic autem unicuique est os proprium nec quisquam sine consensu cordis sui ex ore uulneratur alieno. Cùm autem prædicatio peccatoris ore procedit, quærendum est cuiusmodi peccatorem hoc loco scriptura significare uoluit. Nam & publicanus qui iustificatus est magis quàm ille pharisæus, utique peccator erat. Si enim uera eius peccata non erant, falsa erat confessio peccatorum: si autem uera erat confessio propter quam iustificari etiam meruit, proculdubiò uera erant peccata. Hæc etiam
Daniel.9. de oratione sancti Danielis uerissimè dixerim, qui profectò ueraciter ait: Cùm D
orarem & cõfiterer peccata mea & populi mei, In cuius ergo ore peccatoris laus speciosa non est, nisi maximè mendacis & ficti, quem spiritussanctus disciplinæ fugit? Quem igitur fugit, cùm tamen loquitur ueritatem; non in eius ore speciosa est, quia non ei tribuitur cuius particeps non est, sicut speciosa non erat prophetia in ore Caiphæ pontificis sacerdotum, qui nesciuit quid dixit, sed cùm esset Pontifex prophetauit, sed tamen per ipsum speciosa laus est Dei in auribus audientiũ & corde credentium.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De Gen.ad Lit.Lib.4.Cap.XXXIII.Tomo III.

Eccle.18. C*Reauit omnia simul*. De quo enim creatore scriptura ista narrauit, quòd sex diebus cõsummauerit omnia opera sua, de illo alibi non utiq; dissonanter scriptũ est, quòd creauerit omnia simul. Ac per hoc & istos dies sex uel septem, uel potius unum sexies septiesúe repetitum simul fecit qui fecit omnia simul. Quid ergo opus erat sex dies tã distinctè dispositeq; narrari? Quia scilicet hi qui nõ possunt uidere quod dictũ est: Creauit omnia simul, nisi cum eis sermo tardius incedat, ad id quò eos ducit peruenire non possunt.

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

Gyrum cœli circumiui sola. Vide cap.1.Ioan.in hæc uerba: In principio erat.&c.

CAPVT

A CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

Ex Epistola.CXIX.Tomo II.

S*Apiens sicut sol permanet, stultus autem sicut luna mutatur.* Et quis est sapiēs qui permanet, nisi sol illæ iustitiæ, de quo dicitur: Ortus est mihi sol iustitiæ, & quem sibi non fuisse ortum in die nouissima plangentes impij dicturi sunt: Et iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol nō ortus est nobis? Nam istum carnis oculis uisibilem solem oriri facit super bonos & malos Deus, qui etiā pluit super iustos & iniustos. Ducuntur autem semper ex rebus uisibilibus inuisibilium congruæ similitudines. Quis est ergo ille stultus qui tāquam luna mutatur, nisi Adam in quo omnes peccauerunt? Anima quippe humana recedens à sole iustitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis ueritatis, omnes uires suas in terrena conuertit, & eò magis magisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis, sed cùm redire cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quantò magis ei appropinquat affectu pietatis, tantò magis exterior homo corrūpitur, sed interior renouatur de die in diem, omnisque lux illa ingenij quæ ad inferiora uergebat, ad superiora conuertitur, & à terrenis quodammodo aufertur, ut magis magisque huic seculo moriatur, & uita eius abscondatur cum Christo in Deo. Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens, & in uita sua proijciens intima sua & hoc terræ, id est, eis qui terrena sapiunt melius uidetur, cùm laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniquè gerit benedicitur. Mutatur autem in melius cum intentionem suam & gloriam à terrenis, quę in hoc seculo apparent, paulatim auertit, & ad superiora ab inferioribus conuertit, & hoc terræ, id est eis qui terrena sapiunt deterius uidetur. B

Sap.5. *Matth.5.* *Lunæ allegoria.* *2.Cor.4.* *Col.3.* *Eccle.10.* *Psal.9.*

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

E*T omnes de solo, &c.* Vide ad Rom.cap.9.in hæc uerba. Non solùm autem illa, sed & Rebecca, &c.

CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

QVi baptizatur à mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit in lauacro suo. Vide supra de Gen.cont.Manich.lib.2.Cap.XXI. Tomo I.

Et effudit sanguinem qui fraudat mercedem. Vide Leuit.cap.17.in hæc uerba: Quicunque occiderit uitulum aut ouem.

CAPVT SEPTIMVM.

De doct.Christ.Lib.2.Cap.XXXI. Tomo III.

Q*Vi sophisticè loquitur, odibilis est.* Genus captiosarum conclusionum scriptura hîc detestatur. Quanquam etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantius quàm grauitatem decet, uerborum ornamenta consectans, sophisticus dicitur.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN ISAIAM COMMENTARIA. C

CAPVT PRIMVM.

Ex Lib.1.cont.aduerſ. Legis & Prophet.Cap.XXII.Tomo.VI.

F *Ilios genui & exaltaui,&c.* De teſtimonio quoque Iſaiæ prophetæ calumniatur atque blaſphemat,eo quòd dixerit:Filios genui & exaltaui,ipſi autem me ſpreuerunt.Et eoſdem paulò pòſt appellauerit ſemen peſsimum,tanquam ſe oſtendens generatorem malorum,cuius

Ezech.16. filij ſunt ſemen peſsimum,neſciens ob hoc eos dici ſemen peſsimum, quoniam gratiæ Dei qua eius filij facti fuerant, peccando degeneres extiterunt, eorum filij facti,quorum imitatores eſſe uoluerunt.Vnde illis alio loco dicitur: Pater tuus Amorræus,& mater tua Cethea,quarum gentium ſunt impietatem maliciámque ſectati,ex quibus tamen carnis originem non ducebant. Sed ſoluat

Luc.11. iſte lectionem euangelicam,ubi Dominus dicit:Si uos cum ſitis mali,noſtis bona data dare filijs ueſtris,quantò magis pater ueſter qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe:dicat quemadmodum ſit bonus Deus malorum pater,utrũque enim ueritas dicit:An non erant mali quibus ait:Si ergo uos cum ſitis mali:An non habebant Deum bonum patrem quibus ait: Quantò magis pater ueſter qui in cœlis eſt dabit bona petentibns ſe.Porrò ſi mali appellati ſunt propter peccata, ſine quibus non eſt in hac infirmitate mortalium quorumlibet etiam uita iuſtorum, quantò conuenientius ſemen peſsimum diceretur, quod naſceretur impia uoluntate, & moribus execrabilibus pullularet? Sed hunc,inquit,Deum dominus Chriſtus appellauit arborem malam facientem fructus malos.Imò uerò huius talia ſentientis tanquam malæ arboris,iſte ipſe ſermo blaſphemus,fructus eſt malus.Nam hominem malum dixiſſe Dominum arborem malam,cuius fructus mali eſſent opera mala, & hominem bonũ arborem bonã,cuius fructus boni eſſent opera bona,id eſt,ipſas hominum uolũtates,uel malam mali hominis,uel bonam boni hominis diuerſas eſſe arbores,diuerſos fructus ferentes,ſatis euidenter ipſe D

Matth.12. teſtatur dicens:Bonus homo de bono theſauro cordis,&c.

CAPVT QVINTVM.

V *Ae qui dicunt quod bonum malum.* Vide in Matth.Cap.4.in hæc uerba. Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus.

CAPVT SEXTVM.

Ex Lib.cont.Adimant.Manich.diſcip.Cap.XXVIII.Tomo VI.

E *T factum eſt eo anno quo mortuus eſt Ozias rex,uidi dominum ſedentem,&c.* Huic loco illud opponit Adimantus quod ait Apoſtolus; Regi autem ſeculorum

A seculorum inuisibili honor & laus in secula. In qua quæstione quærendũ est, quid ei uisum fuerit, uel in illa uisione Isaiæ binas alas prætermittere quibus uolabant seraphin, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus sabaoth: uel in Apostoli uerbis non totum dicere: nam ita dicit Apostolus: Regi autem seculorũ inuisibili, incorruptibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum. An fortè timuit ne trinitatis cõmemoratio cõmendaret prophetam lectori, & aliquid magnũ ibi latere suspicaretur? Ter enim dicit sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus sabaoth. In Apostolo autem fortè uidit, quòd si dixisset, incorruptibili Deo, responderetur illi, quod nunc istis dicimus: Quid ergo incorruptibili Deo factura erat gens tenebrarum, si cum ea pugnare noluisset? Aut si fortè mendosos codices legerat, aut iste mendosus est ubi nos ipsum Adimantum legimus, non est diutius de re dubia differendum, sed iam quærendum est quomodo & propheta dixerit uidisse se Deum in sede altissima, & apostolus Paulus uerum dixerit, inuisibilem Deum. Interrogo itaque istos utrum inuisibilia possint conspici. Si dicunt posse, quid ergo calumniantur si Deum inuisibilem propheta cõspexit? Si autem dicunt nõ posse, ipsi Apostolo potius calumnientur si audent, qui ait: Inuisibilia enim Dei *Rom. 1.* à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Ipse enim dixit esse inuisibilia, & ipse rursus dicit conspiciuntur. Nónne hîc coguntur fateri oculis corporeis esse inuisibilia menti uerò esse uisibilia? Sic igitur & propheta Deum qui corporaliter inuisibilis est, non corporaliter, sed spiritaliter uidit. Nam multa genera uisionis in scripturis sanctis inueniuntur. Vnum secũdum oculos *Varia genera uisionũ.* corporis, sicut uidit Abraham tres uiros sub ilice Mambræ, & Moyses ignem in

B rubo, & discipuli transfiguratum Dominum in monte inter Moysen & Heliam, & cætera huiusmodi. Alterum secundum quod imaginamur ea quæ per corpus sentimus: nam & pars ista nostra cum diuinitus assumitur, multa reuelantur, non per oculos corporis, aut aures, aliúmue sensum carnalem, sed tamen his similia sicut uidit Petrus discum illum submitti è cœlo cum uarijs animalibus. Ex hoc genere est etiam istud Isaiæ, quod imperitissimè impij reprehendunt. Nõ enim Deũ forma corporea circumterminat, sed quemadmodum figuratè non propriè multa dicuntur, ita etiam figuratè multa monstrantur. Tertium autem genus uisionis est secundum mentis intuitum, quo intellecta conspiciuntur ueritas atque sapientia, sine quo genere illa duo quæ prius posui, uel infructuosa sunt, uel etiam in errorem mittunt. Cùm enim ea quæ siue corporeis sensibus, siue illi parti animæ quæ corporalium rerum imagines capit diuinitus demonstrantur, nõ solùm sentiuntur his modis, sed etiam mente intelliguntur, tunc est perfecta reuelatio. Ex hoc tertio genere est uisio illa quam commemoraui dicente Apostolo: Inuisibilia enim Dei à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur. Hac uisione uidetur Deus cùm per pietatem fidei & per agnitionem Dei, morum optimorum corda mundantur. Quid enim profuit Balthassari regi, quòd *Dan. 5.* manum scribentem ante oculos suos in pariete conspexit? Cui uisioni quia non potuit adiungere mentis aspectum, quærebat adhuc uidere quod uiderat. Tali autem acie luminis qua ista intelliguntur, Daniel præditus, mente uidit, quod ille uiderat corpore. Rursus illa parte animi quæ imagines corporum capit, uidit somnium

somnium Nabuchodonosor rex, & quoniam nõ habebat idoneum oculum mentis ad melius uidendum quod uiderat, id est, ad intelligendum quod uiderat, ideo ad interpretandum uisum suum, aspectum quæsiuit alienum, eiusdem scilicet Danielis: Cui tamen aperienti, ut certam accõmodaret fidem, etiam ipsum somnium ut sibi diceretur, exegit. Daniel autem reuelante sancto Dei spiritu, & quid ille uidisset in somnis ea parte uidit, qua corporum capiuntur imagines, & quid significaret mente conspexit. Non est autem propheta ueri Dei & summi, qui oblata diuinitus uisa, uel solo corpore, uel etiam illa parte spiritus uidet qua corporum capiuntur imagines, & mente non uidet. Sed plerunque in scripturis sic posita inueniuntur quemadmodum uisa sunt, non etiam quemadmodum intellecta sunt, ut mentis uisio in qua totus fructus est exercẽdis lectoribus seruaretur. Sed ex multis quæ apertè sunt scripta, manifestatur nobis quomodo illa intellexerint, quę sic in libris posuerunt, quomodo figuratè illis demonstrata sunt. Ad duo enim genera illa uisionis pertinent figuratè demonstrationes: ad mentis autem, id est, ad intelligentiæ uisionem simplex & propria pertinet reuelatio rerum intellectarum atque certarum. Omnia tamen hæc genera mirificis & ineffabilibus distributionibus exhibet atq; moderatur spiritussanctus summæ incõmutabilisq; sapiẽtiæ. Sed isti miseri sunt qui calumniantur prophetæ dicenti quod Deum uiderit, obijcientes Apostolicam sententiam, ubi inuisibilem dixit: Si enim alter obijciat huic apostolico uerbo euangelicum uerbum quo Dominus ait: Beati mundi cordes, quoniam ipsi Deum uidebunt, quomodo respondebunt posse inuisibilem uideri? Verbo enim premunt imperitos, & quatenus inuisibilis Deus dictus sit, & si cognoscunt cognosci timent. Tanta est pernicies animorum, qui cum uincere homines uolunt, ab errore conuincuntur.

Dan.2. — Matth.5.

Vidi Dominum Sabaoth sedentem in throno.) Vide Matth. Cap. 5. in hæc uerba: Beati mundo corde.

CAPVT SEPTIMVM.

Ex Lib. de Magistro. Tomo I.

NIsi credideritis, non intelligetis. Quod non dixisset profectò, si nihil distare iudicasset. Quod ergo intelligo, id etiam credo: at non omne quod credo, etiam intelligo. Omne autem quod intelligo, scio: nõ omne quod credo, scio: nec ideo nescio quàm sit utile credere etiam multa quæ nescio.

Ex Lib. 2. de Libero arbitrio. Tomo I.

Nisi enim esset & aliud credere, & aliud intelligere, & primo credendum esset, quod magnum & diuinum intelligere cuperemus, frustra propheta dixisset: Nisi credideritis, non intelligetis. Ipse quoque Dominus noster & dictis & factis ad credendum primò hortatus est, quos ad salutem uocauit. Sed postea cùm de ipso dono loqueretur, quod erat daturus credentibus, nõ ait: Hæc est autem uita æterna ut credant, sed: Hoc est inquit uita æterna, ut cognoscant te solùm uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

CAPVT

A
CAPVT NONVM.

QVi *sedebant in umbra mortis.*) Vide. 1. Pet. 3. in hæc uerba: Et eis qui in carcere erant spiritibus.

Et erit principatus eius super humerum eius.) Vide suprà Gen. Cap. 22. in hæc uerba: Tolle filium tuum quem diligis.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

De Gen. ad Lit. Lib. 11. Cap. XXIIII. Tomo III.

QVomodo *cécidit de cœlo lucifer &c.*) Quæ in figura regis uelut Babylonis in diabolum dicta intelliguntur, plura in eius corpus conueniunt, quod etiam de humano genere congruebat, & in eos maximè qui ei per superbiam cohærent, apostatando à mandatis Dei. Sicut enim qui erat diabolus homo dictus est, ut in euangelio: Inimicus homo hoc fecit: ita qui homo erat diabolus dictus est. Vt rursus in euangelio: Nónne ego uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus est? Et sicut corpus Christi quod est ecclesia dicitur Christus, sicut illud est: Vos Abrahæ semen estis, cum paulò superius dixisset: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit in seminibus tanquam in multis, sed tanquam in uno, & semini tuo qui est Christus. Et iterum: Sicut enim corpus unum est & membra habet multa, omnia autē membra corporis cùm sint multa unum est corpus, ita & Christus. Eo modo etiam corpus diaboli, cui caput est diabolus, id est, ipsa impiorum multitudo, maximéque eorum qui à Christo, uel de ecclesia sicut de cœlo décidunt, dicitur diabolus, & in ipsum corpus figuratè multa dicuntur, quæ non tam capiti quàm membris corporis conueniant. Itaque lucifer qui mane oriebatur & cécidit, potest intelligi apostatarum genus, uel à Christo uel ab ecclesia: quòd ita conuertitur ad tenebras amissa luce quam portabat, quemadmodum qui conuertuntur ad Deum à tenebris ad lucem transeunt, id est, qui fuerunt tenebræ lux fiunt.

Ioan. 6. *1. Cor. 12.* *Corpus Christi.* B *Corpus diaboli.*

De doct. Christ. Lib. 3. Cap. XXXVII. Tomo III.

Quomodo cécidit de cœlo lucifer manè.) Illa quę sub figura regis Babyloniæ de eadem persona, uel ad eandem personam dicta sunt in ipsa contextione sermonis, de diabolo utique intelliguntur, & tamen quod ibi dictum est, cōtritus est in terra qui mittit ad omnes gentes, non totum ipsi capiti congruit. Nam & si mittit ad omnes gentes diabolus angelos suos, tamen in terra corpus eius non ipse conteritur: nisi quia ipse est in corpore suo, quod contritum sit ut puluis, quem proijcit uentus à facie terræ.

Quomodo cécidit lucifer.) Vide. 1. Ioan. Cap. 3. in hæc uerba: Ab initio diabolus peccat.

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Ex Lib. 20. de ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XXI. Tomo V.

R *Esurgent mortui, & resurgent qui in sepulchris erant &c.*) Totum istud superius ad resurrectionem pertinet beatorum. Quod autem ait: terra uerò impiorum cadet, bene intelligitur dictum: corpora uerò impiorum

ruina

A se nunc cõmemorare demonstraret, adiunxit: Et cognoscetur manus Domini colentibus eum. Quid est hoc, nisi manus Domini distinguentis cultores suos à contemptoribus suis? De quibus sequentia contexens: Et cõminabitur, inquit, contumacibus, siue, ut ait alius interpres, incredulis. Nec tũc cõminabitur: sed quæ nũc dicuntur minaciter, tum efficaciter implebuntur. Ecce enim Dominus inquit, ut ignis ueniet, & ut tẽpestas currus eius, reddere in indignatione uindictã, & uastationem in flãma ignis. In igne enim Domini iudicabitur omnis terra, & in gladio eius omnis caro: multi uulnerati erunt à Domino: siue igne, siue tempestate, siue gladio, pœnã iudicij significat: quãdoquidem ipsum Dominũ quasi ipsum ignem dicit esse uenturum eis, profectò quibus pœnalis eius erit aduẽtus. Currus uerò eius, qui pluraliter dicti sunt, angelica ministeria non inconuenienter accipimus. Quod autem ait, omnem terrã & omnem carnem, in eius igne, & in gladio iudicari, non etiam hîc spiritales intelligamus & sanctos, sed terrenos atque carnales, de quibus dictũ est: Qui terrena sapiunt, & sapere secũdum carnem, mors est: & quales omninò caro appellantur à Domino, ubi dicit: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt. Quod uerò hîc positum est: Multi uulnerati erunt à Domino, isto uulnere fiet mors secunda. Potest quidẽ & ignis, & gladius, & uulnus accipi in bono. Nam & ignem Dominus uelle se dixit mittere in mundum. Et uisæ sunt illis linguæ diuisæ, uelut ignis, quando ueniet spiritus sanctus. Et non ueni, inquit idem Dominus, pacem mittere in terrã, sed gladium. Et sermonem Dei, dicit scriptura gladium bis acutum: propter aciem geminam testamentorum duũm. Et in Cantico canticorum, charitate se dicit sancta ecclesia
B uulneratam, uelut amoris impetu sagittatam. Sed hîc cum legimus, uel audimus ultorem Dominum esse uenturum, quemadmodum hæc intelligẽda sint, clarum est. Deinde breuiter cõmemoratis eis, qui per hoc iudicium cõsumentur sub figura ciborum in lege ueteri uetitorum, à quibus se non abstinuerunt peccatores impiósque significans, recapitulat ab initio gratiam noui testamenti à primo saluatoris aduentu, usque ad ultimum iudicium, de quo nunc agimus, perducens finiénsque sermonem. Narrat nanque Dominum dicere se uenire, ut congreget omnes gentes, eásq; uenturas & uisuras gloriam eius. Omnes enim sicut dicit Apostolus peccauerunt, & egent gloria Dei. Et relicturum se dicit super eos signa, quę utiq; mirantes, credant in eum: & emissurum ex illis saluatos in gentes diuersas, & in longinquas insulas, quæ non audierunt nomen eius, neq; uiderunt gloriam eius, & annuntiaturos gloriam eius in gentibus, & adducturos fratres istorum, quibus loquebatur, id est, in fide sub Deo patre fratres Israëlitarum electorum. Adducturos autem ex omnibus gentibus munus Domino, in iumentis & uehiculis: quæ iumenta & uehicula bene intelliguntur adiutoria esse diuina, per cuiusq; generis ministeria Dei, uel angelica, uel humana, in ciuitatem sanctã Hierusalem: quæ nunc in sanctis fidelibus est diffusa per terras. Vbi enim diuinitus adiuuantur, ibi credunt: & ubi credunt, ibi ueniunt. Comparauit autem Dominus illos, tanquam per similitudinem, filijs Israël, offerentibus ei suas hostias cum psalmis in domo eius: quod ubique iam facit ecclesia, & promisit ab ipsis se accepturum sibi sacerdotes & Leuitas: quod nihilominus fieri nunc uidemus. Non enim ex

genere carnis & sanguinis, sicut erat primùm secundum ordinem Aaron, sed si- C
cut oportebat in testamento nouo, ubi secũdum ordinem Melchisedech summus sacerdos est Christus, pro cuiusque merito, quod in eo gratia diuina cõtulerit, sacerdotes & Leuitas elegit, sicut nunc uidemus, qui non isto nomine, quod sæpe assequuntur indigni, sed ea quæ non est bonis malísq; communis, sanctitate pensandi sunt. Hæc cum de ista, quæ nunc impertitur ecclesiæ, perspicua, nobísq; notissima Dei miseratione dixisset, promisit & fines ad quos per ultimum iudicium facta est, bonorum malorúmque discretione uenietur, dicens per prophetam, uel de domino, dicens ipse propheta: Quomodo enim cœlum nouum, & terra noua manebit coram me, dicit Dominus: sic stabit semen uestrũ, & nomen uestrũ &c. Ad hoc iste propheta terminauit librum, ad quod terminabitur seculũ. Quidam sanè non interpretati sunt membra hominum, sed cadauera uirorum, per cadauera significantes sæuientem corporum pœnam, quamuis cadauer nisi caro exanimis, non soleat nuncupari, illa uerò animata erunt corpora. Alioquin nulla poterunt sentire tormenta, nisi fortè quia mortuorum erunt corpora, id est, eorum qui in secundam mortem cadent, ideo non absurdè etiam cadauera dici possunt. Vnde est & illud, quod ab eodem propheta dictum iam suprà posui: Terra uerò impiorum cadet. Quis autem non uideat, à cadendo esse appellata cadauera? Virorum autem pro eo posuisse illos interpretes, quod hominum est, manifestũ est. Neque enim quisquã dicturus est, præuaricatrices fœminas in illo supplicio non futuras, sed ex potiore præsertim de quo fœmina facta est, uterque sexus accipitur. Verum, quod ad rẽ maximè pertinet, cum & in bonis dicitur: Veniet omnis caro, quia ex omni genere hominũ populus ille cõstabit. Non enim oẽs homines D
ibi erunt, quãdo in pœnis plures erunt, sed, ut dicere cœperã, cùm & in bonis caro, & in malis membra, uel cadauera nominantur, profectò post resurrectionem carnis, cuius fides his rerum uocabulis omninò firmatur illud, quo boni & mali suis finibus dirimuntur, futurum esse iudicium declaratur.

Eiusdẽ lib. cap. 22.

Sed quomodo egredientur boni ad uidendas pœnas malorum? Nunquid corporis motu beatas illas relicturi sedes, & ad loca pœnalia perrecturi, ut malorum tormenta conspiciant præsentia corporali? Absit, sed egredientur per scientiam. Hoc enim uerbo significatum est eos, qui cruciabuntur extrà futuros. Propter quod, & Dominus ea loca tenebras exteriores uocat, quibus contrarius est ille ingressus, de quo dicitur seruo bono: Intra in gaudium domini tui: ne illic mali putentur ingredi, ut sciantur, sed ad alios potius uelut egredi per scientiam, qua eos cognituri sunt boni, quia id quod extrà est, cognituri sunt. Qui enim erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio domini nescient: qui uerò erunt in illo gaudio quid agatur foris in illis tenebris exterioribus, scient. Ideo dictum est, egredientur, quia eos etiam, qui foris ab eis erunt, utique non latebunt. Si enim hæc prophetæ nondum facta nosse potuerunt, per hoc quod erat Deus quantulumcunque erat in eorum mortalium mentibus, quomodo immortales sancti iam facta tunc nescient, cum Deus erit omnia in omnibus? Stabit ergo in illa beatitudine sanctorum semen & nomen: Semen scilicet de quo Ioannes ait: Et semen eius in ipso manet. Nomen uerò, de quo per hunc Esaiam dictum est: Nomen æternum dabo eis. Et erit eis mensis

A sis ex mense, & sabbatum ex sabbato, tanquam luna ex luna, & requies ex requie, quorum utrunque ipsi erunt, cùm ex his umbris ueteribus & temporalibus in illa lumina noua, ac sempiterna transibunt. In pœnis autem malorum, & inextinguibilis ignis, & uiuacissimus uermis, ab alijs atque alijs, aliter atque aliter est expositus. Alij quippe utrunque ad corpus, alij utrunque ad animam retulerunt, alij propriè ad corpus ignem, uermen uerò tropicè ad animam quod credibilius esse uidetur.

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

E *Cce ponam in Syon lapidem.*) Vide primæ Corinthiorum quarto in hæc uerba: Quis enim te descernit.

CAPVT SEXAGESIMVMQVINTVM.

Ex Lib. I. cont. aduers. Leg. & prophe. Cap. XXIII. Tomo VI.

E *Go sum Deus faciens bona & creans mala.*) Ita planè. Ipse est enim Deus, de quo dicit Apostolus: Vides ergo bonitatem & seueritatem Dei. Hæc autem seueritas eius damnabilibus mala est, quia malum illis damnationis importat. Nam quia iusta est, alio modo reperitur bona, omne enim iustum bonum. Quàm uerò eleganter sibi uidetur iste uerba discutere atq; discernere, nesciens quid loquatur, quandoquidem hoc ipsum quod ita posuit hoc testimonium ut non diceretur, faciens bona & mala, aut creans bona & faciens mala, sed faciens bona & creans mala, uult uertere in crimen: & conatur ostendere, quod fit, forinsecus fieri, quod autem creatur, apud ipsum esse creatorem, atque inde procedere, ut uidelicet Deus prophetarum tamquam extranei à se boni factor aliquando fuisse uideatur: creator autem mali, tanquam natura malus de seipso proferens quod creauit. Quę uerba si ex consuetudine consideremus locutionis humanæ, & fieri & creari, non solùm filij quos de semetipso quisque generat, uerumetiam magistratus dicuntur atque urbes, & quæque alia quæ non exeunt de gignente, sed forinsecus fiunt. Si autem quomodo scripturę sanctæ quibus iste insidiatur, loqui soleant perscrutemur. Aut hoc est facere quod creare, à quo tamen distinguitur gignere, & uariandi uerbi causa non ad aliquam rerum differentiam dici potuit, faciens bona & creans mala, cum dici etiam posset creans bona & faciens mala. Aut si ullam uoluisset propheticus spiritus hîc esse distantiam, multò accommodatius sic acciperemus hæc uerba, ut intelligeremus id fieri, quod si non fieret omninò non esset, creari autem ex eo quod erat, condi aliquid uel constitui, sicut diximus creari magistratus atq; urbes. Nam & illi ex his qui iam homines erant, constituuntur in honoribus cum magistratus creantur, & ligna & lapides quibus construuntur urbes, utique iam erant, sed nondum in illam rerum faciem quam uidemus in urbibus, quodam ordine & cōpositione uenerant. Quod cùm fit, creari urbes dicuntur. Quod enim Græci appellant κτίζειν, hoc nostri aliquando creare, aliquando constituere, aliquando condere interpretantur, quod sæpissimè

Rom. 11.

B

sæpißimè idem significat in illis literis quod est facere. Nam & fecit Deus hominem ad imaginem Dei, & Deus creauit hominem inexterminabilem, legimus. Et si aliquando cum aliqua differentia dicitur, hoc rectius potest interesse quod dixi: ut facere sit quod omninò non erat: creare autem ex eo quod iam erat ordinando aliquid constituere. Ideóq; hoc loco dictus est Deus creans mala, quoniam peccantibus ea conuertit in malum dispositione seueritatis suæ, quę bonitatis eius C

2.Cor.2. largitate bona facta sunt. Vnde dicit apostolus Paulus: Christi bonus odor sumus in omni loco, & in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Quibusdam quidem odor uitæ in uitam, quibusdam uerò odor mortis in mortem. Sed cùm continuò sequatur & dicat: Et ad hæc quis idoneus? nónne importuni quodãmodo sumus ingerere ista carnalibus non studiosis, sed contentiosis nullo modo idoneis ea capere quæ utinam saltem desinerent carpere? Quantus quippe conflictus aduersus Arianos fuerit excitatus ne unigenitum filium dicerent esse creaturam: idem putantes creatum esse quod genitum, iste fortasis ignorat. Sed ut eius regula fallax atque distorta, & eodem prophetico & euangelico testimonio quod ipse po-

Esa.45. suit, percussa frangatur, sic Deus loquitur per prophetam: Ego creans lucem & faciens tenebras, faciens pacem & creans mala. Quod ipse nec totum, nec sicut illic legitur, posuit. Atq; illud quidem facilè dißimulandum est, quod pro pace posuit bona, quoniam pax bona est. Sed illud prætereundum non est, quia huius sententiæ partem superiorem dolo potuit præterire, ne diceret: creans lucem, quia cum sit lux etiam confitente ipso utiq; bona, ab eo creatam noluit cõfiteri, quem non uult creare nisi mala. Magis ergo indifferenter id positum debemus accipere, creare & facere, distinctionis tamen quam sibi iste fecit regula fracta est, quoniam D Deus prophetarum, quem de uerbo quod non intelligit, culpat, ibi legitur creator bonorum quod negat. Itémque ex euangelio, nempe nobis tanquam plurimùm

Matth.7. suis partibus faueret, opposuit quod Dominus ait: Arbor bona, bonos fructus facit, & arbor mala, malos fructus facit. Cur ergo non secundum istum, creat dixit, non facit, si uera est eius differentia, qua facientem à creante distinguit dicẽs: quod fit alienum esse à faciente, quoniam de foris accedit, quod autem nascitur, proprium eius esse qui generat? Hinc enim existimat Deum generatorem malorum, quia dictum est, creans mala, putans quod & Ariani putauerunt, in scripturis illis nihil interesse, utrum generari dicatur aliquid, an creari. Sed certè in eo quod Dominus arborem bonam fructus bonos, malam malos non dixit creare, sed facere, uideat iste suam regulam fractam, & comprimat linguam. Quid enim stultius quàm dicere: Deum prophetarum esse arborem malam, & id uelle intelligit in eo quod Dominus ait: Arbor mala fructus malos facit, & rursus dicere: non facit mala, sed creat, quia si faceret aliena ab illo essent, eíque forinsecus accederent, cùm uerò creat, ipse illa de seipso tanquam radicitus generat. Non ergo de isto Deo, Dominus ait: Arbor mala, malos fructus facit, quoniam creat mala iste, non facit. Ecce qui audet accusare prophetas, qui ex euangelio à se productis testibus refragatur.

Ex Lib.2. de morib. Manich. Cap. VII, Tomo I.

Ego facio bona, & creo mala.) Creare nanq; dicitur condere & ordinare. Itaque in plerisque

A in plerisque exemplaribus sic scriptum est: Ego facio bona, & condo mala. Facere enim est quod omninò non erat. Condere autem ordinare, quod utcunque iam erat, ut melius magisque sit. Ea nanque condit Deus, id est, ordinat cùm dicit: Cōdo mala, quæ deficiunt, id est, ad non esse tendunt, non ea quæ ad id quò tendunt peruenerunt. Dictum est enim: Nihil per diuinam prouidentiam ad id ut non sit peruenire permittitur.

Omnis caro fœnum. Vide Leuit. cap. 17. in hæc uerba: Anima omnis carnis sanguis est.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

G Ratis uenditi estis. Vide Iudic. Cap. 2. in hæc uerba: Et seruierunt Baal.

Ex Lib. 3. cont. Epist. Parmen. Cap. IIII. Tomo VII.

Recedite, recedite, exite inde & immundum nolite tangere. Nunquid eadem totiens repetenda sunt, quotiens fit separatio cordis à malis? Immundum enim non tangit qui ad peccatum nulli consenrit: Exit autem inde, ut salua sit eius causa apud Deum, sic etiam disciplinam corripiendi & arguendi salua pace nō negligat. Nam qui uult corporaliter quasi manifestos malos deserere, spiritaliter deserit latentes bonos, quos inexpertos & incognitos cogitur accusare, dum separationem suam conatur defendere, &c. Sed cur ipse in illo populo immundiciam quam grauiter arguebat, in una cum eis congregatione tangebat? Legant quanta in mala populi sui, & quàm uehementer ac ueraciter dixerit, à quibus se tamē nulla corporali di rectione separauerit.

B *Recedite, exite inde.* Vide Matth. cap. 20. in hæc uerba: Domine miserere nostri

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVINTVM.

Generationem eius quis enarrabit. Vide Ioan. cap. 1. in hæc uerba: Omnia per ipsum facta sunt.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

Ex Lib. de sancta Virgi. Cap. XXIIII. Tomo VI.

Abo eis locum meliorem, &c. De quibus autem spadonibus loquitur Deus

D per Isaiam prophetam, quibus se dicit daturum in domo sua, & in muro suo locum nominatum, meliorem multò quàm filiorum atque filiarum, nisi de his qui seipsos castrant propter regnum cœlorum? Nam illis quibus ipsum uirile membrum debilitatur, ut generare non possint, sicut sunt eunuchi diuitum & regum, sufficit utique cum Christiani fiunt, & Dei præcepta custodiunt, eo tamen proposito sunt, ut coniuges si possint haberent, cæteris in domo Dei coniugatis fidelibus adæquari, qui prolem licitè pudicéque susceptam in Dei timore nutriunt, docentes filios suos ut ponant in Deo spem suam, non autem accipere meliorem locum quàm est filiorum atque filiarum. Neque enim uxores animi uirtute, sed carnis necessitate non ducunt. Contendant sanè qui uoluerint de his prophetam spadonibus hoc prænuntiasse, qui corpore abscisi sunt, iste quoque error causæ quam suscępimus suffragatur: neque enim spadones istos eis qui Esaiæ. 56.

in domo eius nullum locum habent prætulit Deus,sed eis utique qui in filijs gene- C
randis coniugalis uitæ meritum seruant. Nam cum dicit: Dabo eis locum multò
meliorem,ostendit & coniugatis dari,sed multò inferiorem. Vt ergo conceda-
mus in domo Dei prædictos futuros eunuchos secundum carnem,qui in populo
Israël non fuerunt,quia & ipsos uidemus cum Iudæi non fiant,tamen fieri Chri-
stianos:nec de illis dixisse prophetam, qui proposito continentiæ coniugia non
quærentes,seipsos castrāt propter regnum cœlorum:itáne tanta dementia quis-
quam est contrarius ueritati,ut in carnefactos eunuchos meliorem quàm coniu-
gatos locum in domo Dei habere credat:& pio proposito continētes,corpus us-
que ad contemptas nuptias castigantes,seipsos non in corpore,sed in ipsa concu-
piscentiæ radice castrantes,cœlestem & angelicam uitam in terrena mortalitate
meditantes,coniugatorum meritis pares esse contendat: & Christo laudanti eos
qui seipsos castrauerunt, non propter hoc seculum sed propter regnum cœlo-
rum,christianus contradicat,affirmans hoc præsenti uitæ esse utile non futuræ?
Quid aliud istis restat, nisi ut ipsum regnum cœlorum ad hanc temporalem ui-
tam,in qua nunc sumus asserant pertinere? Cur enim non & in hanc insaniam
progrediatur cœca præsumptio? Et quid hac assertione furiosius? Nam etsi re-
gnū cœlorū aliquando ecclesiā etiam quæ hoc tempore est appellatur,ad hoc uti-
que sic appellatur,quia futuræ uitæ sempiternæq; colligitur. Quamuis ergo pro
missionem habeat uitæ præsentis & futuræ, in omnibus tamen bonis operibus
suis non respicit quæ uidentur,sed quæ non uidentur. Quæ enim uidentur tem-
Eiusdē lib. poralia sunt,quæ autem non uidētur æterna. Nec sanè spiritussanctus tacuit
cap. 25. quod contra istos impudentissimè ac demētissimè peruicaces apertum atque in- D
concussum ualeret,eorúmque beluinum impetum ab ouibus suis inexpugnabi-
li munitione repelleret. Cùm enim dixisset de spadonibus: Dabo eis in domo
mea,et in muro meo locum nominatum,meliorem multò quàm filiorum atque
filiarum,ne quis nimium carnalis existimaret in his uerbis aliquid temporale spe
randum continuò subiecit: Nomen æternum dabo eis, nec unquam deerit, tan-
quam diceret: Quid tergiuersaris impia cœcitas? quid tergiuersaris,quid sereni-
tati ueritatis nebulas tuæ peruersitatis offundis? Quid in tanta scripturarum lu-
ce,tenebras unde insidieris inquiris? Quid temporalem tantummodò utilitatem
promittis continentibus sanctis? Nomen æternum dabo eis. Quid ab omni con-
cubitu immunes,& eo quoque ipso quo hinc sese abstinent, ea quæ sunt Domini
cogitantes,quomodo placeant Domino,ad terrenam commoditatem referre co-
naris? Nomen æternum dabo eis. Quid regnum cœlorum propter quod seipsos
castrauerunt sancti spadones,in hac tantùm uita intelligendum esse contendis?
Nomen æternum dabo eis. Et si fortè hîc ipsum æternum pro diuturno conaris
accipere,addo,accumulo,inculco. Nec unquam deerit. Quid quæris amplius?
Quid dicis amplius? Aeternum hoc nomen, quicquid illud est,spadonibus Dei,
quod utique gloriam quandam propriam excellentémque significat, non
erit commune cum multis, quamuis in eodem regno & in eadem domo con-
stitutis. Nam ideo fortassis & nomen dictum est, quod eos quibus datur distin-
guit à cæteris.

Canes

A *Canes nescientes latrare.* Vide suprà in Psalm.67.in hæ uerba: Lingua canum tuorum.

CAPVT QVINQVAGESIMVMSEPTIMVM.

De Gen.ad Lit.Lib. 10.Cap.VI.Tomo III.

O *Mnem flatum ego feci.* Cùm hoc eùm de anima dicere, quæ sequuntur satis ostendant, ad utrunque accipi potest. Nam, siue ex una primi hominis anima, siue ex aliquo suo secreto omnes proculdubiò animas ipse fecit.

Omnem flatum ego feci. Vide Gen.cap. 2. In hæc uerba: Inspirauit Deus in faciem hominis.

CAPVT QVINQVAGESIMVMNONVM.

Retract.Lib.1.Cap.V. Tomo I.

P Eccata uestra separant inter uos & Deum. Vnde intelligi datur etiam earum rerum posse dici separationem, quæ non locis, sed incorporaliter iunctæ fuerant.

CAPVT SEXAGESIMVMQVINTVM.

Erit cœlum nouum, & terra noua. Vide Isa.cap.26.suprà: Resurgent mortui, & resurgent qui in sepulchris erant.

CAPVT SEXAGESIMVMSEXTVM.

B C *Oelum mihi sedes est, & terra scab.* Vide Matth.cap.6.in hæc uerba: Et ne nos inferas in tentationem. Item.

Vide Exod.25.in hæc uerba: Sumite primitias ab omni homine. Item.

Vide Cap.28.Deut.in hæc uerba: Benedictus es in agro tuo, &c.

Super quem habitabo nisi super humilem Vide suprà in Psalmo.15.in hæc uerba: Sanctis qui in terra sunt eius.

Et ossa uestra ut herba exorientur. Vide suprà Isa.Cap.26.in hęc uerba: Resurgent qui in sepulchris erant.

Vermis eorum non morietur. Vide Matth.Cap.25.in hæc uerba: Ite in ignem æternum.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN IEREMIAM COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

P *Riusquam exires de uulua sanctificaui te.* Vide infrà in Luc.cap.1.in hæc uerba: Exultauit in gaudio infans in utero meo.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM. C

Ex Lib.de Grat.& Lib.arb.ad Valent.Cap.IIII.Tomo VII.

Maledictus homo qui spem habet in homine. Intelligite fratres hoc testimoniũ propheticum, quia enim non dixit propheta: Maledictus homo qui spem habet in seipso, posset alicui uideri ideo dictum esse: Maledictus homo qui spem habet in homine, ut nemo habeat spem in altero homine, sed in se. Vt ergo ostenderet sic se admonuisse hominem, ut nec in seipso haberet spem: propterea cùm dixisset: Maledictus homo qui spem habet in homine: mox addidit, & firmat carnem brachij sui. Brachium pro potentia posuit operandi. In homine autem carnis intelligenda est humana fragilitas: ac per hoc firmat carnem brachij sui, qui potentiam fragilem atque inualidam, id est, humanam sibi sufficere ad bene operandum putat, nec adiutorium sperat à Domino: Propter hoc enim subiecit: Et à Domino discedit cor eius.

Ex Lib.13.cont.Faust.Manich.Cap.XII.Tomo VI.

Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit, &c. Perdix enim nimis contentiosum animal, notum est quantùm auiditate ipsius contentionis currat in laqueum. Non enim disputare amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentissima peruicatia, ut congregent, sicut hîc dixit, quæ non pepererunt. Christianos enim quos maximè Christi nomine seducunt, iam per ipsius Christi euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias suas: non sanè cum iudicio, sed cum temeritate inconsiderata. Nõ enim intelligunt ibi esse ueram & salubrem & quodammodo germanam atq; radicalem Christianam societatem: unde istos separauerũt, quos ad suas diuitias congregarunt. Sequitur: In dimidio dierum, &c. Id est, qui primo D tanquam per pollicitationem & ostentationem excellentis sapientiæ seducebat, erit insipiens, id est, apparebit insipiens. Eis quippe, quibus primò sapiens erat, tũc erit insipiens, cùm apparebit, quia dementia eius nota erit omnibus.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

De doct.Christ.Lib.4.Cap.XXIX.Tomo III.

It Dominus, qui furantur uerba mea unusquisque à proximo suo. Nec terrendi A sunt isti uoce Hieremiæ prophetæ, per quem Deus arguit eos qui furantur uerba eius unusquisque à proximo suo. Qui enim furãtur, alienum auferunt: uerbum autem Dei non est ab eis alienum, qui obtemperant ei, potius quàm ille dicit aliena, qui cum dicat bene, uiuit malè. Quæcunque enim bona dicit, eius excogitari uidentur ingenio, sed ab eius moribus aliena sunt. Eos itaq; dixit Deus furari uerba sua, qui boni uolunt uideri, loquendo quæ Dei sunt, cùm mali sint faciendo quæ sua sunt. Nec sanè ipsi dicunt bona, quæ dicunt, si diligenter attendas. Quomodo enim dicunt uerbis quod negant factis? Non enim frustra de talibus ait Apostolus: Confitẽtur se nosse Deum, factis autem negant. Modo quodam ipsi dicunt, & rursus alio modo ipsi non dicunt, quoniam utrunque uerum est quod ait ueritas.

Ex Lib.3.cont.Epist.Parmen.Cap.II.Tomo VII.

Quid paleis ad triticum? Cũ enim Hieremias sanctus uellet ostendere bonis & malis,

A malis, etiam si ad tẽpus sit congregationis una societas, longè tamen disparia esse momẽta morum, finemq́; meritorũ: quid paleis, inquit, ad triticũ? Parmenianus autem cùm uellet Ticonium refellere dicentem, malos à bonis in unitate interim pro pace tolerandos, & in fine ultimi iudicij separandos, posuit hoc Ieremiæ testimonium, quo peruersus atque errans peruersos & errantes ad turbulentissimas & sceleratissimas seditiones inflammet, ut quisquis inflammata mente carnis suæ uidetur sibi aliquid esse, cùm nihil sit: se ac similes sui tanquam grana purgatissima existimans, ad ecclesiæ congregationem, in qua necesse est, ut hi qui ad uitam æternã pertinent, eos qui ad ignem æternum pertinẽt, usq; ad certũ finẽ tanquam frumenta paleam suam tolerent, iam sibi accedendum esse non putent. Nullus alius flatus de area Christi leuissimam paleam ante tempus uentilationis excussit: nulla alia præsumptione sacrilega schismata quæcunque ubicunq; sunt, fecit. Admonet, inquit Ieremias sanctissimus, infructuosas & steriles peccantium turbas ab honorata fruge iustorum discerni, dicens: Quid paleis ad triticum? O tuba furoris, ô uox execrabilis pestilentię, nunquid fortè sic errat genus humanum, ut non agnoscat uentilatorem Parmenianum? & cætera. Iam ergo euigilent aliquando, & intelligant quemadmodum propheta dixerit: Quid paleis ad triticum? Vbi enim dicatur considerent, si eis inest qualiscunque sensus humanus. Nunquid in agro dici potest, quid paleis ad triticum? quando eadem radice portantur? Nunquid in area, ubi pariter triturantur? Sed utique in horreo, quid paleis ad triticum? Veniet ille paterfamiliâs ferens uentilabrũ in manu sua, & mundabit aream suam, frumenta recondet in horreum, paleam uerò comburet igne inextinguibili. Nam per aliam similitudinem omne triticum ouium nomine, & omnis palea hædorum nomine significatur, quæ duorum pecorum genera interim permixta sub uno pastore pascuntur. Sed ueniet, inquit, filius hominis cũ angelis suis, & congregabuntur ante eũ oẽs gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor separat oues ab hœdis, & oues quidem ponet ad dexterã, hœdos autem ad sinistram &c. Tunc ergo implebitur prophetia, quid paleis ad triticum, quando hœdis & ouibus non potest pascua esse communis. Si possunt pisces boni cum piscibus malis intra illam sagenam cui dixit Dominus: Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, dicere, recedite à nobis, aut recedemus à uobis, donec omnes educantur ad litus, & per angelos boni mittantur in uasa, mali autem proijciantur foras: potest hoc tempore impleri quod dictum est, quid paleis ad triticum? Sed qui congregationẽ suam iam frumentum purgatũ putant à commixtione frumenti & paleæ tanquam pura palea uolauerunt, & qui se sub uno pastore non adhuc cum hœdis pascere sentiunt, luporum insidijs de grege Domini separati sunt, & qui cum malis piscibus se congregatos esse non putant, non solùm mali pisces sunt, sed etiam unitatis retia diruperunt. Quod si iam hoc tempore intelligamus fieri quod Ieremias ait, quid paleis ad triticum: nihil aliud rectè intelligere possumus, nisi quòd in una quidem congregatione sunt, donec in fine uentilationis etiam corporaliter separentur. Sed tamen tritici sursum cor est, paleæ uerò deorsum. Palea quippe sua quærit, non quæ Iesu Christi: triticum autem thesaurizat thesaurum in cœlo, quia ubi est thesaurus eius, ibi est

Eiusdẽ lib. cap. 3.

B

Matth. 25.

Matth. 13.

& cor eius. C

Cœlum & terram ego impleo.) Vide infrà in Luc.Cap.22.in hæc uerba: Hodie mecum eris in paradiso.

CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

Ecce dies uenient dicit Dominus,*& consumabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum &c.)* Vide ad Rom.cap.7.in hæc uerba: Lex peccatum est? Absit. E

Et confirmabo super domum Iacob. Vide Psal.15.Epist.5.Tomo II.

CAPVT QVINQVAGESIMVM.

Contritus est malleus uniuersæ terræ. Vide Cap.2.Iob in hæc uerba: Blasphema Deum.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN EZECHIELEM COMMENTARIA.

CAPVT TERTIVM.

Ex Lib.1.cont.Cresc.Gram.Cap.VIII.Tomo VII. D

Domus autem Israël non audiet te &c.) Ecce mittitur Dei seruus, & eis loqui iubetur, qui eum non erant audituri, eo ipso Domino qui mittebat & loqui iubebat prædicente quòd non erant audituri. Qua causa, cui bono, quo fructu, quoúe effectu mittitur ad certamen prædicandæ ueritatis aduersus certaturos, & non obedituros? Num quisquam dicere audebit sanctos Dei prophetas incidisse in opprobrium abs te mihi obiectum, cum diceres: Si tu scis rem de qua agitur à te finiri non posse, cur incassum laborem sumis? cur inanem impendis operam? cur superuacuè ac sine fructu contendis? An non magnus error est uelle quod non ualeas explicare, cùm & lex moneat, dicens: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris? Et iterum: Homo animosus parat lites, & uir iracundus exaggerat peccatum. Ezechieli certè ista non diceres, qui cum uerbo Dei mittitur, inferre certamen hominibus non obedituris, contrasensuris, contradicturis. Nam si diceres responderet tibi fortasse, quod eisdem Iudæis Apostoli responderunt: Cui obedire oportet, Deo magis an hominibus? Hoc tibi etiam ipse responderim.

Eccl.3. Pro.29. Act.5.

CAPVT VNDECIMVM ET TRICESIMVMSEXTVM.

Auferri cor lapideum. Vide Lib.secundo de Gen.cont.Manicheos cap.12. Tomo I.

CAPVT

A ## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Pater tuus amorræus.) Vide Isa. capite primo in hæc uerba : Filios genui, & exaltaui.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Epistola. 23. Tomo II.

T *anima patris mea est, & anima filii mea est.)* Anima quæ peccauerit ipsa
E morietur: non autem peccat ipsa, cùm parentes ei omninò nescienti, uel quilibet alius adhibet sacrilegia dæmoniorum. Sed ideo ex Adam traxit, quòd sacramenti illius gratia solueretur, quia nondum erat anima separatim uiuens, id est, altera anima de qua diceretur: Et anima patris mea est, & anima filij mea est. Iam itaque cum homo in seipso est, ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius. Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, & in illo à quo traxit, quando quod traxit admissum est. Non autem trahit alter ab altero, quando sua unoquoque propria uita uiuente iã est unde dicatur: Anima quæ peccauerit ipsa morietur.

In deliciis paradisi Dei fuisti.) Vide. 1. Ioan. 3. in hæc uerba : Ab initio diabolus peccat.

CAPVT TRICESIMVMSEPTIMVM.

De Gen. ad Lit. Lib. 10. Cap. V. Tomo III.

Ropheta super spiritum) Demonstratur hîc resurrectio mortuorum re-
B P dintegratis corporibus, ex quatuor uentis cœli aduocatur spiritus, quo perflãte uiuificentur ut surgãt. Vbi mihi uidetur propheticè significatum, non ex illo tãtùm campo, ubi res ipsa demonstrabatur, sed ex toto orbe terrarum resurrecturos homines, & hoc per flatum quatuor mundi partium fuisse figuratum. Neque enim etiam flatus ille ex corpore Domini, substantia erat spiritus sancti, quando sufflauit & ait: Accipite spiritum sanctum, sed utique significatum est sic etiam ab ipso procedere spiritum sanctum, quomodo ab eius corpore flatus ille processit. Sed quia mundus non ita Deo coaptatur ad unitatem personę sicut caro illa uerbo eius unigenito filio, non possumus dicere ita esse animam de substantia Dei, quemadmodum flatus ille à quatuor uentis de natura mundi factus est: sed tamẽ aliud eum fuisse, aliud significasse puto, quod exemplo flatus ex corpore Domini procedentis rectè intelligi potest, etiam si Ezechiel propheta illo loco non resurrectionem carnis qualis propriè futura est, sed inopinatam desperati populi reparationem per spiritum Domini, qui repleuit orbem terrarũ figurata reuelatione præuidit. *Ioan. 20.*

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN DANIELEM COMMENTARIA.

CAPVT TERTIVM.

Epistola.XLVIII.Tomo II.

D E *statua aurea.* Veruntamen si facta præterita in propheticis libris figuræ fuerunt futurorum, in rege illo qui appellabatur Nabuchodonosor, utrunque tempus figuratũ est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet ecclesia. Temporibus itaq; apostolorum & martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando rex memoratus pios & iustos cogebat adorare simulachra, & recusantes in flammas mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulò pòst in eodem rege figuratum est, cùm conuersus ad honorandum Deum uerum, decreuit in regno suo, ut quicunque blasphemaret Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, pœnis debitis subiaceret. Prius ergo tempus illius regis, significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impijs. Posterius uerò tempus illius regis, significauit tempora posteriorũ regum iam fidelium, quos patiuntur impij pro Christianis.

Epistola L. Tomo II.

Blasphemiam contra Deum Sidrach. Quia & imperatores, quãdo pro falsitate cõtra ueritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseuerantes: Quando autem pro ueritate contra falsitatem cõstituunt bonas leges, terrentur sæuientes, & corriguntur intelligentes. Quicunq; ergo legibus imperatorum, quæ contra ueritatem Dei feruntur, obtemperare non uult, acquirit grande præmium. Quicunq; aũt legibus imperatorum, quæ pro Dei ueritate ferũtur, obtẽperare non uult, acquirit grande supplicium. Nam & tẽporibus prophetarum, oẽs reges qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt quæ cõtra Dei præcepta fuerant instituta culpantur, & qui prohibuerunt & euerterunt, super aliorũ merita laudantur. Et rex Nabuchodonosor, cùm seruus esset idolorũ, constituit sacrilegã legem, ut simulachrũ adoraretur, sed eius impiæ constitutioni qui obedire noluerunt, piè fideliterq; fecerunt. Idẽ tamen rex, diuino correctus miraculo piã & laudabilẽ legẽ pro ueritate constituit, ut quicunq; diceret blasphemiã in Deum uerũ Sidrac Misac & Abdenago, cum domo sua penitus interiret. Hanc legẽ si qui contẽpserunt, & id quod fuerat constitutũ meritò perpessi sunt, debuerunt dicere, quod isti dicũt, se iustos esse, quia ex lege regis persecutionem patiebantur, quod utiq; dicerent si ita insanirent, sicuti isti insaniunt, qui diuidunt membra Christi exufflant sacramenta Christi, & de persecutione gloriantur, quia prohibentur ista facere legibus Imperatorum, quas constituerunt pro unitate Christi, & iactant falaciter innocentiam suam, &c.

Ex epistola CXXII. Tomo II.

Quoniam iustus es in omnibus quæ fecisti nobis. Vides certè frater, quales uiri quàm

A quàm ſancti, quàm fortes iu medio tribulationis, ubi tamen eis parcebatur, & eos urere ipſa flamma uerebatur, peccata ſua confitebantur, pro quibus ſe dignè & iuſtè humiliari nouerant nec tacebant. Nunquid etiam meliores eſſe poſſumus ipſo Daniele, de quo per Ezechielem prophetam dicit Deus ad principem Tyri: Nunquid tu ſapientior quàm Daniel es? Et qui ponitur unus in tribus iuſtis quos dicit Deus ſolos ſe eſſe liberaturum oſtendens utique in illis tres quaſdam formas iuſtorum, quos ita ſe liberaturum dicit, ut nec filios ſuos ſecum liberarent, ſed ipſi ſoli liberarentur, Noë, Daniel, & Iob? Ezech.14.

Miſſi ſunt in medium fornacis ignis. Vide Luc. cap. 24. in hæc uerba: Videte manus meas & pedes.

Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis eius in fornacem. Vide in Matth. cap. 4. in hæc uerba: Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus.

Ex Lib. Sermon. de Temp. Serm. CCXL. Tomo X.

Et præcepit ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum, &c. Iubet tyrannus fornacem incendi, & quantùm ipſe igne furoris ardebat, tantò ſanctiores pueros conſummabat. Nunc undantis fumi denſitate cœlum contegitur, nunc horrifico ſonitu Chaldæi cuncti terrentur, ut magnitudo diuinæ ſeueritatis per ſupplicia monſtraretur. Sæuiebat uiolentus inimicus ſupplicium ſuis famulis quæſiturus. Sæuiebat, non ut iuſtos trucidaret, ſed ut ſuis interitum procuraret. Sæuiebat, non ut creſcerent pœnarum augmenta, ſed ut cunctis monſtraretur diuina poteſtas, ut dum impij ſupplicijs gloriarentur, flammarum impetu uorarentur. Sæuiebant ſcelerati Chaldæi, ſupplicijs præſentibus perituri, & futurorum ignari miniſtri iuſſa acce-
B lerant, parant incendia, flammas exaggerant. Crudelitas eius poſsidet mentem, ſæuitia immutat uoluntatem. In fornacem miſſi ſunt ſancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expaueſcunt. Timent ignes lædere, quos fuerant iuſſi incolumes reſeruare. Oſtendunt iuſtorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet ſanctis cum igne iocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Licuit in fornace Deum uenerari, quem apud homines non licuit honorari. Licet flammarum mereri obſequia, qui non meruerant Chaldæorum ſupplicia. Licet ignibus conſeruari illæſos, quos tyrannus dederat exurendos. Licet in pœna eſſe ſecuros, quos extra pœnam non licuit eſſe intactos, ut ubi interitus, ibi ſalus: ubi ſupplicia, ibi inuenirentur refrigeria. Accipe hoſtis à ſupplicijs exemplum, qui humanitatis perdidiſti conſilium. Fugiunt ignes iuſtos, quos iniuſtè damnaſti: expaueſcunt flammæ & innocentes pronuntiant, quos dignos ſupplicio deputas: & quæ ſæuire conſueuerant, dignos ſanctos in fornace cernebant. Damnant hoſtes, & abſoluunt ignes Chaldæi adijciunt, & pœnæ defendunt. Homines ſæuiunt, & ſupplicia uenerantur. Tyrannus putabat tantùm tormenta poſſe ſæuire, quantùm ipſe ſacrilegus exſtimabat ſe poteſtatem habere. Ignes iuſtis cedunt, ardores flammarum in refrigerium uertuntur, & inſtitutæ naturæ uoraces impetus obliuiſcuntur, ut iuſtos uenerantes timerent, & eorum hoſtes perſequentes punirent. Ignes iuſtos hoſpitio cum omni honore ſuſcipiunt, & libenter obſequium præbent. Hoſtis mutato genere ſæuit, nec aliqua pietate mouetur, nec humanitate blanditur. Poſſet uincere ſi ignibus imperaret. Offeruntur

tur ergo ignibus iusti ueſtitu tecti, uinculis colligati defenduntur ardoribus iuſti, & quos uis humana dānauit, ignis abſoluit. Nihil cogitat, nihil metuit. Sic namq; crudelitas tyrannica ſuperata proſternitur, dum ſui ſatellites deuorantur. Cernit pœnam, & ſeruorum Dei aſpicit gloriam. Iuſtis ignes obſequium præſtant, iniuſtis interitum ſubminiſtrant. Dum uindicat flamma impij necātur, & iuſti ſaluantur. Cùm ad fornacem tyrannus feſtinanter accederet, ſtupet laudem, miratur factum, ueneratur Deum cum tribus pueris in fornace. Aſpicit iuſto diuinóq; ambitu protegi, quos nuper iuſſerat uiolentus extingui. In illis in fornace uidet, quē in illis ante non eſſe putaret. Quo uiſo territus furori addit lenitatem, fit repentè confeſſor, qui nuper fuerat perſecutor. Prædicat quem paulò antè negabat, uenerari præcipit, qui uenerantes damnauit. Rogat de fornace iuſtos procedere, precatur de igne Dei famulos proſilire. Exite, inquit, ſerui Dei excelſi. Nunc me defenſorem Dei profiteor, cuius inimicum fuiſſe conſtat, ut cuius ſeruos ignarus perſequebar eius inimicos ut defenſor ulciſcar. Tunc de fornace egrediūtur illæſi Hebræi, lætantur incolumes, triumphant uictores, quòd Deo fideliter ſeruierunt, & furorem tyranni contempſerunt. C

CAPVT SEXTVM.

Ex lib. 20. de ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XXIII. Tomo V.

Horruit ſpiritus meus, ego Daniel in hebitudine &c.) Quàm uerò conuenienter id fecerint, qui noſſe deſiderāt legant præsbyteri Hieronymi librum in Danielem, ſatis diligenter, eruditéq; conſcriptum. Antichriſti tamen aduerſus eccleſiam ſæuiſsimum regnū, ſed exiguo ſpacio temporis ſuſtinendum, donec Dei ultimo iudicio regnum ſancti accipiant ſempiternum: qui uel dormitans hæc legit, dubitare nō ſinitur. Tempus quippe, & tempora & dimidium temporis, annum unū eſſe & duos & dimidium: ac per hoc tres annos & ſemiſſem, etiam numero dierum poſterius poſito diluceſcit, alíquando in ſcripturis ac menſium numero declaratur. Videntur enim tempora indefinitè hîc dicta lingua latina, ſed per dualem numerum dicta ſunt, quem Latini non habent. Sicut autem Græci ita hunc dicuntur habere & Hebræi. Sic ergo dicta ſunt tempora, tanquam dicerētur duo tempora. Vereri me ſanè fateor ne in decem regibus quos tanquā decem homines uidetur inuenturus antichriſtus fortè fallamur, atq; ita ille inopinatus adueniat, non exiſtentibus tot regibus in orbe Romano. Quid enim ſi numero iſto denario uniuerſitas regum ſignificata eſt, poſt quos ille uenturus eſt, ſicut millenario, centenario, ſeptenario ſignificatur plerūq; uniuerſitas, & alijs atq; alijs numeris, quos nunc cōmemorare non eſt neceſſe? Alio loco idem Daniel: Et erit, inquit, tempus tribulationis, qualis &c. Nam qui illic dicti ſunt eſſe in monumentis, ipſi hîc dormientes in terræ aggere, uel ſicut alij interpretati ſunt in terræ puluere. Et ſicut ibi procedent dictum eſt, ita hîc exurgent. Sicuti ibi qui bona fecerunt in reſurrectionem uitæ, qui autem mala egerunt in reſurrectionem iudicij: ita & iſto loco, hi in uitam æternam, & hi in opprobrium & confuſionē æternam. Non autē diuerſum putetur, quod cùm ibi poſitū ſit, omnes qui ſunt in monumentis, hîc non ait propheta, omnes, ſed multi dormientium in terræ aggere. D

Ponit

Ponit enim aliquando scriptura pro omnibus multos. Propterea & Abrahæ dictum est: Patrem multarũ gentium posui te. Cui tamen & alio loco: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes. De tali autem resurrectione, huic quoq; ipsi prophetæ Danieli paulò pòst dicitur: Et tu ueni, & requiesce, adhuc enim dies in cõpletionẽ consummationis, & requiesces, & resurges in sorte tua in fine dierũ.

Quoadusque interfecta est bestia.) Vide Actorum primo in hæc uerba: Nemo potest cognoscere tempora.

CAPVT NONVM.

Episto. 79. Tomo II.

E *T post hebdomadas.*) Expositio sanè beati Danielis de hebdomadibus, qua uir sanctus compresbyter noster Hieronymus exposuit, qualiter docto res ecclesiarum tradidissent, lectorẽ suspendit. Nam si ipse doctissimus uir compresbyter noster ait periculosum esse de magistrorum ecclesiarum iudicare sententijs, & alterum præferre alteri, quantò magis hoc lector facere nõ potest, quod magister facere dubitauit? Nos autẽ credimus quod Dominus ait: Quia coelum & terra transient, iota autem unum uel unus apex non transiet à lege, donec omnia fiant. Quomodo ergo mysterium hebdomadarũ sit impletum usq; ad natiuitatem & passionem Christi admiror, cùm illud quod in dimidio hebdomadæ propheta locutus est dicendo: In dimidio hebdomadæ tolletur sacrificium meum, & desolationum supplicatio interius, & ad sacrificium abominatio. Hæc ergo abominatio si iam cõpleta fuerat, quomodo Dominus monet & dicit: Cùm uideritis abominationem desolationis, quod dictum est per Danielem prophetam stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Ego autem ne petitionis beatitudinis tuæ contemptor essem &c.

Matth. 5.

Matth. 24.

B

Et post hebdomadas sexagintaduas.) Vide Matth. Cap. 24. in hæc uerba: De die autem illa & hora.

Et ungetur sanctus sanctorum.) Vide in Luca cap. 12. in hæc uerba: Moram facit Dominus meus.

Ex epistola 122. Tomo II.

Domine Deus magne & mirabilis, & qui seruas &c.) Vide quemadmodum in captiuitate positus peccata non tantùm populi sui, uerumetiam sua confiteatur, & pro his dicat per iustitiam Dei se ad illam captiuitatis pœnam & opprobria peruenisse. Sic enim scriptum est: Et dedi faciem meam ad Dominum &c.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

Ex lib. Sermon. de Temp. Serm. 242. Tomo X.

E *T accepit uxorem nomine Susannam &c.*) Quotiescunque in hoc peruerso seculo contra laudabiles uiros multiformes tenduntur insidiæ, uel diuersæ calumniarũ emerserint causæ, quid homo pestilens cogitet, quid diabolus machinetur non metuet iustus, quia cum ipso est Christus. Eligatur homo miles in prælio constitutus, officia semper exercere uirtutum. Vnũ ergo de duobus amplectitur, aut patefactis insidijs eius innocẽtia in populo clarescit, aut perse

quentibus

quentibus inimicis præuentus cum conditionem mortis excesserit, molestijs secu- B
laribus liberatus portum securitatis intrabit. Daniel propheta nec in lacu proie-
ctus leonum timore perculsus expauit, sed inter ista bestiarum ora consistens Do-
minum tota mente placauit, & tyrannicas dispositiones illæsus euasit. Zacharias
pontifex magnus pro cultu Dei, pro legibus sacris, pro censura in templo sacerdo-
tali rebellem increpans populum, mortem constanter accæpit, & detestabilis acies
Iudæorum eius cruore pauimentum infecit. Zacharias martyr triumphat, & Da-
niel cõfessor exultat. Vnus moritur & triumphat, alter euadit & regnat. Sed nec
fœmineus sexus suis fraudatur exemplis, qui pudicitiæ ornatum salubriter reser-
uauit. Susanna illustris, decus pudicitiæ uicit impudentiam iudicum, petulantiam
seniorum compresit audacem, ne castitas in ea pateretur iniuriam. Stabat Susan-
na in iudicio falsorum mendacibus oppressa testimonijs damnatorum, stabat non
tãquam rea, sed pro castitate firmiter moritura. Ibat ergo pudica ad supplicium,
non adulterorum corpus, in quo extrema libido exarserat, & diabolus inflammia-
uerat. Quod protexerat uirtus, & ornabat pudor, illæsum ibat in mortis exitiũ.
Egregium portabat caput, cuius uultum integra conscientia sublimabat ad cœ-
lum. Propter damna pudoris salutis uota compresit, & cui fuerũt chara præmia
castitatis, uitæ gaudium non amisit. Contempsit unum, & consecuta est totum. Et
quæ mori uoluit, cum gloria castitatis euasit. Et quam sententia praua deiecerat,
illustris conscientiæ integritas erigebat, metúsque Dei & imminentis sacri iudicij
indubitata crudelitas. O amor honestatis & legis, Susanna adulterij conscientiam
grauiorem iudicauit quàm pœnam. Cùm duceretur non dolebat de supplicio,
quoniam gaudebat de testimonio falsidico. Innocẽs accusatur per sententiam, sed D
nutu Dei suspenditur pœna, ut iudicantium falsitas denudaretur, & innocens pur-
garetur. Infirmus sexus contra uiros surgit fortior, expugnat libidinem castitas
& honestas, impulsu luxuriæ horrenda prosternitur improbitas. Susanna pro-
priam uirtutem animi seruauit, & iudicium populorum constanter excæpit. Con-
flantur de innocente falsa crimina. Ille enim munitus est, qui Deum habuerit de-
fensorem. Denique Daniel propheta instinctu Dei cõmonitus: Redite in iudicium
exclamauit. Stupet populus pro iudicio repẽtino, reuocatur ad dicta, falsos testes
pauor inuadit. Gemit diabolus quòd ipsius commenta nudantur, gaudent angeli
de pudoris integritate comperta, quod defendatur in terris ueritas fatigata. Inter-
rogatum est quo in loco Susanna facinus quo arguebatur admisit: Hic sub lentisco
dicit, ille sub pruno. Cùm ergo eorum discrepant prolata responsa, sic repugnan-
tia dictorum facta nudantur, ut uigore mentis increpato populo, testibus confu-
sis ueritas ostenderetur. Gaudet populus de pudoris integritate, triumphat mari-
tus quod fidam inuenerit coniugem. Lætatur familia quòd nihil inuenerit in ea
quod puniat, quòd adulterij factũ non inuenerit, nec homicidium diabolus quod
procurabat impleuerit.

Venit ad eam adolescens qui erat in latenti absconditus.) Vide Exod. Cap. 21. in hæc
uerba: Si emeris seruum Hebræum.

A D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN PROPHETAS MINORES COMMENTARIA.

IN OSEE CAPVT PRIMVM.

Ex lib.22.Cont.Fauft.Manich. Cap.LXXX. Tomo VI.

Ccipe tibi uxorem fornicariam. In qua fcriptura fic excæcatum eft immundum cor eorum,ut nec apertifsima uerba euangelica intelligāt
A Domini dicentis ad Iudæos:Meretrices & publicani præcedent uos in regno cœlorum.Quid enim aduerfum dementiæ ueritatis, quid inimicum fidei Chriftianæ, fi meretrix relicta fornicatione, in caftum coniugium commutetur?Et quid tam incongruum & alienum à fide prophetæ, quàm fi non crederet omnia peccata impudicæ dimiffa effe in melius commutatæ?Itaque cùm meretricem propheta fecit uxorem, & ad uitam corrigēdam mulieri confultum eft, & figuræ facramentum, de quo mox loquēmur, expreffum. Sed quis non uideat in hoc facto quid potius Manichæorum offendat errorem? Scilicet,quia folent dare operam meretrices, ne grauidæ fiant.Proinde iftis fornicaria magis permanens placebat,ut Deum ipforom non ligaret,quàm unius uiri facta uxor ut pareret.Sequitur:ex cap.89.De Ofee autem propheta,non à me opus eft dici,quid illa iuffio factumúe fignificet,quod dixit Dominus ad Ofee: Va
B de & accipe tibi uxorem &c.Sequitur enim: Quoniam fornicans fornicabitur terra à Domino &c.Cùm ergo iuffi & facti huius figuram ipfe Dominus per eandem fcripturam euidenter aperiat: cúmque apoftolicæ literæ hanc prophetiam completam in noui teftamenti prædicatione teftentur,quis eft qui audeat dicere, non propterea iuffum & factum, propter quod fe iuffiffe,& prophetam feciffe, ipfe in fanctis literis qui iuffit,exponit? Ait enim apoftolus Paulus:Vt notas faceret diuitias gloriæ fuæ in uafa mifericordiæ,quæ præparauit in gloriam,quos & uocauit nos,non folùm ex iudæis, uerumetiam ex gentibus: ficut & Ofee dicit: Vocabo non plebem meam,plebem meam:& non dilectam,dilectam:& erit in loco,ubi dictum eft eis:Non populus meus uos,ibi uocabūtur filij Dei uiui. Hoc ergo de gentibus prophetatum Paulus oftendit. Vnde & Petrus fcribens ad gentes,propheta quidem ipfo non nominato,prophetiam tamen eius uerbis fuis inferit,dicens:Vos autem genus electum,regale facerdotium &c.Hinc euidēter apparet,quod per prophetam dictum eft:Et erit numerus filiorum Ifraël quafi arena maris,quæ fine menfura eft,& non numerabitur:& confequenter adiunctum eft:Et erit in loco,ubi dictum eft eis:Non populus meus uos,dicetur eis,filij Dei uiui:non omninò de illo Ifraël effe dictum,qui eft fecundum carnem:fed de illo,de quo Apoftolus gentibus dicit:Vos ergo Abrahæ femen eftis,fecūdum promifsionem hæredes.Sed quoniā & de illa Iudæa multi crediderunt & crediturí funt:nā inde erant & apoftoli:inde tot milia,quæ in Hierufalem apoftolis fociata funt:inde ecclefiæ,de quibus ad Galatas dicit;Erā autem ignotus facie ecclefijs Iudææ, quæ funt

Matth. 21. *Rom.*9. 1.*Pet.*2. *Gal.*3. *Gal.*1.

Psal.177. sunt in Christo. Vnde & lapidem angularem in psalmis appellatum Dominum C
sic interpretatur, quod duos parietes in seipso coniunxerit, circuncisionis uidelicet & præputij, ut duos conderet in se in unum nouum hominem, faciens pacem, & commutaret utrosq; in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in seipso, & ueniens euãgelizare pacem, his qui longè, & his qui propè, id est, gentibus longè, & Iudæis propè: ipse est enim pax nostra, qui fecit utraq; unum: meritò & iste propheta, filios Iuda ponens pro Iudæis, & filios Israël pro gentibus, Et congregabuntur, inquit, filij Iudæ & filij Israël pariter, & ponent sibimet caput unum, & ascendẽt de terra. Huic itaq; prophetiæ tam manifestę, ipso rerum effectu declaratæ, quisquis contradicit, non solùm propheticis, uerumetiam apostolicis literis, nec solùm quibuslibet literis, uerumetiam rebus impletis, & clarissima luce perfusis, impudentissimè contradicit.

IN IOEL CAPVT SECVNDVM.

E*rit in nouissimis diebus dicit* Dominus.) Vide in Luca Cap.12. in hæc uerba: Moram facit Dominus meus.

Omnis qui inuocauerit nomen Domini *saluus erit.*) Vide. 1. Ioan. Cap. 1. in hæc uerba: Si dixerimus peccatum non habemus.

IN AMOS CAPVT TERTIVM.

Ex lib. cont. Adimant. Manich. discip. Cap. XXVI. Tomo VI.

I*ta etiam malum aliquod in ciuitate perpetratur &c.*) Malum hoc loco nõ peccatũ, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malũ, unum D
quod homo facit, alterum quod patitur pœna. De pœnis ergo loquebatur propheta cùm hoc diceret: Diuina enim prouidentia cuncta gubernãte & moderante, ita homo malè fecit quod uult, ut malè patiatur quod nõ uult. Sic autem isti accusant prophetam ista dicentem, quasi in euangelio nõ legerint: Nónne duo
Matth.10. passeres asse ueneunt, & unus ex his non cadit in terrã sine patris uestri uoluntate? Ita ergo Deus malum facit, quod non ipsi Deo malum est, sed eis in quos uindicat. Itaq; ipse quantùm ad se pertinet bonum facit, quia omne iustum bonũ est, & iusta est illa uindicta: & ideo nõ est contrarium quod Adimantus obijcit dixisse Dominum: Arbor bona fructus bonos facit, mala autẽ arbor malos fructus facit. Quamuis enim malum sit gehenna damnato, iustitia tamen Dei bona est, & ipse fructus est ex arbore bona. Ille autem malis peccatorum suorum thesaurizat sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundum opera sua. Quanquã istæ duæ arbores manifestissimè in similitudine duorum hominum positæ sint, id est, iusti & iniusti, quia nisi quisq; uoluntatem mutauerit bonum operari nõ potest. Quod in nostra potestate esse positum alio loco docet, ubi
Math.12. ait: Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborẽ malam, & fructum eius malum. Illis enim hoc dicit qui putabãt se bona loqui posse cùm essent mali, hoc est, bonos fructus facere, cùm essent arbores malæ. Sic enim & subiungit: Hypocritæ quomodo potestis bona loqui cùm mali sitis? Mala ergo arbor fructus bonos facere non potest, sed ex mala fieri bona potest, ut bonos fru-

ctus

A ctus ferat. Fuistis enim aliquando tenebræ, inquit Apostolus, nunc autem lux in Domino. Tanquam si diceret: fuistis aliquando arbores malæ, & ideo non poteratis tunc nisi malos fructus facere, nunc autē lux in Domino, id est, etiam facti estis arbores bonę, date fructus bonos, quod sequitur dicens: Sicut filij lucis ambulate. Fructus enim luminis est in omni iustitia & ueritate, probantes quid sit beneplacitum Domino. Nam in ipso euangelij capitulo si non studio maleuolentiæ fugeret Adimantus, posset aduertere quomodo dicatur Deus malum facere. Ibi enim ait Dominus, quod etiam iste commemorauit: Omnis arbor quæ nō facit fructus bonos, excidetur & in ignem mittetur. Hæc sunt mala quæ Deus facit, id est, peccatoribus pœnas quòd in ignem mittet arbores quæ in malitia perseuerantes fieri bonæ noluerunt, cùm hoc ipsis arboribus malum fit. Deus autem, ut sæpe dixi, non dat fructus malos, quia iustitiæ fructus est uindicta peccati. *Eph. 5.* *Matth. 7.*

CAPVT SEXTVM

Viuificabit nos post duos dies.) Vide Exod. Cap. 5. in hæc uerba: Viam trium dierum ibimus in desertum.

IN IONAE CAPVT PRIMVM & TERTIVM.

Epistola 49. quæst. 6. Tomo II.

Q Vid sentire, inquit, debemus de Iona, qui dicitur in uentre cœti triduo fuisse, quod ἀπίθανον est, & incredibile transuoratum cum ueste hominem fuisse in corde piscis. Aut si figura est, hanc dignaberis pandere.

B Deinde quid sibi etiam illud uult, supra euomitum Ionam cucurbitam natam, quid causæ fuit ut hæc nasceretur. Ad hoc respondetur, quod aut omnia diuina miracula credenda non sint, aut hoc cur non credatur causa nulla sit. In ipsum autem Christum, quod tertio die resurrexit non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret paganorum. Cum autem hinc quæstionem non proposuerit amicus noster utrum credendum sit, uel Lazarum resuscitatum esse quarto die, uel ipsum Christum tertio die resurrexisse, multùm miror hoc quod factum est de Iona, eum pro incredibili posuisse, nisi fortè facilius putat mortuum de sepulchro resuscitari, quàm uiuum in tam uasto uentre belluæ potuisse seruari. Vt enim omittam commemorare, quanta magnitudo belluarum marinarum, ab eis qui experti sunt iudicetur, uenter quem costę illæ muniebant, quæ Carthagine in publico fixæ populo notæ sunt, quot homines in spatio suo capere posset, quis non conijciat, quanto hiatu patebat os illud quod uelut ianua speluncæ illius fuit: nisi fortè ut posuit, uestis esset impedimento ne Ionas deuorari posset illæsus, quasi per angusta sese coartauerit, qui per abruptum aëris præcipitatus, sic exceptus est, ut prius reciperetur uentre bestiæ, quàm dente laceraretur. Quanquam scriptura neque nudum neque uestitum in illud antrum deiectum esse dixerit, ut possit intelligi illuc etiam nudus irruisse, si fortè opus erat, tanquam ouo corium, ita illi uestem detrahi, quo facilius sorberetur. Sic enim sunt homines de prophetæ huius ueste solliciti, quasi aut per fenestram paruam repsisse, aut in balneas intrasse dicatur, quo etiam si necesse esset *Costæ cœti*

intrare

intrare uestitum, uix molestum esset, nõ tamen mirum. Sed habent reuerà quod C
non credunt in diuino miraculo, uaporem uentris quo cibi madescunt potuisse ita temperari, ut uitam hominis cõseruaret. Quantò incredibilius ergo proponerent tres illos uiros, ab impio rege in caminum missos, deambulasse in medio ignis illæsos? Quapropter si nulla isti diuina miracula uolunt credere, alia disputatione refellendi sunt. Neque enim debent unum aliquid tanquam incredibile proponere, & in quæstionem uocare, sed omnia quæ uel talia, uel etiam mirabiliora narrantur. Et tamen si hoc quod de Iona scriptũ est, Apuleius Madaurensis, uel Apollonius Tyaneus fecisse diceretur, quorũ multa mira, nullo fideli authore iactităt, quamuis & dæmones nonnulla faciant angelis similia, nõ ueritate sed specie, non sapientia, sed planè fallacia. Tamen si de istis, ut dixi, quos magos, uel philosophos laudabiliter nominant, tale aliquid narraretur, non iam in buccis creparet risus, sed typhus. Ita rideant scripturas nostras, quantùm possunt rideant, dum per singulos dies rariores pauciores que se uideant, uel moriendo, uel credendo, dum implentur omnia, quæ prædixerunt, qui hos contra ueritatem inaniter pugnaturos, uanè latraturos, paulatim defecturos, tantò antè riserunt, nobísque posteris suis, non solùm ea legẽda dimiserunt, uerùm experienda promiserunt. Non sanè absurdè, neque importunè requiritur, quid ista significent, ut cùm hoc expositum fuerit, non tantùm gesta, sed etiam propter aliquam significationẽ conscripta esse credantur. Prius ergo non dubitet Ionam prophetã in aluo ingenti marinæ beluę triduo fuisse, qui uult scrutari, cur nam hoc factum sit. Non enim frustra factum est, sed tamen factũ est. Si enim mouent ad fidem quæ figuratè tantùm dicta non facta sunt, quantò magis mouere debent, quæ figuratè non tantùm dicta sed facta sunt. Nam sicut humana consuetudo uerbis, ita diuina potentia etiam factis loquitur. Et sicut sermoni humano uerba noua, uel minus usitata, moderatè ac decenter aspersa, splendorem addunt, ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus, quodammodo luculentior est diuina eloquentia. Proinde quid figurauerit, quòd prophetam belua illa deuoratum, tertio die uiuum reddidit, cur à nobis quæritur, cùm hoc Christus exponat? Generatio, inquit, praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signũ Ionæ prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in uentre cœti, tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. De ipso autem triduo mortis Domini nostri Iesu Christi, quomodo ratio reddatur, cùm à parte totum intelligitur, in die primo & nouissimo, ut toti tres dies idem cum suis noctibus computentur, longum est differere, & in alijs sermonibus iam sæpissimè dictum est. Sicut ergo Ionas ex naui in aluum cœti, ita Christus ex ligno in sepulchrum, uel in mortis profundum. Et sicut ille pro his qui tempestate periclitabantur, ita Christus pro his qui in hoc seculo fluctuant. Et sicut primò uisum est, ut prædicaretur Niniuitis à Iona, sed non ad eos perueniret prophetia Ionæ, nisi posteaquã cum cœtus euomuit: Ita prophetia præmissa est ad gentes, sed nisi post resurrectionem Christi, non peruenit ad gentes. Iam uerò quòd tabernaculum sibi constituit, & consedit ex aduerso ciuitatis Niniue, quid ei futurum esset expectans, alterius significationis personam propheta gestabat. Præfigurabat enim carnalem populũ Israël. D
Nam

Apuleius *Apollonius* *τύφος* *Deus factis loquitur.* *Matth. 12.* *Triduum Christi.*

A Nam huic erat & tristitia de salute Niniuitarum, hoc est de redemptione & liberatione gentium. Vnde uênit Christus uocare, non iustos sed peccatores in pœnitẽtiam. Vmbraculum ergo cucurbitæ super caput eius, promissiones erant ueteris testamenti, uel ipsa iam munera, in quibus erat utique, sicut dicit Apostolus, umbra futurorum, tanquam ab æstu temporalium malorum in terra promissionis defensaculum præbens. Vermis autem matutinus quo rodente cucurbita exaruit, idem ipse rursus Christus occurrit, ex cuius ore euangelio diffamato, cuncta illa quæ temporaliter apud Israëlitas uelut umbraculi prius significatione uiguerunt, euacuata marcescunt. Et cunctus ille populus amisso Hierosolymitano regno & sacerdotio & sacrificio (quod totum umbra erat futuri) in captiua dispersione magno æstu tribulationis aduritur, sicut Ionas, quod scriptum est, à solis ardore & dolet grauiter, & tamen dolori eius atque umbrę quam diligebat, salus gentium pœnitentiúmque præponitur. Adhuc cachinnent pagani, & iam uermẽ Christum, & hanc interpretationem prophetici sacramenti superbiore garrulitate derideant, dum tamen et ipso sensim paulatímque consumiat. Nam de omnibus talibus Esaias prophetat, per quem nobis dicit Deus: Audite me qui scitis iudicium populus meus, in quorum corde lex mea est, opprobria hominum nolite metuere, & detractione eorum ne superemini, nec quod uos spernant magni duxerîtis: Sicut enim uestimentum, ita per tempus absumentur, & sicut lana à tinea comedentur, iustitia autem mea in æternum manet. Nos ergo agnoscamus uermẽ matutinum, quia & in illo psalmo, cuius titulus inscribitur: Pro susceptione matutina, hoc seipso nomine appellare dignatus est: Ego, inquit, sum uermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Hoc opprobriũ de illis opprobrijs est, quæ iubemur non metuere per Esaiam dicentem, opprobria hominum nolite metuere. Ab isto uerme tanquam à tinea comeduntur, qui sub eius dente euangelico, per singulos dies paucitate sua deficiendo minorantur. Nos hunc agnoscamus, & pro salute diuina humana opprobria sufferamus. Vermis est propter humilitatem carnis, fortassis etiam propter uirginis partum. Nam hoc animal plerunque de carne, uel de quacunque re terrena, sine ullo concubitu nascitur. Matutinus est, quia diluculo resurrexit. Poterat utique illa cucurbita, & sine ullo uermiculo arescere. Postremò si habebat Deus adhuc uermem necessariũ, quid opus erat addere matutinum, nisi ut ille uermis agnosceretur, qui cantat pro susceptione matutina: Ego autem sum uermis & non homo? Quid ista prophetia, iam ipso rerum effectu & adimpletione lucidius? Si irrisus est uermis iste cùm penderet in cruce, sicut in eodẽ psalmo scriptũ est: Locuti sunt labijs & mouerunt caput: Sperauit in Deum eruat eum, saluum faciat eum quoniam uult eum. Cùm completa sunt quæ prędixit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerũt omnia ossa mea. Ipsi uerò considerauerunt, & conspexerunt me, diuiserunt sibi uestimẽta mea, & super uestem meam miserunt sortem, quod tanta manifestatione futurum in libro antiquo prophetatur, quanta manifestatione factum in nouo euãgelio recitatur? Sed si in hac humilitate, ut dicere cœperam, iste uermis irrisus est, nunquid adhuc irridendus est, cùm ea compleri cernimus, quæ cõsequentia psalmus ipse habet: Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum uniuersi fines

Luc. 5. *Col. 2.* *Christus uermis bifariam intelligitur.* *Psal. 21.* B

nes terræ. Et adorabunt in conspectu eius uniuersæ patriæ gentium. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Sic commemorati sunt Niniuitæ, & cõuersi sunt ad Dominum: hanc salutem pœnitentiæ gentiũ tantò antè præfiguratam in Iona, dolebat Israël, sicut nunc dolet umbra nudatus & æstu sauciatus. Liceat sanè cuilibet quamlibet aliter dum tamen secundum regulam fidei, cætera omnia quæ de Iona propheta mysterijs operta sũt, aperire. Illud planè quod in uentre ceti triduo fuit, fas non est aliter intelligere quàm ab ipso cœlesti magistro in euangelio commemorauimus reuelatum. C

Triduum & Niniue euertetur. Vide Capite quinquagesimo Genesis, in hæc uerba: Tran sierunt quadraginta dies.

IN ABACVC CAPVT SECVNDVM.

Iustus enim ex fidei uiuit.) Vide prim. Corinthiorum, capite quarto in hæc uerba: Quis enim te discernit?

IN AGGAEI CAPVT PRIMVM.

Ex Lib. Cont. Donatist. post Collat. Cap. 20. Tomo VII.

T suscitauit Dominus spiritum zorobabel. Arguit Dominus per Aggeum prophetam populum ex Babylonia residuum ubi captiuus tenebatur, quod domum Dei negligerent, & suas domos extollerent, & dicit propterea se plaga sterilitatis eorum percussisse regionem. Tunc zorobabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedech sacerdos magnus, & omnis ille populus diuinitus inspiratus operari cœpit in domo domini Dei sui. D

IN ZACHARIAE CAPVT PRIMVM.

Epistola. 101. Tomo II.

T dixit mihi angelus qui loquebatur in me.) Neque enim forinsecus uoces ad aures corporeas prophetæ uenisse credẽdum est, cùm dicit loquebatur in me, non ad me: utrùm uoces erant de spiritu factę, corporalibus similes, quales agimus, cùm apud nos taciti multa memoriter, plerunque etiã cantando transcurrimus, sed tamen editæ ab angelo sibi suggerente. Et quod in euangelio scriptum est: Ecce angelus Dei apparuit illi in somnis dicens: Quomodo enim apparuerit, uel corpus angelicum oculis clausis, Abrahæ quippe uigilanti sic apparuerunt, ut eos cùm pedes lauit eis cõtrectãdo sentiret, uel spiritus spiritui dormientis in specie aliqua simili corpori, sicut nos ipsi nobis uidemur tali figura etiã per loca moueri somniantes longè aliter quàm membra in stratis iacentia mouẽtur. Hæc & ideo mira sunt, quia occultiorem habẽt rationẽ quàm uideri uel reddi ab homine homini possit. Nã istæ causæ sunt admirationis, cùm uel ratio cuiusq; rei latet, uel eadem res usitata non est, quod aut singularis aut rara est.

Matth. 1. Gen. 18.

IN MALACHIAE CAPVT PRIMVM.

Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Vide ad Rom. Cap. 9. in hæc uerba: Nõ solùm autem illa, sed & Rebecca ex uno concęperat Isaac patre nostro &c.

Item

A Item, eodem capite in hæc uerba: Volens Deus ostendere iram & notam facere potentiam suam &c.

Item, capite eodem in hæc uerba: Nunquid iniquitas apud Deum? Absit: nam Moysi dicit: Miserebor &c.

CAPVT TERTIVM.

Ex Lib. 20. de Ciuit. Dei ad Marcell. Cap. 25. Tomo V.

E T *quis sustinebit diem introitus eius, aut quis ferre poterit &c.* Ex his quæ dicta sunt uidetur euidentius apparere in illo iudicio quasdam quorundam purgatorias pœnas futuras. Vbi enim dicitur: Quis sustinebit &c. quid aliud intelligendum est? Dicit tale aliquid & Esaias: Lauabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinem emundabit de medio eorum spiritu iudicij, & spiritu combustionis. Nisi fortè sic eos dicendum est emundari à sordibus, & eliquari quodammodo cum ab eis mali per pœnale iudicium separantur, ut illorum segregatio atque damnatio purgatio sit istorum, quia sine talium de cætero commixtione uicturi sunt. Sed cum dicit: Et emundabit filios Leui &c. Vtique ostendit eos ipsos, qui emundabuntur, deinceps in sacrificijs iustitiæ Domino esse placituros, ac per hoc ipsi à sua iniustitia mundabuntur, in qua Domino hostiæ displicebant. Porrò in plena perfectáque iustitia cùm mundati fuerint ipsi erunt. Quid enim acceptius Deo tales offerunt, quàm seipsos? Verum ista quęstio de purgatorijs pœnis, ut diligentius pertractetur, in tempus aliud differenda est. Filios au- Esa. 4.
B tem Leui & Iuda & Hierusalem ipsam Dei ecclesiam debemus accipere, & nõ ex Hebræis tantùm, sed ex alijs etiam gentibus congregatam, nec talem qualis nunc est, ubi si dixerímus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est, sed qualis tunc erit uelut area per uentilationem, ita per iudicium purgata nouissimum, eis quoque igne mundatis, quibus talis mundatio necessaria est, ita ut nullus omninò sit, qui offerat sacrificium pro peccatis suis. Omnes enim qui sic offerunt, profectò in peccatis sunt, pro quibus dimittendis offerunt, ut cum obtulerint acceptúmque Deo fuerit, tunc dimittantur. Volens autem Deus ostendere ciuitatem suam, tunc in ista consuetudine non futuram, dixit filios Leui oblaturos hostias in iustitia. Non ergo in peccato. Vnde intelligi potest in eo, quod secutus adiunxit atque ait: Et placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalem, sicut diebus pristinis, & sicut annis prioribus, frustra sibi Iudeos secundum legem ueteris testamenti sacrificiorum suorum præterita tempora polliceri. Non enim tunc in iustitia, sed in peccatis hostias offerebant, quando pro peccatis præcipuè ac primitus offerebant, usque adeò, ut sacerdos ipse, quem debemus utique credere cæteris fuisse iustiorem, secundum Dei mandatum, soleret primùm pro suis offerre peccatis, deinde pro populi. Quapropter exponere nos oportet, quomodo sit accipiendum quod dictum est: Sicut diebus pristinis, & sicut annis prioribus. Fortassis enim tempus illud commemorat, quo primi homines in paradiso fuerũt. Tũc enim puri atq; integri ab omni sorde ac labe peccati, seipsos Deo mundissimas hostias offerebãt. Cæterũ ex quo cõmissæ præuaricationis causa in- Eiusdẽ lib. cap. 26. Heb. 7.

de dimissi sunt, atque humana in eis natura damnata est, excæpto uno mediatore, C
& post lauacrum regenerationis quibusque adhuc paruulis, nemo mundus à sor
Iob.25. de, sicut scriptum est, nec infans cuius est uita unius diei super terram. Quod si respondetur, etiam eos meritò dici posse offerre hostias in iustitia, qui offerunt in fide. Iustus enim ex fide uiuit, quamuis seipsum seducat, si dixerit se peccatum non habere, et ideo non dicat: quia ex fide uiuit, nunquid dicturus est, quispiam huius fidei tempus illi fini esse coæquandũ, quãdo igne iudicij nouissimi mũdabuntur. qui offerunt hostias in iustitia. Ac per hoc quoniam post talem mundationem nullum peccatum iustos habituros esse credendum est. Profectò illud tempus, quantùm attinet ad non habere peccatum, nulli tempori comparandum est, nisi quando primi homines in paradiso ante præuaricationem innocentissima fœlicitate uixerunt. Rectè itaque intelligitur hoc significatum esse, cùm dictum est: Sicut diebus pristinis, & sicut annis prioribus. Nam & per Esaiam posteaquam cœlum nouum & terra noua promissa est: inter cætera, quæ ibi de sanctorum beatitudine per allegorias, & ænigmata exequitur, quibus expositionem congruam reddere nos prohibuit uitandæ longitudinis cura: Secundum dies, inquit, ligni ui-
Gen.2.et.3 tæ erunt dies populi mei. Quis autem sacras literas attigit, & ignorat ubi Deus plantauerit lignum uitæ, à cuius cibo separatis illis hominibus quando eos sua de paradiso eiecit iniquitas, eidem ligno circumposita est ignea terribilisque custodia? Quòd si quisquam illos dies ligni uitæ, quos cõmemorauit propheta Esaias: istos qui nunc aguntur ecclesiæ Christi dies esse contendit, ipsúmque Christum li-
Prouer.3. gnum uitæ propheticè dictum, quia ipse est sapientia Dei, de qua Salomon ait: Lignum uitæ est omnibus amplectentibus eam nec annos egisse aliquos in paradiso D
illos primos homines, unde tam citò eiecti sunt, ut nullum ibi gignerent filium: & ideo non posse illud tempus intelligi, in eo quod dictum est: Sicut diebus pristinis, & sicut annis prioribus. Istam prætereo quęstionem, ne cogar quod prolixum est cuncta discutere, ut aliquid horum ueritas manifesta confirmet. Video quippe alterum sensum, ne dies pristinos, & annos priores, carnalium sacrificiorum nobis pro magno munere per prophetam promissos fuisse credamus. Hostiæ nanque illæ ueteris legis, quæ de pecoribus immaculatis, ac sine ullo prorsus uitio iubebantur offerri, significabant homines sanctos, qualis solus inuentus est Christus sine ullo omninò peccato. Proinde quia post iudicium cùm fuerint etiam igni mundati, qui eiusmodi mundatione sunt digni, & in omnibus sanctis nullum inuenietur omninò peccatum atque ita seipsos offerent in iustitia, ut tales hostiæ omninò immaculatæ, ac sine ullo uitio sint futuræ, erunt profectò sicut pristinis diebus, & sicut annis prioribus, quando in umbra huius rei futurę mundissimæ offerebantur hostiæ. Hæc erit nanque mundatio tunc in immortali carne ac mente sanctorum, quæ figurabatur in illarum corporibus hostiarum. Deinde propter eos, qui non mundatione, sed damnatione sunt digni. Et accedam, inquit, ad uos in iudicium, & ero testis uelox super maleficos & super adulteros, & cætera, quibus dãnabilibus enumeratis criminibus addidit: Quoniam ego dominus Deus ueſter, et nõ mutor: tanquã diceret: Cùm uos mutauerit, et in deterius culpa uestra, & in melius gratia mea, ego nõ mutor. Testem uerò se dicit futurũ, quia in iudicio

A cio suo, non indiget testibus. Eumque uelocem, siue quia repentè uenturus est, eritque iudicium ipso inopinato eius aduentu celerrimum, quod tardissimum putabatur: siue quia ipsas conuincet sine ulla sermonis prolixitate cõscientias. In cogitationibus enim, sicut scriptum est, impij interrogatio erit. Et Apostolus: Cogitationibus, inquit, accusantibus, uel etiam excusantibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominum, secundum euangelium meum per Iesum Christum. Etiam sic ergo Dominus futurus testis intelligẽdus est uelox, cùm sine mora reuocaturus est in memoriam, unde conuincat puniátque conscientiam.

CAPVT QVARTVM.

Ex lib. 20. de ciuit. Dei ad Marcel. Cap. XXVII. Tomo V.

Via ecce dies uenit ardens sicut clibanus &c.) Hæc distantia præmiorum atq; Q pœnarum iustos dirimens ab iniustis, quæ sub isto sole in huius uitę uanitate non cernitur quando sub illo sole iustitiæ in illius uitæ manifestatione clarebit. Tunc profectò erit iudicium, quale nunquam fuit. Quod uerò subiungit idem propheta: Mementote legis Moysi &c. Opportunè commemorat, post hoc declaratum tam magnum futurum inter obseruatores legis, contemptoresq; discrimen, simul etiam ut discant legem spiritaliter intelligere & inueniant in ea Christum, per quem iudicem faciẽda est inter bonos & malos ipsa discretio. Non enim frustra idem Dominus ait Iudæis: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi. De me enim ille scripsit. Carnaliter quippe accipiendo legem, & eius promissa terrena rerum cœlestium, figuras esse nescientes, in illa murmura corruerunt, B ut dicere auderent: Vanus est qui seruit Deo. Et quid amplius, quia custodiuimus mandata eius, & quia ambulauimus supplices ante faciem Domini omnipotẽtis? Et nunc nos beatos dicimus alienos & ædificantur omnes, qui faciunt iniquitatẽ. Quibus eorum uerbis quodammodo propheta compulsus est, nouissimum prænuntiare iudicium: ubi mali nec saltem falsò sint beati, sed apertissimè appareant miserrimi: & boni nulla temporali saltem miseria laborent, sed clara ac sempiterna beatitudine perfruantur &c. Cùm autem admonuisset, & meminisset legis Moysi: quoniam præuidebat eos, multò adhuc tempore, nõ eam spiritaliter, sicut oportuerat accæpturos, continuò subiecit: Ecce ego mittam uobis Heliam Thesbiten &c. Per hunc Heliam magnum, mirabilémque prophetam exposita sibi lege, ultimo tempore ante iudicium, Iudęos in Christum uerum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus, cordibúsque fidelium. Ipse quippe ante aduentum iudicis saluatoris non immeritò speratur esse uenturus, qui etiam nunc uiuere non immeritò creditur. Curru nanque igneo raptus est de rebus humanis, quod euidentissimè scriptura sancta testatur: Cùm uenerit ergo exponendo legem spiritaliter, quam nunc Iudæi carnaliter sapiunt, conuertet cor patris ad filium, id est, cor patrum ad filios. Singularem quippe pro numero plurali interpretes Septuaginta posuerunt. Et est sensus, ut etiam filij sic intelligant legem, id est, Iudæi, quemadmodum patres eam intellexerunt, id est, prophetæ, in quibus erat & ipse Moyses. Sic enim cor patrum conuertetur ad filios, cùm intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum, & cor filiorum ad patres

Eiusdẽ lib. cap. 28.

Ioan. 5.

4. Reg. 2.

tres eorum, dum in id, quod senserunt illi, consentiant & isti. Vbi & Septuaginta dixerunt: & cor hominis ad proximum suum, sunt enim inter se ualde proximi patres & filij. Quanquam in uerbis septuaginta interpretum, qui prophetice interpretati sunt, potest sensus alius, idémque lectioni congruens inueniri, ut intelligatur Helias cor Dei patris conuersurus ad filium, non utique agendo ut pater diligat filium, sed docendo quòd pater diligat filium, ut & Iudæi, quem prius oderant diligant eundem, qui noster est Christus. Iudæis enim nunc auersum cor habet Deus à Christo nostro: quia non putant eum Deum esse, neque Dei filium. Eis ergo tunc cor eius conuertetur ad filium, cùm ipsi conuerso corde didicerint dilectionem patris in filium. Quod uerò sequitur: Et cor hominis ad proximum suũ, id est, conuertet Helias cor hominis ad proximum suum, quid melius intelligitur, quàm cor hominis ad hominem Christum? Quum enim sit in forma Dei Deus noster: formam serui accipiens, esse dignatus est etiam proximus noster. Hæc ergo faciet Helias. Ne fortè, inquit, ueniam, & percutiam terram penitus. Terra sunt enim, qui terrena sapiunt, sicut Iudęi carnales usq; nunc, ex quo uitio contra Deũ murmura illa uenerunt: quia mali ei placent, & uanus est qui seruit Deo. C

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, IN MACHAB. LIB. II. COMMENTARIA.

CAPVT SEPTIMVM. D

Oncipere nos potui. Vide Matth. cap. 8. in hæc uerba: Domine sequor te quocunque ieris.

C

Ex epistola 61. Tomo II.

Razias autem quidam de senioribus. Veruntamen quod fatendum, de isto Razia seniore, quem summa exemplorum inopia coartati se in Machabæorum libris, quasi ad authoritatem sceleris, quo seipsos perdunt, perscrutatis omnibus ecclesiasticis authoritatibus, uix aliquando inuenisse gloriantur, adhuc eis nũquam respondisse me recolo: sed quod tuæ charitati & prudentibus quibusq; sufficiat ad istos redarguendos, si ad uitam Christianorum de Iudæa gente, atq; illis literis parati sunt omnium sanctorum exempla transferre, tunc & hoc transferãt. Si autem illic sunt plurima eorum quoq; hominum, qui literarum illarũ ueritate laudati sunt, uel huic iam tẽpori non conuenientia, uel etiam illo tẽpore non rectè facta, tale etiam hoc est, quod in seipsum Razias iste cõmisit, qui cùm esset & apud suos nobilis & multùm in Iudaismo profecisset, quæ sibi in comparatione iustitię Christianæ, damna & stercora fuisse dicit Apostolus, & propter hoc idem Razias Iudæorum pater appellatur, quid mirum est si tanquam homini elatio superba subrepsit, ut mallet manu propria perimi, quàm post illam in suorum aspectibus celsitudinem, sustinere indignam in hostium manibus seruitutem? Solẽt in literis gentilium ista laudari, In his autem Machabæorum libris, quãuis homo fuerit ipse

Razias

laudatus,

A laudatus, factum tamen eius narratum est non laudatum, & iudicandum potius quàm imitandum, quasi ante oculos constitutum, non sanè nostro iudicio iudicandum, quod nos quoque ut homines habere possemus, sed iudicio doctrinę sobriæ, quæ in ipsis quoque libris ueteribus clara est. Longè quippe fuit iste Razias à uerbis illis ubi legitur: Omne quod tibi applicitum fuerit accipe & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe. Non ergo fuit iste uir eligendæ mortis sapiens, sed ferendæ humilitatis impatiens. Scriptum est, quod uoluerit nobiliter & uiriliter mori, sed nunquid ideo sapienter? Nobiliter scilicet, ne libertatem sui generis captiuus amitteret. Viriliter autem, quòd tantas uires animi haberet, quibus idoneus esset ut se ipse perimeret, quod gladio cùm implere non posset, de muro se præcipitem dedit, & sic adhuc uiuus abruptam cucurrit ad petram, atq; ibi exanguis intestina sua produxit, quæ utraque manu dissipata spargebat in populum, ac deinde postea defessus occubuit. Magna hæc sunt, nec tamen bona. Non enim bonum est omne quod magnũ est, quoniam sunt magna etiam mala. Deus dixit: Innocentem & iustum ne occidas. Si ergo iste nocens & iustus non fuit, cur proponitur imitandus? Si autem innocens & iustus fuit, quare interfector innocentis, & iusti, id est, ipsius Raziæ insuper putatur esse laudandus?

Eccl.12.

Exo.32.

COMMENTARIORVM PRIMI TOMI

FINIS.



